


TRACTATUS
DE
RELIGIONE
Juxta methodum Scholasticam
IN TRES LIBROS DIVISUS
AUTHORE
GREGORIO SIMON
S. F. Parisiensis Doctore Theologo.

EDITIO PRIMA VENETA
Duabus Parisiensibus castigatior, & auctior, Indice rerum locupletata.








VENETIIS,
Sumptibus HEREDIS NICOLAI PEZZANA.

M D CC LXX.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

TYPOGRAPHI VENETI

AD LECTOREM

PRÆFATIO.

JAmdiu in animo mihi erat librum aliquem typis meis evulgare, qui post Philosophiæ studium vacare Theologiæ volentibus iter quodammodo sterneret. Quæstiones enim multæ sunt, quæ neque a Philosophis, neque a Theologis pertractantur, Theologiæque naturalis nomine comprehenduntur, quæ si ullo unquam tempore addiscendæ fuerunt, hac certe qua vivimus ætate, qua ætate Atheorum, Deistarum, Materialistarumque opiniones pervagantur, eas nefas prorsus est Theologum ignorare. Habemus quidem præstantissimos in hoc genere auctores. Sed eorum partim antiquitus scripserunt, ac proinde Neotericorum scriptorum sententias non impugnant; partim vel nimis diffusi sunt, eorumque voluminum lectio præceptores, discipulosque fatigat, vel nimis breves, unde fit, ut in multis aut deficiant, aut obscuri sint. Hinc neque magnus fructus ex iis percipitur, difficultasque assequendi, quid scriptores illi sibi velint, a lectione deterret; partim demum ita scripserunt, ut eloquentiæ potius laudem in scribendo aucupari, quam lectorum utilitatem spectasse videantur. Hæ igitur caussæ fuerunt, cur in lucem emittere librum aliquem hujusmodi hactenus distulerim. Edidi quidem paucis abhinc annis pulcherrimum Clarissimi viri F. Antonini Valsecchii *de fundamentis Religionis impietatisque Fontibus* opus. Sed pace tanti viri dictum volo, scholis minus aptum quibusdam fuit visum. Discipuli enim docendi sunt non solum quæ argumenta opiniones sanas confirment, sed etiam quæ sententias perversas confutent. Præterea nimis interdum Valsecchius eloquens est, & ut argumenti vis veluti nucleus extrahatur, terque quaterque legendus locus est, quod gravate magister facit, discipulusque? Quidquod in quibusdam quæstionibus copiosus est, jejunus in quibusdam aliis? quodque caput est, non omnes quæstiones, quæ commode in hac materia pertractari possunt, pertractat. Tandem opportune in manus mihi venit *Tractatus de Religione Gregorii Simon*. Percussit illico animum nomen ipsum, cum sciam alium, Richardum nempe in Litteraria Rep. maxime resplenduisse, fierique ejus opera plurimi; movit auctoritas Sacræ Theologicæ Facultatis Parisiensis, cujus Auctor Doctor est; commendarunt mihi librum duæ editiones, Parisiis intra paucos annos factæ, doctorum virorum judicia in litterariis diariis edita, qui uno ore eum deprædicant; methodus ipsa scholastica facilis, per quam multo melius veritas, falsitasque inquiruntur deteguntur que, quæstionum connexio, Auctorum adhuc viventium opinionum solida confutatio me moverunt; Auctoris demum præfatio, in qua multa scitu, notatuque digna reperiuntur, ubi explicat Scriptor consilium, methodum, rationem cur ita scripserit, me impulit. Meo tamen judicio minime acquiescens librum quibusdam sapientibus viris exa-

minandum dedi: Omnes censuerunt, optimum eum esse, erudiendæque juventuti nullum esse opportuniorem, faciliorenque: quas quæstiones Valsechius oratorie tractat, in eo uberius scholastica methodo tractari, neque recoctam crambem lectoribus in eo reponi, ut in quibusdam aliis libris, qui potius centones sunt, rapsodiæque dicendi, sed nova, sed intacta proponi ab auctore argumenta, refellique dicebant: Addebant illud quoque, in aliis hujus generis operibus, ut videantur multa legisse, nulla Horationi præcepti ratione habita,

Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præsens ita tempus omittat
Hoc amet, hoc spernat promissi Carminis auctor, . (Art. Poet.)

modo eruditiones hinc inde corrasas, & unco impacto tractas, modo scriptorum ultra montes mariaque resonantia nomina, modo Bælii, Evremontii, Voltæri, Roussoiique, aliorumque talium hominum sententiarum confutationes, quæ innumeris in libris reperiuntur, acervatim ponant, se rem omnem confecisse, auctores putare; bellulos sibi videri caudamque jactare popello, si nomen suum speciosis *Clari*, *Eruditi* titulis ab Ephemeridum litterariarum scriptoribus relatum legant. Ad populum phaleras.

Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? (Persius Satyra 1.)

Qui in hujusmodi scriptis prorsus hospites, & peregrini non sunt, ridere, mirarique, eos ita scribendi pruritu insanire, ut non timeant,

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. (Horat. L. 1. Epist. III.)

Hæc aliaque his similia dicebant docti illi viri, quorum judicium exquisieram. Quare senserunt, me, sicut rem gratissimam utilemque editione eruditissimi Valsecchiani operis doctis hominibus, & de re Catholica, ut par est, sollicitis præstiti, ita lectorum, juvenumque commodo maxime esse consulturum, si hoc opus typis meis emitterem. Accessit etiam illud, quod cum per hos dies, omnes Principes nonnisi utilia religioni, statuique in suorum regnorum scholis tradi juvenibus velint, inutilibus Scholasticorum eliminatis quæstionibus, multa sunt in hoc libro, quæ huic prudentissimo consilio inservire possunt; qualia sunt illa de cogitatione, de librorum Veteris, Novique Testamenti divinitate, de veritate Religionis Christianæ, de illius notis, de missione Christi, de miraculis, & alia talia, quæ fuse, erudite, clareque pertractata sicut recentiorum Spirituum Fortium, Libertinorumque, ut appellantur, dicteria, & sophismata in Catholicam Religionem confutant, ita illam maximopere commendant. His ergo rationibus ductus, his auctoritatibus motus editionem sum aggressus, librumque emitto. Alium fortasse stylum nonnulli desiderassent; sed in libris hujusmodi nemo est qui ignoret, doctrinarum, sententiarumque veritatem esse potissimum spectandam. Nonnulla passim adjeci huic meæ editioni, ut quibusdam locis minus claris lucem adderem: indicem quoque rerum notabilium apposui, ut commodius, faciliusque reperiri materiæ possent. Tu his meis curis, humanissime Lector, fave, & vale.

PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS BENEVOLO LECTORI.



Iraris forsan, amice Lector, tantum insudari in elaborandis, adeoque torqueri prælum in cudendis pro Religione operibus & apologiis. Ego stuporem tuum obstupeo. Ea est enim rei cujuslibet natura & indoles ut quo fortius premitur, eo vividius renitatur, ac in prementem vehementiori impetu pro viribus quasi resultet. Sic numerosas gentes ac conspicuas societates germinare & florescere videmus, altas radices emittere, rerumque suarum primævum ac avitum statutum servare, aut etiam ampliare non alia via, nisi quia invidos felicitatis suæ æmulos eo magis subita ac subtili reactione repellunt, quo validiori impulsu oppressores urgebant. Ni faciant, citius corruere & æterna nihili nocte sepeliri eas oportet.

Quo impetu in Religionem hac ipsa nostra ætate irrumpat impietas, nemo non videt. Hæc suis superbit triumphis in dies audacior, illa continuis quibus impetitur telis obruta ac quasi consepulta viribus pene deficit; *sedet .... oppressa amaritudinibus*. Non mirum ergo si tot ac tantos conatus frangere omni ope atque opera tentaverint innumeri viri cordati; non mirum si in Religionis subsidium tot in lucem prodierint opera; immo votis omnibus exoptandum ut novus in dies exoriatur hujus Religionis ultor. Quod enim unus delineat, alter absolvit; quod ille omisit aut negligentiori manu digessit, hic plene & peritiori calamo exarat. Immo vel ipsa librorum de eodem argumento ubertas & copia demonstrat quam vastum, quam fœcundum ac inexhaustum sit de Religione argumentum. Talibus & nos inducti momentis causam Religionis aggredimur, nomenque nostrum virorum doctissimorum qui jam Religioni suam navarunt operam albo, non sine aliquo tamen pudore, inserere audemus.

Quanta vero dignitate præstet præsens Theologiæ pars, quam utilitatem secum ferat, non tantum ad eruditionem propter varias & multiplices disputationes, sed maxime ad vitæ & morum sanctimoniam ex perpensa tum Dei perfectionum, tum officiorum nostrorum, tum denique omnium Religionis principiorum serie, verbis exprimere nec opus est, nec licet. Ad graviora properandum nobis est. Tribus enim te præmonitum volo, optime Lector, quæ maxime in rem præsentem conducunt. I. Operis ordo exponendus. II. Hujus legendi & cujuslibet Theologici studii exercendi proponenda methodus. III. Disputationis leges stabiliendæ.

§. I.

De præsentis Tractatus methodo.

Quam in hac nostra elucubratione sequuti fuerimus methodum paucis accipe. Quoscumque Auctores ad manum habuimus qui de proposita quæstione egerunt, eos in hac palæstra duces & magistros nobis eligimus. Ubi locus aliquis scripturæ explanandus nobis venit, fontes ipsos pro nostro modulo consuluimus, textum scilicet Hebraicum & Græcum; non quod vulgatam

Inter-

Interpretem contemnamus, sed Christiana & a PP. Trid. concessa libertate utentes. Inanes ac otiosas quæstiones caute omisimus. Quæ in aliis tractatibus, aut inter cursum Philosophicum fuse disputata fuere, ea vel omninò prætermisimus, vel delibavimus tantum ac leviter perstrinximus; quæ vero vel cursim vel nullo modo alibi tractata erant, de iis plenius, quantum tamen ad rem nostram erat, disseruimus. Solutam ac liberam orationem nobis non concessimus, sed præsens opusculum ad strictos brevitatis simul & formæ scholasticæ apices quantum fieri potuit, componere studuimus. In proferenda sive Scripturæ sacræ, sive SS. Patrum auctoritate fuimus parcissimi; nondum enim utramque auctoritatem nobis notam esse supponitur. Si quando ergo scripturam aut Patres in medium attulimus, vel arguendo ad hominem, vel eos proferendo ut testes & historicos fide dignos, vel denique ut Catholicis qui suos sensus a nostris dispares inde se haurire gloriantur tela aut retunderemus, aut declinaremus, aut e manu excuteremus; sic v. g. inter miraculi & oraculi aperiendam naturam egimus. Amplam difficultatum supellectilem aliquoties extruximus ut studiosæ juventuti animos inde adderemus, & ad veritatem indagandam ejus mentem acrior stimulus pungeret.

In id sedulo incubuimus ut hancce nostram elucubrationem certa methodo & elegantiori qui fieri potuit ordine disponeremus. Hinc ubi quæstio aliqua ideas nimium complexas præ se fert, eam in plures paragraphos ac in varias conclusiones partiri & sic ad simpliciores ideas revocare studuimus ut successive ac sigillatim mentem subirent, & sic facilius ab ea apprehenderentur. Ita quæstiones ac propositiones ordinavimus ut una ad alteram quasi facili clivo & nativo pondere deducat. Sic veritatis solem vel meridianum intueri assuescunt etiam debiliores oculi. Tractatum hunc ad duas revocavimus partes, quarum una de Religione naturali, altera vero de supernaturali agit. In prima parte posuimus fundamentum Religionis naturalis. Stabilita deinde naturali Religione perpensisque omnibus quæ ad eam spectant; ejus sufficientiam sollicitavimus, ac eo quæstionem deduximus ut tota jam deinceps circa factum versaretur, scilicet ubinam vera & divina existeret revelatio. Hæc in secunda parte in propatulo ponimus, hoc ordine. 1. Certitudinum varias species, dotes ac proprietates exploramus. 2. Divinæ revelationis ac extraordinariæ manifestationis signa proferimus. Spuriis deinde & adulterinis explosis Religionibus, quæsitam revelationem primum quidem apud Judæos invenimus, at nunc solis Christianis propriam esse postea astruimus. Unicuique quæstioni præeunt semper notiones ejus definitioni prærequisitæ, variarum opinionum expositio, & status quæstionis determinatio. Veniunt postea propositæ Theseos probationes. Ab iis plerumque exordium ducimus quæ eruuntur ex stabilitis jam antea conclusionibus. Sic enim idearum concatenata nec interrupta series sæpius menti exhibita facilius & altiori animo imprimitur. Succedunt denique difficultates quarum primæ proponuntur quæ Theseos probationes impugnant.

§. II.

De studendi methodo.

Stadium Theologiæ ingressos innumeri hinc & inde cingunt scopuli in quibus declinandis vigiles & arrecti esse debent. Minantur autem scopuli illi sive cum privatim studio vacant, sive cum ea quæ privatim animo inseruerunt

sunt publice reddunt. Nihil ergo ipsis antiquius esse debet quam ut rite ac debita cum cautione Theologiæ pelago se committant, sive separatim, sive cum aliis mare illud tentent. De privato studio primum agimus: ac in anteceſſum alta recondant mente aliud studere & aliud legere; aliud callere aliquam quæstionem & aliud librum aliquem evolvisse. Attenta diuturnaque meditatio studii nomen sola sibi vindicare potest. Itaque Theologiæ Tyrones cum seorsim huic studio operam dant, sedulo attendere debent res quas tractare, Auctores quos audire & legere, temporis denique spatium quod huic negotio insumere oportet. Ita nos monet Erasmus *Epist. de ratione studii*. „ Rationem accipe, qua possis non solum rectius, sed etiam facilius disce„ re, hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, ut tantumdem „ operis, cum rectius expedititiusque, tum levius etiam efficiat. Diem tam„ quam operas partito, id quod & a Plinio secundo & a Pio Pontifice Ma„ ximo, viris omnium memoria præstantissimis, factitatum legimus. „ Enim vero iis qui palæstræ Theologicæ primum limen terunt, aliæ sunt sequendæ leges, alii evolvendi Auctores, aliterque dividenda temporis spatia, quam veteranis & in re Theologica jam diu versatis. Primis præsertim unus Auctor plerumque sufficit; nondum enim satis emunctæ sunt naris ut inter tam varia tamque varie disposita verum sincerum odorari ac liquidam veritatem ex iis exprimere valeant. „ Non quam multa, inquit Erasmus *Epist. de art. „ stud.* sed quam bona percipias, refert. „ Quandoque enim rerum divinarum alimentis sæpe se ingurgitant, sed cibos adeo male coctos, adeo indigeste insertos respuit plerumque stomachus vix lactis Theologici adhuc capax. Rerum multitudine & onere prægravata mens & memoria corruit; vires animi primo veluti ictu hebetatæ inertes jacent ac inutiles, deficitque animus cum ad graviora assurgendum est. Timebant antiqui unius libri lectorem, nec immerito. Si enim accurate conscriptus sit ille liber, si solida abundet scientia, timendus profecto qui intima illius principia ad unguem callet, & ejus consectaria certo nexu tum inter se, tum cum eorum principiis constricta & copulata tenet. Caveant ergo juniores Theologi Auctorum sylvam sibi struere, aut ab uno Auctore ad alium cursim, ac alterno veluti commeatu pertransire. Cæterum iis utantur libris ex quibus uberem emolumentorum segetem demetire sibi liceat. Eos Auctores quasi pestem quamdam devitent qui novatæ doctrinæ nota inuruntur, aut etiam vel levissima novitatis suspicione laborant. Non quod multa utilia ex iis decerpi non possint, sed quod ex eorum lectione non leve animabus ingruat periculum; veritatem enim & mendacium eodem haustu propinant. In aliud itaque tempus hæc lectio differetur, cum scilicet Theologiæ asseclæ in ejus palæstra diu multumque exercitati virilem ætatem attigerint his capiendis idoneam, & unguem veritatis tenacem adepti fuerint. „ Optima quæque statim ac primum „ disce, inquit Erasmus, l. cit. Extrema est dementia discere dediscenda. „ Quod in curando stomacho solent præcipere Medici, idem tibi in inge„ niis servandum puta. Cave aut noxio aut immodico cibo ingenium obruas; „ utroque enim juxta offenditur. „ Corporis & animi divagationes ut studio inimicas improbat Seneca, *Epist.* 2. his verbis: „ Non discurras, nec lo„ corum mutationibus inquietaris. Ægri animi ista jactatio est. Primum ar„ gumentum compositæ mentis existimo posse consistere & secum morari. „ Illud autem vide ne ista lectio multorum Auctorum & omnis generis vo„ luminum habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari &

„ in-

„ innutriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat.
„ Nusquam est qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc eve-
„ nit, ut multa hospitia habeant, nulles amicitias. Idem accidat necesse est
„ iis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & fe-
„ stinanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit qui statim
„ sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit quam remediorum crebra
„ mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem in quo crebro medicamenta ten-
„ tantur; non convalescit planta quæ sæpe transfertur, nihil tam utile est
„ quod in transitu prosit; distrahit animum librorum multitudo . . . . fasti-
„ dientis stomaci est multa degustare quæ ubi varia sunt, coinquinant, non
„ alunt... Et cum multa percurreris, unum excerpe quod illo die concoquas.
„ Hoc ipse quoque facio: ex pluribus quæ lego aliquid apprehendo. Et *epist.*
„ 108. Scribam quemadmodum ista cupiditas discendi, qua flagare te video,
„ dirigenda sit, ne ipsa se impediat. Nec passim carpenda sunt, nec avide
„ invadenda universa: per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus
„ debet, nec plus occupari quam cui sufficere possumus. Non quantum vis,
„ sed quantum capis hauriendum est. Bonum tantum habe animum, capies
„ quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc se magis laxat. „

In quovis gerendo negotio ac præsertim in eo de quo in præsentiarum agitur, recto ordine nihil utilius, nihil accurata methodo necessarium magis. Hac absente, labor torquet improbus, nulla aut levissima compensat utilitas, incassis conatibus insudat rerum Theologicarum investigator, multa agendo nihil agit. Multa leguntur, multa sciri videntur, intima Theologiæ putantur patere penetralia, dum vix primum ejus limen salutatum est. Enimvero ubi ideæ in mentem confuse, nullo ordine & quasi turmatim irruunt, vix di-scernuntur, vix sensum sui faciunt, saltem non vividum, non eum qui scientes faciat & quascumque tenebras plene discutiat. Quando ideæ incompositæ & præcipiti, ut ita dicam, incursu mentem invadunt, eam pondere suo obruunt, præsentia sua non beant, omnia miscent, collustrant nihil. Continuo tunc ac inexhausto semper labore defraudare cogitur sacri studii asfecla ut tumultuantem idearum turbam componat duplici exesus cura in ideis & ordinandis & comprobandis, quorum neutrum unquam assequitur. At e contra si certo ordine incedant ac sibi invicem succedant debita cum moderatione, plena, suavi & amica luce mentem perfundunt; crescit paulatim dies ac sensim sine sensu mentis oculos plena luce veritatis splendor collustrat. Nullo labore, nulla molestia hospites suos in intimo cordis excipit & reponit sacræ scientiæ indagator. Viam sibi mutuo sternunt ideæ illæ, vires sibi mutuo addunt, murumque æneum contra errorem struunt. Quo ordine mentem subierunt, eodem menti obvolvuntur & pro data occasione expostulatæ se se repræsentant. Fœcundam cognitionum arcem grato placidoque oculo contemplatur & lustrat animus, nullo alio jam deinceps exercendus labore quam in scrutandis magisque ac magis recognoscendis quos cumulavit thesauris. Quam blanda! quam dives! quam jucunda veritas sic concepta, sic possessa! Curet Theologus ut, quantum fieri potest, a primis Religionis, ut ita dicam, rudimentis ad altiora quæque sensim avolet & progrediatur. Quæ gravia sunt, graviter, quæ levia, leviter attingat. Illa diu multumque vertet & reverset, ac cum iis quasi obluctetur; hæc vero breviter & summis veluti labiis tantum delibet. Tempori nec plus æquo serviat, nec semper juxta determinatam sibi horarum durationem pensum suum, nimium

sevs-

feverus describat & metiatur: non etiam tempus immensum rei sæpe levissimę nimium dissolutus impendat. Pro materiarum momento & difficultate temporis spatia dividat aut insumat. Minus sępe prodest, immo ex equo nocet & longa horarum series continuo dedita studio, & per decurtata momenta raptim iteratis vicibus resumpta attentio. Semper itaque ante oculos habeat illud italicum: *Sat cito, si sat bene*, sicut & illud Spiritus Sancti Prov. 22. 29. *vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles.*

Ediscendę Theologię quędam prçterea prçire debent tum animi, tum corporis dispositiones. Et primum; tanto negotio multum conducit sana ac moderata non solum mentis, sed etiam corporis ordinatio. Licet enim mens corpori serviliter non serviat, ita ut vices ejus in omnibus ad amussim sequatur, & opem ejus continuo emendicare cogatur, in multis tamen operam ejus expectat, juxta illud Sap. 9. 15. *corpus quod corrumpitu, aggravat animam*. Summopere ergo curet rebus divinis vacaturus ut utriusque substantię habitum ad eum modum componat qui animam simul & corpus proposito sibi studio attemperet. Est autem studium seria mentis attentio cujus finis est intellectus collustratio & cognitionis alicujus scientificę adeptio. Quęcumque ergo vel ex parte mentis vel ex parte corporis huic adeptioni obstant, vel eam retardant, ea sedulo præcavenda sunt, aut corrigenda. Obstat vero ex parte mentis nimia ejus in objecta externa effusio. Tunc animus difficile admodum sibi redditur, nec ad rerum spiritualium considerationem accedit, nisi defatigatis jam & exhaustis viribus. Prçjudicati sensus, & nulla legitima ratione aut auctoritate prçconceptę opiniones, sicut prçceps quędam ad judicandum propensio longe a viro Theologo exulare debent. Sit in eo ingenium docile, veri amans, recti tenax, laboris patiens & scientię cupidum. Castis sit moribus, & ab impuris voluptatibus sese avocet: nihil quippe aciem ingenii tam obtendit & a studiis avocat quam voluptate captus ac diffluens animus. Tota in sensibilibus anima, ad intellectualia assurgere vix potest. Non effrçnata libertate ubique divagari & se se librare sibi permittat Theologię assecla; non patrię, non amicorum, non præteritarum deliciarum pungatur desiderio. Unum sit ipsi negotium, unum sit ipsi studium, rebus Theologicis incumbere. Non ignavia torpeat, non næniis delectetur, non operis finem laboris impatiens expectet. Non putet se debitum in studendo persolvisse officium; si quoquo modo librum suum percurrerit & utcumque didicerit. At vero ad hoc negotium alacriter se accingat, acri & indefesso labore assiduus in illud incumbat, ac illo immoretur eminentiori quo potuerit modo, talenta sibi a Patre-familias commissa ad ejus laudem & totius Religionis utilitatem excolat, ac fœnore, ut ita dicam, occupet; juxta illud Sapientis, Eccli. 33. 23. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Si forte tædium animo subrepat, ardentiore ac ferventiore attentione illud devincat. Quod si pertinax sit & importunum illud tędium, paulisper & breviori tempore ad alia animum avocet, & a proposito studio aliquandiu se subducat. Post mentem levi requie levatam statim prima studia resumat. Immo sæviente tędio vix ab aliqua lectione temperet, aliquid v. g. ex historia Ecclesiastica delibet, sic animum labore exasperatum aut eodem objecto pertęsum demulcendo ipsum tamen exerceat semper & excolat. Caveat ne aut ad studium invita Minerva obstinetur, aut animo suo male affecto nimis indulgeat. Dicit Sapiens, Eccli. 18. 22. *Non impediaris orare semper*; dicere etiam liceat: non impediaris studere semper. Nec hæc sibi opponuntur. Nocet ex

parte corporis, delicata nimium mensa. Anima obeso ventre prægravata ad terram depressa inclinatur; vix cœlestia suspicere poterit. Somnus longior non sit, nec ad serum usque solem prolongetur. Sensus hebetat somnus, nimium laxat quies & otium sine modo, nimium stringit vigilia in multam noctem producta. Cibus cum acri studio plurimus vires corporis quasi gladius utrimque feriens elidit. Vitanda etiam aut frequentior, aut rarior corporis exercitatio; æquale plerumque periculum corporis exercitatio extra certos quosdam limites usurpata & omnino neglecta. Arcus enim perpetuo tensus nervos frangit, semper remissus, nervos contrahit. Utriusque sive mollioris vitæ sive strictioris studii incommoda præcavent Seneca & Erasmus. Hic quidem epist. jam laudata. „ Contentione enim, inquit, immodica nonnunquam obruun„ tur ingenia discentium. Assiduitas vero & mediocritate sua perdurat, & „ quotidianis incrementis majorem opinione acervum accumulat. Satietate „ cum in omnibus rebus, tum in litteris nihil perniciosius. Laxanda est „ igitur aliquoties illa litterarum contentio, intermiscendi lusus, sed libe„ rales, sed litteris digni & ab his non nimis abhorrentes. Immo mediis „ ipsis studiis perpetua quædam voluptas est intermiscenda, ut ludum potius „ discendi quam laborem existimemus. Nihil enim perdiu fieri potest quod „ non agentem aliqua voluptate remoretur . . . nocturnas lucubrationes at„ que intempestativa studia fugito, nam & ingenium extingunt & valetu„ dinem vehementer offendunt. Aurora Musis amica est apta studiis. Pran„ sus aut lude, aut deambula, aut hilarius confabulare. Quid quod inter ista „ quoque studiis locus esse potest. Cibi non quantum libidini, sed quantum „ satis sit, sumito. Sub cœnam paulisper deambula; cœnatus, idem facito. „ Sub somnum exquisiti quippiam ac dignum memoria legito, id experre„ ctus a te ipso reposcas. Plinianum illud semper animo insideat tuo: omne „ perire tempus quod studio non impertias. Cogita juventa nihil esse fuga„ cius quæ ubi avolarit semel, redit nunquam. „ Seneca vero ep. 108. „ lau„ dare solebat Attalus culcitram quæ resisteret corpori: tali utor etiam Senex „ in qua vestigium apparere non possit.

His sic præeuntibus ad studium se accingat Theologiæ candidatus, oratione munitus & mente ad Deum prius erecta, *Jac.* 2. 17. *ad Patrem luminum, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum*. Juxta prius posita a nobis principia, certum & unum librum præ manibus habeat. Quæ prima in eo occurrit quæstio, ab ea suæ inquisitionis exordium ducat. Eam semel perlegat nulla alia consideratione aut adnotatione facta, nisi quæ sponte menti occurret, & levissime perpendatur; forsan enim ex postea legendis & ex majori attentione cassa & inutilis evanesceret. Absoluta hac prævia ac quasi perfunctoria lectione, prima vestigia relegat, notiones, statum quæstionis & prænotata omnia sedulo perpendat & accurate discutiat, potentemque horum omnium arcem sibi extruat, & alta mente recondat. Ad hæc enim veluti ad quemdam lapidem lydium & Theseos probationes & argumenta huic opposita æstimare debet. Rite præconceptis notionibus & statu quæstionis juste defixo Thesim & ejus probationes aggrediatur. Perpendat 1. An argumenta Thesim munientia intra præscriptos status quæstionis limites consistant, an vero ab eo exorbitent; an suam vim & energiam servent positæ notiones, an vero confundantur; an varias inter syllogismorum partes debitam & nativam detegat connexionem; an denique mens hæc omnia eodem modo & ordine concipiat, quo apud Auctorem sibi præsentem digesta leguntur. Quibus omni-

nibus compertis, difficultatibus manum admoveat, & juxta modo adornatam methodum suum lapidem lydium iis apponat. Eas primum occupet quæ contra allatas probationes proponuntur. Istæ enim si recte solutæ maneant, veritati invictis argumentis stabilitæ nocere non poterunt tela in Thesim ipsam vibrata, quia veritas veritati pugnare non potest. Difficultatem ergo quamqua versum lustret Theologiæ studiosus, & videat an extra disputationis statum non excurrat, an præfixis notionibus non dissonet; hoc enim non infrequens objectionum nævus. Si forte vero, sive inter probationes, sive inter objectiones ab Auctore propositas occurrat nodus aliquis cui solvendo vires Theologiæ candidato deficiant, semel atque iterum obniti debet. Quod si pertinax nodus manum exasperet & incassos conatus relinquat, ad alia pergat; forte enim vel sequentia, vel iterata postea lectio & meditatio, vel denique peritioris aut Magistri institutio onus istud levabunt. Priusquam ex scripta aliqua difficultate ad responsionem desilias, operę pretium aliquando erit, manu super Auctoris responsione veluti posita, prius tacita mente meditari an ad propositam objectionem solutionem proprio marte comparare tibi non possis, sive ex præfixis notionibus, sive ex assignato quæstionis statu, sive ex positis generalioribus principiis, sive tandem ex allatis jam probationibus. Quæ si mentem tuam subeat, hanc cum responsione Auctoris conferes. Immo operam non incassum absumes, si præsertim grandior, ut ita dicam, factus ac provectioris ætatis Theologus, inquiras an Auctoris tum probationibus, tum objectionibus, tum responsionibus aliquid aliud addere possis. Sic enim animus se ipsum excolit, sic vires suas librat & exercet mens innocue & ad majora præstanda se disponit. De prima scintillante alicujus ideæ veritate non sibi blandiatur Theologus, quasi de ea certus & securus; sed quæ iterum atque iterum probata & recognita vera sibi constanter videbuntur, his solis fidem suam obstringere audeat. Diu multumque cum illucescente veritate & primo ejus radio colluctetur, ipsum hinc & inde sollicitet & experiatur, nec nisi diuturno lucis fulgore devictus judicium ratum fixumque constituat. Fortassis erit ut Auctor qui manibus teritur, formæ scholasticæ rigidus sectator non sit, tunc studiosus rerum Theologicarum investigator sic ipse suam operationem diriget. Adeptis notionibus, recognita & æqua lance librata probationum & difficultatum energia, hæc omnia ipse privatim ad formam scholasticam reducat. Quod si veteranus sit & in castris Theologiæ jamdiu consenuerit, poterit tunc alios Auctores de proposita quæstione adire, eorumque sensus cum haustis ex Auctore suo, aut proprio marte fabricatis ideis conferre. Ab iis incipiat qui & intellectu faciliores sunt, & minoris voluminis. Nullum consulat nisi cujus nota sit & fama publica comprobata sagacitas. Unum adhuc monitum volo juniorem Theologum, scilicet ut veritate non metiatur ex distractis hinc & inde ratiunculis & probabilitatibus, sed ex Theologorum aut Patrum auctoritate, ex solidis rationibus & momentis. In consentiente Patrum & Theologorum testimonio veritatem certo comperiet, & manus ejus contrectabunt.

§. III.

De disputandi methodo.

Frustra proprio labore insudat Theologiæ candidatus nisi aliorum sensus explorare, & cum iis sententiam suam conferre curet. Sic ad rem istam habet Erasmus loco cit. „ Prima igitur cura sit ut præceptorem tibi deligas quam „ eruditissimum ....quem simul atque nactus eris, fac omnibus modis efficias „ ut, ille patris in te, tu filii vicissim in illum induas affectum ... frustra „ sis litteratum præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te „ illi attentum & assiduum præbeas ... principio, quod caput est, præceptorem „ interpretantem non attentus modo, sed avidus auscultato. Non contentus im„ pigre sequi differentem, aliquoties prævolare contende. Omnia illius dicta „ memoriæ, præcipua etiam litteris, mandabis fidelissimis, vocum custodibus... „ Noli committere ut codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne ef„ fluant, aut apud te, aut cum aliis retracta. Nec his contentus aliquam „ temporis partem tacitæ cogitationi tribuere. Memento, quam unam, D. Au„ relius tum ingenio, tum memoriæ imprimis conducere scripsit. Conflicta„ tio quoque & tanquam palæstra ingeniorum nervos animi præcipue tum o„ stendit, tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari, si quid dubitas; nec ca„ stigari, si quid errabis sit pudor. „ Hæc etiam Seneca ep. 108. „ Idem & do„ centi & discenti debet esse propositum, ut ille prodesse velit, hic proficere. „ Qui...ad scholas venit, aut sanior domum redeat, aut sanabilior ...qui„ dam veniunt ut audiant, non ut discant...magnam auditorum partem vide„ bis cui schola diversorium otii sit... aliqui tamen cum pugillaribus veniunt, „ non ut res excipiant, sed verba, quæ tam sine profectu alieno discant, quam „ sine suo audiant ...propositum ferunt ad præceptores suos, non animum di„ scendi, sed ingenium. „ Post privatum ergo studium ideas quas in intimo cubiculo combibit & digessit, aliis exponat & Magistris & sodalibus; hos tamen aut ingenio & scientia pares, aut sibi praecellentes feliget. Eidem interdisputandum methodo insistat, quam in studendo ex supra stabilitis principiis secutus est. Itaque sive privatim, sive in communi exercitationi in arenam descendat generosus Theologiæ athleta, notiones primum & statum quæstionis aperiat & determinet; circa quæ si omnes, consentiant poterit tutus aciem committere, sin velo circa notiones ipsas aut statum quæstionis discordes sint, chimæram aut larvas impugnabit, novus Andabata, aut aerem verberabit, & incassum nervos ad pugnam intendet. Vix quidquam emolumenti ex tali collatione sperandum, donec, ad peritioris judicium tota res stet & devolvatur. Cum vero ad publicam collationem & exercitationem accedunt juniores Theologi, hæc sedulo observent.

I. Ad eam non accedant nisi prius debite persolutis iis omnibus quæ supra præscripsimus. Si per intempestiva negotia aut quam libuerit aliam excusationem ea omnia ad amussim exequi quandoque non licuerit, saltem non veniant nisi lecta semel aut bis disputationis materia. Nusquam in Magistri explanatione ita confidat Discipulus ut pleni otii jure gaudere sibi licere putet. Verba enim volant, nec mente capiuntur, aut memoriæ imprimuntur nisi cum jam præcedenti meditatione fuerint ponderata, & sedula deinde cura relecta. Quo minor erit in his præstandis assiduitas, eo minus emolumentum studenti deveniet.

II. In-

II. Inter numerosam condiscipulorum catervam sedens Theologiæ candidatus, neminem surdiuscula aure excipiat, vel alto despiciat supercilio. Sæpe indoctiores & qui videntur incultioris ingenii ea proponunt sive propria incude quasi furtive fabricata, sive aliunde inspirata, sive alibi lecta quæ contemnenda non sunt. Nec sane operam perdideris, etiamsi nihil aliud inde nisi ad quos alii allidantur scopulos prænosceres; hinc facilius eos ipse declinabis. Theologiæ itaque tyrones tum Magistrum, tum condiscipulum de proposita quæstione differentem attente audiant, eorumque explanationem aut expositionem cum præformatis sibi ideis conferant.

III. Cui differendi provincia demandatur, is prius Auctorem in omnibus condiscipulis communem ad vivum reddere curet; deinde annuente Magistro privatas cogitationes proponere poterit, 1. circa notiones aut probationes, postea circa objectiones; certo semper ordine procedatur. Si enim alia via incedat, & quæ seorsim conceperat, prius parere velit quam Auctorem exhibere, nihil fixum, nihil liquidum ex tali disputatione haurient auditores, ii præsertim qui tardioris aut infirmioris erunt ingenii. Si vero ad præscriptam modo normam disputationem suam dirigat dissertator noster, tunc veritas omnibus ad manum erit, & ampla fructuum seges iis succedet.

IV. Suprema sit hæc viro Theologo lex & regula, ut fidei placita stabiliat ac confirmet auctoritate scripturæ & traditionis. Sunt enim duo isti limpidissimi fontes ex quibus doctrinæ aqua salubris scaturit. Sunt quippe Religionis nostræ dogmata vel exquisitæ quædam veritates quæ omnem mentis humanæ captum longe superant, vel facta quædam quæ a sola & liberrima Dei voluntate pendent, cujus proinde utriusque generis ea vis est & conditio ut ab homine, saltem certo, apprehendi neutiquam aliter queant nisi ex auctoritate tum Dei revelantis, tum Ecclesiæ proponentis ac declarantis ea quæ sunt revelata.

V. In subsidium fidei & Theologiæ vocanda est etiam humana Philosophia. Non quidem ut domina ad cujus nutum dogmata Religionis definiantur, sed ut ancilla & pedissequa quæ dominatrici fidei subserviat, non præsit, eam illustret ac muniat, non regat. Fidei enim auctoritas non aliunde nisi a Deo revelante vim & pondus suum obtinet, ac mutuatur. Accurate distinguat candidatus fidem a ratione, opinionem a dogmate. A fide ne latum quidem unguem discedere audeat, summa vero servetur opinionum quæ salva fide hinc disputantur, libertas. Nulli ex iis quas Ecclesia permittit, censuræ notam inurat. Inter varias scholæ opiniones eam seligat prudens ac sagax Theologus quæ ad placitum fidei & ad normam loquendi a SS. PP. usurpatam propius accedere videbitur; si qua fuerit totius scholæ, præsertim Parisiensis, calculo probata, hanc tueatur, & suam faciat.

VI. Nec in iis quæ revelatione, aut ratione, aut ullo certo testimonio nobis non innotescunt, omnes vincere & aliis legem superbe ponere velit, nec arcana fidei curiosius rimari tentet. In illis innoxia est ignorantia & dubitatio, in his sacra est & verenda obscuritas. Cavendum est etiam ne quod est apertum negetur, quia quod est occultum comprehendi non potest. A recepta in scholis loquendi forma non recedat scholæ Theologus, ne disputatio fiat obscura & tota fere de nomine. Constantem ac rigidum formæ scholasticæ custodem se exhibeat. Sic ad veritatis cognitionem tutius simul & brevius perveniet ipse & alios ducet. Pariter a dialecticis argutiis ac subtilioribus tricis abhorreat, ne forte disputatio tota sit insidiosa ex qua nihil præ-

ter inanem verborum strepitum reportetur. Non abripiat disputandi prurigo; non torqueat, immo ne titillet quidem novitatis insana cupido, non deludat omnia sciendi spes vana & fictitia.

VII. Eam dicendi rationem usurpet quæ nec nimium neglecta, nec exquisita nimis sit. Melius hæc docebit Seneca *epist.* 115. „ Quare quid scribas, „ non quemadmodum: & hoc ipsum non ut scribas, sed ut sentias . . . . „ cujuscumque orationem videris sollicitam & politam, scito animum quo„ que non minus esse pusillis occupatum. Magnus, ille remissius loquitur & „ securius: quæcumque dicit plus habent fiduciæ quam curæ. Nosti complu„ res juvenes barba & comoda nitidos, de capsula totos; nihil ab illis spe„ raveris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est.


VIII. Absit ab omni concertatione Theologica qualibet verborum asperitas, rixandi libido & puerilis quædam ostentatio, ut monet S. Aug. l. 2. de Doct. Christ. c. 31. absit etiam studium partium. *Verum, non vincendi sed inveniendi gratia quæratur*, inquit idem S. Doct. l. 2. de morib. Manich. c. 3. non alium sive privati laboris, sive publicarum concertationum finem & fructum sibi proponant Theologiæ candidati quam veritatis indagationem ac sanioris doctrinæ defensionem; non vanam gloriam & ostentationem, non sordidam lucri alicujus temporalis cupiditatem & possessionem, sed suam & aliorum ædificationem, ut docet S. Bernardus, *Serm. 36. in Cantic.* adversam quam impugnas sententiam, cave ne deformes, aut alieno colore reddas & parum fideliter referas. Si quæ vero sint quæ tibi videantur ex illa consequi minus sana & tuta in fide, cave ne ea illius sententiæ auctoribus imputes, præsertim cum hujusmodi consectaria illi pernegant & respuunt. Patrum placita suspicere & vereri discant juniores Theologi, & quæ veritati temporum lapsu elucidatæ minus apud eos consona reperientur, non fastidiose respuantur, non superbo despiciantur supercilio, sed cum debita reverentia deferantur. Veritatis si non absolutæ, saltem aut inventæ, aut delineatæ jure ac merito laudem sibi vindicant. Nullus imprimis eo superbiæ assurgat ut Patrum unanimem sensum aut improbare, aut dicteriis lacescere ausu temerario attentet. Sicut in unius aut alterius verba jurare severa lege non tenetur, sic a consentienti omnium testimonio discedere districtim interdicitur. Patrum opera sicut Scripturam sacram volve & revolve. Indecorum foret Catholico Theologo minus versatum ac exercitatum esse in Scripturæ & Patrum lectione quam heterodoxi, qui in id perpetuo incumbunt, & ex nostra ignorantia amplum nimis nomen sibi faciunt. Nec sane scientiæ apicem attigisse & hanc muneris sibi impositi partem implevisse sibi videatur Theologiæ candidatus cum immensum Patrum agmen duxerit, & innumeros male quandoque assutos nulloque fere vinculo inter se ligatos Scripturæ textus protulerit ac rudem & indigestam eorum molem struxerit. In hoc præcipue officium sibi incumbere putet ut singulos quos afferet textus exponat ac evolvat, ac scholastica methodo probandam veritatem ex iis exprimat. Ad hoc præstandum multum juvabit linguas callere, præsertim Hebraicam & Græcam, ut suadet S. Aug. *l. de Doct. Christ.* Nomen doctissimi Theologi non in eo ponat Tyro noster, quod immensas pene probationes memoria tenere possit; ac inter respondendum eas explicare; sed inde laudem sibi aliquam affectet ut paucis & ad rem proponat, probet ac respondeat.

IX. Sibi ipsi redditus Theologiæ candidatus post publicas concertationes, quæ inter disputandum hinc & inde in iis dicta sunt, ea in memoriam re-

vocet, attenta mente revolvat, iterum atque iterum verset & discutiat, ac tandem in promptuarium quoddam compendiose referat ex quo pro data occasione & opportunitate extrahere & relegere sibi liceat. Si quid difficultatis adhuc experiatur, eam ad Magistrum devolvat, vel etiam, si talis sit ponderis ut virum cordatum movere possit, rursus publicæ disputationi exponat. His omnibus a nobis hic præscriptis si strenue & fideliter insistat novus Theologus, adeptam sibi & in tuto positam veritatem confidere poterit, erit vir & de eorum numero per quos salus facta est in Israel.

Hæc sunt, optima Juventus, quæ præmonenda habuimus. Totum vestrum est præsens opus, hæc enim omnia pro vestra institutione digessimus. Utinam feliciter! quod si conatus nostri vobis arrideant, & ad utilitatem vestram vertant, hæc sit unica nostra laus, hoc unicum sit nostri laboris præmium. Ad hanc igitur palæstram vos accingite, o inclyta Theologorum juventus, alacres huc accurrite armis quæ vobis paravimus; succincti in arenam irruite; ecce enim vos expectat Religio non ad Jovis, aut Martis aras juratos, non humano potatos sanguine, sed melioribus imbutos, immo imbuendos adhuc postea Sacramenris; quibus summo, vero & æterno Numini vos devovistis. Inter validos ictus quibus impetitur pia illa mater, brachia telis onerata, conatibus defessa, manus punico defatigatas bello ad vos protendit, vestram inclamans opem, vestram dicendi copiam, excogitandi facilitatem, propugnandi soliditatem; hæc, inquam, omnia non alios vobis in usus data jure suo reposcens & sibi vindicans. Meliora forsan exoptatis arma, ducem quæritis magis peritum; donec vobis subministrentur, quam instruximus arcem eam habete. Quidquid rectum & veritate dignum, Deo reddite; quod si quid in eo occurrerit inconcinnum aut imbelle, humanæ imbecillitati adjudicate; si quid denique vel Catholicæ Fidei, vel Theologorum placitis universalibus, vel sacræ Facultatis Parisiensis almæ matris meæ decretis aut adversum, aut minus consonum, quod absit, mihi incauto excesserit, illud pro non dicto & revocato habeatur.

Vale, optime Lector, meo labore fruere.



INDEX
LIBRI PRIMI.

Con-

Solv.

LIBRI SECUNDI.

Con-

Scho-

Co-

II.

LIBRI TERTII.

Con-

APPROBATIO.

JUssu illustrissimi Galliarum Cancellarii legi Manuscriptum, cui titulus: *Tractatus de Religione juxta methodum scholasticam adornatus, altera Editio auctior & emendatior*, Opus Theologicæ juventuti gratum, ut puto, ac perutile futurum, tum ex argumenti dignitate & præstantia, tum ex dictionis & orationis perspicuitate. Datum in ædibus nostris Lexovæis, anno millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, die vero Augusti duodecimo.

LE SEIGNEUR.



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello ſtudio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del P. F. Filippo Roſa Lanzi Inquiſitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Tractatus de Religione Auctore Gregorio Simon Pariſiis* 1766 non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza all' Erede di Niccolò Pezzana che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Data il 1. Settembre 1767.

{ *Sebaſtian Zuſtinian Rif.*
{ *Alviſe Vallareſſo Rif.*
{ *Andrea Tron Kav. Rif.*

Regiſtrato in libro a Carte 327. al Num. 2246.

Davidde Marcheſini Segretario.


Regiſtrato in Libro del Magiſtrato Eccellentiſſimo de' Signori Eſecutori contro la Beſtemmia a Carte 162.


Andrea Grattarol Segretario.

TRA-



TRACTATUS DE RELIGIONE.





LIBER PRIMUS.



REligio duplici ſenſu ſumi poteſt, vel quoad nomen, vel quoad rem nomine ſignificatam. Religionis nomen derivatur vel a relegendo, vel a religando, vel a reeligendo; quia ſcilicet, ait S. Thomas, per Religionem aſſidue tractamus quæ Deum ſpectant, vel Deo jungimur, ac quaſi religamur, vel Deum iteratis vicibus eligimus. Religio autem quoad rem nomine ſignificatam, ſumitur vel pro virtute quæ nos inclinat ad Deum colendum, vel pro actu quo Deus colitur, vel pro collectione principiorum quæ Deum colendum ſpectant, ut cum generatim dicitur: Religio naturalis, Religio ſupernaturalis, vel pro ſocietate Deum colentium. Hoc illo præcipue ultimo ſenſu hic a nobis uſurpatur. Hinc Religio vera ea eſt quæ veram de Deo exiſtimationem & fidem habet, verumque ac legitimum cultum ipſi exhibet; falſa e contra Religio ea dicenda eſt quæ falſa de Deo docet, & adulterinum cultum ipſi rependit.

Religio alia naturalis, alia ſupernaturalis. Religio naturalis eſt collectio principiorum quæ Deum colendum ſpectant, quæque naturali lumine innoteſcunt; ſeu eſt divinitatis ſenſus & cultus quem Deo exhibendum docet ratio ſola & ſibi relicta. Religio ſupernaturalis extraordinaria & ſupernaturalis revelatione & Dei manifeſtatione nititur & innoteſcit. Eo itaque collimat tota hæc præſens elucubratio, ut nempe nobis innoteſcat quænam ſit hominum ſocietas quæ veram & debitam de Deo habeat exiſtimationem, & cultum legitimum ipſi exhibeat.

Duplicis generis adverſarios hic debellandos habemus, Atheos nempe & Deiſtas. Primi nullam omnino Religionem volunt, ſecundi ſolam naturalem am-



plectuntur. Postremos in quatuor classes distribuunt plerunque Theologi; nobis sufficit Deistas hic appellare eos qui necessitatem & existentiam revelationis respuunt.

Observare non pigeat Legem naturalem triplicis generis dare praecepta. Alia enim Deum, alia nos ipsos, alia denique alios homines a nobis distinctos spectant. Qua parte Lex naturalis nostra erga Deum officia ordinat ac decernit, hac potissimum etiam dicitur Religio naturalis. Nemini itaque mirum videatur si Religio & Lex naturalis promiscue hic a nobis usurpentur.



PARS PRIMA.

De Religione naturali.

Religio commercium quoddam dicit Deum inter & hominem in quo Deus se homini manifestat, homo vero Deo rependit quod ipsi debet pro illa manifestatione. Tota ergo Religionis compages duabus circumscribitur partibus, cognitione scilicet Dei & operum, quibus se non modo Deum, sed & Deum nostrum, primum principium & ultimum finem declaravit. Hinc duplex ad Deum respectus, primus quo eum adoramus ut eum a quo pendemus & sumus; alterum quo ipsum amplectimur & suspiramus ut omnium desideriorum finem & terminum. Hinc Deus Religionis fundamentum est & objectum. Religio enim attingit Deum quatenus est principium creationis & gubernationis rerum, ac summum in omnia obtinet dominium. Duplici via sese Deus manifestavit. Primum quidem naturali lumine, deinde virorum divinitus afflatorum documentis. Hinc sub duplici respectu considerari potest, nempe ut auctor naturæ & ut auctor gratiæ. Hinc duplex Religio, naturalis una, altera supernaturalis; de Deo sub hoc respectu in tractatus 2. parte agemus. Hic primum attingimus Deum ut auctorem naturæ & objectum Religionis naturalis. Plana itaque ac facilis est hujus primæ partis divisio. 1. Enim disputabimus de Religionis naturalis objecto, seu de Deo. 2. De ejus subjecto, id est, de homine. 3. De ejus existentia & natura. 4. De ejus principiis. 5. De ejus sanctione. 6. De ejus insufficientia. 7. De revelationis characteribus. Circa Deum autem ut naturæ auctorem Religionisque naturalis objectum hæc discutienda & astruenda veniunt, existentia nempe, unitas & providentia quæ sunt veluti totidem præsentis disputationis fundamenta.

ARTICULUS I.

De Existentia Dei.

Amplam ac superbam hic argumentorum supellectilem adornant tum Philosophi, tum Theologi: nos vero brevitati studentes, unam speciæ probationem aggredimur, ne in re gravissima sane, sed sæpius & quidem in primo ipso scholarum limine jam trita, aut nimium immorari, aut omnino incurii esse videamur. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Existit aliquid.

Probatur, aut potius exponitur: scilicet ut omnes fatentur, etiam Athei, propria unicuique nostrum sensu intimo constat existentia. Certum est pariter plurima extra nos existere objecta quæ sensus nostros constanter & uniformiter feriunt, quorum in nos actionem & reactionem non magis, ut ita dicam, negare possumus quam propriam existentiam. Ergo existit aliquid.

CONCLUSIO II.

Id omne quod existit, non semper, non ab æterno aut necessario existit aut extitit; sed multa sunt quæ esse cæperunt, & quæ sua existentiæ initium aliquod agnoscunt.

Prob. 1. Ex natura & conditione eorum quæ existunt. Mundus iste aspecta-

pectabilis varia in se continet entia a se invicem realiter distincta quorum unumquodque propriam & distinctam habet suam existentiam. Existentia solis v. g. non est existentia lunæ; quin immo existentia unius partis solis non est existentia alterius partis. Cum itaque mundus hic visibilis ex innumeris partibus coalescat, sic existentia mundi conflatur ex innumeris existentiis particularibus singularum ejus partium. Quando itaque quæritur utrum mundus iste existat necessario & ab æterno, quæstio ista non solam orbis universi, sed minutissimæ ejus partis, muscæ, v. g. existentiam spectat. Æque enim absurdum esset necessariam existentiam toti mundo concedere, & eam ejus partibus negare, ac asserere totum sine suis partibus posse existere. Quod ergo de toto mundo dicitur, id de singulis ejus partibus dictum censeri debet. Jam vero mundus ille attendi potest vel quoad formam, vel quoad materiam. Forma ex materiæ partium dispositione & motu resultat. Materia attenditur independenter ab illis formis & abstrahendo ab ea dispositione. Sic igitur in forma procedo. In mundo isto corporali plurima conspiciuntur entia: atqui entia illa non necessario, non ab æterno existunt, sed aliquod suæ existentiæ initium agnoscunt. Existere enim necessario, est existere virtute necessitatis absolutæ inhærentis subjecto quod existit. Unde illud existit necessario & essentialiter, cum sublata ejus existentia jam concipi non potest. Sic triangulo tres anguli sunt essentiales & necessarii, quia detracto uno angulo, jam non concipitur triangulus. Atqui nulla est pars in toto orbe quæ concipi non possit, etiamsi existere desinat, nec ullam contradictionem involvit negata cujuslibet partis existentia. Ergo nulla pars mundi existit necessario. Ergo a fortiori nec mundus ipse, cum suam existentiam mutuetur ab existentiis suarum partium.

Et vero entia illa, sive mundus ille attendi possunt vel quoad formam, vel quoad materiam: atqui neque forma, neque materia mundi existit necessario aut ab æterno. 1. Quidem forma mundi non existit necessario & ab æterno. Nam forma materiæ complectitur tum partium ejus dispositionem, tum earum motum: jam vero neutrum horum existit necessario. Non partium dispositio. Nam evidens est materiam ex se esse omnis figuræ capacem, nullius vero tenacem. Quamlibet formam suscipit, nec unam potius quam alteram essentialiter habet. Sic v.g. quod est rotundum, fieri potest quadratum. Si forma mundi esset ipsi essentialis & necessaria, non posset supponi sine contradictione possibiles esse aut fuisse stellas numero plures aut mole majores quam nunc sunt: quod absurdum est. Deinde præsens rerum dispositio summam intelligentiam, ordinem eximium undequaque scintillat, ac proinde causam intelligentem supponit: ergo dispositio illa non potest esse a materia necessario, id est, vi necessitatis absolutæ materiæ inhærentis. Intelligentia enim, ratio, cogitatio & cogitandi facultas nedum materiæ inhæreat vi necessitatis absolutæ, immo vi necessitatis absolutæ ab ea excluditur. Ergo dispositio partium materiæ non existit necessario. Nec etiam motus earundem partium existit necessario. In motu, duo distingui possunt, nempe conatus seu tendentia ad motum, & motus ipse. Atqui neutrum existit necessario. Non motus: vel enim motus in genere, vel talis motus cum tali determinatione: atqui 1. non motus in genere, alias partes hujus mundi sine motu concipi non possent, & per quietem destruerentur; quod tamen absurdum est. Nam partes illæ motum & quietem ex æquo suscipiunt, docetque experientia plurimas mundi partes esse in quiete. Si vero dicatur motum illum essentialem esse quibusdam tantum partibus, non vero toti mundo, eadem premit semper difficultas; immo nova accedit absurditas. Supponitur enim necessitas absoluta quæ non sit universalis, id est, supponitur motum ita esse essentialem quibusdam mundi partibus, ut si in quiete supponantur, jam destruantur, dum tamen aliæ mundi partes sunt in quiete, nec ideo destruuntur. Ergo motus partium mundi non existit necessario. 2. Non motus talis cum tali determinatione; tum quia repugnat talem motum esse essentialem

materiæ, dum motus in genere non est ipsi essentialis; sicut enim prius concipitur esse quam esse tale, sic prius concipitur moveri quam moveri tali vel tali motu; & sicut existentia tàlis non potest esse necessaria, quin existentia in genere sit etiam necessaria: ita de motu. Tum quia inde sequeretur absurdum, nempe nullum alium motum, nisi præsentem esse possibilem. Si enim motus præsens sit materiæ essentialis, alius non est magis possibilis quam essentiæ mutatio in materia. Nec etiam conatus seu tendentia ad motum existit necessario. Conatus enim ille talis debet esse quo vel unaquæque pars vel omnes simul partes ad motum tendant ac determinentur, ad motum, inquam, vel certum ac determinatum in talem aut talem partem, vel ad motum in omnem partem: atqui 1. conatus ad determinatum motum non potest existere necessario & esse partibus mundi essentialis. Cum enim nulla pars ex natura sua determinata sit actu ad talem potius quam ad talem motum actualem, jam determinatio illa hujus conatus debet his partibus ab extrinseco succedere: atqui determinatio ab extrinseco succedens, non potest esse essentialis. Ergo determinatio conatus in hanc potius quam in illam partem, non est essentialis mundi partibus: ergo ab extrinseco succedere debet. Si vero conatus ille impellat ad motum in omnem partem, id contradictionem involvit, aut, quod hypothesi repugnat, partes illæ in quiete perpetuo manebunt. Hinc non possent evolvi varia phænomena quæ in præsenti constitutione conspiciuntur. Ad illa enim evolvenda requiritur varia & mutabilis motus combinatio ac determinatio. Sed in primo instanti quo materia fuit in motu aut in eo concipitur, non potuit non habere aliquam determinationem quam, si essentialis sit & necessaria, non potuit in aliam mutare. Ergo nec mundi partium dispositio, nec motus existunt necessario. Ergo 1. forma mundi non existit necessario.

2. Nec etiam materia ipsa existit necessario. Ex dictis enim ens quod necessario existit est illud quod existit virtute necessitatis absolutæ sibi inhærentis, cujus proinde existentia negari non potest sine contradictione. Jam vero talis non est materia. Nam existentia non est attributum ejus primarium; nam primo & primario in ea non detegitur aut percipitur: uno verbo, illud existit necessario quod sublata existentia jam concipi non potest, cujus existentiæ negatio contradictionem involvit: atqui nedum talis sit materia, immo clare & evidenter percipitur eam posse non existere. Non est attributum secundarium. Nam attributa secundaria a primariis fluunt. Sed si materia existeret necessario, jam concipi non posset ut non existens; immo ne una quidem pars actu existens, concipi posset ut non existens: atqui tamen sine ulla absurditate supponi potest materiam non existere & destrui partem A quæ est ad orientem, remanente parte B ad occidentem. Nulla enim est connexio inter præsens ejus existentiæ instans & subsequens. Existentia partis B non est existentia partis A. Deinde si materia existat necessario, vel in sua existentia necessaria includit attractionem, vel illam non includit. Si non includat, jam motus produci non potuit in isto mundo visibili; cum ex una parte, ex probatis, motus non sit materiæ essentialis, ex altera vero nullum ens intelligens orbis hujus constructioni incubuerit. Si vero attractio materiæ existentiam essentialiter ingrediatur, jam admitti debet vacuum; atqui vacuum admitti non potest quin concedatur materiam non existere necessario. Si enim admittatur vacuum, jam ibi non existit materia.

Denique ex probatis forma mundi non existit necessario: atqui materia non potest existere necessario quin ejus forma, id est, configuratio & dispositio existant etiam necessario. Nam mundus visibilis sicut partes ex quibus coalescit sine aliquo existendi modo, ac consequenter sine tali vel tali configuratione, dispositione, quiete, vel motu existere non possunt. Atqui eo ipso quo mundus & ejus partes sine aliqua configuratione existere non possunt, nec unquam existere potuerunt, jam præsens mundi configuratio necessario existeret, si materia existeret essentialiter. Illa enim configuratio existeret necessario quæ non

ab

ab ulla causa externa suam existentiam mutuaretur, sed eam a se haberet: atqui in proposita hypothesi præsens mundi & partium ejus configuratio non ab ulla causa externa, sed a se suam haberet existentiam. Vel enim configuratio illa, variique illi existendi modi suam a se haberent existentiam, vel eam mutuarentur & acciperent a toto mundo, vel ab ejus partibus: atqui 1. existentiam illam non acciperent a toto mundo. Nam totus mundus, quatenus totum quoddam efficit, non distinguitur a suis partibus; quin immo partes mundi ante ipsum totum mundum existant necesse est, quandoquidem ex partium illarum congerie coalescit.

2. Partes mundi configurationem suam & varios existendi modos sibi dare non potuerunt; quod enim nullo modo habebant sibi dare non potuerunt. Ergo varii illi existendi modi, diversæ illæ partium mundi configurationes existentiam accipere non potuerunt sive a toto mundo, sive ab ejus partibus. Ergo eam a se habere ac consequenter necessario existere debent in hypothesi quod materia existat necessario, cum sint mundo coævæ. Quin immo ex eadem hypothesi sequeretur corpora esse incorruptibilia, nec posse dissolvi. Nam corrumpi aut dissolvi non possunt nisi ex mutata aut dissoluta partium configuratione: sed si materia existat necessario, jam necessario etiam existunt configurationes illæ: partes materiæ suum quem ad invicem habent ordinem mutare non possunt; ordo ille necessario existit. Ergo partes illæ & earum configuratio mutari aut dissolvi non potest.

Prob. 2. Ex absurdis. Absurdum est enim mundum hunc visibilem esse infinitum, ac præsertim singulas ejus partes esse infinitas: atqui tamen ex hypothesi quod mundus iste visibilis existat necessario, jam non solum mundus esset infinitus, sed unaquæque ex ejus partibus æque esset infinita in omni genere ac omnes aliæ ejus partes. Ad hoc enim satis est quod unaquæque pars sit ab altera independens, deinde quod nihil possit limitare partes illas quoad modum existendi: atqui hæc duo vera sunt. 1. Unaquæque pars ab altera est independens. Nam unaquæque pars habet existentiam distinctam & independentem ab existentia alterius partis; quia scilicet, cum partium illarum congeries totum & unum reale & physicum non conficiat; sunt enim a se invicem longe dissitæ; jam singulæ partes sunt totidem entia a se invicem distincta & independentia. Ergo unaquæque pars est a se invicem independens. Uno verbo unaquæque pars a se existit: ergo unaquæque pars est ab altera independens.

2. Nihil potest limitare partes illas quoad modum existendi. Non sane limitantur a se. Non limitantur ab aliis partibus; nam, ex modo dictis, sunt a se invicem independentes. Deinde quidquid propriæ existentiæ principium in se habet, quidquid existit virtute necessitatis absolutæ sibi inhærentis, illud quamcunque negationem excludit; ergo unaquæque pars mundi omnem negationem excluderet; & cum unaquæque pars æquali necessitate existere supponatur, jam unaquæque pars æqualiter quamlibet negationem excludit. Sic ver. gr. qualibet pars esset immensa, omnipotens; qualibet enim pars excludit negationem, seu limitationem ratione loci; nullus limitare posset potentiam inexhaustam, utpote quæ agat necessario, essentialiter & cum summa independentia.

Et sane dato non concesso materiam per se & necessario existere, vel ordo & perfectiones quæ in toto hocce orbe conspiciuntur, orirentur a materia, vel non: atqui quidquid dicatur, absurdum est. 1. Absurdum est perfectiones & proprietates illas oriri a materia. Nam in materia nihil aliud percipitur nisi figura & trina dimensio in longum, latum & profundum: jam vero immensa interjacet distantia inter hanc dimensionem & perfectiones quæ in toto orbe conspiciuntur. Deinde materia cæca, iners, actionis propriæ incapax ordinem qui conspicitur, texere non potest: atqui talis est materia. Si enim propriæ actionis esset capax, posset se ipsam a quiete ad motum transferre; motus enim materiæ est ejus actio: atqui hoc repugnat. Nam tunc sibi daret quod non haberet. Præterea semper ad certum quendam mo-

motum esset determinata. Tunc enim materia esset semper & in perpetuum ad certum quemdam motum determinata, ubi semel hoc, vel illo motu agitata, ad alium transire non posset: atqui materia hoc, vel illo motu agitata, ad alium motum transire non posset. Nam novum illum motum sibi daret, vel priore destructo, vel eo servato: atqui neutrum dici potest. Non quidem priori destructo; nam prior ille motus quem ab initio haberet, esset essentialis, & ejus essentiæ emanatio æterna. Ergo cum essentiæ sint immutabiles, destrui non posset prior motus, nec novus succedere. Essentiæ enim illæ eo ipso quo immutabiles sunt, nec aliquid novum acquirere, nec aliquid vetus deperdere possunt. Ergo novum motum acquirere non possunt priore destructo. Non etiam eo manente. Tunc enim duos motus oppositos haberet, v. g. motum progressivum & retroactivum, vel motum secundum lineam rectam & secundum obliquam. Ergo absurdum est perfectiones quæ conspiciuntur in præsenti mundo, oriri a materia. Absurdum est etiam perfectiones illas aliunde quam a materia oriri in illata hypothesi. Dato enim quod materia sit a se, necessario & essentialiter repugnat perfectiones & proprietates materiæ aliunde quam a materia oriri. Repugnat enim materiam a se habere existentiam, ab alio autem accipere existendi modum; cum plus & prius sit existere, quam esse tale, & modus existendi sequatur esse simpliciter. Ergo dato, non concesso materiam existere necessario, perfectiones ejus neque ab ea, neque aliunde quam ab ea oriri possent. Ergo, &c.

CONCLUSIO III.

Rerum illarum admittenda est prima aliqua causa ipsis extrinseca.

PRob. Vel rerum illarum quæ necessario non existunt, admittenda est prima aliqua causa extrinseca, vel nulla est agnoscenda: atqui absurdum est nullam esse rerum illarum causam. Eo ipso enim quo res illæ non existunt necessario, id est, virtute necessitatis absolutæ sibi inhærentis, eo ipso quo esse cœperunt & existentiæ suæ initium agnoscunt, jam productæ sunt: atqui eo ipso quo productæ sunt, jam aliquam existentiæ causam agnoscunt. Eo ipso enim quo existunt, jam debent habere rationem suæ existentiæ, fundamentum quo nitatur hæc eorum existentia, & rationem cur existant potius quam non existant. Sed cum non existant virtute prædictæ necessitatis absolutæ sibi inhærentis & internæ, ratio existentiæ rerum illarum debet esse ipsis extrinseca; alias essent simul productæ & non essent, nisi a nihilo suam existentiam acceperint: quod absurdum est. Nihili enim nullæ sunt proprietates, nulla vis, nulla causalitas, ac proinde nullus effectus.

Et vero vel rerum illarum admittenda est prima aliqua causa, vel admitti debet causarum progressus in infinitum, vel unaquæque res est sibi causa existendi. Atqui duo posteriora dici non possunt. 1. Unaquæque res non potest esse sibi causa existendi. Nam ex probatis res illæ esse cœperunt & existentiæ suæ initium agnoscunt. Ergo causa existendi sibi esse non possunt. Debuissent enim sibi dare existentiam antequam esse cœpissent; quod absurdum est. Nam ut res sibi det existentiam, debet agere, ut possit sibi dare existentiam: jam vero quod non est, agere non potest; nec res potest esse antequam sit. Ergo res unaquæque non potest esse sibi causa existendi.

2. Admitti non potest causarum progressus in infinitum. Certum est, ut modo diximus, id omne quod existit suæ existentiæ causam aliquam agnoscere; alias non existeret. Nihilum enim nihil producere potest, quia nihili nullæ sunt proprietates, nulla vis, nulla actio; aliunde nullum ens potest sibi dare existentiam: atqui in progressu infinito, neque partes ejus, neque ipsa collectio ullam suæ existentiæ causam haberent, sive internam, sive externam. 1. Non internam. Nam in ista entium & causarum collectione nullum est ens quod a præcedenti sit independens; nullum est quod a se existat. Deinde quidquid est determinatum ad existendum, determinatur

natur vel ex ratione entis, & præcise, quia est ens, vel ex naturæ excellentia & virtute necessitatis absolutæ supra memoratæ. Porro partes, & entia collectionis hujus non possunt dici determinata ad existendum præcise ex ratione entis. Nam ratio entis non est principium existentiæ in illis partibus. Probatum manet multa dari entia quæ non semper extiterunt, nec semper sunt extitura, v. g. Actualis mea cogitatio, actu existit, antea non existebat, postea non existet, aut poterit non existere. Partes collectionis non existunt etiam ex eminentia naturæ suæ & necessitate absoluta. Nam mutationi sunt obnoxiæ; supponi possunt destructæ sine ulla contradictione & repugnantia. Ergo partes illæ, varia illa entia ex quibus coalescit progressus causarum infinitus, non possunt supponi habere causam suæ existentiæ internam.

2. Non possunt supponi etiam habere causam externam. Causa enim illa deberet supponi extra collectionem ipsam. Sed ex hypothesi quæcunque existunt aut extiterunt, intra collectionem numerantur; immo progressum illum non admittunt increduli, nisi quia primam causam ab aliis entibus distinctam renuunt. Ergo in illa hypothesi non potest dari causa existentiæ entium illorum ab eorum collectione distincta. Jam vero posita semel uniuscujusque partis contingentia, tota collectio non potest supponi existere necessario. Ex pluribus enim entibus contingentibus conflari non potest entium necessariorum collectio. Namque modus existendi non est quid relativum accidentale, aut extrinsecum, sed est quid absolutum, est proprietas enti essentialis. Itaque collectio constaret ex entibus, quæ collective sumpta, a nihilo producta fuissent; distributive vero sumptæ, causam suæ existentiæ habere deberent; quandoquidem conceditur nullum ex his entibus distributive sumptum, a se & independenter ab alio existere.

Præterea supponamus infinitam esse hominum collectionem. In illa collectione necesse est ut duo homines sibi invicem existentiam dederint; nam in illa hypothesi omnes ad unum homines ab invicem pendent ratione originis & generationis: atqui repugnat duos homines sibi invicem dedisse existentiam. Tunc enim extitissent simul & non extitissent. Extitissent quidem: nam sibi dedissent existentiam. Non extitissent autem: nam debuissent existentiam recipere. Ergo repugnat causarum progressus in infinitum. Ergo rerum quæ a se non existunt, quæque esse cœperunt, admittenda est prima aliqua causa. Quod erat probandum.

CONCLUSIO IV.

Prima illa rerum causa est a se, necessaria & ab æterno.

PRob. Ex sæpius dictis, quidquid existit, vel ex nihilo eductum est sine ulla causa, vel ab aliqua causa externa, vel a se existit: jam vero prima illa causa non potest dici e nihilo educta sine ulla causa; ex probatis enim hoc repugnat. Non potest etiam dici primam illam causam ab alia causa externa existentiam accepisse, quia tunc non foret prima causa. Ergo prima illa causa existit a se. Deinde ex probatis ideo admittenda est prima aliqua causa, quia alias res quæ non existunt necessario, non possent existere: atqui pariter nisi prima illa causa existeret a se, nec ipsa illa prima causa, nec res aliæ possent existere. Nam si prima causa non existat a se, si sit contingens, jam supponi potest non existere: porro in hac hypothesi nulla res posset existere. Ergo.

Et certe prima illa causa existit vel ex necessitate naturæ suæ, vel ex efficacia potentiæ suæ. Non existit ex efficacia potentiæ suæ: nam tunc existeret quia sibi daret existentiam, & esset sui ipsius causa; quod absurdum est. Ergo prima illa causa debet existere ex necessitate naturæ suæ. Ergo existit a se & necessario. Pariter prima illa causa initio caret & fine. Initio quidem. Nam si initium habuisset, fuisset tempus in quo non extitisset; quod pugnat cum necessitate existentiæ. Deinde si aliquo tempore non extitit, jam impossibile erat ipsi & aliis entibus existere, cum tunc nulla

posset dari hujus existentiæ causa. Excludit etiam finem. Alias prima illa causa esset aliquando non extitura, quod pugnat iterum cum necessitate existentiæ.

CONCLUSIO V.

Prima illa rerum omnium causa est infinita in omni genere perfectionum.

PRob. Ex natura & conditione primæ causæ. Illud ens est infinite perfectum quod limitari non potest: atqui ens a se limitari non potest. Si enim limitaretur, vel ratione existentiæ, vel ratione modi existentiæ: atqui ens a se nullo sensu limitari potest. Non ratione existentiæ. Nam independens est ratione existentiæ. A nullo enim eam accepit: a nullo ergo pendet ratione hujus existentiæ. Ergo a nullo limitari potest ratione existentiæ. Non potest etiam limitari ratione modi existendi. Nam sicut plus est dare existentiam simpliciter, quam existendi modum, sic plus est limitare quoad existentiam simpliciter, quam quoad existentiæ modum. Ergo, cum ens a se limitari non possit quoad existentiam simpliciter, nec etiam limitari potest quoad existendi modum. Ergo prima rerum omnium causa est infinita in omni genere perfectionum. Deinde id omne quod existit, non potest existere sine certo existendi modo. Ergo ens quod existit a se & necessario, habet etiam necessario talem existendi modum: atqui ens quod habet necessario talem existendi modum, a nullo pendet quantum ad existendi modum. Nam ex eo quod ens sit necessarium ratione existentiæ, a nullo pendet quoad existentiam. Ergo a pari, eo ipso quo ens est necessarium quoad existendi modum, jam a nullo pendet quoad illum existendi modum. Ergo ens a se, seu necessarium nullo sensu limitari potest. Ergo est omnimode infinitum. Ergo prima omnium rerum causa est infinita in omni genere perfectionum.

Et vero ens illud est omnimode infinitum quod habet omnes perfectiones possibiles in omni gradu possibili; atqui talis est prima rerum omnium causa. 1. Quidem habet omnes perfectiones possibiles. Prima enim rerum omnium causa est fons & origo omnium perfectionum quæ reperiuntur in creaturis: at juxta vetus axioma: Nemo dat quod non habet. Unde perfectiones quas non haberet prima causa, existere non possent. Ergo prima rerum omnium causa omnes illas perfectiones præcontinere debet. Deinde nisi prima illa causa perfectiones quæ sunt possibiles, contineret, jam perfectiones illæ essent possibiles simul & non essent. Essent quidem ut supponitur; non essent autem, tum quia prima illa causa, utpote a quocunque alio independens, ab alio eas accipere non posset, tum quia eas aliis dare non posset, cum supponatur eas non habere. Ergo 1. prima omnium rerum causa debet habere omnes perfectiones possibiles.

2. Debet eas habere in omni gradu possibili. Vel enim eas habet in omni gradu possibili, vel in earum possessione ad certum gradum limitatur & restringitur: atqui prima rerum omnium causa limitari non potest quoad gradum perfectionum. Si enim limitaretur, vel a se, vel ab alio: atqui non limitatur ab alio, ex allata jam ratione independentiæ & titulo primæ causæ. Non limitatur a se. Si enim limitaretur a se, vel libere, vel necessario: atqui non libere: tum quia cum sit necessario sui amans, non potest velle libere suam limitationem; tum quia si possit velle libere suam limitationem, posset etiam velle libere suam illimitationem eamque sibi dare, quam tamen sibi dare non posset si eam non haberet; tum quia libera voluntas supponit naturam divinam jam constitutam, tum in genere perfectionum, tum in earum gradu. Ergo prima illa causa non potest limitari a se ex libera electione. Non potest etiam limitari a se ex necessitate naturæ. Si enim prima illa rerum omnium causa limitaretur a se necessario quoad gradum perfectionum, excluderet ex natura sua certos perfectionum gradus: atqui hoc repugnat. Si enim excluderet certos perfectionum gradus ex naturæ suæ necessitate, eos excluderet vel quatenus est ens,

vel

vel quatenus est a se: atqui non eos excludit quatenus est ens. Siquidem ratio entis est compossibilis cum qualibet perfectione possibili & cum quolibet perfectionum gradu possibili. Perfectio enim aut perfectionis gradus possibilis esse non potest nisi in aliquo ente. Ergo perfectiones aut earum gradum non excludit prima causa quatenus est ens. Non excludit etiam quatenus est a se. Nam sub hoc respectu existit in summo & supremo gradu entis, realitatis & perfectionis; sub hoc respectu, nullos excludit perfectionum gradus.

Denique ut prima causa sit omnimode infinita, cum a se existat, tria sufficiunt & requiruntur. 1. Ut perfectio summa in omni genere & gradu sit possibilis in se. 2. Ut sit possibilis in ente a se existente, seu in prima illa causa. 3. Ut possibilis esse non possit in illo ente quin actu sit in illo ente: atqui hæc tria certa sunt & inconcussa: 1. Perfectio summa est in se possibilis. Nam perfectio illa nihil dicit nisi ens & ens, realitatem & realitatem, perfectionem & perfectionem. Ergo conceptus ejus nullam involvit contradictionem. Ergo possibilis est in se. 2. Possibilis est eadem perfectio in ente a se, seu in prima rerum omnium causa. Nam perfectio illa possibilis foret vel in nihilo, vel in ente contingente, vel in ente necessario: atqui duo priora dici nequeant. Perfectio illa non est possibilis in nihilo; non potest ipsi competere. Perfectio quævis exigit aliquid positivum pro subjecto. Non est possibilis in ente contingente quod existit ab alio; siquidem ipsa contingentia est maxima imperfectio quæ cum summa perfectione in eodem subjecto incompossibilis est. Ergo restat ut perfectio illa sit possibilis in ente necessario. 3. Perfectio summa in omni genere existit in ente a se eo ipso quo possibilis est in illo ente. Nam ex axiomate, in necessariis idem est esse potentia & idem est esse actu; posse habere perfectionem summam in omni genere & gradu, idem est ac eam habere. Namque ens a se existens sortitur, existentiam vi suæ possibilitatis: ergo eadem vi consequi debet quidquid ipsum perficere potest.

COROLLARIUM I.

Prima illa rerum omnium causa est Deus.

PRob. Nomine Dei intelligitur ens quo nihil melius: atqui prima illa rerum omnium causa est ens quo nihil melius. Nam prima illa causa a se existit ex conclusione quarta. Omnibus aliis entibus dat existentiam ex conclusione tertia. Atqui nihil melius est quam suam sibi a se habere existentiam, & aliis entibus suam dare existentiam. Melius est enim habere existentiam a se & eam aliis dare, quam eam accipere; melius est esse independens ratione existentiæ, quam ab alio pendere ratione hujus existentiæ. Ergo prima rerum omnium causa est ens quo nihil melius. Ergo est Deus. Deinde prima rerum omnium causa eo ipso quo est a se, est infinita omnimode in omni genere perfectionum ex conclusione quinta. Ergo est Deus.

COROLLARIUM II.

Existit Deus.

PRob. Ex conclusione tertia existit prima aliqua rerum omnium causa. Sed ex corollario primo prima illa rerum omnium causa est Deus. Ergo existit Deus. Et vero ut existat Deus, satis est quod existat ens summe & infinite perfectum; atqui existit tale ens. Ut enim existat illud ens, duo sufficiunt & requiruntur, 1. ut existat prima aliqua rerum omnium causa. 2. Ut causa illa sit summe & infinite perfecta: atqui hæc duo vera sunt. 1. Existit prima causa. Nam existit aliquid ex conclusione prima. Atqui hoc ipso quod existit aliquid, jam existit prima aliqua causa. Ad hoc enim satis est quod illud omne quod existit, non existat a se, & hoc posito, admittenda sit prima aliqua causa rerum illarum quæ non existunt a se: atqui hæc duo probata sunt conclusione secunda & tertia. Ergo, 1. existit prima aliqua causa. 2. Prima illa causa est Deus. Nam nomine Dei intelligitur ens quo nihil melius, ens infinite per-

perfectum : atqui prima illa causa est ens quo nihil melius, ens infinite perfectum. Ut enim prima illa causa sit ens quo nihil melius, ens infinite perfectum, requiritur 1. ut sit a se. 2. Ut hoc ipso sit infinita omnimode : atqui hæc duo probata manent conclusione quarta & quinta. Ergo prima illa causa est Deus. Ergo existit Deus.

Obj. 1. contra primam conclusionem. Non constat aliqu d existere. Duo enim hic requiruntur quæ nobis desunt. 1. Rei proposiæ & admissæ cognitio quoad naturam; certitudo enim nititur rei alicujus saltem aliquali perceptione; debent enim vero res illæ certo definiri posse & a quacunque alia distingui. 2. Illa cognitio debet includere rei illius existentiam; de ea enim agitur : atqui, 1. nulla rei cujuscunque adest nobis cognitio quoad naturam. Rerum enim quæ existunt, nulla attributa primaria & constitutiva cognoscimus. Sic ignoramus quodnam attributum constituat essentiam spiritus vel materiæ. Hinc latent nos attributa secundaria, utpote quæ a primariis fluant. 2. Nulla consequenter adest nobis idea & cognitio quæ includat rei admissæ existentiam. Rei enim cujuscunque existentiam asserere non possumus, nisi rem illam existentem a quacunque alia existente distinguamus, seu nisi motivum aliquod habeamus rem talem ab alia tali diversimode concipiendi & distinguendi. Jam vero hæc distinguere minime possumus quin utriusque rei attributa, ac proinde naturam perspiciamus. Ergo. Deinde existentia vel est primarium, vel est secundarium attributum : neutrum, ex probatis, certo cognoscere possumus. Ergo nec adesse potest nobis rei admissæ idea aut cognitio quæ ejus existentiam includat. Unde sic resumo. Non constat nobis de rerum natura : at qui ut constaret nobis aliquid existere, nobis etiam constare deberet rerum quæ existunt, natura. Ergo nullatenus constat aliquid existere.

R. Distinguo primam minorem. Ut constaret aliquid existere, deberet constare vel perfecte, vel imperfecte de natura rerum quæ existunt : c. perfecte : n. Itaque ut aliquid asseratur, sufficit ejus cognitio modo assertioni stabiliendæ proportionato; hinc ut astruatur alicujus rei existentia, sufficit ut rem illam cognoscamus modo existentiæ asserendæ proportionato. v. gr. Ut asseramus animam & corpus existere & esse a se invicem distincta, sufficit ut perspectas habeamus proprietates animæ & corporis, cum utriusque substantiæ existentia & distinctione connexas. Cum enim proprietates illæ, utpote modificationes, non possint existere sine subjecto, nec possint existere in subjecto, nisi aliquam cum eo relationem dicant, manifestum est quod proprietates illæ cognitæ arguant existentiam & distinctionem animæ & corporis; nec necesse est ut omnes alias utriusque substantiæ proprietates ad amussim cognoscamus.

Inst. Non constat de existentia proprii corporis. Ut constaret de existentia proprii corporis, deberet constare de veritate hujus propositionis : sentio me existere & habere corpus : atqui non constat de veritate hujus propositionis. Nam constaret sane per sensum intimum : atqui non constat de ipsomet sensu intimo existentiæ. Ergo non constat de existentia proprii corporis.

R. n. min. Sensus intimus est certa & infallibilis veritatis regula. Ergo sensus intimus existentiæ & proprii corporis est evidens hujus existentiæ argumentum. Si enim incertus esset sensus ille, vel quia possem putare me habere sensum intimum quem non habeo, vel quia possem habere sensum intimum rei, v. gr. existentiæ quæ non est : atqui neutrum dici potest sine contradictione. Ergo.

Inst. Atqui non constat de sensu intimo existentiæ, aut saltem ita ut certa sit existentia proprii corporis. Non magis enim constare potest de sensu existentiæ quam de sensu doloris; de hac propositione : sentio me existere, quam de ista : sentio dolorem : atqui non constat de hac propositione : sentio dolorem. Nam non constat de hac propositione : sensi dolorem : sed non magis constare potest de hac propositione : sentio dolorem, quam de ista : sensi dolorem. Hæc enim propositio : sensi dolorem, eadem est

est ac ista: memor sum doloris præteriti: atqui non magis constat de hac propositione: sentio dolorem, quam de ista: memor sum doloris præteriti. Utrobique enim adest sensus intimus: Ergo non constat de sensu intimo doloris. Ergo nec etiam constat de sensu intimo proprii corporis.

R. n. secund. min. Disparitas est maxima inter hanc propositionem: sentio dolorem, & istam: sensi dolorem. Utrobique quidem adest sensus intimus, at sensus ille non cadit in idem. In hac propositione: sentio dolorem; sensus intimus cadit in dolorem. In ista vero: sensi dolorem, seu memor sum doloris præteriti: sensus intimus cadit in memoriam doloris, non in ipsum dolorem. In primo casu adest sensus doloris, in secundo adest sensus memoriæ. Jam vero ut cognoscatur certitudo unius sensus intimi ex hujus cum altero comparatione, uterque conferri debet ratione objecti proprii & immediati. Ceterum sensus memoriæ doloris præteriti certus est & infallibilis quoad memoriam, & tam certum est me reminisci doloris, quam certa sunt ista judicia: sentio dolorem: sentio me existere, &c. Ergo per sensum intimum rite constat de existentia proprii corporis.

Inst. Certum non est existere aliquid extra nos. Illud quod extra nos existeret, esset corpus vel spiritus: atqui neutrum certum est existere. 1. De spiritu. Nam meræ conjecturæ & apparentiæ nullam possunt dare certitudinem: atqui meræ conjecturæ & apparentiæ testantur existere spiritus extra nos. Nam alios homines habere animam nostræ similem non constat, nisi quia id conjicere licet ex eo quod eadem ac nos desideria gerere videantur. Ergo meræ conjecturæ & apparentiæ testantur existere extra nos spiritus.

R. n. ult. min. Adest nobis certitudo moralis, aut si vis partim moralis, partim physica alios homines habere animam nostræ similem. Signa quibus sese prodit aliorum anima constant certitudine physica. Signa illa cum aliorum anima connexa sunt moraliter. Certa est itaque aliorum anima certitudine morali, quæ nititur communi & constanti hominum agendi ratione. Scilicet videmus alios homines eas exercere operationes quas & evidentia & propria experientia certo testatur oriri ex principio cogitandi a materia distincto.... Hinc legitime concludimus eos idem ac nos habere cogitandi principium.

Inst. Certum non est existere corpora extra nos posita. Id enim constaret ex sensuum relatione: atqui sensuum relatio non est medium certum.

R. dist. min. Sensuum relatio fluxa aut divisa non est medium certum: c. Constans & uniformis: n. Itaque sensus sunt quidam testes & rerum nuntii. Si eorum relatio sit fluxa & transitoria, timendum est ne aut decepti fuerint, aut rem haustam ac in se receptam non fideliter servaverint. Idem dic de divisa nec uniformi sensuum relatione; ubi scilicet unus aut alter sensus aliquid refert. Constans experientia docet sensus in utroque casu sæpe decipi. At nihil simile timendum ubi agitur de constanti & uniformi sensuum relatione.

Inst. Atqui etiam relatio constans & uniformis non est medium certum, nec habet necessariam connexionem cum existentia corporum. Nam ex concessis, sensuum relatio fluxa non habet necessariam connexionem cum existentia corporum; ergo nec sensuum relatio constans & uniformis hanc habet connexionem. Quod enim est necessarium, nullam admittit exceptionem, nullumque medium. Aut ergo sensuum relatio fluxa & divisa hanc habet necessariam connexionem cum existentia corporum sicut relatio constans & uniformis, aut hac connexione caret utraque relatio.

R. 1. n. conf. A sensu distributivo ad collectivum non valet consecutio. R. 2. ad prob. dist. Quod est necessarium necessitate metaphysica, nullam admittit exceptionem: c. Quod est necessarium necessitate physica: n. Necessitas metaphysica nititur rerum essentiis. Cum ergo rerum essentiæ sint necessariæ metaphysice & immutabiles, nullam admittunt exceptionem; nullam etiam admittit necessitas metaphysica. At vero cum necessitas physica nitatur physico rerum cursu, corporum actione & influxu;

cum-

cumque hæc omnia sint mutabilia, immo cum harum legum conditor eas vel mutare, vel suspendere possit, jam corpora & eorum leges admittunt aliquam exceptionem, aliquam etiam admittit necessitas physica. Porro sensuum relatio, nondum concessa Dei existentia, non habet cum existentia corporum nisi connexionem necessariam physice.

R. 2. Etiamsi autem sensuum testimonium connexionem haberet metaphysice necessariam ad existentiam Dei, & summam ejus veracitatem, nihil inde posset concludi. Illa enim constans, & unanimis sensuum relatio haberet illam connexionem metaphysicam; hac vero connexione non gauderet sensuum relatio fluxa, nec unanimis.

Inst. Atqui qualibet sensuum relatio etiam constans & uniformis, non est medium certum cognoscendæ existentiæ corporum. Medium enim certum, seu motivum certum debet habere certam connexionem cum veritate demonstranda. Postulat porro illa connexio, 1. ut certum sit adesse illud motivum, id est, ut certo constet de præsentia illius motivi; 2. ut motivum illud certo connectatur cum cognoscenda veritate. Ut ergo sensuum relatio, etiam constans & uniformis, sit medium, seu motivum certum & infallibile cognoscendæ & demonstrandæ corporum existentiæ, duo requiruntur, 1. ut certo constet relationes illas esse constantes & uniformes; 2. ut illæ sensuum relationes certo & infallibiliter cum existentia corporum connectantur: atqui tales non sunt sensuum relationes etiam constantes & uniformes. Ergo.

R. n. min. quoad utramque partem; & dico, 1. facile ac certo constare de præsentia illarum sensationum. Cum enim sint vividæ, sensum sui faciunt, ac proinde non possunt non sentiri. Ergo facile & certo constat illas sensuum relationes esse constantes & uniformes, 2. facile constat ex probatis.

Inst. Atqui, 1. non constat sensuum relationes esse constantes & uniformes. Illud enim constaret vel per evidentiam, vel per sensum intimum, saltem junctum cum memoria, vel per testimonium aliorum hominum: atqui 1. non per evidentiam, quæ rerum essentiam tantum, non vero existentiam spectat. 2. Non per sensum intimum qui transit cum actu. 3. Non per sensum intimum conjunctum cum memoria quæ fallit quotidie. 4. Non per aliorum hominum testimonium; tum quia recurrendum esset tunc ad eorum sensum intimum, quod jam confutatum est; tum quia ex illo testimonio certo pronuntiare non possumus sensationes nostras esse perfecte easdem cum aliorum hominum sensationibus: unusquisque enim propriarum sensationum judex est unicus, nec suas sensationes ex aliorum sensationibus nisi probabiliter tantum æstimare potest; tum denique quia alii homines & falli & fallere possunt. Ergo.

R. n. min. Dico ex sensu intimo conjuncto cum memoria certo concludi sensationes illas esse constantes & uniformes. Licet enim sensus intimus transeat cum actu, tamen saltem dum sentitur, probat. Præterea semper fit præsens per memoriam, quæ licet absolute falli & fallere possit, hic tamen non potest. Actus enim illi nimium sunt frequentes & vivide nimis mentem afficiunt quam ut falli possimus; alias nec etiam de propria existentia certi esse possemus. Ceterum hoc longe certius evadit, concessa semel existentia Dei summe veracis. Sicut enim, ex mox dicendis, Deus pro summa sua veracitate debet constantes & uniformes sensuum relationes ad veritatem dirigere, ita pro eadem veritate debet impedire ne memoria constanter & uniformiter referat nobis sensationes quas nunquam habuimus, cum sit necessaria ut sensuum relationes finem a Deo intentum assequantur. Quid enim interest an Deus fallat per sensus, an per memoriam quæ necessaria est ut vim & usum ac effectum suum exerant & obtineant illæ sensuum relationes?

Inst. Atqui ex sensu intimo nullatenus constat sensuum relationes esse constantes & uniformes. Idem sit judicium de omnibus sensationibus ac de sensatione propriæ existentiæ expressa in hac propositione: sentio me existere: atqui non constat de veritate hujus propositionis: sentio me existere, seu non certo con-

constat me habere constantem & uniformem propriæ existentiæ sensationem. Non magis enim constat de veritate hujus propositionis: sentio me existere, quam de veritate istius: sentio dolorem: atqui non certo constat de veritate hujus propositionis: sentio dolorem. Nam non certo constat de propositione ista: sensi dolorem: atqui non magis constat de veritate hujus propositionis: sentio dolorem, quam de veritate alterius hujus propositionis: sensi dolorem. Hæc enim propositio: sensi dolorem, huic æquivalet: memor sum doloris præteriti, quæ sane non est certa, & tamen adjunctum habet sensum intimum. Unde sic in forma resumo. Sensu intimo constat de veritate hujus propositionis: habeo sensationes constantes & uniformes, sicut & de veritate hujus alterius propositionis: sensi dolorem: atqui etiam posito sensu intimo non constat de veritate hujus propositionis: sensi dolorem. Ergo.

R. Dist. maj. sensu intimo constat hæc utraque propositio, sensu intimo in diversa cadente: c. in idem cadente: n. Itaque in ista propositione: experior sensationes constantes & uniformes, sensus intimus cadit in ipsammet sensationem; in ista vero: sensi dolorem, seu memor sum doloris præteriti, sensus intimus cadit in memoriam præteritæ sensationis doloris, & sic resolvi debet: habeo sensum intimum memoriæ doloris præteriti. Porro constat adesse tunc sensum seu conscientiam memoriæ doloris.

Inst. Saltem non certo constat sensuum relationes etiam constantes & uniformes certo & infallibiliter connecti cum existentia corporum. Nullum enim vero suppetit nobis medium seu motivum hujus connexionis. Non sensus intimus qui spectat rerum existentiam, non essentiam, & attingit tantum res intra nos positas. Non evidentia: nam in idea clara & distincta sensationis etiam constantis & uniformis non detegitur illa connexio. Vel enim posita, vel nondum posita Dei summe veracis existentia, sensuum relationes illæ connexionem illam haberent cum existentia corporum: atqui non primum omnes fatentur; ac proinde non detegitur in idea clara sensationum illarum; ac consequenter non detegitur per evidentiam. Non etiam secundum; ex concessis enim antecedenter ad Dei summe veracis existentiam, sensationes illæ non habent certam & infallibilem cum existentia corporum connexionem; ergo eam non habent etiam consequenter ad eandem veracitatem. Nam Deus non potest mutare rerum essentias. Ergo Deus sensuum essentiæ non potest addere connexionem quam antea non habebant. Sic itaque resumo. Illa non est admittenda connexio quæ nullo medio, seu motivo legitimo detegi ac constare potest: atqui talis est connexio inter sensationes etiam constantes & uniformes & existentiam corporum. Ergo.

R. n. min. & dico evidentiam esse medium certum & efficax cognoscendæ illius connexionis inter sensuum relationes & corporum existentiam. In idea enim clara & distincta sensationum quæ constantes sunt & uniformes, deprehenditur connexio cum corporum existentia, & concipitur repugnare ut non existant corpora ad quæ referuntur, saltem si attendatur ad summam Dei veritatem. Ante illam autem veracitatem, deprehenditur connexio in usu constanti & perpetua ac universali experientia. Uno verbo antecedenter ad existentiam Dei summe veracis, sensuum relationes constantes & uniformes habent connexionem saltem physicam cum existentia corporum; ac proinde eorum testimonium habet certitudinem physicam. Consequenter vero ad illam veracitatem sensuum relationes constantes & uniformes habent connexionem metaphysicam cum existentia corporum; ac proinde eorum testimonium certitudinem metaphysicam sortitur.

Inst. Deus non potest mutare rerum essentias. Ergo non potest ponere in sensuum relationibus connexionem essentialem quam non habebant antea.

R. Dist. cons. Non potest ponere connexionem sensuum ipsorum natura & essentia innixam: c. Non potest ullo sensu & Dei essentia fundatam: n. Itaque ut adsit con-

connexio metaphyfica inter fenfuum relationem & corporum exiftentiam, pofita Dei exiftentia, fatis eft quod illa fenfuum relatio nitatur principiis metaphyfice connexis cum exiftentia corporum: atqui res ita fe habet. Hæc funt enim principia. I. Senfationes quarum fol Deus eft auctor, conftanter & uniformiter referunt nobis exiftere corpora. II. Propenfione naturali inclinamur invincibiliter ex illa relatione fenfuum ad affirmandam corporum exiftentiam. III. Deus utpote fumme verax nec in errorem nos inducere poteft, nec permittere ut in errorem invincibilem inducamur, denegato nobis omni ex illo errore emergendi medio. Ex illis tribus principiis duo priora nituntur fenfu intimo, tertium vero idearum intuitu. Jam vero principia illa femel pofita connexionem metaphyficam dicunt cum exiftentia corporum. Ad hoc enim fatis quod fublata illa exiftentia, falleret fenfus intimus & deftrueretur fumma Dei veracitas. Atqui I. falleret fenfus intimus. Tunc enim falleret fenfus intimus cum manentibus fenfationibus & fenfu intimo exiftentiæ corporum, non exifterent tamen corpora: atqui res ita effet fublata corporum exiftentia. Tunc etiam deftrueretur fumma Dei veracitas, cum Deus nos induceret in errorem invincibilem: atqui fublata corporum exiftentia, manentibus tamen fenfationibus & propenfione naturali, Deus nos in errorem invincibilem induceret. Caufa enim judicii falfi a quo ferendo non poffemus abftinere, certe nos induceret in errorem invincibilem: atqui in illata hypothefi Deus effet caufa judicii falfi a quo ferendo abftinere non poffemus. Caufa enim motivorum quæ mentem ad judicandum invincibiliter movent & neceffario determinant, eft certe caufa judicii falfi, fi judicium fit falfum: atqui fenfationes & propenfio naturalis quarum Deus auctor eft, mentem neceffario movent & invincibiliter determinant ad judicandum exiftere corpora. Ergo Deus ipfe nos in errorem invincibilem induceret. Ergo fenfus intimus conjunctus cum fumma Dei veracitate, connexionem metaphyficam dicit cum exiftentia corporum. Ergo conceffa femel exiftentia Dei fumme veracis, jam certum eft metaphyfice exiftere corpora.

Inft. Ergo non poteft demonftrari exiftentia Dei ab exiftentia corporum; quandoquidem certitudo exiftentiæ corporum fupponit demonftratam & conceffam jam Dei exiftentiam.

R. dift. fequel. Non poteft demonftrari metaphyfice exiftentia Dei ab exiftentia corporum: c. Phyfice: n. Antecedenter ad exiftentiam Dei demonftratam fenfuum relationes connexionem phyfice neceffariam dicunt cum exiftentia corporum, corpora vero cum exiftentia Dei.

Inft. Atqui etiam, conceffa Dei exiftentia, fenfuum relationes non habent cum exiftentia corporum connexionem metaphyficam. Illæ enim fenfuum relationes, etiam conceffa Dei fumme veracis exiftentia, non habent cum exiftentia corporum connexionem metaphyficam quas in nobis Deus excitat eafdem ac fi effent corpora, nullifque exiftentibus corporibus: atqui in nobis Deus excitat eafdem fenfuum relationes ac fi effent corpora, nullis tamen exiftentibus corporibus; fic quotidie amentes, fomniantes vident corpora quæ non exiftunt. Sic etiam accidit in facramento Euchariftiæ. Sic iterum turrim rotundam nobis videre videmur, quæ tamen eft quadrata. Ergo etiam, conceffa Dei fumme veracis exiftentia, fenfuum relationes non habent, &c.

R. dift. min. Deus per miraculum, aut etiam fine miraculo, fed brevi tantum tempore & aliquo inftanti fluxas & tranfitorias fenfuum relationes excitare poteft: c. Lege uniformi & fenfationes conftantes ac uniformes: n. Itaque I. Deus poteft aliquo inftanti excitare in nobis fenfationes eafdem ac fi effent corpora, non tamen exiftentibus corporibus ad quæ referuntur. Fluxas enim & tranfitorias fenfationes non dedit nobis Deus ut certum corporum exiftentiæ argumentum; ac proinde fi error fit, a nobis oritur, non a Deo. Quod fi conftantes fint & uniformes circa aliquod objectum determinatum, hoc fit per miraculum de quo nos femper monet Deus, ut in facramento Euchariftiæ; ac proinde in nullum errorem inducit nos Deus.

2. Idem

2. Idem esto quoad somniantes aut febricitantes. Sensuum illæ relationes non sunt constantes nec uniformes. Sensationes enim constantes & uniformes eæ sunt quæ reperiuntur, non in uno tantum homine, sed in omnibus hominibus, non quæ unius tantum sensus testimonio nituntur, sed quæ aliorum omnium relatione & suffragio stabiliuntur. Nota ementitas ac larvatas illas sensuum relationes oriri ex debilitatione cerebri, cujus quidem debilitationis Deus non est auctor, sed leges generales ac constantes a se stabilitas servat juxta quas quoties talis fit in cerebro commotio, talis sensatio excitari debet. Cerebrum vero est tunc velut instrumentum hebetatum in quo vel spiritus animales inconcinne & præpostero ordine sua relegunt vestigia, vel præsentia objecta inverso ac perturbato ordine recipiuntur. Quod autem turrim rotundam nobis fingamus ad aspectum turris quadratæ, hoc repetendum est ex Opticæ legibus, ex distantia ab objecto, & ex nimium præcipiti judicio; sensus sunt existentiæ rerum tutissimi Interpretes, non vero proprietatum; debent deinde rite & cum debita proportione applicari.

3. Deus lege constanti & uniformi non potest excitare in nobis easdem sensationes ac si essent corpora, dum nulla sunt; tum quia Deus lege constanti & uniformi sensuum relationes perpetuas & uniformes nobis dedit ad judicandum de rerum sensibilium existentia; ergo lege constanti & uniformi sancire non potuit, ut in nobis excitarentur sensationes perpetuæ & uniformes nullis præsentibus corporibus ad quas referrentur; tum quia si id fieret constanter & uniformiter, esset derogatio quæ fieret lex naturalis; ordo enim constans a Deo stabilitus in ordine naturali est procul dubio lex naturalis: ergo derogatio constans legibus per hypothesim stabilitis & naturalibus foret lex naturalis. Ergo duplex foret lex naturalis opposita; quod repugnat. Ergo Deus lege constanti & uniformi non potest excitare in nobis easdem sensationes ac si adessent corpora, quæ tamen nulla sunt.

Inst. Atqui concessa etiam existentia Dei summe veracis, Deus potest excitare in nobis sensationes etiam constantes & uniformes, nullis existentibus corporibus. Ideo enim Deus sensationes illas excitare in nobis non posset, quia Deus ille summe verax, utpote judiciorum quæ circa existentiam corporum ferimus, auctor ac eorum veritatis vas & sponsor, fieret eo ipso eorum falsitatis auctor: atqui hoc falsum est. Dei enim illius summa veracitas sensuum relationes sua auctoritate non servat nisi quando versantur circa objectum sibi proportionatum & a Deo illo summe veraci ipsis propositum. Jam vero existentia corporum non est objectum sensibus proportionatum & a Deo summe veraci ipsis propositum. Sensus enim sunt quidem a Deo illo dati ad judicandum de existentia reali, sed simplici & absoluta, non vero ad judicandum de rerum natura & proprietatibus. Porro sensus non possunt judicare de existentia corporum quin judicent de rerum natura & proprietatibus. Judicare enim non possunt sensus existere corpora quin judicent existere substantiam extensam & divisibilem. Porro extensio & divisibilitas corporum sunt proprietates, naturam corporis constituunt. Ergo sensus non possunt judicare de existentia corporum quin judicent de eorum natura & proprietatibus. Ergo non versantur circa objectum sibi proportionatum & a Deo sibi propositum. Ergo eorum vas & sponsor non est Deus licet summe verax. Unde sic in forma resumo. Sensus non sunt a Deo dati ad judicandum de rerum natura & proprietatibus: atqui sensus non possunt judicare de existentia corporum nisi judicent de eorum natura & proprietatibus. Ergo.

R. 1. n. maj. Sensus dati sunt ad judicandum de natura & proprietatibus corporum absolutis, eo ipso quo dati sunt ad judicandum de eorum existentia; quia sine illis proprietatibus nec existere, nec concipi possunt corpora, ac proinde nec videri. Ceterum de illis proprietatibus judicant sensus, quantum ad earum existentiam; quomodo pertineant ad subjectum, indicat evidentia, ut modo evolvemus. Quidquid sit de majore.

R. 2. n. min. Judicare enim de natura

ra & proprietatibus alicujus objecti est discernere inter proprietates ipsi essentiales & accidentales; est objecto alicui assignare proprietates, & asserere has illi esse essentiales, illas vero accidentales: porro id non judicant sensus judicando de existentia corporum. Circa meram & unicam facti quæstionem versatur eorum testimonium & judicium; nempe circa existentiam partium extra partes. Referunt scilicet in tali spatio existere partes a se invicem distinctas & separatas ex quarum conglobatione totum quoddam resultat. Asserunt, id quod intuentur, partem A existere separatam & distinctam a parte B, illam in spatio D, hanc in spatio C. Jam vero hæc est mera facti quæstio quæ existentiam simplicem & absolutam tantum afficit, nec rerum naturam & proprietates attingit.

Inst. Atqui sensus non possunt judicare de existentia corporum quin judicent de eorum natura & proprietatibus. Cum enim sensus judicant existere corpora, eo devolvitur eorum judicium, nempe: existunt substantiæ extensæ & divisibiles; quod certo certius est judicare de natura & proprietatibus corporum. Extensio enim & divisibilitas illa sunt respectu corporum, id quod sunt suavitas & generositas in lacte & vino. Sicut enim reperiri potest verum lac & vinum reale, licet non sit suave aut generosum, ita existere potest aliquid reale quod non sit extensum. Nec dicere est enumeratas modo vini & lactis proprietates esse ab utroque separabiles, non ita extensionem & divisibilitatem. Nam defectus auctoritatis in sensibus non inde præcise oritur quod proprietates sint a corporibus separabiles, nec ne, sed quod eorum testimonium versetur circa naturam & proprietates, de quibus judicandi auctoritatem non habent sensus. Præterea si sensus possent judicare de proprietatibus absolutis & inseparabilibus, vel quia judicarent has vel illas proprietates esse absolutas, vel non, vel quia judicarent proprietates illas competere tali subjecto, vel non competere. Primum dici omnino non potest. Esse enim proprietatem absolutam, est aliquid omnino insensibile. Ad intuitum idearum, ad intellectum devolvitur hæc quæstio. Nisi forte sensus hoc indicare possint; quia perpetua constat experientia hanc vel illam proprietatem semper in hoc vel illo subjecto reperiri. Sed non ideo talis proprietas est absoluta quia semper reperitur in subjecto, sed ideo semper reperitur in subjecto quia est proprietas absoluta. Non potest etiam dici sensus nobis datos esse ad judicandum an talis proprietas quam intellectus absolutam esse cognoscit, tali subjecto competat. Hæc enim responsio supponit quæstionem, tum quia supponitur sensus nobis a Deo datos ese ad judicandum de natura & proprietatibus corporum, tum quia supponit existere aliquid extra nos extensum & divisibile. Adde quod sensus judicarent vel proprietates illas esse primarias; quod falsum est: uam ignoramus quodnam sit attributum materiæ primarium; vel indicarent proprietates illas ese secundarias; quod adhuc falsum est. Nam pronuntiare non possumus has proprietates non ese primarias, sed a tali vel tali proprietate fluere, cum proprietates primarias ignoremus. Sic itaque resumo, & prob. min. prop. neg. nempe sensus non pose judicare de existentia corporum, nisi judicent de eorum natura & proprietatibus. Sensus enim judicare non posunt existere corpora, quin judicent existere extra nos objecta extensa & divisibilia: atqui sensus judicare non posunt existere objecta extra nos extensa & divisibilia, quin judicent de eorum natura & proprietatibus. Nam ese extensum & divisibile sunt proprietates, sicut suavitas in lacte v. gr. sed sensus judicare non posunt existere objecta extra nos extensa & divisibilia, quin judicent objecta illa ese extensa & divisibilia. Ergo sensus judicare non posunt existere corpora, quin judicent de eorum natura & proprietatibus.

R. n. aut dist. min. Sensus non posunt judicare existere extra nos objecta extensa & divisibilia, quin judicent implicite, & per consequentiam objecta illa ese extensa & divisibilia, id est, extensionem & divisibilitatem ese proprietates illorum objectorum: c. quin judicent

cent formaliter & explicite : n. Itaque totum de corporum existentia judicium tribus illis propositionibus volvitur.

Adsunt partes extra partes positæ:

Quidquid habet partes extra partes positas est extensum & divisibile ; est corpus.

Ergo existunt extra nos objecta extensa & divisibilia , id est , corpora . Major hujus syllogismi continet factum quoddam sensibile ; versatur circa existentiam simplicem. Referunt sensus hic & illic existere partes ; partem A existere in loco distincto a parte B. Porro existentia illa est simplex; loci enim circumstantia est quid mere accidentale , nec essentiam afficit. Nec idem sane recurrit cum dicunt sensus : lac istud est suave , vinum istud est generosum ; tunc enim lac & vinum dicuntur existere cum certa quadam proprietate . Secunda mox enuntiati syllogismi propositio, nempe : quidquid habet partes extra partes est extensum & divisibile ; est corpus ; hæc , inquam , propositio non a sensibus , sed ab intellectu solo enuntiatur , & ad evidentiam pertinet . Et sicut summa Dei veracitas sensuum judicium in prima propositione contentum ab errore immune servat , sic judicium evidentiæ in secunda propositione contentum ad veritatem certo & infallibiliter eadem veracitas dirigit ; in hanc eandem veracitatem refunditur hæc consequentia : ergo existunt extra nos objecta extensa & divisibilia , id est corpora . Necessario enim & infallibiliter sequitur ex duabus præcedentibus. Inde manifestum est varia illa judicia non ad eandem facultatem devolvi , & sensus in judicio quod ferunt extra orbem suum non excurrere.

Inst. Atqui etiam concessa Dei summe veracis existentia , sensuum relationes non habent necessariam ac præsertim metaphysicam connexionem cum existentia corporum . Sensuum enim illæ relationes forent universales , vel non. Ultro conceditur relationes sensuum non sufficere si particulares sint , sed requiri universales . Jam vero dum requiruntur tales relationes , vel intelliguntur universales , ita ut omnes sensus in eodem homine idem testentur , vel eo sensu quod omnes omnium hominum sensus idem referant . Sane nemo dixerit sensuum relationes in uno homine , licet omnes sensus in unum & idem concurrant , habere cum existentia corporum necessariam & metaphysicam connexionem ; quam si haberet , haberet tantum respectu hominis illius . Si vero intelligatur omnium hominum omnes sensus adunandos esse , ut illæ sensuum relationes haberent cum existentia corporum connexionem metaphysicam , deberet unusquisque certus esse metaphysice omnes alios homines easdem ac ipse experiri sensationes ; porro impossibilis est talis certitudo . Undenam enim oriretur ? An quia quilibet distributive sumptus , sensationes illas privatim experiretur ? Minime . Ex eo quod enim has vel illas sensationes experiar , minime sequitur alios easdem habere . Sicut ex eo quod oculis flavis omnia sint flava , non inde sequitur omnia flava esse aliis oculis . An aliorum sensationes quasi veherent ac apud nos introducerent nostræ sensationes ? Hoc absurdum est . An quia alii homines nobis assererent se easdem habere sensationes ? Sed testimonium illud quantumvis verax , non est tamen metaphysici ordinis. Sic itaque in forma probo sensuum relationes , etiam universales , non habere necessariam & metaphysicam cum corporum existentia connexionem . Sensationes illæ essent universales , vel quia essent omnes sensationes cujusque hominis , vel quia essent omnes omnium hominum sensationes : atqui sensuum relationes utroque modo acceptæ non habent necessariam & infallibilem cum existentia corporum connexionem . Ergo .

R. n. min. Et dico sensuum relationes universales sumptas pro omnium unniuscujusque sensuum testimonio habere respectu cujuscunque necessariam & metaphysicam cum existentia corporum connexionem . Ratio est; quia testimonium illud unicuique datum est ut possit discernere objecta , propriæ invigilare conservationi , & huic testimonio Deus alligavit vim & auctoritatem certitudinis metaphysicæ. Cum autem hic agatur de testimonio sensuum rite dispositorum ,

non inutile sit omnino aliorum hominum sensuum testimonium. Ad hoc enim inservit ut discernatur an organa sint bene disposita. Unde si quis, v. g. videat omnia flava aliis alio colore videntibus, concludere debet vitiata esse sua sibi organa.

Inst. Atqui concessa etiam existentia Dei summe veracis, sensuum relationes, etiam universales sensu mox exposito, non habent cum existentia corporum necessariam & metaphysicam connexionem. Quod enim est metaphysicæ necessitatis, nullam patitur exceptionem, præsertim sub Deo summe veraci: atqui tamen sensuum relationes etiam universales sensu modo exposito, aliquam patiuntur exceptionem, scilicet in mysterio Eucharistiæ ubi omnes sensus, excepto auditu solo, asserunt adesse panem, qui non adest. Ergo.

R. dist. maj. Quod est metaphysicæ necessitatis nullam patitur exceptionem; præsertim sub Deo summe veraci, ubi illa necessitas non nititur positiva Dei illius summe veracis ordinatione & illam mutatam esse non declaravit: c. ubi illa necessitas nititur positiva Dei illius summe veracis ordinatione, quam mutatam esse declaravit: n. Itaque connexio metaphysica quæ sensuum relationes inter & existentiam corporum intercedit ea nititur Dei summe veracis ordinatione quod Deus voluntate positiva elegerit sensuum testimonium ut certam veritatis regulam in judiciis quæ de rerum sensibilium existentia ferimus; quæ si falleret, falleret Deus ipse & summa ejus veracitas. At sicut voluntate positiva hanc regulam elegit, sic exceptiones eadem voluntate apposuit, & appositam fuisse in mysterio Eucharistiæ declaravit. Hæc autem exceptio non cadit in ipsammet veritatem divinam, quasi eodem instanti quo fidem facit sensuum testimonio, & illud comitatur, esset tamen casus quo a veritate deficeret illud testimonium, ita ut veracitas divina sensuum relationem muniret quo instanti a veritate exciderent sensus; sed eo sensu cadit illa exceptio in veracitatem divinam, quod veracitas illa soli auditui fidem facere perseveret, & ceteros sensus comitari desinat.

Inst. Atqui Deus illæsa sua veracitate potest excitare in nobis easdem sensuum relationes, etiam constantes ac uniformes ac si essent corpora. Ideo enim tales sensuum relationes non posset Deus excitare in nobis, quia in errorem & quidem invincibilem nos induceret: atqui tales sensationes excitando in nobis, licet nulla sint corpora, in nullum errorem, saltem invincibilem, nos induceret. Ille enim error non est invincibilis quem facile aut præcavere, aut deponere possumus attendendo ad dictamen rationis circa sensuum destinationem: atqui prætensum errorem facile aut præcavere, aut deponere possumus attendendo ad dictamen rationis circa sensuum destinationem. Dictat enim ratio sensus a Deo nobis datos esse ad judicandum de rerum apparentiis & existentia simplici; nihil vero dicunt sensus de natura rerum, vel de natura causæ sensationum; referunt existere aliquid, an autem illud sit corpus, nec ne, non renuntiant. Dictat ergo ratio non asserendum existere corpora, sed existere aliquid & illud videri corpus: porro in tali assertione nullus error timendus, nulla necessitas medii ad detegendum errorem; ut enim invigilemus corpori, sufficiunt apparentiæ. Cum dictamen hoc non sequimur, erramus quidem, sed error a nobis est. Ergo Deus illæsa veracitate, &c.

R. n. min. Et dico quod Deus in errorem invincibilem nos induceret excitando in nobis sensuum relationes easdem ac si existerent corpora, dum tamen nulla existunt. Ex concessis enim Deus nobis dedit sensus ut cognoscamus rerum existentiam. Porro vel eos nobis dedit ad cognoscendam existentiam relativam & apparentem tantum, vel ad cognoscendam existentiam absolutam & realem: atqui sane sensus nobis non dedit Deus ad cognoscendam apparentem tantum rerum existentiam. Nam propensio naturalis & invincibilis quam experimur non eo tantum nos inclinat ut judicemus de rerum apparenti existentia, sed nos inclinat invincibiliter ad judicandum de reali existentia rerum. Et sane illud admitti debet, quo posito, sensuum nostrorum usus & ordina-

ratio intelligitur, quo sublato, nullius videntur utilitatis: atqui posita corporum existentia reali juxta sensuum nostrorum relationem, jam sensuum illorum usus & ordinatio dilucide concipitur, ea vero sublata, nullius videntur utilitatis. Duplicis namque generis distingui possunt affectiones animæ, aliæ referuntur ad aliquam corporis nostri partem, ut dolor, v. gr. Aliæ referuntur ad objecta extra nos posita, ut colores, v. gr. Atqui posita corporum existentia reali juxta sensuum nostrorum relationes, nihil sapientius ista dispositione. Colores erunt veluti super objecta diffusi, ut varia corpora facilius secernamus; varii sapores ipsis tribuentur corporibus, ut mens promptius eligat quod nutriendo & servando corpori aptius esse voluit naturæ auctor; dolor referetur ad eam corporis partem quæ vitiata est, ut mens certius hanc corporis partem dignoscat & promptius afferat remedium. Si vero nulla sint corpora, jam nullius utilitatis videntur sensationes quæ apparentem tantum ac larvatam corporum existentiam referunt; neque enim inserviunt ad explicandam sive Dei, sive corporum, sive denique mentis humanæ naturam. Supponamus ad instans sensus ex primæva sui institutione non esse nobis a Deo datos nisi ut referrent apparentem rerum existentiam, jam sensuum utilitas nulla concipi potest. Non potuit enim Deus dedisse sensibus nostris vim judicandi de existentia rerum, nisi ut inde corpori salubria provideremus & noxia subtraheremus. Jam vero nullum nocumentum timeri, sicut nulla utilitas sperari potest ex larvis & imaginationibus; ergo ad nihil prodesse possunt sensuum relationes, quæ eo tantum tendunt ut apparentem tantum rerum existentiam referant. Ergo sensuum relationes non sunt a Deo nobis datæ ad judicandum de apparenti tantum rerum existentia. Ergo datæ sunt ad judicandum de reali earum existentia. Ergo si Deus easdem in nobis constanter & uniformiter excitaret sensuum relationes ac si essent corpora, dum tamen nulla sunt, jam in errorem invincibilem nos induceret.

Inst. Una ex validis modo rationibus, quibus probatum est existere corpora juxta sensuum relationes, ea est, quod si non existerent corpora ad quæ referantur sensuum relationes, jam sensus & eorum relationes forent inutiles: atqui id temere omnino affirmatur. Nam Deus potuit in ordinandis illis sensuum relationibus alios fines sibi proponere quos non cognoscimus. Ergo non valet hæc ratio.

R. n. min. Deus quidem potuit in ordinandis sensuum relationibus proponere sibi fines quos non cognoscimus; sed non potuit fines sibi proponere se indignos & suæ veracitati inimicos; porro si non existerent corpora ad quæ referuntur sensationes, Deus per eas perpetuo ac constanter illuderet; quod est Deo & ejus veracitati indecens. Uno verbo repugnat Deo utpote summe veraci nos ineluctabiliter impellere ad ferendum judicium falsum. Deinde licet Deus possit sibi fines proponere quos non cognoscimus, eos tamen sibi proponere non potest qui finibus cognitis adversentur. Porro in hypothesi quod sensus referant tantum apparentem corporum existentiam, non vero realia corpora, jam Deus adversatur finibus in ordinanda ab eo relatione sensuum nobis cognitis. Ex dictis enim inter responsiones, sensuum relationes datæ sunt nobis a Deo ad invigilandum corpori, ut ei utilia subministremus, noxia vero ab eo propellamus. Cum ergo corpora larvata & imaginaria nihil boni, nihil mali corpori nostro inferre possint, sensus a fine illo exciderent, ac proinde huic aliquo modo adversarentur sensuum relationes si eo tantum datæ forent ut apparentem rerum existentiam referrent.

Inst. Dantur sensationes vividæ, constantes & uniformes quæ referunt colores esse in objectis; propensione naturali inclinamur ad illud credendum: atqui tamen demonstrant Physici colores non inhærere objectis. Ergo sensationes non probant existere corpora.

R. 1. n. maj. Unicus enim sensus, nempe visus, refert colores quasi super objecta diffusos; alii vero ad aliud terminantur, non quidem tanquam ad objectum quod exhibeant, sed aliam faciunt in mente sensationem.

Hinc nulla paritas. Nam ex una parte amicus sensus testatur, colores messe

B 2 obje-

objectis; omnes vero asserunt existere corpora. Deinde propensio invincibilis oriri non potest ex unius sensus testimonio; unde circa colorum in objectis existentiam non potest esse propensio vere invincibilis. Denique colores inesse objectis, hoc spectat proprietates materiæ, & corporum relativas; colorum enim varietas oritur simul ex vario motu partium corporis colorati, & varia vibratione luminis in retina oculi; sed sensus non sunt dati ad judicandum de proprietatibus corporum. Recole fines a Deo intentos in concedendis, & ordinandis sensibus. Agnosces his finibus extrinsecam, omnino esse illam quæstionem, an colores objectis inhæreant. Ergo nulla propensio hic invincibilis.

R. 2. n. parit. Quando enim agitur de coloribus & alia quavis sensibili qualitate, præsens adest medium detegendi erroris. Si quis enim attendat ad ideam materiæ, facile poterit detegere omnes materiæ modificationes pendere a motu & figura partium, sensationes vero illas circa materiæ modificationes excitari posse nullis existentibus corporibus. Contra vero nullum est medium detegendi erroris, si quis esset circa corporum existentiam, ut jam probatum est. Deinde inspiciendo finem quem Deus sibi proposuit, facile intelligetur quam ob causam colores aliæque qualitates sensibiles ad corpora referantur. Id enim utile erat ut per illas distingueremus corpora quæ conservationi corporis nostri nocere aut prodesse possint; contra vero idem dici non potest de propensione naturali qua judicamus existere corpora. Ergo sensuum relationes rite probant existere corpora extra nos posita.

Inst. Atqui Deus potest excitare in nobis sensuum relationes etiam constantes & uniformes easdem ac si essent corpora dum tamen nulla sunt. Nam Deus ratione solius potentiæ potest unoquoque instanti distributive sumpto excitare in nobis sensuum relationes easdem ac si existerent corpora, dum tamen nulla existunt; Deus enim unoquoque instanti potest exercere suam potentiam, nec minus potens est in uno instanti quam in alio. Ergo unoquoque instanti nemo potest certo scire an existant corpora. Ergo etiam potest Deus semper constanter & uniformiter excitare in nobis sensuum relationes easdem ac si essent corpora dum tamen nulla sunt.

R. dist. ant. Deus ratione solius potentiæ præcise potest excitare in nobis constanter & uniformiter easdem sensationes ac si essent corpora: c. Ratione potentiæ cum aliis ejus attributis consideratæ, & ratione exercitii; seu modi quo exercetur illa potentia: n. Itaque potest Deus unoquoque instanti distributive sumpto excitare in nobis sensationum relationes easdem ac si essent corpora, dum tamen nulla sunt, potest inquam illud, ratione potentiæ in se & præcise spectatæ; sub hoc enim respectu potest quidquid in se & præcise spectatum est possibile; at vero illud non potest ratione ejusdem potentiæ, si, ut debet, consideretur cum ea relatione quam habet cum aliis Dei attributis. Attributa enim Dei nec a se invicem avelli, nec sibi mutuo opponi debent. Sic Rex potest habita ratione solius potentiæ in se spectatæ omnes subditos suos letho dare, sed habita ratione suæ clementiæ aut bonitatis ac propriæ & privatæ utilitatis sicut & publicæ, jam id non potest. Ita Deus quod potest ratione solius potentiæ præcise id non semper potest ratione ejus exercitii, seu modi quo exercetur, id est ratione aliorum suorum attributorum, v. g. bonitatis ac sapientiæ ad quorum normam suæ potentiæ exercitium semper componit. Potest ergo aliquando Deus in nobis excitare sensationes quæ haberi solent ad præsentiam corporum, licet tamen nulla adsint corpora; quia derogare non vult legibus a se sapienter stabilitis.

Inst. Sensuum relationes referunt quidem existere extensionem: sed extensio non est essentialis corpori; est veluti cortex corporum qui nullam habet cum corporibus relationem. Ergo sensuum relationes non probant existere corpora.

R. Extensionem actualem non esse quidem essentialem materiæ, ac consequenter ubicumque non reperitur illa extensio, non idcirco judicandum est non adesse corpus; at fatendum etiam extensionem actualem non posse cadere nisi in corpus; ac proinde ubicumque adest hæc

hæc extensio, ibi judicandum est adesse corpus. Jam vero, ex concessis, sensuum relationes referunt extensionem, actualem sane; ergo referunt corpus. Et certe extensio actualis nihil aliud est quam actualis positio partium extra partes: porro sensuum relationes referunt actualem positionem partium extra partes. Sensus enim non possunt referre nisi quod est ipsis proportionatum: sed sola actualis positio partium extra partes est sensibus proportionata; extensio enim radicalis, id est exigentia extensionis est quid insensibile. Ergo sensus non possunt attingere nisi actualem extensionem. Sed extensio actualis non potest cadere nisi in verum corpus. Ergo eo ipso quo sensuum relationes referunt extensionem, jam probant existere corpora.

Inst. Non potest probari existentia corporum, quin probetur existentia absoluta rei sensibilis: atqui non potest probari existentia absoluta rei sensibilis. Ut enim constaret existentia absoluta rei sensibilis, deberet probari rem sensibilem agere vel mediate, vel immediate in animam nostram: atqui quidquid dicatur non potest probari existentia absoluta rei sensibilis. Si enim res sensibilis agere dicatur mediate in animam nostram, cum anima unius hominis agat mediate in animam alterius, jam anima prioris probaretur sensibilis. Si vero agere dicatur immediate, erit modificatio animæ, nec consequenter existet existentia absoluta. Sicut, v. g. colores sunt modificationes animæ nostræ.

R. n. secundam maj. Duo sunt hic distinguenda. 1. Existentia absoluta rei alicujus. 2. Sensibilitas seu corporeitas rei existentis absolute. Rei sensibilitas seu corporeitas probatur ex eo quod percipiantur partes extra partes actu positæ. Probatur vero existentia absoluta ex eo quod percipiatur rem illam sensibilem existere per se, id est, independenter a subjecto inhæsionis; existentia rei absoluta etiam probatur, si lubet, ex eo quod agat mediate in animam nostram; sic ex eo quod anima Petri agat mediate in animam Pauli, legitime concluditur existentia ejus absoluta; at ex illa mediata actione non probamus rei existentis sensibilitatem aut insensibilitatem.

Inst. Idem fit judicium de omnibus sensibus ac de visu: atqui relatio visus non probat existere corpora. Sensus enim qui nobis refert extra nos aliqua entia ut divisibilia, quæ tamen non sunt divisibilia nec corporea, non potest probare existentiam corporum: atqui visus refert nobis extra nos alia entia ut divisibilia, quæ tamen non sunt divisibilia nec corporea, v. g. Accedo ad speculum, in eo depictam imaginem meam video, aut si volueris, aliquod ens; qua proportione recedo, recedit, qua proportione accedo, accedit. Visus exhibet illud ens ut divisibile & corporeum. Nam exhibet partem superiorem a parte inferiori distantem; si frangatur speculum, visus exhibebit fractum & divisum ens in eo depictum: atqui tamen visus errat, nec revera corpus est quod ut corpus exhibet. Corpus enim illud esset vel meum, vel aliud: atqui 1. non est meum corpus; fracto enim speculo, corpus meum integrum remanet. Non est etiam corpus aliud. Quodnam enim foret quod tantam cum meo habitudinem gerit, ut qua proportione recedo, recedat, qua vero accedo, accedat. Ergo visus refert nobis extra nos aliqua entia ut divisibilia quæ tamen non sunt corporea. Ergo non probat existere corpora.

R. n. min. Et dico visum non errare exhibendo ut quid divisibile imaginem in speculo depictam, ensque quod video in speculo esse corpus, & quidem meum. Hoc fit ex reflexione radiorum solis in speculo quod utpote materiæ compactæ radios illos reflectit. Corpus illud est quidem delicatius & materiæ subtilioris, sed tamen est verum corpus, & est corpus meum repræsentatum.

Obj. 2. Contra secund. conclus. Id omne quod existit, existit ab æterno. Illa sententia tenenda est in qua certius & facilius evolvitur ac intelligitur præsens rerum conditio quam in opposita sententia: atqui in sententia Epicureorum de mundi æternitate certius & facilius intelligitur ac evolvitur præsens rerum conditio quam in opposita sententia. Ergo



amplectenda est Epicureorum sententia.

R. n. min. Et dico neque certius intelligi, neque facilius evolvi præsentem rerum conditionem in sententia Epicureorum quam in nostra sententia. 1. Non certius. Nam in singulis suis dogmatibus & suppositionibus pugnat hæc sententia cum recta ratione. 1. Supponit, nec probat, atomos existere a se ipsis & ab æterno; cum tamen materia non sit ex se determinata ad existendum, sed potius concipiatur ens contingens adeoque indifferens ad existendum vel non existendum. 2. Supponit hæc eadem sententia, nec probat, atomos habuisse motum a se ipsis ab æterno; cum tamen omne corpus intelligatur indifferens ad existendum in motu vel in quiete. 3. Supponit iterum hæc sententia, nec probat, atomos cum ea determinatione motas fuisse ut existeret pulcherrimus iste orbis ubi dominatur ordo eximius; cum tamen materia concipiatur ut per se otiosa, iners & intelligentia omni destituta. E contra vero supponit nostra sententia materiam esse contingentem, ad motum & quietem indifferentem, cæcam & intelligentiæ incapacem; ac consequenter materiam tum suam existentiam, tum suam dispositionem habere ab alia causa perfectiori. Porro hæc omnia in ipsomet rerum & idearum intuitu nituntur. Ergo non certius.

2. Non facilius. Epicurei enim gravioribus premuntur difficultatibus quam nos. Debent enim conciliare æternitatem mundi cum ejus contingentia; motum materiæ essentialem cum ejus indifferentia ad motum vel quietem, debent educere effectum sapienter ordinatum ex causa cæca quæ intelligentiam excludit; debent supponere effectum sine causa. Quæ omnia sibi contradicunt & sese mutuo excludunt. At in nostra sententia conciliantda est idea entis æterni cum idea entis a se, idea creationis cum idea entis omnipotentis. Jam vero longe facilius est, v. gr. conciliare æternitatem entis cum ejus aseitate, quam æternitatem entis alicujus cum ejus contingentia; nam aseitas nedum æternitatem excludat, immo eam in suo conceptu involvit & includit; at e contra contingentia & æternitas in eodem ente sese mutuo excludunt.

Præterea non ideo præcise mundum increatum respuimus quod difficilius concipiatur, nec etiam ideo primam rerum omnium causam æternam esse volumus eo quod facilius intelligatur; sed primum respuimus quia mundum increatum repugnare positive percipimus, primam vero rerum omnium causam æternam dicimus quia, ex rationibus allatis, eam esse admittendam positive percipimus, & evidens est nullam in tali ente esse repugnantiam. Ita etiam de creatione ratiocinamur; evidens est nullam esse contradictionem, si res quæ antea non existebat, incipiat existere virtute causæ & entis existentis. Nec hucusque ullam contradictionem hic evincere potuerunt Athei.

Inst. Atqui in sententia Epicureorum facilius, &c. Nam ut stet sententia Epicureorum, debet concipi mundus increatus: ut stet sententia opposita, debent concipi Deus æternus & creatio: atqui facilius concipitur mundus increatus quam Deus æternus aut creatio: ergo in sententia Epicureorum facilius, &c.

R. n. min. quoad utramque partem. Mundus increatus esset colluvies increata entium productorum: atqui hoc repugnat; tum quia repugnat collectionem esse increatam dum, entia ex quibus conflatur, sunt producta; tum quia entia illa essent producta sine causa. Deinde mundus præsens non est sane infinitus in omni genere perfectionum: sed mundus increatus esset infinitus in omni genere perfectionum. Ad hoc enim satis est quod omnis limitatio sit a causa efficiente: atqui res ita est. Nam ideo res limitatur quia causa ejus efficiens majorem perfectionem ipsi dare aut noluit, aut non potuit: porro mundus increatus nullam haberet sui causam efficientem. Ergo repugnat mundus increatus. Sed ex jam dictis, non repugnat ens a se æternum, aut creatio sub ente omnipotente. Ergo in sententia Epicureorum non facilius, &c.

Inst. Atqui in sententia Epicureorum facilius concipitur mundus increatus, 1. quam Deus æternus. Nam ut concipiatur

Deus

Deus æternus, debet concipi ens quod nullum habuerit initium; debet concipi duratio æterna: atqui hæc nullo modo a nobis concipiuntur; immo facilius concipitur mundus increatus. Nam nihil reale est respectu hominum, nisi quod mente apprehendant: jam vero homines utpote corporales, nihil nisi sensibile & corporeum mente apprehendere possunt: ergo facilius concipitur mundus increatus, cum sit corporeus, quam Deus æternus, cum sit insensibilis.

R. 1. retorq. arg. Ut concipiatur mundus increatus, debet concipi mundus æternus, ac proinde qui nullum habeat existendi initium; debet concipi duratio æterna: atqui hæc nullo modo a nobis concipiuntur. Nam nihil reale est respectu hominum nisi quod mente apprehendunt: jam vero homines, utpote corporei, nihil nisi sensibile & corporeum mente apprehendere possunt. Ergo facilius concipi non potest mundus increatus quam Deus æternus. Non video enim cur aut æternitas facilius in mundo quam in Deo conciperetur, aut cur æternitas esset magis corporea & sensibilis in mundo quam in Deo.

R. 2. transf. totum prim. arg. Esto quod æternitatem non concipiamus, non inde sequitur aut negandam esse primam rerum omnium causam quæ sit ab æterno, aut admittendum esse mundum increatum. 1. Non sequitur negandam esse primam causam quæ sit ab æterno. Nam ex una parte adsunt gravissima momenta quæ exigunt ut prima causa sit æterna, ex altera vero hac negata æternitate premunt innumera incommoda & absurda. Deinde hæc sunt a se invicem distinguenda: 1. Aliquid mente concipere. 2. Aliquid cognoscere. 3. Aliquid mente comprehendere. 4. Aliquid positive ut falsum percipere. 1. Ad simplicem cognitionem sufficiunt aliqua attributa in re proposita imperfecte cognita. 2. Ad comprehensionem requiritur cognitio rei perfectioni commensurata. 3. Aliquid assensu nostro amplecti possumus, licet illud mente non concipiamus comprehensive. Fieri enim potest ut illud vel intellectum nostrum superet ex natura sua, vel adjunctas habeat difficultates quas hic & nunc saltem superare non possumus. Sufficit itaque & necesse est ut positive non percipiamus illud falsum esse: at non requiritur ut illud intus extraque penetremus; sufficit ut adsint validà veritatis argumenta. Tunc enim adest legitimum assensus fundamentum.

R. 3. ad secund. part. arg. n. min. Multa a nobis concipiuntur & intelliguntur quæ non sunt sensibilia. Ut vita, cogitatio, &c.

Inst. Saltem facilius concipitur mundus increatus in sententia Epicureorum, quam creatio. Nam creatio est impossibilis.

R. n. ant. & ejus prob. Nam certum est mundum existere. Jam vero vel existit a se & ab æterno, vel existentiam ab alio accepit & suæ existentiæ initium agnoscit. Primum non evincunt Epicurei; nos contrarium probavimus: Ergo sequitur mundum non existere a se & necessario. Ergo fateri debent iidem Epicurei mundum accepisse existentiam a causa extrinseca. Non potuit accipere hanc existentiam nisi per creationem. Ergo mundus creatus est. Ergo creatio est possibilis. Et certe creatio non potest supponi impossibilis quin ens contingens sit impossibile: atqui ens contingens non est impossibile. Ut enim ens contingens foret impossibile, duo illi termini ens & contingens sese mutuo excluderent: atqui ens & contingens non sese mutuo excludunt.

Inst. Creare est educere aliquid ex nihilo simpliciter: atqui ex nihilo nihil fit juxta receptum axioma; si enim ex nihilo aliquid oriretur, novi quotidie exorirentur effectus in quovis loco, a quacunque causa indiscriminatim, absque ullo ordine, rerum semina fierent inutilia, fortuito casu erumperent plantæ, animalia, &c. Ergo creatio est impossibilis.

R. dist. min. Ex nihilo nihil fit tanquam a causa materiali aut efficiente: c. Id est quod prius non erat non potest incipere esse virtute causæ infinitæ: n. 1. Ex nihilo nihil fit, id est, nemo sibi est causa existendi. Quod incipit esse, debet habere existentiæ suæ causam a se distinctam. 2. Nihilum nullius rei potest esse causa, sive materialis sive efficiens. Nihili enim nullæ sunt realitates, nulla vis, nulla actio. Hoc duplici sensu

concedimus propositum axioma; & etiam in nostra sententia nihilum non est causa efficiens aut materialis, seu subjectum reale præjacens ex quo creatura educatur; id unum dicimus creaturam quæ antea non existebat Deo jubente incipere existere. Eo sensu volunt Athei ex nihilo nihil fieri, quod substantia quæ antea non existebat non possit incipere existere. Quod falsum est. Evidens est enim quod ens antea non existens possit incœpisse existere virtute entis existentis; alias nulla causa effectum producere posset: sic nullæ possent esse novæ cogitationes in mentibus, nullæ novæ determinationes in corporibus. Hinc evanescunt mox exaggerata incommoda, quæ locum non habent nisi ubi ex nihilo orirentur effectus tanquam ex causa efficiente, aut materiali.

Inst. Atqui falsum est ex nihilo aliquid fieri etiam allato sensu. Nam tunc concipi deberet quomodo id quod non existit nec ratione sui, nec ratione subjecti, possit existere: atqui hoc concipi non potest. Nam materia quæ non est, non potest incipere existere, quin supponatur illam existere antequam existat; nec potuit incipere existere dum existebat, quin supponatur non existere dum existebat. Ergo concipi non potest quomodo id quod non existit possit existere.

R. 1. ad maj. Valere hic responsionem supra allatam. Nempe non ideo negandam esse aliquam veritatem ea præcise ratione quod non possit concipi; sed sufficit, 1. ut adsint motiva assentiendi legitima. 2. Ut nulla percipiatur in enuntiata propositione contradictio.

R. 2. ad min. Non concipitur quidem quomodo id quod non existit incipiat existere sine causa: at concipitur quomodo id quod non existit, incipiat existere si detur ejus existentiæ causa efficiens.

R. 3. ad prob. 1. retorq. Motus qui non existit non potest incipere existere, quin aut corpus moveatur in loco in quo est, & sic supponatur existere antequam existat; aut moveatur in loco in quo non est, & sic incipiat existere, cum jam existit. Ergo concipi non potest quomodo motus qui non existit incipiat existere. 2. Difficultas proposita non urget nisi ubi nulla supponitur prima causa ab æterno.

Inst. Atqui quod non existit non potest incipere existere etiamsi supponatur prima aliqua causa. Nam quodlibet ens non potest creari a prima illa substantia, quin una substantia producatur ab altera: atqui una substantia non potest produci ab altera. Ergo etiam posita prima illa rerum omnium causa, creatio est impossibilis, seu quod non est non potest incipere existere.

R. n. min. Ut una substantia possit produci ab altera, sufficit, 1. ut detur substantia producens, seu producendi capax. 2. Ut detur substantia producibilis: atqui hæc duo dantur. 1. Datur substantia producens, id est producendi capax. Nam datur prima aliqua causa a se & infinita in omni genere perfectionum, ac proinde omnipotens. Datur substantia producibilis. Ut enim detur substantia producibilis, sufficit ut detur substantia intelligibilis: id est, substantia cujus attributa possit intelligere substantia producens. Deinde requiritur ut substantia produci possit per creationem. Atqui datur substantia intelligibilis: nam essentiæ rerum sunt intelligibiles primæ causæ utpote infinite intelligenti cum sit infinite perfecta. Datur etiam substantia quæ produci possit per creationem. Nam datur ens contingens quod potest existere per creationem.

Inst. Atqui una substantia non potest produci ab altera. Ut una substantia posset produci ab altera, vel substantia producens haberet aliquid commune cum substantia producta, vel nihil haberet commune. Si nihil habeat commune cum substantia producente substantia producta, jam non potest produci; si vero habeat aliquid commune, jam conveniunt in illo attributo, ac proinde habent eandem naturam; tuncque substantia producta non distinguitur a substantia producente. Ergo una substantia non potest produci ab altera.

R. n. min. Et dico substantiam productam, sive aliquid habeat commune cum substantia producente, sive nihil habeat commune, posse ab ea produci. Ut enim substantia una alteram producat, sufficit, 1. ut substantia producens intelligere possit substantiam producendam. 2. Ut huic producendæ parem ac relativam

ctivam habeat potestatem. 3. Ut in actuali ejus productione possit eam a se distinguere: atqui sive substantia producens habeat cum substantia producenda aliquid commune, sive non, potest, 1. eam intelligere. Nam ad hoc satis est quod substantia producenda habeat attributa inter se consentientia, sive sint, sive non sint cum substantia producente communia. Si enim substantiæ producendæ attributa sibi invicem consentiant, poterunt intelligi a substantia producente sive sint, sive non sint communia; attributa enim sibi consentientia sunt intelligibilia; intellectus vero potest intelligere quidquid est intelligibile. Si vero attributa illa sibi invicem repugnent, communia sint, nec ne, intelligi non poterunt; intellectus enim intelligere nullo modo potest quod est inintelligibile. 2. Sive attributa sint communia, sive non, substantia producens parem habet potestatem substantiæ producendæ; substantia enim illa potest habere potestatem infinitam. 3 Sive attributa sint communia, sive non, substantia producens substantiam producendam potest eam a se distinguere in actuali ejus productione. Si attributa non sint communia, res est aperta; si vero sint communia, id est, si substantia producenda habere debeat & habeat omnia omnino attributa substantiæ producentis, tunc saltem distingui poterit substantia producta a producente per modum & gradum perfectionis, aut saltem per differentiam numericam, ut homo hominem producit existentia numerica distinctum.

Inst. Atqui una substantia non potest produci ab altera. Ut substantia producatur ab altera, substantia producenda debet esse intelligibilis; atqui substantia intelligi non potest quia jam existat. Nam substantia producens vel intelligeret ens generatim, vel intelligeret ens tale: non agitur de producendo ente generatim. Ens tale in taleitate sua non constituitur nisi per individuationem cujus existentia est principium.

R. dist. min. Substantia intelligi non potest quin existat in statu vel ideali, vel physico: c. In statu physico, & quoad entitatem quæ producitur: n. Itaque ut producatur substantia debet intelligi, ac proinde debet jam existere in statu ideali; at ut substantia producatur, necesse non est ut existat entitas producenda, immo id repugnat. Ergo necesse non est etiam, immo repugnat ut jam existat in statu physico. Substantia producibilis habet essentiam suam quæ est consensio attributorum. Hinc substantia producens intelligit non ens generatim, sed ens tale, non existens existentia quæ produci debet, id est existentia physica, sed existentia quæ requiritur ad intelligibilitatem, nempe existentia ideali.

Inst. Atqui una substantia non potest alteram producere a se distinctam. Ut enim una substantia alteram producat, debet continere omnes perfectiones substantiæ producendæ: atqui perfectiones illas non potest continere, quin eo ipso habeat omnia attributa communia cum substantia producenda. Ergo.

R. dist. Debet continere eminenter: c. formaliter: n. Porro licet substantia producens contineat eminenter omnes perfectiones substantiæ producendæ, non inde cum ea habet omnia attributa communia, ita ut eam a se non possit distinguere. Quin immo difficultas illa vel nulla est, vel spinosam vividius premit quam nos. Si enim sufficiat causam continere effectum eminenter, jam substantia producens poterit communicare substantiæ productæ perfectiones suas modo & gradu inferiori & minus perfecto; poterunt etiam utriusque substantiæ proprietates esse realitates essentialiter diversæ. At vero si causa producens debeat continere formaliter omnes perfectiones substantiæ producendæ, jam unica spinosæ substantia alteram producere non poterit, neque corpoream, neque spiritalem. Nam in illo systemate vel extensio generatim distinguitur a substantia Dei, vel non. Si primum: ergo unica spinosæ substantia in se est inextensa; ac consequenter unica illa substantia extensionem non continet: ergo nec producere potest substantiam extensam. Si vero extensio generatim non distinguatur a substantia Dei, præterquam quod repugnat ex probatis eandem substantiam esse simul essentialiter extensam & inextensam, jam nihil mere

ex-

extensum existere posset; tunc enim substantia producens non posset communicare extensionem, quin communicaret spiritalitatem. Ergo.

Inst. Potentia producendi alteram substantiam est potentia activa: atqui talis potentia repugnat. Nam non datur potentia activa sine passiva: atqui tamen hic daretur potentia activa sine passiva; scilicet daretur potentia dandæ existentiæ, licet non foret potentia hujus recipiendæ. Nam antequam existat substantia producenda, nullum concipitur subjectum cui actu inhæreat potentia illa passiva, id est, potentia recipiendæ existentiæ.

R. n. prim. min. ad prob. dist. Non datur potentia activa sine passiva, id est, nulla datur productio quin sit aliquid quod producatur: c. Id est, nulla datur productio quin sit aliquod subjectum ex quo præexistente aliquid producatur: n. Rationem negati repete ex antea dictis.

Inst. Atqui una substantia non potest produci ab altera. Tunc enim eductio ex nihilo fieret vel antequam existeret substantia producta, vel dum existit, vel postquam extitit: atqui nihil horum dici potest. Ergo.

R. n. min. & dico eductionem ex nihilo spectari posse vel ut est actio ex parte substantiæ producentis, vel ut est passio ex parte substantiæ productæ. Si primum: eductio illa est prior, saltem ratione, substantia creata, non vero tempore; actio enim illa facit ut existat substantia producenda, ac consequenter cum sit omnipotens, est efficacissima; ac proinde quo instanti extitit, extitit etiam substantia producenda. Si secundum: est etiam simultanea actioni substantiæ producentis. Hæc enim eductio sub hoc respectu, id est, quatenus est passio, nihil aliud est quam existentia substantiæ productæ.

Inst. Atqui id omne quod existit, existit necessario. Nam ex dictis in mundo & in entibus ex quibus conflatur, distingui debent materia & forma: atqui 1. materia existit necessario. Si enim non existeret necessario fortassè quia non existeret ubique necessario, v. g. quia non existeret in vacuo: atqui materia potest existere necessario, licet non existat ubique necessario: ergo non probatur materiam, ac consequenter id omne quod existit, non existere necessario.

R. n. min. quæ contradictionem involvit. Necessitas enim absoluta sicut omni tempore, sic in omni loco est absoluta. Si semel possit supponi materia non existere in certo loco & ab eo abesse, poterit supponi etiam ab omni loco abesse; id non erit impossibile absolute & impossibilitate naturali: porro hoc posito, non existit necessario. Ergo.

Inst. Saltem forma mundi existit necessario. Ut enim forma mundi existat necessario, satis est quod motus possit supponi necessarius & æternus: atqui motus potest supponi necessarius. Ergo.

R. 1. n. maj. Nam forma mundi potest attendi vel quoad ejus constructionem & formationem, vel quoad ejus permanentiam. Porro licet supponeretur motus necessarius, non ideo forma mundi existeret necessario sive quoad constructionem, sive quoad permanentiam. Ex hypothesi enim quod motus sit necessarius, jam materia semper & necessario moveri debet, nec a motu temperare potest; ergo nunquam quiescent materiæ partes ut ex earum permanentia exurgat forma mundi. Deinde cum materia moveri non possit nisi cum tali vel tali determinatione, motus non potest esse materiæ necessarius, nisi motus determinatio sit etiam necessaria; & determinatio illa semel habita, mutari aut variari non potest. Immo cum ex motu dissolvantur ac disjungantur materiæ partes, jam materia perpetuo & necessario moveri non potest quin destruatur.

R. 2. n. min. 1. Motus non potest esse necessarius, tum quia materia quotidie videtur in quiete, tum quia in primario materiæ conceptu detegitur essentialis indifferentia ad motum vel quietem. 2. Motus non potest supponi æternus. Motus enim ille deberet esse productus in tempore, & cum motus ille sit æternus, tempus in quo fuisset productus, deberet esse æternum; quod repugnat. Tunc enim deberet supponi tempus quod semper fuisset præteritum, nunquam vero

ro

ro præsens. Porro tempus quod nunquam fuit præsens, est tempus quod nunquam extitit.

Inst. contra primam responsionem. Supponit hæc responsio motum non posse esse necessarium quin motus determinatio & quantitas sit etiam necessaria, quod falsum est. In motu enim distingui debet motus ipse ab ejus determinatione & quantitate; & motus potest esse necessarius & æternus, licet ejus determinatio & quantitas non sit necessaria. Materia enim potest habere essentialem inclinationem ad motum & seipsam movendi facultatem, licet non moveatur necessario tali potius quam tali determinatione aut quantitate. Hæc enim tum determinatio, tum quantitas oriri possunt ab aliorum corporum occursu quæ aut primam determinationem alio inflectunt, aut motus quantitatem augent vel minuunt. Sicut essentiale est animæ aut actu cogitare, aut posse cogitare, & tamen non est essentiale ut cogitet tali potius quam tali cogitatione. Unde sic resumo. Supponit hæc responsio motum non posse esse necessarium, quin ejus determinatio & quantitas sit etiam necessaria: atqui hoc falsum est. Ergo.

R. n. min. Supponimus motum non posse esse necessarium quin ei correspondeat aliqua determinatio & quantitas necessaria; & hoc verum est: per motum enim hic intelligitur vel motus radicalis, id est, facultas se movendi, vel motus actualis. Non agitur hic de facultate se movendi; non enim ex illa mera potentia & facultate, sed ex motu actuali exorta est mundi forma. Deinde si intelligeretur motus hoc sensu, quærerem quisnam potentiam illam ad actum applicavit. An materia? an motus ipse? an aliquod agens a materia distinctum? Præterea si per potentiam illam intelligatur potentia passiva, verum est hanc esse materiæ essentialem & necessariam; sed nihil inde contra nos. Si intelligatur potentia activa, falsa est & absurda propositio; quod sufficienter patet ex dictis. Ergo agitur hic de motu actuali. Porro motus actualis non potest supponi necessarius, quin adjunctam habeat aliquam determinationem & quantitatem identidem necessariam. Fingamus enim instans aliquod quo materia incipit moveri, movetur sane cum aliqua determinatione & quantitate. Porro determinatio & quantitas illa est necessaria & essentialis sicut motus ipse. Vel enim est essentialis, vel est accidentalis. Si accidentalis, undenam advenit? An materia eam sibi elegit? Absurdum est. An ex concursu aliorum corporum? Supponimus nulla corpora adhuc moveri; agitur de primo motu. Uno verbo essentia materiæ non potest postulare ut materia moveatur, quin postulet ut moveatur necessario tali vel tali determinatione & quantitate, sicut anima non potest actu cogitare, quin habeat talem aut talem cogitationem, nec materia existere, nisi cum tali aut tali partium dispositione, id est forma. Ergo motus non potest esse necessarius, quin ejus determinatio & quantitas sit etiam essentialis.

Inst. contra secund. resp. Ideo ex illa responsione motus non potest esse necessarius, quia ex illo motu perpetuo ac necessario cito dissolveretur mundi hujus compages: atqui hoc falsum est. Certum est enim corporibus etiam solidissimis inesse vacuola quædam intra quorum spatia motus ille agitari potest, licet motus ille sit insensibilis; porro ex illo motu non destruerentur corpora. Itaque, motus ille perpetuus & necessarius potest supponi insensibilis: sed motus ille insensibilis non tendit ad destructionem materiæ. Ergo.

R. 1. n. maj. Ex dictis enim motus qui foret materiæ necessarius, foret motus ille qui instruendæ mundi formæ foret proportionatus: atqui motus instruendæ mundi formæ proportionatus est sensibilis, non vero insensibilis.

R. 2. n. min. Licet motus ille sit insensibilis, est tamen verus motus ac proinde vera translatio corporum, aut eorum partium ab uno loco in alium locum. Ergo ex illo motu mutari debet denique tandem aliquando forma eorum corporum. Sic, v. g. constat experientia plumbum calefactum videri in quiete, licet partes ejus motu vehementissimo agitentur, & ex illo motu dissolvuntur ejus partes & ejus forma mutatur. Idem conspicitur in metallorum fusione.

Inst.

Inst. Atqui motus potest esse necessarius. Ut enim motus sit necessarius, satis est quod materia sit per se activa, & habeat in se principium motus: atqui materia habet in se principium motus. Nam materia gravitat & quidem ratione molis: atqui gravitatio materiæ est principium motus in materia. Ergo materia est per se activa.

R. dist. Materia gravitat, ob causam gravitationis extrinsecam: c. Ex innato sibi principio, citra causam gravitationis extrinsecam: n. Itaque gravitat quidem materia; sed contendimus causam gravitationis illius primariam esse materiæ prorsus extrinsecam. Ratio a priori est, quod materia sit ex se iners & passive indifferens: ex se non tendit potius ad centrum quam ad quemvis alium locum.

Nota. Etiamsi daremus Atheis totum hoc argumentum, non multum inde proficeret eorum causa. Si enim motus ejusque determinatio ex innata & intrinseca materiæ gravitatione desumatur, jam omnes materiæ partes sibi invicem cohærentes eadem determinatione donantur. Consequenter nulla erunt corpora quæ sursum, dextrorsum, sinistrorsumve tendant, sed cæco & unanimi impetu ad centrum ruent, sicque subito labetur mundus in pristinum chaos.

Inst. Atqui datur materia quæ habet in se principium motus. Nam materia ætherea sive cælestis omnia replet spatia, omnia pervadit corpora etiam durissima & solidissima; & quamvis sit fluida, corpora tamen vastissima sustentat: atqui materia illa habet in se principium motus. Nam omnia movet corpora, nec ullum cognoscitur principium exterius quo ipsa moveatur: si enim posset assignari principium exterius ejus motus, vel impulsio, vel compressio aliorum corporum: atqui nihil horum dici potest. Ergo est principium motus sine principio. Ergo habet in se principium motus.

R. n. min. Hinc non probatur materiam cælestem habere in se principium motus. 1. Hinc ad majus probaretur nos assignare non posse principium illud, jam vero ut evincatur materiam esse per se activam, non sufficit si in aliqua specie materiæ principium motus assignare non possimus; necesse est ut positive percipiamus hanc materiæ speciem ex se moveri & agere. Nam positive percipimus materiam in genere esse per se otiosam & inertem. 2. Nutat totum hocce argumentum tum quoad principia quibus nititur, tum quoad consequentiam quæ ex iis deducitur. Et quidem quantum ad principia, falsum est materiam æthereHam corpora gravia movere, nec ab iis moveri. Certum est enim eam corporum solidorum compressione expelli ex variis locis & corporum poris quos antea replebat. Quantum vero ad consequentiam, licet motum corporibus gravibus imprimeret, non inde sequitur eam ab illis motum suum vice versa non recipere. Eadem sane lex viget in regione atherea & terrestri, juxta quam nullum corpus movetur nisi ab alio propulsum. Uno verbo ex eo quod materia ætherea alia corpora propellat, non sequitur eam propellere vi sibi innata, nec ab aliis propelli; sequitur tantum eam propelli & propellere juxta legem corporum. Enim vero recurrunt argumenta superius prolata. Vel materia illa est corpus, vel non. Si non sit corpus, difficultas non est ad rem. Si sit corpus, vel motus ille ipsi esset essentialis vel non. Si sit accidentalis, jam ab extrinseco debet ipsi succedere; non enim potest sibi dare motum quem non habet. Si sit essentialis, erit attributum vel primarium, vel secundarium. Non primarium. Nam detegeretur in primo hujus conceptu. Non secundarium. Nam fluit ex primario. Præterea esset essentialis vel in genere, vel quoad determinationem. Quæ omnia stare non possunt ex dictis. Nec obstat quod materia illa sit ceteris materiæ speciebus delicatior. Nam hinc nec destruitur, nec mutatur ejus essentia. Ex eo quod sit delicatior, non potest habere attributum primarium & essentiale quo careant aliæ materiæ species; multo minus potest sibi vindicare proprietatem ut sibi essentialem quam primæva corporeitatis ratio essentialiter excludit, nempe potestatem activam & internam sese movendi. Ex eo quod materia illa sit delicatior, hinc facilius ab aliis cor-

corporibus movetur, at innatam & sibi essentialem inertiam inde non deponit.

Inst. Ut materia habeat in se principium sui motus, sufficit ut corpus ipsum materiæ sibi dare potuerit omnes varias motuum species quas postea in varias materiæ partes distribuat: atqui hoc dici potest sine absurditate. Ergo materia habet in se principium motus.

R. n. min. Corpus enim illud materiæ vel est quid distinctum ab ejus partibus, vel est quid indistinctum. Si primum: est merum ens rationis, est puti da chimæra quæ in sola mente fingi & existere potest. Si secundum: jam toti materiæ & ejus partibus unicus est & indistinctus motus; jam nulla concipi potest possibilis communicatio a corpore in partes; communicatio enim qualibet supponit distinctionem inter eum qui communicat & eum cui fit communicatio. Et vero demus ad instans corpus ipsum materiæ sic motum distribuisse in varias materiæ partes, unaquæque pars eum tantum motum haberet & servaret quem a corpore materiæ per communicationem necessariam semel accepisset; ac consequenter unaquæque pars materiæ & ipsum totum ejus corpus constanter & uniformiter uno eodemque motu moveretur qui variis ejus partibus esset impressus.

Inst. Atqui in data mox hypothesi falsum est unicum semper fore motum. Nam cum materia sit ex se indifferens ad quemlibet motum, quemcunque motum sibi det, semper servat aptitudinem ad alios motus recipiendos: atqui hæc aptitudo sufficit ut motus variari possit. Ergo.

R. n. min. Ut enim evolvatur motuum varietas in hypothesi præsenti non sufficit in materia indifferentia illa passiva quam in ea agnoscimus ad quemlibet motum, sicut ad quamcunque figuram, sed requiritur indifferentia activa ad dandum sibi quem libuerit motum. Quam quidem indifferentiam in ea negamus, cum sibi dare non possit id quod non habet.

Inst. Datis semel Atheorum principiis, mundus iste qualis nunc est quoad formam potest extitisse ab æterno. Hæc sunt enim Atheorum, nempe Epicureorum principia. 1. Materia existit ab æterno. 2. Materia movetur ab æterno: atqui etiam datis non concessis his duobus Epicureorum principiis, mundus præsens quoad formam potest extitisse ab æterno. Ut enim mundus iste, seu forma ejus extiterit ab æterno, sufficit quod materia potuerit existere ab æterno in præsenti situ & dispositione: atqui res ita est datis Epicureorum principiis. Ergo datis, &c.

R. n. min. Ut mundus præsens extiterit a se & ab æterno, requiritur ut materia non solum existat & moveatur a se, sed ut a se & ab æterno motus suos eo dirigere potuerit modo qui præsentibus effectibus producendis par sit & idoneus: jam vero datis licet materiæ existentia & motu, juxta Epicureorum principia, non statim conceditur ille motus qui præsentibus effectibus producendis par sit & idoneus. Namque sicut existentia & motus materiæ exigunt primam aliquam causam effectricem, sic præsens materiæ situs & motus ejus determinatio exigunt primam aliquam causam sapientem intelligentem & directricem. Porro dato non concesso materiam existere & moveri a se, ab æterno, & independenter ab ulla prima causa effectrice, non idea sequitur aut conceditur materiam præsentem suum situm & dispositionem posse habere & servare a se & independenter ab ulla causa directrice. Ratio est, quia præsens ille materiæ situs aliquid exigit quod non postulat materiæ existentia & motus generatim, nempe causam sapientem & ordinatricem. Etenim supponamus ad instans motum materiæ esse ipsi essentialem & necessarium, motus ille vel erit motus in genere, vel erit motus talis & quoad determinationem, vel erit utrunque simul: si primum, tunc necesse erit ut materia accipiat motus determinationem ab aliqua causa extrinseca. Ergo agnoscenda erit prima aliqua causa. Si secundum: ergo inesset materiæ determinatio motus necessaria, dum motus ipse est accidentalis; quod repugnat. Nam sicut prius est moveri simpliciter quam moveri tali vel tali determinatione, sic prius est moveri necessario,

rio, quam moveri necessario tali vel tali determinatione. Semper materia acciperet motum ipsum a causa extrinseca, alias daret sibi determinationem motus quem non habebat. Si tertium: ergo materia impressam semel motus determinationem nec mutare, nec suspendere potest, utpote sibi essentialem. Deinde vel motus idem & æqua lance in varias materiæ partes distribuitur, vel non. Si primum: ergo variæ illæ materiæ partes æqualem motus impressionem participabunt, ac proinde effectuum varietas explicari non poterit. Si secundum: ergo etiam dato non concesso materiæ motu essentiali, semper requiritur causa aliqua sapiens quæ motum illum singulis materiæ partibus distribuat, certis ac determinatis quibusdam effectibus attemperet, & ad proportionatum finem dirigat. Quod si motus ille supponitur distributus pro partium distinctione, dato iterum motu essentiali materiæ, requiritur adhuc causa sapiens quæ motum illum singulis partibus distribuat juxta varios effectus quos producere debent. Ergo datis, &c.

Inst. Atqui datis materiæ existentia & motu juxta Epicureorum placita, mundus potest extitisse ab æterno in præsenti situ & dispositione. Nam datis illis existentia & motu materiæ ab æterno, jam situs aliquis necessarius est materiæ ab æterno: atqui hoc posito mundus potest extitisse ab æterno in præsenti situ & dispositione. Nam eo ipso quo datis semel motu & existentia materiæ ab æterno, situs aliquis est ipsi necessarius, jam sortiri debuit aliquem situm ex his qui possibiles sunt: atqui inter varios situs possibiles, præsens sane est possibilis; existit enim. Ergo datis semel materiæ existentia & motu juxta Epicureorum placita, jam mundus potest extitisse ab æterno in præsenti situ & dispositione.

R. 1. n. prim. min. Equidem datis semel existentia & motu materiæ ab æterno, situm aliquem habere debet etiam ab æterno, & quidem situm inter varios situs possibiles. At non ideo habere debet præsentem situm. Esto quod nulla admissa causa creatrice & motrice, poterit materia existere & moveri ab æterno, & eo ipso habuerit situm aliquem inter varios situs possibiles, non sequitur materiam nulla data causa directrice, habere potuisse præsentem situm, licet includatur inter varios situs possibiles. Nam situs præsens non est possibilis nisi data aliqua causa intelligenti & directrice.

R. Itaque 2. dist. secund. min. Inter varios situs possibiles præsens est possibilis admissa aliqua causa intelligenti & directrice: c. Negata nec admissa ulla tali causa: n. Absente illa causa, materia habere poterit omnes situs qui sunt possibiles independenter ab illa causa directrice, at eum habere non poterit qui causam aliquam directricem exigat & postulet. Porro præsens materiæ situs talem causam postulat. Ergo licet situs aliquis sit materiæ necessarius; licet aliquem inter varios situs possibiles habere debeat & possit, non inde situm præsentem habere potest etiam datis Epicureorum principiis. Ergo datis, &c.

Inst. Atqui datis existentia & motu materiæ ab æterno materia potest habere præsentem situm etiam negata nec concessa ulla causa intelligenti & directrice. Situs enim materiæ est effectus ejus motus. Porro materia motum habere non potest quin actu moveatur, nec actu moveri quin actu & de facto habeat determinationem aliquam particularem qua moveatur in hanc potius quam in alteram partem; motus enim est quid particulare, nec potest concipi motus sine aliqua determinatione. Ergo dato semel aliquo motu materiæ necessario & ab æterno, jam concipitur aliqua determinatio particularis. Hæc vero determinatio sufficit ad dandum materiæ præsentem situm. Tam potuit enim moveri in hanc partem quam in aliam. Nam possibilis est illa determinatio, & sufficit ad præsentem materiæ situm ut sit possibilis, quia situs ipse est possibilis. Cur enim ad illum situm non sufficeret, cum ad quemlibet alium situm sufficiat? Unde sic in forma resumo. Dari non potest materiæ motus essentialis & ab æterno, quin ipsi detur aliquis motus particularis essentialis & ab æterno: atqui dato semel materiæ motu particulari, necessario & ab æterno, situs præsens materiæ possibilis est in se; pos-

possibilis est etiam in se & independenter ab ulla causa directrice determinatio ad hunc situm sufficiens. Ergo dato semel illo motu, præsens materiæ situs possibilis est independenter ab ulla causa directrice.

R. n. min. Nego scilicet præsentem materiæ situm & determinationem motus huic sufficientem possibilem esse independenter ab ulla causa directrice. Ratio allata militat tum pro situ præsenti materiæ, tum pro determinatione motus quæ hunc situm efficere possit. Situs enim ille & determinatio illa ordinem eximium ac sapientissimum exhibent; ergo causam aliquam sapientissimam directricem exigunt. Licet enim daretur materiam moveri & sic ad aliquem motum determinatam esse necessario & ab æterno, non inde sequeretur eam determinatam esse ea determinatione & ad eum motum tam sapientem & adeo concinne ordinatum sine ulla causa directrice. Deinde cum materia supponatur mota necessario & ab æterno, jam ejus determinatio particularis, motui ejus æterno coæva & consanguinea, erit etiam necessaria & ab æterno. Ergo necessariam & æternam illam determinationem non magis mutare poterit quam propriam exuere naturam. Ergo materia unico motu constanter movebitur. Ergo unicum effectum constanter producet. Et sane cum nihil existat sine causa, dari debet aliqua causa, & ratio cur præsens illa determinatio existat potius quam non existat, aut potius existat quam alia: porro absente omni causa directrice, nulla potest afferri causa & ratio cur præsens illa determinatio existat potius quam non existat, aut potius existat quam alia. Si qua enim daretur hujuscemodi causa & ratio, sane possibilitas ejus; non enim afferri potest voluntas causæ alicujus superioris, cum nulla omnino supponatur causa extrinseca, nequidem directrix: porro possibilitas hujus determinationis non potest esse causa cur existat potius quam alia. Tunc enim præsens materiæ situs & dispositio deberet esse magis possibilis quam quælibet alia; quod falsum est. Nam sunt omnes illi situs & dispositiones æqualiter possibiles.

Obj. 3. Contra tert. conclus. Existere primam aliquam rerum omnium causam & quidem infinite perfectam inde probatur, quia id omne quod existit, non existit a se & ab æterno: atqui hæc ratio nulla est. Ideo enim admittenda esset illa causa, & præcipue causa infinite perfecta, quia ad creanda entia quæ non existunt a se & necessario, superanda esset distantia infinita inter ens & non ens, quæ quidem distantia superari non potest nisi a causa infinitæ potentiæ: atqui inter ens & non ens non est distantia infinita. Nam distantia illa commensuratur naturæ entis: sed ens est quid entitative finitum. Ergo inter ens & non ens non est distantia infinita.

R. 1. n. prim. maj. Juxta nostram ratiocinandi methodum, ideo existit prima aliqua rerum omnium causa, quia res illæ non existunt a se; ac consequenter exigunt causam aliquam externam suæ existentiæ. Ideo vero causa illa est infinita, quia est a se, nec a quocunque limitari potest in suis perfectionibus. Ergo non ideo præcise admittenda est prima aliqua causa infinita, quia ad creanda entia quæ non existunt a se, superanda est distantia infinita inter ens & non ens.

R. 2. n. secund. min. Dici potest inter ens & non ens adesse distantiam infinitam. Quia adest distantia qua major dari non potest, & quæ exhauriri non potest in genere distantiæ.

Obj. 4. Contra quart. conclus. Prima rerum omnium causa non debet esse ens a se. Ad hoc enim satis est quod omnia entia possint supponi contingentia: atqui omnia entia possunt supponi contingentia. Ergo prima causa nob debet esse a se.

R. n. min. Si enim omnia entia forent contingentia, possent existere vel non existere, ac consequenter possent supponi actu nulla existere entia; posito enim possibili in actu, nihil sequitur absurdi: atqui supponi non possunt omnia entia non existere, quin adsit contradictio, scilicet quin sint possibilia & impossibilia. Nam forent possibilia cum sint contingentia, & aliunde existant. Forent etiam impossibilia, quia scilicet nunquam possent habere existentiam.

Unde-

Undenam enim poſſent habere exiſtentiam? Non a ſe. Nam nihil poteſt dare ſibi exiſtentiam; alias eſſet ſeipſo prius & poſterius. Non ex neceſſitate, ſupponuntur enim omnia contingentia. Non ab alio, nullum enim ſupponitur ens tunc exiſtere. Non a fortuito caſu, eſt enim vox ſenſu vacua.

Inſt. Atqui omnia entia ſupponi poſſunt contingentia. Ideo enim non poſſent ſupponi omnia entia contingentia, quia tunc eſſent poſſibilia ſimul & impoſſibilia: atqui fictitia eſt iſta contradictio. Eſſent enim entia illa poſſibilia & impoſſibilia ſub diverſo reſpectu. Ergo fictitia eſt allata contradictio. Ergo omnia entia, &c.

R. n. min. ad prob. Dico omnia entia ſi ſemel ſint contingentia, fore ſimul poſsibilia & impoſsibilia ſub eodem reſpectu, nempe ſecundario. Eſſent quidem poſsibilia ſecundario. Entia enim illa actu exiſtunt, ac proinde hæc tria habent exiſtentiam, poſsibilitatem primariam & poſsibilitatem ſecundariam: porro ab illis entibus per hypotheſim ſactam ſola detrahitur exiſtentia. Ergo remanent poſsibilia ſecundario. Eſſent tamen impoſsibilia ſecundario, ut fatentur Athei, & ſuadet evidens ratio. Nam cum nulla ſupponi poſsit cauſa a qua producantur, jam eſſent improducibilia. Ergo eſſent impoſsibilia ſecundario; producibilitas enim nihil aliud eſt quam poſsibilitas ſecundaria.

Inſt. Etiamſi omne ens ſit contingens, non magis ſequitur nullum ens actu exiſtere, quam omne ens actu exiſtere; ſiquidem ens contingens utpote indifferens ad exiſtendum vel non exiſtendum, non magis poſtulat non exiſtere, quam exiſtere: atqui etiamſi omne ens ſit contingens, non ſequitur omne ens actu exiſtere. Ergo nec inde ſequitur nullum ens actu exiſtere.

R. n. maj. Diſparitas eſt, quod ut nullum ens actu exiſtat, nullà requiratur cauſa, ſufficit vero ut nulla ſit cauſa. Porro ex eo quod omne ens ſit contingens, ſequitur nullam eſſe cauſam entium productricem. Ergo ex eo quod omnia entia ſint contingentia, ſequitur nullum ens exiſtere. At e contra ut omne ens contingens actu exiſtat, requiritur cauſa quæ actu producat omne ens contingens, ſicut ut exiſtat actu aliquod ens contingens tale vel tale, requiritur cauſa quæ actu illud producat. Porro ex eo quod omne ens ſit contingens, non ſequitur exiſtere aliquam cauſam quæ omne ens contingens actu producat. Ergo ex eo quod omne ens ſit contingens, non ſequitur omne ens contingens actu exiſtere.

Inſt. Saltem collectio entium contingentium poteſt eſſe a ſe, aut ſaltem contrarium non probatur. Ex eo quod enim ſingula entia ſint producibilia, non ſequitur ſimul produci poſſe totam collectionem entium. Ergo a pari licet ſingula entia ſint contingentia, non ſequitur totam collectionem entium eſſe contingentem.

R. n. conſ. Diſparitas eſt, quod numerus entium producibilium ſit indeterminatus, ac proinde quæcunque producibilia ſunt non poſſunt ſupponi exiſtere, ſed quocunque numero ſupponantur exiſtere, plura adhuc & plura in infinitum exiſtere poſſe concipiuntur; numerus vero entium exiſtentium eſt ſemper determinatus, ac proinde ſi omnia entia forent contingentia, ſupponi poſſent non exiſtere. Deinde quidam negant antecedens. Quia ſcilicet nullam percipiunt repugnantiam in eo quod omnia entia ſimul producantur. Non ex parte Dei, quia eſt omnipotens; non ex parte creaturæ, quia quælibet creatura in ſe producibilis eſt; non ex parte potentiæ divinæ quæ exhauriretur, nam haberet effectum ſibi proportionatum.

Obj. 5. Contra quint. concluſ. Etiamſi prima rerum omnium cauſa eſſet a ſe, non inde foret infinita. Nam eſſentiæ rerum ſunt neceſſariæ & tamen finitæ. Ergo etiamſi prima, &c.

R. n. conſeq. & parit. Eſſentiæ rerum ſunt neceſſariæ ſubjective tantum & ex hac parte ſunt infinitæ, ex parte nimirum ſubſtantiæ divinæ cui unum & idem ſunt; objective vero & terminative, nimirum ex parte creaturarum, ſunt finitæ quidem, ſed ex hac etiam parte non ſunt neceſſariæ; aut ſi neceſſariæ ſint, ſunt tantum neceſſariæ neceſſitate convenientiæ, non neceſsitate exiſtentiæ. Primo ſenſu pendent tantum a Deo exiſtente, ſecundo ſenſu pendent a Deo producente.

Inſt.

Inst. Quod habet ex natura sua terminum perfectionis, illud non est infinitum: atqui prima rerum omnium causa, licet a se & necessaria, habet tamen terminum perfectionis ex natura sua. Substantia enim certa, seu fixa & determinata habet ex natura sua terminum perfectionis: atqui prima rerum omnium causa, licet a se & necessaria, est substantia certa & determinata. Ergo etiamsi prima rerum omnium causa esset a se & necessaria, non inde foret infinita.

R. dist. Substantia fixa & determinata contingens habet ex natura sua terminum perfectionis: c. substantia fixa & determinata, sed a se & necessaria: n. Itaque substantia certa, fixa & determinata contingens habet terminum perfectionis, caret enim existentia necessaria; seu potius accepit terminum perfectionis ab illa causa a qua accepit existentiam. At substantia certa, fixa & determinata necessaria non potest ex probatis habere terminum perfectionis; quia scilicet eo ipso quo est necessaria, habet infinitum modum existendi. Ceterum latet æquivocatio in his verbis substantia fixa, certa & determinata; nec enim substantiæ quævis determinatio terminum & limitationem perfectionum importat, nec perfectionum limitatio semper desumitur ex substantiæ determinatione. Itaque substantia potest esse fixa eo sensu quod certo & clare consensionem attributorum menti nostræ exhibeat, non vero vagam, generalem, aut cum alterius rei attributis confusam, vel quod tot nec plura, nec pauciora attributa menti nostræ exponat. Primo sensu determinatio substantiæ nullum perfectionibus terminum apponit. Sic habemus ideam certam infiniti sive in aliquo, sive in omni genere. Secundo sensu determinatio substantiæ terminum perfectionis importat quidem, at hoc sensu prima causa non dicitur substantia fixa & determinata.

Inst. Atqui substantia qualibet etiam necessaria & quocunque sensu fixa & determinata habet terminum perfectionum. Nam substantia contingens, etiamsi sit necessaria quoad essentiam, & possibilitatem primariam, limitatur tamen ex natura sua. Ergo substantia qualibet, &c.

R. n. conseq. Disparitas est, quod ea quæ necessaria sunt quoad possibilitatem, agnoscant ens superius a quo deriventur & suum existendi modum recipiant; immo quatenus sunt possibilia ad illud ens ordinem dicunt a quo limites habent: necessario quidem, non autem decreto libere decernente; non mirum itaque si ex natura sua finita sint. Sed quod est necessarium quoad existentiam, nullum ens superius agnoscit a quo derivetur, aut pendeat, & ad certos limites restringi possit.

Inst. Non magis repugnat ens a se finitum, quam ens ab alio finitum: atqui non repugnat ens ab alio finitum. Ergo etiamsi prima rerum omnium causa esset a se, non repugnat eam esse finitam.

R. n. maj. & parit. Disparitas est, quod abalietas, quæ est principium existendi ab alio, spectari possit & debeat ut principium liberum; e contra aseitas, quæ est principium existendi a se, spectari debeat & possit ut principium necessarium. Jam vero principium liberum potest dare tot gradus entis quot voluerit, principium vero necessarium tot dare debet quot potest, ac consequenter gradus infinitos. Uno verbo, ubi ens ab alio existit, voluntas libera creatoris est ratio sufficiens cur ab eo limitetur; ubi autem ens est a se, nulla potest dari ratio sufficiens cur sit finitum & limitatum. Cur enim vero haberet potius unum gradum entis quam centum aut mille?

Inst. Ex data modo responsione, ideo ens a se finitum repugnaret, quia nulla posset reddi ratio limitationis ipsius: atqui licet nulla posset reddi ratio limitationis illius, non idcirco non est finitum & limitatum. Limitatio enim, utpote negatio, nullam requirit causam. Ergo etiamsi, &c.

R. n. min. Cum enim ens a se non potius postulet ex natura sua has quam illas perfectiones, hos potius quam illos perfectionum gradus, profecto vel omnes habere dicendum est, vel assignanda est causa cur non omnes habeat; alioquin certas haberet perfectiones potius quam alias, certos perfectionum gradus potius quam alios sine sufficienti ratione. Quod absurdum est.

Ad prob. vero R. dist. Limitatio formaliter sumpta nullam requirit causam: c. Limitatio materialiter sumpta: n. Equidem limitatio formaliter sumpta, cum sit formaliter negatio, nullam requirit causam; at vero limitatio materialiter sumpta, cum sit aliquid positivum, causam positivam exigit. Scilicet ut aliqua perfectio non sit in aliquo ente, nulla causa opus est; sed ut aliqua perfectio sit in aliquo ente potius quam altera ipsi ex æquo possibilis, opus est aliqua causa. Sic ut extensio bipedalis tertium pedem non habeat, nulla requiritur causa; at ut habeat duos pedes potius quam decem aut centum, requiritur aliqua causa. Ergo licet limitatio formalis nullam causam postulet, aliquam tamen exigit limitatio materialis. Ergo si nulla posit reddi ratio limitationis in ente a se, jam ens a se finitum repugnat.

Inst. Prima causa esset infinita in omni perfectionum genere eo ipso quo est a se, vel quia perfectiones illæ sunt quid positivum, vel quia conveniunt cum necessitate existendi: atqui neutrum dici potest. Non quia sunt quid positivum. Nam cogitatio & extensio sunt quid positivum, nec tamen possunt reperiri in uno eodemque subjecto. Pariter cogitatio & extensio conveniunt cum contingentia; nec tamen possunt compati in uno eodemque subjecto. Ergo a pari, licet omnes perfectiones conveniant cum aseitate, non sequitur primam rerum causam esse infinitam.

R. Nos non probasse primam rerum omnium causam esse infinitam eo ipso quo est a se, præcise quia omnes perfectiones conveniunt cum aseitate, sed probavimus 1. primam illam causam perfectiones illas a se non excludere, quia perfectiones illæ conveniunt cum ejus natura, nempe cum aseitate. 2. Probavimus primæ illi causæ deberi has perfectiones, quia prima illa causa necessariam dicit relationem & connexionem cum illis perfectionibus; quæ quidem connexio nititur tum natura entis a se, tum natura perfectionum illatum. Recole allatas probationes.

Obj. 6. Cont. Corollar. Ex præcedentibus conclusionibus non legitime infertur existentia Dei. Ideo enim juxta illas conclusiones admittenda est existentia Dei, quia admittenda est causa a se, quæ sit Deus: atqui argumentum istud nihil probat. Nam tota collectio entium contingentium poterit supponi a se, nec tamen erit Deus juxta conclusiones illas. Ergo.

R. n. ant. Et dico collectionem entium contingentium non posse supponi a se. Nam contingentia est attributum essentiale singulis Entibus ex quibus conflatur ac exurgit collectio; ergo non potest supponi collectio necessaria, nisi supponatur distincta a singulis Entibus ex quibus coalescit. Porro sine absurditate collectio non potest supponi distincta ab illis Entibus ex quibus componitur. Ergo collectio non potest supponi a se. Et certe in conceptu collectionis hujus, non percipitur existendi illa necessitas. Nam nihil deprehendimus in illa collectione, nisi quod detegimus in singulis entibus ex quibus resultat. Cum enim collectio illa non sit ab illis Entibus distincta, nihil habet essentiale nisi quod mutuatur ab illis Entibus in unum conglobatis. Deinde ex probatis necessitas existendi infinitam involvit realitatem, infinitas secum importat & gradu & numero perfectiones: porro collectioni huic competere non potest realitas infinita; tum quia quantacunque supponatur collectio illa, huic aliquid addi aut detrahi posse percipitur; tum quia singulis Entibus, ac proinde toti collectioni detrahi potest aliqua perfectio. v. g. Gradus viventis, immo ipsamet existentia, cum sit contingens. Ergo collectio illa non est a se.

Inst. Ens illud supremum cujus existentiam astruit allata conclusio, est a se, nullamque sui causam agnoscit. Ergo a pari collectio poterit esse a se.

R. n. conseq. & parit. Disparitas est, quod collectio illa sit essentialiter contingens; nam nihil aliud est quam entia essentialiter contingentia in unum collecta. Ergo necessitas existendi non potest competere collectioni illi: e contra vero necessitas illa existendi potest, immo debet reperiri in aliquo ente particulari. Potest quidem; quia nullam dicit incompossibilitatem sive cum ratione entis in genere, sive cum tali ente; debet

bet vero: nam cum sit modificatio, per se non subsistit, & independenter a subjecto inhæsionis; ergo exigit aliquod subjectum, aliquod ens particulare in quo existat.

Obj. 7. Ens a se potest limitari necessario & ex natura sua. Ille enim limitari potest ex natura sua, cujus natura potest exigere limitationem tum in gradu, tum in numero perfectionum: atqui natura entis a se exigere potest talem limitationem. Nam natura trianguli exigit ut tres tantum habeat angulos nec plures, nec pauciores: ergo a pari natura entis a se exigere potest ut perfectiones habeat tali gradu, nec plures, nec pauciores.

R. n. min. Nedum enim natura entis a se prætensam exigat limitationem, immo eam formaliter excludit. Quod ut intelligatur, duplicis generis distingui debent perfectiones. Alia perfectio simpliciter simplex, alia perfectio simplex & secundum quid. Perfectio simpliciter simplex est ea quæ in suo conceptu nullam involvit imperfectionem, aut negationem alterius perfectionis; hinc dicitur melior ipsa quam non ipsa, id est, melius est eam habere quam non habere. Perfectio simplex, seu secundum quid, est ea quæ annexam habet & in suo conceptu aliquam involvit imperfectionem, & quæ cum altera perfectione majori aut æquali stare non potest. Sic, v. g. extensio physica est perfectio simplex, quia excludit majorem perfectionem, nempe cogitationem. De perfectione simpliciter simplici tantum hic agitur. His positis, dico naturam entis a se nullam in conceptu suo includere limitationem. Si enim natura illius entis aliquam importaret limitationem, vel quia talem numero perfectionem excluderet, vel quia eam tali vel tali gradu suscipere non posset, v. gr. gradu summo & infinito: atqui neutrum dici potest de ente a se. Existentia enim necessaria est perfectio simpliciter simplex; ergo aliam perfectionem simpliciter simplicem excludere non potest. Immo ens a se hanc limitationem formaliter excludit. Nam perfectiones simpliciter simplices sunt possibiles, ut omnes fatentur; quin etiam certum est actu existere aliquas perfectiones simpliciter simplices. v. g. Existit æternitas. Jam vero cum perfectiones illæ sint modificationes, nec possint subsistere per se, exigunt aliquod subjectum cui inhæreant, ut dictum est. Porro subjectum illud est vel ens a se, vel ens contingens. Atqui ens contingens non potest esse illud subjectum. Nam existentia est radix & principium a quo fluunt omnes aliæ perfectiones: sed existentia contingens non potest esse radix & principium perfectionum quæ simpliciter simplices dicuntur. Nam existentia contingens annexam habet imperfectionem, nempe contingentiam, & excludit majorem perfectionem, nimirum existentiam necessariam. Deinde supponi potest omnia entia contingentia destrui; porro destructo quolibet ente contingenti, possibiles semper concipiuntur perfectiones illæ simpliciter simplices, nec ullum tunc haberent subjectum in quo subsisterent. Ergo in solo ente a se existere possunt. Ergo, &c. Ad prob. & parit. dico naturam trianguli tres angulos postulare, nec plures, nec pauciores; si enim duo tantum aut quatuor adessent, jam non daretur spatium tribus angulis terminatum; uno verbo, tertius angulus quartum excludit in allata hypothesi: at nulla perfectio simpliciter simplex in ente necessario alteram excludit. Ergo non valet paritas.

Obj. 8. Ut certo possemus cognoscere & demonstrare existentiam entis infiniti, deberet nobis adesse medium quo illud certo cognosceremus: atqui nullum adest medium quo cognoscamus ens aliquod esse infinitum in omni genere perfectionum. Medium enim illud esset, vel adæquata perfectionum illarum enumeratio, vel earum inter se comparatio, vel denique principium aliquod generale ex quo illud evidenti & necessaria consequentia deduceremus; v.g. perfectionum illarum inter se & cum eodem subjecto compossibilitas: atqui duo priora repugnant; cum enim attributa illa sint numero & entitate infinita, adæquata eorum enumeratio, aut comparatio fieri non potest a mente finita. Compossibilitas vero perfectionum illarum non sufficit ut asseramus ens a se

esse infinitum in omni genere perfectionum. Ergo istud non possumus cognoscere aut demonstrare.

R. n. min. & dico compossibilitatem illarum perfectionum esse medium sufficiens ac principium idoneum quo cognoscamus ens necessarium esse infinitum in omni genere perfectionum. Nam ex dictis, perfectiones illæ compossibiles sunt in uno eodemque subjecto, & unicum illud subjectum est ens necessarium: ergo eo ipso quo compossibiles sunt, jam existunt necessario in ente a se. Ergo compossibilitas est medium sufficiens, &c.

Inst. Atqui prædicta compossibilitas non est medium, &c. Nam ad hoc satis est quod quælibet perfectio possit Deum infinite perficere in suo genere absente hac compossibilitate: atqui res ita est: ergo compossibilitas illa non est medium sufficiens, &c.

R. n. min. Cum enim dicimus Deum esse infinite perfectum, intelligimus eum esse perfectum non tantum relative, sed absolute. Illud autem est absolute perfectum quod habet omnes gradus existentiæ possibiles, ita ut nihil perfectionis ipsi addi possit. Jam vero perfectio quæ alteram excludit non perficit Deum absolute; ut enim perficiat absolute, debet non tantum perficere subjectum, sed debet non impedire ne subjectum habeat aut habere possit aliam perfectionem. Porro in allata hypothesi, perfectio de qua agitur ex una parte subjectum perficit tantum in suo genere, ex altera vero aliam perfectionem aut majorem, aut æqualem excludit. Ergo non perficit absolute: ergo nec infinite.

Inst. Ut perfectio aliqua Deum infinite perficiat in suo genere, absente hac compossibilitate, sufficit quod absente licet ista compossibilitate sit infinita in suo genere: atqui absente licet hac compossibilitate, perfectio aliqua potest esse infinita in suo genere: ergo poterit etiam Deum infinite perficere, absente licet hac compossibilitate. Sint in exemplum libertas & immutabilitas; supponamus utranque esse oppositam, & sese mutuo excludere. Libertas licet cum immutabilitate incompossibilis, poterit esse infinita in genere libertatis: ergo poterit Deum infinite perficere in eodem genere.

R. n. maj. Perficere enim infinite est perficere ita ut nihil addi possit: porro non ita perficit Deum perfectio quæ aliam excludit: evidens est enim quod si in Deo perfectio quæ excluditur cum illa alia opposita perfectione jungeretur, jam Deo aliquid adderetur. Et certe ut Deus perficiatur infinite, debet esse melior præsente aliqua perfectione quam ea absente. Atqui præsente perfectione quæ cum alia opponitur, Deus non est melior quam ea absente. v. gr. In allato exemplo Deus præsente libertate non est perfectior quam ea absente; quia æque perficit ipsum immutabilitas quam libertas; utraque enim Deum perficit infinite in suo genere, ex hypothesi. Denique libertas quæ non excludit immutabilitatem, melior est quam libertas quæ non compatitur cum immutabilitate. Ergo libertas cum immutabilitate incompossibilis Deum infinite non perficit.

Obj. 9. Illud ens non est infinite perfectum cujus inter attributa quædam reperiuntur secum invicem incompossibilia: atqui inter attributa primæ causæ quæ nomine Dei insignitur quædam reperiuntur attributa secum invicem incompossibilia; justitia nempe & misericordia. Justitia enim exigit ut plectantur peccata: sed misericordia exigit ut condonentur eadem peccata; ergo justitia & misericordia secum invicem sunt incompossibilia.

R. dist. maj. ult. syllog. Justitia exigit ut plectantur peccata nulla aut nullo sensu legitima satisfactione compensata: c. legitima, saltem aliquo sensu, satisfactione compensata: n. dist. pariter min. misericordia exigit ut condonentur peccata aliqua, & legitima, saltem aliquo sensu, satisfactione compensata: c. nulla aut nullo sensu legitima satisfactione compensata: n. Ut autem hæc intelligatur solutio observ. 1. omnem peccati pœnam inde peccatori devenire quod ordinem a Deo stabilitum perturbaverit: justum est enim & perturbato ordini consequens ut qui contra ordinem insurrexit & legem violavit, ab ordinis Principe & Legislatore deprimatur &

pu-

puniatur. 2. Pœna, seu depressio illa pertinet ad justitiam vindicativam. Justitia autem duplex alia sui ad alterum, alia alterius ad alterum. Illa aliquis reddit quod alteri debet, vel sibi ipsi pœnam infert: hac vero Judex aut Legislator justitiam exercet inter duos, aut alium punit. 3. Æqualitas duplex, una rigorosa, secundum quantitatem & ubi tantum redditur quantum ablatum est & debetur, v. gr. Debentur mille libellæ, reddi debent mille libellæ, altera proportionalis & secundum proportionem, ubi reddimus quantum possumus. 4. Peccati compensatio alia interior, alia exterior. Interior in cordis humiliatione & contritione, exterior in quibusdam pœnalibus operibus reponitur: nulla fit per solam peccati cessationem. Dolor & detestatio peccati est species satisfactionis. Satisfactio enim est redditio voluntaria honoris ablati: porro per contritionem redditur Deo honos ablatus: per contritionem enim deprimitur homo, & supremum Dei dominium agnoscit: ex his manifestum est justitiam & misericordiam habere diversum objectum, seu respicere peccata sub diverso respectu. Justitia enim respicit peccata ut nulla nequidem interna & proportionali satisfactione compensata; misericordia vero respicit peccata ut sunt vel interna, vel externa & proportionali satisfactione compensata, ex justitia vindicativa, vel Dei ad hominem, vel homines ad seipsum.

Inst. Atqui justitia & misericordia secum invicem non sunt compossibilia. Misericordia enim impellit Deum ad acceptandam saltem proportionalem hominis satisfactionem, justitia e contra obstat ne acceptetur illa satisfactio, aut saltem plenam, omnino æquivalentem & absolutam exigit. Nulla est potior ratio cur justitia suo jure cedat quam misericordia. Unde sic concludo. Illa attributa secum invicem sunt incompossibilia quorum unum tantum avertit ab acceptanda quacunque satisfactione quantum alterum impellit ad aliquam acceptandam satisfactionem: atqui quantum justitia avertit ab acceptanda quacunque satisfactione, tantum impellit misericordia ad aliquam satisfactionem acceptandam. Ergo.

R. n. min. Justitia enim in suo conceptu non quidem importat acceptandam fore satisfactionem & pœnitentiam loco veræ & plenæ obedientiæ, sed non præ se fert etiam essentialem cum illa acceptatione repugnantiam. Ergo non tantum avertit, &c.

Inst. Si justitia plectit tantum peccata aut nulla, aut nullo sensu sufficienti satisfactione compensata; ergo jam gratuita non est illorum peccatorum condonatio.

R. n. sequelam. Misericordia enim non supponit nisi satisfactionem proportionalem, ac proinde gratuita est in eo quod non sit satisfactio absoluta, æquivalens & juxta strictos juris apices. Gratuita est etiam condonatio in eo quod loco plenæ & perfectæ obedientiæ admittatur compensatio satisfactionis.

Obj. 10. Inde probatur Deum esse infinitum, quia infinitæ perfectiones ipsi debentur: atqui hæc ratio nulla est; ergo non probatur Deum esse infinitum.

R. n. min. Perfectio enim est modus quidam existendi: sed modus existendi infinitus supponit & importat subjectum entitative infinitum. Ergo legitime probatur Deum esse infinitum.

Inst. Subjecto entitative finito, homini nempe, competunt perfectiones entitative infinitæ. Sic v. g. homo habet certitudinem infallibilem, ac proinde infinitam; infinito exæstuat desiderio. Ergo licet Deo competant perfectiones infinitæ, non inde infinitus est.

R. n. ant. Infinitudo perfectionum quæ homini competunt est ipsi extrinseca. Se tenet enim vel ex parte motivi, ut in certitudine, vel ex parte objecti, ut in desiderio; infinitudo ergo tunc est in objecto tantum, at Deus est infinitus entitative, quia ipsum inter & perfectiones ejus adest proportio entitatis.

SCHOLIUM.

Ex dictis constat nobis existentia Entis infiniti, id est, Entis quod habet perfectiones gradu & numero infinitas. Ens ergo a quo aberit vel una ex illis perfectionibus quas simpliciter simplices diximus, illud profecto non est Deus; e contra Ens in quo concurrunt omnes simul illæ perfectiones, illud pro vero

Deo habendum est. Hinc conclude Deum unicum, spiritalem, summe sapientem intelligentem esse debere. Melius est enim esse unicum, quam superiorem aut etiam parem habere; melius est spiritalem esse & a materia independens, quam corporeum, aut corpori necessario alligatum. Praeterea cum ex dictis, Ens necessarium sit prima omnium causa, & inter Entia quorum est causa quaedam reperiantur cogitandi facultate praedita, ea non potuit creare nisi cogitatione polleret Ens illud necessarium. Hinc etiam instar Dei haberi non potest materia, utpote quae cogitationis sit incapax, multasque annexas habeat imperfectiones. Haec sufficiant de existentia Dei, nunc de ejus unitate agamus.

ARTICULUS II.

De unitate Dei.

INter unum & unicum hoc quidam discrimen ponunt quod unum illud dicatur quod in se est indivisum; & haec unitatis species cuilibet enti competit. Unicum vero illud est cujus natura numero multiplicari nequit. De hac ultima unitatis specie hic tantum agitur. Unitatem Dei negarunt olim Gentiles, triginta Deorum millia apud Paganos numerat Hesiodus. Gentilitatis insaniam aemulati sunt Manichaei admittendo duo summa rerum principia quorum unum foret summe bonum & totius boni causa, alterum vero summe malum & totius mali principium. Duplex illud adversariorum genus seorsim impugnabimus; a Gentilibus incipiemus.

CONCLUSIO I.

Prima rerum omnium Causa unica est.

PRob. Ex inutilitate multiplicationis. Nam ex axiomate: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: atqui nulla necessitas est multiplicandae primae causae. Tunc enim nulla est necessitas multiplicandae primae rerum omnium causae, ubi unica sufficit: atqui unica sufficit prima rerum omnium causa. Nam talis est illa causa, ex probatis, ut a se existat, & ab ea cetera existere possint: atqui sufficit unica hujusmodi causa. 1. Sibi sufficit, quatenus a se existit. 2. Ceteris entibus creandis, conservandis & regendis sufficit, quatenus cetera ab ea existunt aut existere possunt; infinitis enim attributis pollet. Ergo alia causa esset inutilis. Non enim multiplicari debent virtutes & causae, nisi ubi una impar agnoscitur producendis effectibus. Ergo unica sufficit prima rerum omnium causa. Hoc argumentum luculenter versat Lactantius Instit. divin. l. 10. cap. 30. cujus verba exscribere non abs re erit. „ Nemo est quidem qui sapiat rationeque secum putet, qui non „ unum esse intelligat qui & condiderit „ omnia, eadem qua condidit virtute „ moderetur. Quid enim multis opus „ est ad mundi regimen sustinendum? „ nisi forte arbitremur, si plures sint, „ minus habere singulos nervorum at„ que virium. Quod quidem faciunt ii „ qui multos esse volunt, quia necesse „ est imbecilles esse: si quidem singuli „ sine auxilio reliquorum tantae molis „ gubernaculum sustinere non possent. „ Deus autem qui est aeterna mens, ex „ omni utique parte perfectae consum„ mataeque virtutis est. Quod si ve„ rum est, unus sit necesse est. Potestas „ enim vel virtus absoluta retinet suam „ propriam firmitatem. Id autem soli„ dum existimandum est, cui nihil de„ cedere, id autem perfectum cui ni„ hil accedere possit. Quis dubitet po„ tentissimum esse Regem qui totius or„ bis habeat imperium? Neque imme„ rito, cum illius sint quae ubique sunt „ omnia, cum ad eum omnes undique „ copiae congerantur. At si plures par„ tiantur orbem, minus certe opum, „ minus virium singuli habebunt, cum „ intra praescriptam portionem se quis„ que contineat. Etiam Dii, si plures „ sint, minus valebunt, aliis tantum„ dem in se habentibus. Virtutis autem „ perfecta natura non potest esse nisi in „ eo in quo totum est; non in eo in „ quo pars exigua de toto est. Deus „ vero si perfectus est (nam perfectus „ est) ut esse debet, non potest esse ni„ si unus ut in eo sint omnia. Deorum „ igitur virtutes ac potestates infirmio-

„ res

„ res sint necesse est, quia tantum singu-„ lis deerit quantum in ceteris fuerit; ita „ quanto plures tanto minores erunt..... „ Si partiti sunt inter se officia eodem „ revolvitur res ut ex iis quilibet suffi-„ cere omnibus nequeat. Perfectus igitur „ non erit qui cessantibus ceteris, non „ potest omnia gubernare. Ita fit ut ad „ regendum mundum unius perfecta vir-„ tute magis opus sit quam imbecillitate „ multorum..... Nec quanta sit vis pote-„ stasque divinæ Majestatis intelligit qui „ existimat singularem Deum qui facere „ mundum potuit eundem regere non pos-„ se quem fecit. At si concipiat animo „ quanta sit divini hujus operis immen-„ sitas, cum antea nihil esset, tamen ex „ virtute atque consilio Dei ex nihilo „ esse conflatam: quod opus nisi ab uno „ inchoari perficique non potuit, jam in-„ telliget multo facilius esse ab uno re-„ gi quod est ab uno constitutum. Di-„ cat fortasse aliquis ne fabricari quidem „ tam immensum opus mundi nisi a plu-„ ribus potuisse; quamlibet multos, „ quamlibet magnos faciat, quidquid in „ multis magnitudinis, potestatis, vir-„ tutis, majestatisque posuerit, id in „ unum confero & in uno esse dico ut „ tantum in eo sit istarum rerum quan-„ tum nec cogitari, nec dici potest „. Ea est itaque Lactantii argumentatio quam ad methodum scholasticam compo-nere sic facile est. Vel prima aliqua re-rum causa, Deus nempe, sufficit ad creandum mundum, vel non sufficit, & ad id plures requiruntur causæ: atqui dici non potest plures requiri causas ad creandum mundum. Ideo enim plures requirerentur causæ, quia una non satis virium & virtutis ad illud opus habe-ret; non multiplicantur enim causæ nisi quia quæ huic deputantur operi vires habent huic operi inferiores, nec, ces-santibus aliis causis, possent id præsta-re, atqui id supponit exiguam partem virtutis esse in illa caussa; quod falsum est; nam debet esse perfecta & revera perfecta est. Ergo prima illa causa, nempe Deus, mundo creando sufficit. Ergo etiam huic gubernando sufficere debet; tum quia facilius est ab uno re-gi quod ab uno creatum est; tum quia redeunt argumenta superius prolata, scilicet non multiplicantur causæ ad istam gubernationem, nisi quia causas illas in-firmas esse supponunt, nec singulas sine reliquarum auxilio tantæ molis guberna-culum sustinere posse. Ergo prima re-rum omnium causa debet esse unica. De-inde prima rerum omnium causa est in-finita, id supponit Lactantius, id supra probavimus. Vel ergo unica sufficit cau-sa creando & gubernando mundo, vel alia adhuc requiritur; atqui sane alia requiri non potest, quin destruatur sum-ma primæ causæ perfectio. Tum quia alia causa non requiritur, nisi quia pri-ma causa non satis virium ex se ad id habere supponitur, tum quia quo plures admittuntur causæ, eo minus opum, mi-nusque virium singulæ habebunt, cum in-tra præscriptam portionem se quisque con-tineat. Ergo admitti debet unica, &c.

CONCLUSIO II.

Causa a se & necessaria, unica est.

PRob. 1. Ex inutilitate multiplicatio-nis. Ex dictis ult. concl. Unica re-rum omnium causa sufficit, tum sibi tum aliis entibus. Porro si sibi perfecte suf-ficit, non indiget alterius causæ consor-tio; si non indiget alterius causæ con-sortio, non repugnat ipsam existere so-lam; si non repugnat ipsam existere so-lam, non repugnat cetera præter ipsam entia non existere; si non repugnat ce-tera præter ipsam entia non existere, cetera præter ipsam entia non sunt ne-cessaria. Si cetera præter ipsam entia non sint necessaria, unicum est ens ne-cessarium. Ergo a primo ad ultimum, unicum est ens necessarium; unica est causa necessaria.

Prob. 2. Ex natura necessitatis existen-di. Necessitas existendi primæ causæ pro-pria est, ex dictis, necessitas absoluta, simplex & uniformis: atqui necessitas existendi absoluta, simplex & uniformis causæ necessariæ multiplicari repugnat, & absurdum est supponere plures causas a se & necessario existentes. Namque causæ illæ forent a se invicem indepen-dentes. Ergo potest supponi unamquam-que ex illis existere solam. Ergo potest supponi unamquamque ex illis non exi-

ſtere. Ergo poteſt iterum ſupponi nullam ex illis exiſtere. Ergo poteſt etiam ſupponi nullam ex illis eſſe neceſſariam. Ergo aut cauſa neceſſaria unica eſt, aut nulla cauſa neceſſaria admittenda eſt.

Et vero multiplicitas ſine aliqua diverſitate ſtare non poteſt: atqui neceſſitas exiſtendi quamlibet diverſitatem excludit, tum quia qualibet diverſitas & varietas neceſſario oritur a cauſa extrinſeca & ſequitur proportionem qua influit & operatur cauſa efficiens; tum quia plures cauſæ neceſſariæ eſſent ſimul individualiter eædem & diverſæ inter ſe. Eſſent quidem eædem; nam neceſſitas exiſtendi eſt ſimplex, abſoluta & uniformis. Eſſent vero diverſæ; nam multiplicitas diverſitatem importat. Ergo cauſa neceſſaria unica eſt.

Prob. 3. Ex impoſſibilitate cujuſcunque multiplicationis. Vel enim cauſa neceſſaria multiplicaretur ſpecie, vel multiplicaretur numero: atqui cauſa neceſſaria multiplicari non poteſt, 1. ſpecie. Nam quæ multiplicantur ſpecie diverſas habent perfectiones, diverſa habent attributa: atqui repugnat multiplex cauſa a ſe & neceſſaria quæ habeat diverſas perfectiones, diverſa attributa. Nam cauſa a ſe & neceſſaria eſt infinite perfecta, eſt ens quo nihil melius: atqui cauſa multiplex ſpecie non eſt infinite perfecta, non eſt ens quo nihil melius. Eo ipſo enim quo unaquæque cauſa eſt diverſa, jam diverſas habet perfectiones; eo ipſo etiam una cauſa alterius perfectiones aut non omnes, aut eodem gradu non habet, ac conſequenter reſtringitur. Deinde multiplicitas ſupponit neceſſario reſtrictionem & limitationem. Sed id quod eſt omnimode infinitum reſtringi & limitari non poteſt; infinitudo excludit neceſſario reſtrictionem & limitationem. Ergo repugnat cauſa ſpecie multiplex infinite perfecta. Ergo repugnat ſpecie multiplex cauſa a ſe & neceſſaria. 2. Cauſa a ſe & neceſſaria non poteſt multiplicari numero. Tum quia nulla ex illis cauſis tunc contineret alterius exiſtentiam, quæ tamen eſt perfectio infinita, cum ſit realitas improducta; tum quia illud non poteſt multiplicari numero cujus naturæ eſſentialis eſt ſingularitas: atqui naturæ cauſæ a ſe & neceſſariæ eſſentiale eſt ſingularitas. Naturæ enim, cui eſſentiale eſt principium individuationis & ſingularitatis, certè eſſentialis eſt ſingularitas: atqui naturæ cauſæ a ſe & neceſſariæ eſſentiale eſt principium individuationis & ſingularitatis. Nam exiſtentia eſt principium ſingularitatis: atqui naturæ cauſæ a ſe & neceſſariæ eſſentialis eſt exiſtentia. Ergo ipſi etiam eſſentialis eſt ſingularitas. Ergo non poteſt multiplicari numero.

Nota. Multiplicitas repugnat exiſtentiæ neceſſariæ non quidem præciſe quatenus exiſtentia eſt, cum multiplex ens actu exiſtat; ſed quatenus neceſſaria eſt, cum neceſſitas exiſtendi multiplicari non poſſit, quin eo ipſo negetur & deſtruatur; quia, ut modo dicebamus, eſſentialis eſt ſingularitas enti cui competit neceſſitas exiſtendi.

Et certe illa multiplicatione numerica, vel cauſæ illæ neceſſariæ eaſdem numero perfectiones haberent, vel non haberent: atqui neutrum dici poteſt. Non primum: jam enim confunderentur, nec eſſent plures. Non ſecundum: tunc enim deberent diſtingui per aliquod: atqui eo ipſo quo diſtinguerentur per aliquod, jam ruit multiplicitatis hujus numericæ poſſibilitas. Id enim per quod diſtinguerentur vel eſſet perfectio, vel non. Si ſit perfectio, jam unum habebit quod in altero non erit; jam ens quod per perfectionem ab altero diſtinguitur, erit eo perfectius. Si non ſit perfectio, jam non ſunt perfectiſſimæ. Si enim non ſit perfectio, jam erit imperfectio, erit enim negatio & excluſio ulterioris perfectionis. Quis aliunde concipiat id per quod diſtinguuntur cauſæ illæ non eſſe perfectionem? Nam id per quod diſtinguuntur cauſæ illæ, debet eſſe aliquid reale & poſitivum, aliquid proprium & ſingulare; non poſſunt enim diſtingui per meram negationem, aut per aliquid commune. Ergo id per quod diſtinguuntur erit perfectio.

CON-

CONCLUSIO III.

Causa infinite perfecta unica est.

PRob. 1. Ex natura causæ infinitæ. Ubi plures essent causæ infinitæ vel realitas infinita unius esset eadem numero ac realitas infinita alterius, vel esset numero distincta: si sit eadem numero; jam causæ omnimode infinitæ non sunt numero plures; si non sit eadem, jam nulla continet alterius realitatem infinitam; jam nulla est infinita.

Et certe sive causæ illæ supponantur æquales, sive supponantur inæquales, evidens est causam illam meliorem fore quæ vel ex æqualibus, vel ex inæqualibus coalesceret. Deinde evidens est in illa numerica causarum distinctione eamex illis plus habituram realitatis, si præter realitatem suam haberet insuper aliarum causarum infinitarum realitatem, quamvis hæc foret numero tantum a sua realitate distincta. Sicut lapis A perfecte similis lapidi B, plus haberet realitatis, si præter eam quam habet, haberet etiam realitatem lapidis B a sua realitate numero tantum distinctam Hinc recte observat illustr. Fenel. quod si plura concipi possent entia infinite perfecta, ens infinite perfectum in omni genere perfectionum, esset infinite perfectius singulis infinitis particularibus; nam singula eorum in omni genere adæquaret, & singula eorum superaret, dum omnia simul sumpta æquipararet. Ergo esset solum ens omnimode infinitum.

Prob. 2. Ex attributis causæ infinitæ. Causa omnimode infinita & infinite perfecta debet esse immensa & independens: atqui repugnat multiplex causa immensa & independens. 1. Repugnat multiplex causa immensa. Plures enim causæ illæ immensæ vel essent intra sese invicem, vel essent extra sese invicem positæ: atqui neutrum dici potest. Non primum, jam enim compenetrarentur commiscerenturque & confunderentur ac identificarentur. Ergo causæ illæ non possunt supponi intra sese invicem existere. Non possunt etiam supponi extra se existere; tunc enim nulla earum esset ubique præsens; nulla ergo esset immensa. 2. Non forent independentes. Vel enim causæ illæ mutua cum independentia agere possent, vel ab invicem penderent in sua actione: atqui non possunt supponi cum mutua independentia agere, id est esse independentes in sua actione, ita ut nihil possint, nullum jus habeant in alterius actionem; jam enim potentia causarum esset limitata. Attamen major concipitur potentia causæ illius quæ absolutum in omnia jus & potentiam haberet; melius concipitur omnem ac totam habere potentiam, quam cum aliquo alio partiri. Quod si causæ illæ ab invicem pendeant, nec una sine altera agere possit, jam dependentia ista destruitur summa perfectio. Ergo aut non sunt independentes, aut non sunt infinitæ causæ illæ. Deinde vel inter operandum consentirent necessario causæ illæ, vel dissidere possent. Si consentiant necessario, jam non sunt liberæ, jam non sunt infinite perfectæ. Si dissidere possint, jam vel prævaleret quod vellet causa A, vel quod vellet causa B, vel neutrum prævaleret. Si prævaleret A, jam B non foret independens; si prævaleret B, jam A non foret independens; si neutrum, jam neutrum esset independens. Ergo.

Denique causa summe & infinite perfecta eo ipso & necessario est unica, cum summa sit perfectio nec superiorem, nec parem habere. Audiamus Tertullianum hoc argumentum edisserentem, L. 1. cont. Marcion. c. 3. „ Cum de „ isto conveniat apud omnes (Deum esse summum & infinitum) quæ erit jam „ conditio ipsius summi magni? nempe „ ut nihil illi adæquetur, id est, ut non „ sit aliud summum magnum: quia si „ fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit jam summum magnum „ eversa conditione, & ut ita dixerim „ lege quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo unicum sit necesse est quod „ fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum. „ Ergo non aliter erit, quam per quod „ habebit esse, id est unicum omnino. Proinde Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit: Deus, si non unus est, non

„ est

„ est..... Certe quemcunque alium Deum „ induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum, quam ut illi proprium divinitatis adscripseris, sicut æternum, ita & summum magnum. „ Hæc Tertullianus, cujus eo totum recidit argumentum. Quicunque Deus supponatur, is necessario & essentialiter est infinitus & summus: sed quod est infinitum & summum par habere non potest. Ergo unicus est Deus.

COROLLARIUM I.

Unicus est Deus.

PRob. Ex probatis inter allatas modo conclusiones, unica est prima rerum omnium causa; unica est causa, a se & summe perfecta: atqui ex probatis etiam antea, prima illa rerum omnium causa a se & necessaria & summe perfecta, est Deus. Ergo unicus est Deus. Itaque ut unicus sit Deus, satis est quod unica sit causa prima, & omnimode infinita. Deinde absurdum est infinitos numero Deos admitti oportere; nemo eo usque ad hæc desipuit: atqui aut unicus Deus, aut infiniti numero Dii sunt admittendi. Si enim unitas non sit Deo essentialis, jam infiniti Dii sunt actu possibiles, neque potior est ratio cur duo vel tres esse possint quam centum aut mille, vel etiam numero infiniti. Porro si infiniti Dii sunt actu possibiles, actu existent numero infiniti; nam Deus est ens vi possibilitatis suæ existens. Ergo.

COROLLARIUM II.

Repugnat & rejicienda est Manichæorum hypothesis.

PRob. 1. Ratione a priori nempe, ex allatorum jam argumentorum resumptione & analysi. Hic valent & recurrunt argumenta in superioribus proxime conclusionibus prolata. Nam ex dictis causa necessaria & a se, causa omnimode perfecta, est necessario ac essentialiter unica. Porro in systemate Manichæorum neuter Deus est summus, cum habeat æqualem & socium; neuter est necessarius, quia non est singularis & unicus, ac proinde potest supponi uterque non existere; neuter est immensus, ut fatetur Faustus Manichæus apud S. Aug. & deinde uterque ab altero excluditur. Neuter est infinite intelligens; non nosceet enim consilia illius entis a quo abest & a quo natura dividitur, &c. Immo in sententia Manichæorum repugnat principium summe malum. Nam ex multoties dictis, nomine Dei intelligitur ens quo nihil melius, ens summe perfectum: atqui in systemate Manichæorum Principium summe malum non est ens quo nihil melius, ens summe perfectum. Illud enim ens non est summe perfectum cui essentialiter deest una perfectio, seu cujus essentia dicit exclusionem alicujus perfectionis: atqui Principio summe malo in systemate Manichæorum deest essentialiter una perfectio, seu ejus essentia, primarius ejus conceptus dicit exclusionem alicujus perfectionis, nempe summæ bonitatis. Tam enim Principium summe malum constituitur in suo esse formaliter per malum, quam Principium summe bonum constituitur in suo esse per bonum. Ergo sicut primarius Principii summe boni conceptus excludit malitiam, sic primarius Principii summe mali conceptus excludit bonitatem. Uno verbo malitia est ratio constitutiva Principii summe mali; est enim differentia ejus specifica a Principio summe bono. Adde quod malitia nihil aliud sit quam privatio; *quid est autem quod malum dicitur*, inquit S. Aug. Enchirid. c. 11. *nisi privatio boni?* ac consequenter summa malitia nihil aliud est quam summa privatio boni. Ergo huic non potest competere existentia quæ est perfectio realis & perfectiva; minus adhuc huic competere potest existentia a se quæ est perfectio improducta & advocans sibi omnem realitatem possibilem.

Prob. 2. arg. a posteriori. Illa hypothesis est omnino rejicienda quæ finem sibi propositum nedum assequatur, immo destruit, dum tamen opposita quam impugnat sententia, finem illum feliciter attingit. Atqui talis est Manichæorum hypothesis. Nam hanc suam hypothesim excogitarunt Manichæi ut facilius explicarent varia quæ in hoc mundo conspiciuntur phœnomena, nempe ori-

originem boni & mali quæ in hoc mundo permixta sunt: atqui hæc origo nullatenus explicatur, immo destruitur in hypothesi Manichæorum, dum facile explicantur sub unico & eodem Principio summe bono.

Ac 10. quidem origo boni & mali nedum evolvatur immo destruitur in hypothesi Manichæorum. Vel enim duo summa illa rerum Principia unum boni, alterum mali erunt æqualia, vel erunt inæqualia; si sint inæqualia, vel Principium summe bonum prævalebit, vel Principium summe malum vincet: atqui in quocunque casu nedum explicetur immo destruitur & fit impossibilis commixtio & origo boni & mali. I Si sint æqualia. Nam in hac hypothesi Principium summe bonum totis viribus ad bonum nitetur; Principium vero summe malum totis pariter viribus ad malum tendet; utrunque exeret vires oppositas & æquales: atqui vires æquales & oppositę sese mutuo elidunt, & omnia in æquilibrio relinquunt. Ergo neque bonum neque malum esse posset si duo illa summa Principia supponerentur æqualia. Quod si supponantur inæqualia & Principium summe bonum sit fortius, jam non erit in mundo nisi bonum; si vero superet Principium summe malum, tunc non erit in mundo nisi malum. Ergo commixtio boni & mali nedum explicetur, &c. Et certe ut esset tunc bonum vel malum, alterutrum principium jure suo cedere deberet, si remaneant æqualia, vel alterutrum vincere deberet alterum: atqui I. neutrum Principium jure suo cedere potest. Jure enim quod essentiæ naturæ identificatur, nemo magis quam natura & essentia ipsa cedere potest: atqui jus utriusque Principii ejus essentiæ & naturæ identificatur. Nam utriusque essentia in suo esse constituitur per bonitatem & malitiam. Sicut bonitas essentialiter excludit malum quodcunque & ubique in illa hypothesi, sic malitia eodem modo excludit bonum. Ergo nullum erit sive bonum, sive malum in Manichæorum hypothesi, si duo illa Principia sint æqualia. Deinde fictitius est & repugnat consensus ille quo unum ex illis Principiis aliquid de jure suo remitteret in gratiam alterius. I. Enim mutua illa transactio pugnat e diametro cum natura utriusque Principii, cum utrunque illud Principium ex cæco naturæ suæ impetu agat, & ea sit natura Principii summe boni juxta Manichæos ut nequidem possit permittere mala; ea vero Principii summe mali ut nequidem possit permittere bona. II. In illa mutua transactione Principium summe bonum subscriberet permissioni mali; porro inde fieret auctor mali in systemate Manichæorum, alias sub unico Principio summe bono intelligi posset mali permissio. Idem enim omnino esse videtur libere tolerare malum, & libere ac ex fœdere creaturam exponere ludibrio ac malitiæ Principii summe mali. Eodem plane redit, nec magis, nec minus distat a bonitate consentire ut creatura malis implicetur ex interna naturæ suæ constitutione, an ex efficacia externæ causæ. III. Experientiæ repugnat hic consensus. Si enim mutuo fœdere res inter duos Deos compositæ fuissent, æquales debuissent esse ex utraque parte conditiones, utrunque Principium debuit æqualem in omni re exercere vim & par habere imperium: atqui tamen rem aliter contingere experimur. Notum est enim ex uniuscujusque hominis prudentia & consilio magna ex parte propriam felicitatem pendere, miserias vero non tam a fatali lege quam ex intemperantia & ex imprudentia oriri. Ex prætenso inter duo summa rerum principia fœdere summa bonorum malorum summæ æqualis esse deberet, & quidem omnimode; quod tamen falsum est ex experientia. Nam plures damnantur homines, quam salvantur; plura longe vexant mala & acerbiora, quam suavia demulcent bona. Deinde ex illo eodem mutuo fœdere, & consensu homines nullas, aut fere nullas haberent partes in procreando sibi bono vel malo; quod etiam experientiæ repugnat. IV. Ex hac hypothesi sequitur aliud absurdum, nempe Principium summe bonum majorem licentiam concessisse Principio summe malo, quam Principium summe malum Principio summe bono concessit; nam certum est impios numero plures esse quam justos; mala in præsenti vita bonis præponderant. Ergo juxta Manichæorum

rum

rum hypothesim nedum explicetur, immo destruitur & fit impossibilis origo boni & mali ac eorum in hoc mundo commixtio. Absurdum esset alterutrum ab altero vinci, ut constare potest ex dictis. Ergo, &c.

1. Facile & nullo negotio hæc eadem origo ac commixtio boni & mali explicatur sub uno eodemque Principio summe bono. Quodcunque enim malum attenditur vel ex parte Dei, vel ex parte creaturæ, id est, vel ut est a Deo permittente, vel ut est in creatura: atqui sub quocunque respectu spectetur peccatum, facile explicatur ejus origo sub unico Principio summe bono. Difficultas spectat præcipue malum morale seu peccatum. 1. Quidem ex parte creaturæ. Nam malum nihil aliud est quam privatio boni alicujus: atqui quælibet privatio boni potest esse in creatura etiam sub unico Principio summe bono. Nam quælibet privatio boni potest esse in creatura, cujus conditio ea est ut sit defectibilis & deficiens: atqui creaturæ conditio ea est & natura ut sit defectibilis & deficiens. Nam creatura est finita ex natura sua & limitata, ac consequenter defectibilis & deficiens. Qua parte enim finitur & limitatur, hac etiam deficit. Ergo 1. explicatur origo boni & mali ex parte creaturæ.

2. Explicatur ex parte Dei. Ad hoc enim satis est quod concipiatur creatura hanc suam nativam conditionem servare posse sub unico Principio summe bono, seu, quod Principium summe bonum possit creaturam permittere nativæ suæ conditioni: atqui Principium summe bonum potest permittere creaturam nativæ suæ conditioni. Nam Deus potest creare creaturam finitam, immo non potest eam creare infinitam; ergo potest defectus ejus non tollere & eam permittere nativæ ejus conditioni. Ergo sive ex parte creaturæ, sive ex parte Dei explicari potest, &c. Primum hujus argumenti principium usurpavit sæpe S Aug præsertim contra Manichæos enchirid. c. 11. „ Quid est autem aliud „ quod malum dicitur, nisi privatio bo„ ni „? Disput. cum Fortun. „ Aliud „ est qui fecit & aliud quod fecit; q. „ fecit, corruptibilis esse omnino non „ potest: quod autem fecit, omnino „ non potest esse æquale illi qui fe„ cit „. Disput. cum Felic. cap. 19. „ Quidquid ergo facit Deus, potest es„ se mutabile, ipse autem Deus non est „ mutabilis, quia non possunt æquari „ opera artifici & conditori „.

Obj. 1. Contra secund. conclus. Non probatur efficaciter unicam esse causam necessariam. Allatum enim argumentum eo redit: unaquæque causa necessaria supponi potest existere sola. Ergo unaquæque supponi potest non existere. Ergo nulla existit necessario. Atqui hoc argumentum non est efficax. Dum enim supponitur unaquæque causa existere sola, vel existit sola, id est nulla habita ratione ad aliam causam, & ita ut a nulla alia dependeat, vel existit sola eo sensu quod nihil cum ea existat: atqui neutro sensu allatum argumentum est efficax. Nam in primo sensu, ex eo quod unaquæque causa possit supponi existere sola, id est, nulla ad aliam habita relatione aut dependentia, non sequitur quod unaquæque possit supponi non existere. Cum enim nulla sit relatio aut dependentia inter illas causas, nulla etiam est connexio inter allatas duas propositiones. In secundo vero sensu, ex eo quod plures causæ a se & necessariæ supponantur, non sequitur quod quælibet possit supponi existere sola, id est, ita ut præter eam nihil aliud supponatur. Nam ex eo quod quælibet causa supponatur necessaria, sequitur tantum quod existat sine ulla relatione aut dependentia ab alia, ac proinde non extituram nisi eset a se & principium existendi in se haberet. Ergo neutro sensu efficax est allatum argumentum.

R. n. min. Et dico allatum argumentum eo sensu esse intelligendum, quod causa necessaria existat sola, non tantum quia existit sine ulla relatione & dependentia ab alia, sed quia potest supponi nihil præter eam existere. Namque id deducitur ex necessitate existentiæ, quæ illis causis inesse supponitur: porro efficax est argumentum, tum quia unica causa necessaria & sibi & nobis sufficit, ut probavimus, ac consequenter plures non requiruntur; tum quia existentia causæ necessariæ prærequiritur saltem

ut

ut conditio ſine qua non ad exiſtentiam cujuslibet alterius entis, adeo ut nihil poſſit ſupponi exiſtere quin prius ſupponatur cauſa aliqua neceſſaria. Si enim aliquid poſſit ſupponi exiſtere independenter ab ulla cauſa neceſſaria, ſequitur nullam cauſam eſſe neceſſariam. Ergo ubi plures cauſæ exiſtunt a ſe, jam quælibet cauſa exiſtit independenter ab altera; jam ergo quælibet cauſa exiſtit independenter ab altera; jam ergo quælibet cauſa non prærequiritur neceſſario ad exiſtentiam cujuſcunque entis; ergo quælibet cauſa, v. g. cauſa A poteſt ſupponi ſola, id eſt, non ſolum quod poſſit exiſtere ſine ulla relatione, aut dependentia ab alia, ſed quod poſſit ſupponi nihil præter eam exiſtere. Si quid enim aliud poſſet ſupponi exiſtere, ſane alia cauſa neceſſaria, v. gr. cauſa B: ſed cauſa B non prærequiritur ad exiſtentiam cauſæ A. Ergo cauſa B non eſt neceſſaria, ſeu cauſa A poteſt ſupponi exiſtere ſola eo ſenſu quod præter ipſam non exiſtat cauſa B. Sit iſtud exemplum. Cujuslibet rei exiſtentia prærequirit exiſtentiam ſpatii & temporis; quod ſi quid poſſet ſupponi exiſtere ſine ſpatio & tempore, hinc ſequeretur neque ſpatium, neque tempus exiſtere neceſsario. Ita a pari, ſi poſſit ſupponi quælibet cauſa exiſtere independenter ab altera, jam ſequitur alteram cauſam non eſse neceſsariam ad cujuslibet rei exiſtentiam. Ergo nec exiſtere neceſsario. Ergo eo ipſo quo ſupponitur cauſa neceſsaria, debet exiſtere ſola eo ſenſu quod poſſit ſupponi nihil præter ipſam exiſtere. Ergo efficax eſt allatum argumentum.

Reſponſio directa ad hanc objectionem patebit ex ſolutione difficultatis proxime ſequentis. Hinc evincitur multiplicationem cauſæ neceſsariæ eſse chimericam.

Dicet fortaſse aliquis æquo jure admitti poſse in Deo exiſtentiam numericam, quæ neque perfectio, neque imperfectio ſit; ſicut Scotiſtæ ſupponunt in Deo actus ipſi intrinſecos, nec tamen perfectivos, nec etiam imperfectivos. Sed evidens eſt diſparitas. Nam ſine illis actibus, de quibus Scotiſtæ v. g. ſine actu creandi Deus æque concipitur exiſtere, & eſse perfectus, & in ſuo eſse conſtitutus, ac illis poſitis; contra ſine exiſtentia numerica Deus non poteſt exiſtere ſeorſum ab aliis entibus, ac proinde nullatenus exiſtere. Sine abſurditate ſupponi poteſt Deus ex actu creandi exercitio non fieri perfectiorem; immo illud certum eſt in quocunque ſyſtemate. Abſurdum vero eſt, Deum ab aliis entibus diſtingui quoad exiſtentiam per aliquid indifferens. Abſurdum eſt enim Deum diſtingui ſimpliciter a creaturis, aut aliis quibuſcunque entibus per aliquid indifferens. Ergo id etiam repugnat reſpectu exiſtentiæ quæ radix eſt omnium aliarum perfectionum.

Inſt. Ideo inter allata argumenta repugnat multiplex cauſa a ſe, quia cauſæ illæ non poſsent a ſe diſtingui: atqui cauſæ illæ ſufficienter diſtinguerentur per exiſtentiam numericam. Si quid enim obſtaret quominus cauſæ illæ ſic diſtinguerentur, fortaſse quia una carendo exiſtentia numerica alterius, careret aliqua perfectione: atqui hoc falſum eſt. Poteſt enim ſupponi hanc exiſtentiam neque perfectionem, neque imperfectionem eſse.

R. n. 1. & ult. min. ad prob. nempe exiſtentiam illam fore neque perfectionem, neque imperfectionem, hæc ſententia fictitia eſt & contradictoria. 1. Fictitia eſt; nullo enim nititur fundamento ſive ex parte Dei, ſive ex parte noſtri. Ex parte Dei quidem. Si quod enim eſset fundamentum ex parte Dei, foret vel neceſſitas, & exigentia naturæ, vel rei poſſibilitas. Atqui non exigit natura cauſæ neceſsariæ ineſse multis, nec propter ſe, nec propter nos; ex dictis enim ſola ſibi & nobis perfecte ſufficit. Non etiam rei poſſibilitas; nam ex mox dicendis repugnat in ſe. Ergo ſententia prædicta nullo nititur fundamento ex parte Dei. Nullo etiam nititur ex parte noſtri. Quantumvis enim infirma ſit ratio, concipimus unicam cauſam neceſsariam ſufficere & eſse poſſibilem. Ergo ſententia illa nullo nititur fundamento etiam ex parte noſtri. Ergo fictitia eſt. 2. Sibi contradicit. Nam in illa ſententia admittuntur plures cauſæ neceſsariæ ac conſequenter infinitæ, ab invicem

distinctæ ratione existentiæ : atqui hoc repugnat. Ex dictis enim nulla ex his causis alterius existentiam, aut id per quod existentia ejus ab alterius existentia distingueretur, contineret; cum tamen utrunque sit realitas improducta. Ergo, &c. Deinde nulla dari potest ratio sufficiens hujus differentiæ numericæ; cur enim causa A haberet potius realitatem A quam realitatem B, & cur causa B haberet potius realitatem B quam realitatem A?

Obj. 2. Contr. tert. conclus. Causa omnimode infinita non est necessario unica. Ideo enim causa omnimode infinita esset necessario unica, quia quod est infinitum excludit æquale: atqui infinitum non excludit æquale, sed tantum superius. Infinitum enim est illud quod exhauriri non potest in eo genere in quo est infinitum, est uno verbo illud quo majus dari non potest. Ergo infinitum in primario suo conceptu excludit tantum majus & superius, non vero æquale. Ergo causa infinita non est necessario unica.

R. n. min. Ex ipsa infiniti definitione in objectione data, infinitum est illud quo majus dari non potest: atqui aliquid majus dari potest eo quod habet æquale. Quod enim ex duobus illis æqualibus conflaretur, utroque melius esset. Causa A quæ causæ B realitatem numericam haberet, melior esset & major quam si hanc realitatem non haberet. Uno verbo una causa omnes alterius perfectiones habere non posset; non enim haberet existentiam hujus numericam, quæ est realitas improducta. Ergo non esset omnimode infinita.

Inst. Atqui quod est infinitum non excludit æquale, sed tantum superius. Una enim causa infinita contineret perfectiones similes perfectionibus alterius causæ; contineret, v. gr. alterius existentiam eminenter, & sicut Pater in divinis continet filiationem. Nonne unus homo potest esse vere sapiens licet alter reperiatur ex æquo sapiens? Sane, quia contineret realitatem sapientiæ similem alterius sapientiæ; sapientia est quid indivisibile, est unum & totum quoddam. Poterunt ergo ambo continere totam sapientiam simpliciter sumptam. Ergo etiam poterunt continere eandem sapientiam quoad gradum. Exclusio enim æqualis non oritur præcise ex gradu, sed ex unitate quæ nec dividi, nec multiplicari potest. Ergo sapientia simpliciter sumpta, licet in se indivisibilis, multiplicari potest. Cur ergo hæc potius quam illa sapientia multiplicari non posset? Ita pariter cognitio aut certitudo hujus propositionis: bis duo dant quatuor, est summa, & tamen multiplicari potest. Unde sic in forma. Causa licet sit infinita, poterit continere perfectiones alterius causæ perfectionibus similes, aut poterit eas continere eminenter. Ergo quod est infinitum non excludit æquale.

R. n. ant. Et dico unam causam infinitam alterius perfectiones continere non posse nec similes, nec eminenter. Non similes; tunc enim esset in illis perfectionibus quod uni competeret causæ, altera vero non haberet. Non eminenter; tunc enim una causa contineret perfectiones alterius modo perfectiori. Ergo una causa has perfectiones non haberet infinitas quoad gradum. Nec valet comparatio instituta cum Patre in divinis aut cum sapientia unius hominis. Paternitas enim aut filiatio non sunt meliores ipsæ quam non ipsæ. Sapientia humana non est infinita nec in se, nec quoad gradum in uno homine. At e contra tota realitas perfectionis absorbetur & exhauritur in causa infinita.

Inst. Atqui hæc responsio supponit semper statum quæstionis. Supponit nempe totam realitatem exhauriri a causa infinita exclusive, supponit enim, non probat, causam infinite perfectam ita omnem perfectionem & realitatem continere ut alia similem habere non possit. Enim vero cum infinitum sit illud quod exhauriri non potest in eo genere in quo est infinitum, jam perfectio qualibet poterit esse tota in pluribus infinitis, ita ut neutrum exhauriri possit in suo genere. Comparatione & exemplo res illustretur. Supponamus duas lineas parallelas in infinitum protractas; in ista hypothesi dabitur linea infinita, nec repugnabit altera linea infinita. Jam vero si infinitum in uno genere non excludat alterum infinitum in eodem

eodem genere, nulla reddi poteſt ratio cur infinitum ſimpliciter & omnimode excludat alterum ſimpliciter & omnimode infinitum. Ergo eſſentia infiniti non exigit ut realitatem infinitam contineat excluſive ad alterum, ac proinde non excludit parem ſed ſuperiorem. Unde ſic in forma. Ut poſſit ſupponi multiplex cauſa infinita, ſatis eſt quod plures illæ cauſæ infinitæ poſſint habere omnes omnino perfectiones infinitas ſimiles: atqui plures illæ cauſæ poterunt habere omnes omnino perfectiones infinitas ſimiles. Nam tunc nulla cauſa exhauriri poterit in genere in quo erit infinita.

R. n. min. Et dico cauſas illas ab invicem exhauriri in ſuis perfectionibus eo ipſo quo perfectiones illæ ſunt ſimiles. Nam eo ipſo quo perfectiones illæ ſunt tantum ſimiles, non vero eædem numero eo ipſo individuantur per aliquid ſibi proprium nec alii commune: atqui per illud exhauritur una cauſa per quod alteri eſt proprium & individuationis gradus. Nam illud per quod individuantur eſt ſane realitas & quidem improducta; per illud tamen individuatur quælibet cauſa. Ergo quælibet cauſa careret gradu individuationis alterius cauſæ. Ergo non eſſet omnimode infinita. Hinc non valet altera argumentatio allata. Unum infinitum in uno genere non excludit alterum infinitum in eodem genere; ergo unum infinitum omnimode non excludit alterum omnimode infinitum. Nam ut exemplo allato utar, una linea infinita magis conciperetur perfecta ſi exiſtentiam numericam alterius etiam contineret.

Inſt. Duo homines poſſunt habere omnia attributa naturæ humanæ, & tamen unumquodque ex illis eſt ens ab altero diverſum. Ergo a pari plures cauſæ poſſunt habere attributa omnia naturæ divinæ, licet cauſæ illæ ſint diſtinctæ.

R. 1. Argumentum iſtud nimis probare. Ex eo enim colligi poſſet plures Deos numero infinitos eſſe poſſibiles, ac conſequenter actu exiſtere. Nam ſicut numerus hominum poſſibilium eſt infinitus, ita etiam multiplicari poſſet Deus per infinita numero individua.

R. 2. n. conſeq. & parit. Maxima ſcilicet diſparitas eſt inter ens infinitum & cauſam omnimode infinitam, immo nulla inter utrunque inſtitui poteſt comparatio. Ens enim finitum, hoc ipſo quo finitum eſt, non includit in ſe neceſſario omnes perfectiones aliorum entium; ſiquidem dicit negationem & excluſionem multarum perfectionum. E contra vero cauſa omnimode infinita includit in ſe neceſſario omnem perfectionem primæ cauſæ neceſſario competentem, id eſt, includit in ſua eſſentia omnem rem immutabiliter exiſtentem. Ergo licet plura poſſint eſſe entia finita & imperfecta, male omnino concluditur concipi poſſe plures cauſas omnimode infinitas.

Inſt. Plures & diverſæ admitti poſſunt & debent in natura Dei perfectiones: atqui plures & diverſæ illæ perfectiones debent conſtituere plura entia infinita. Ergo, &c.

R. n. min. Perfectiones enim illæ licet plures & diverſæ, plura entia infinita non conſtituunt quæ habent unam & eandem naturam: atqui perfectiones naturæ divinæ licet plures & diverſæ, unam tamen & eandem habent naturam: habent proinde unum & idem exiſtentiæ principium. Nam id omne quod in Deo eſt, immutabiliter & per eſſentiam exiſtit. Ergo quidquid in Deo eſt, ſupponit unum omnium aliorum attributorum principium, nempe exiſtentiam neceſſariam & immutabilem. Idem non poteſt dici de entibus finitis quorum unum non ſupponit exiſtentiam alterius.

Inſt. Juxta dogma Catholicum admittuntur in Deo tres perſonæ divinæ realiter a ſe diſtinctæ: atqui tam poſſunt admitti plures cauſæ infinitæ, ſeu plures Dii quam plures perſonæ in Deo realiter a ſe diſtinctæ. Ergo, &c.

R. n. min. & parit. Tres perſonæ quas in Deo profitetur fides Catholica unam & eandem habent naturam, unum & idem exiſtendi principium, diſtinguuntur quidem perſonæ illæ & quidem realiter inter ſe, ſed diſtinguuntur tantum ratione perſonalitatis, non vero ratione eſſentiæ. Jam vero ad pluralitatem Deorum requiritur pluralitas ſaltem numerica ſubſtantiæ.

Inſt. Vel perſonalitates illæ exigunt tria ſubjecta a ſe invicem realiter diſtincta, vel non. Si exigunt, jam ergo tria ſunt

sunt entia infinita; tres sunt enim substantiæ, cum persona sit naturæ rationalis individua substantia. Ergo distinctio realis non obstat summæ perfectioni naturæ divinæ. Si non exigunt tria subjecta, jam unica est persona; nam modus non distinguitur realiter a re.

R. Personalitates illæ non tria subjecta, sed unum subjectum exigunt; nec inde unica est persona, sed triplex. Quia tres illæ personæ, licet indistinctæ quoad essentiam, distinguuntur tamen ratione personalitatis.

Inst. Personalitas in Deo non est ens potentiale nec contingens, sed actuale & necessario existens, ac proinde aliquid singulare & infinitum, & tamen potest inesse & revera inest tribus personis realiter a se distinctis. Jam vero vel existentia numerica personarum illarum est distincta vel non; vel est perfectio, vel non. Si non sit distincta, jam unica est persona. Si sit distincta, & sit perfectio, ergo a pari possunt admitti plures causæ infinitæ distinctæ ratione existentiæ numericæ, quæ quidem distinctio foret vera perfectio. Si vero trium personarum existentia sit distincta, sed non sit perfectio, eodem modo distingui poterunt plures causæ infinitæ. Et quidem hoc rationi maxime consonat. Nam infinitudo perfectionis tollitur tantum per defectum alicujus perfectionis simpliciter simplicis. Jam vero possumus supponere plures causas omnimode infinitas quæ perfectiones tum intensive, tum extensive omnino æquales habeant sola existentia numerica, ut tres personæ divinæ, distinctas, & quarum existentia numerica non sit perfectio simpliciter sumpta. Id etiam videtur in creatis, ut jam adnotatum est; possunt enim supponi duo homines æquales in omnibus proprietatibus, sola existentia numerica distincti, nulla in neutro addita, nulla detracta perfectione. Unde sic in forma resumo. Vel personæ divinæ distinguuntur ratione existentiæ numericæ quæ sit perfectio, vel non: atqui quidquid dicatur, idem poterit dici de pluribus causis infinitis. Ergo tam possunt admitti plures causæ infinitæ quam plures personæ in Deo.

R. n. min. & parit. 1. Tota hæc difficultas oritur ex male compacta divinarum personarum idea. Personis illis una est & communis existentia numerica, quia ipsis una est & communis natura seu essentia numerica. Personalitates vero divinæ in se præcise sumptæ nec sunt perfectiones, nec imperfectiones; totam suam perfectionem a Deo trahunt, in se vero dicunt tantum respectum, seu relationem ad aliam personam, ut tradit S. Joan. Damasc. l. 1. Orthod. Fid. „ Omnia „ quæ habet Pater Filii sunt, excepto „ quod non sit ingenitus; quæ quidem „ vox nec naturæ discrimen, nec digni„ tatem, sed subsistendi modum signifi„ cat „. Itaque ratio communis personalitatis nec est ens potentiale, nec ens contingens, sed ab utroque præscindit, sicut ratio communis substantiæ præcisa a differentiis nec est potentialis, nec contingens, sed ab utroque præscindit. Hinc divina personalitas est essentialiter ens complens naturam divinam in ratione substantiæ, abstrahendo an sit ens potentiale vel actuale, licet realiter sumpta sit ens necessario existens tum ex conceptu personalitatis, tum ex natura divina quam ultimo complet. Modus enim sequitur naturam rei; natura divina est essentialis, personalitas est veluti modus necessario afficiens naturam divinam. Personalitates illæ sunt infinite perfectæ secundum quid & in suo genere, non vero omnimode & absolute. Filiatio, v. g. est infinite perfecta in genere filiationis; non est tamen omnimode infinita, tum quia non est melior paternitate, tum quia excludit hanc paternitatem. Filius enim non potest esse simul Pater in divinis. Porro non ita se haberent plures causæ infinitæ quæ nec eandem numero essentiam, nec eandem numero existentiam haberent.

2. Equidem infinitudo perfectionis non tollitur nisi per defectum perfectionis simpliciter simplicis, sed tamen concludimus inter plures causas infinitas unam necessario carituram esse existentia numerica alterius. Vel enim existentia illa est perfectio simplex & secundum quid, vel est simpliciter simplex. Si primum; causa infinita cum debeat continere eminenter perfectiones hujus generis, debet continere eminenter existen-

tiam

tiam numericam alterius, ac proinde esse ea perfectior; nam continere eminenter, est continere perfectiori modo. Quod si existentia numerica sit perfectio simpliciter simplex, jam causa una infinita debebit continere formaliter existentiam numericam alterius; alias carebit hac perfectione, nec esset infinita. Sed si contineat formaliter existentiam illam numericam, jam ab alia causa non distinguetur existentia numerica. Porro existentia numerica est necessario perfectio. Nam 1. Necessitas existendi est principium, fons & radix omnium aliarum perfectionum, determinat ens a se ad taleitatem entis a se: atqui sane tale principium existendi debet esse perfectio simpliciter simplex. Sicut enim principium existendi in genere debet esse perfectio, ita principium existendi hoc modo infinito, debet esse perfectio & quidem simpliciter simplex. Sicut enim melius est generatim existere quam non existere, sic melius est existere modo infinito quam modo finito. 2. Fictitie omnino distinguitur in causa a se & infinita existentia specifica a numerica. Nam a primo instanti quo extitisse supponuntur causæ illæ infinitæ, debuerunt distingui a se invicem. Ergo existentia numerica æque est necessaria causæ infinitæ ac existentia specifica. 3. Existentia illa numerica vel est quid idem cum causa a se, vel est emanatio ab ea necessaria. Si 1. ergo tam erit necess.r a quam ipsa causa a se. Si 2. ergo hac existentia carere non potest causa a se. Ergo erit etiam æque necessaria. 4. Vel existentia numerica est perfectio in prima causa vel est quid indifferens: atqui non potest esse quid indifferens. Alias prima illa causa foret mutationi & limitationi obnoxia. Jam non foret causa necessaria, sed contingens. 5. Eo ipso quo plures causæ infinitæ supponuntur a se invicem distingui numerice & similes habere perfectiones, eo ipso non sunt infinite perfectæ. Distinctio enim & similitudo arguit exclusionem perfectionis quæ fit in alio.

Inst. Inter alia argumenta quibus stabilita est unitas causæ infinitæ, unum est quod plures causæ infinitæ non forent independentes: non enim possent agere sine se invicem, alterum vero quod non forent immensæ, alias confunderentur se invicem penetrando: atqui hæc omnia retorqueri possunt contra trinitatem personarum in divinis. Nam una non potest agere sine duabus aliis; tres illæ personæ intra se invicem per circuminsessionem existunt. Ergo, &c.

R. n. min. Et dico retorsionem non valere. Et 1. Quantum ad independentiam; una quidem persona divina sine duabus aliis agere non potest; sed illud non oritur ex defectu potentiæ, sicut orietur in pluribus Diis. Cum enim in tribus personis divinis sit una numero natura, una est quoque numero potentia; ac consequenter non defectu potentiæ, sed participatione ejusdem potentiæ fit ut una persona divina non possit agere ad extra sine duabus aliis. Cum vero in pluribus causis infinitis distincta foret numero natura, esset quoque numero distincta potentia; ac consequenter si una causa non possit agere sine aliis, hoc oritur ex defectu potentiæ quæ aliam requirit potentiam adjutricem & cooperatricem. Quantum vero ad immensitatem, idcirco tres personæ divinæ per miram illam circuminsessionem intra se invicem existunt, quia trium illarum personarum eadem est numero natura.

Obj. 3. Contra corollar. secund. Tot sunt admittendæ summæ rerum causæ quot sunt effectus qui non possunt explicari sub una eademque summa rerum omnium causa: atqui duo sunt effectus qui non possunt explicari sub una eademque summa rerum omnium causa, nempe bonum & malum. Ergo duæ admittendæ sunt summæ rerum causæ quarum una sit bona, altera sit mala.

R. 1. n. maj. Ut enim vera foret major, deberet origo mali esse hominibus explicatu necessaria, deinde deberet esse explicatu possibilis, denique deberet esse explicatu facilior in systemate Manichæorum quam apud eos qui unicam primam ac summam rerum omnium causam admittunt: atqui nihil horum verum est. 1. Origo mali non est explicatu necessaria. In tantum enim quidquid spectat mali originem esset explicatu necessarium, in quantum uni-

unitas causæ summæ tuto admitti non posset, nisi solutis difficultatibus quæ hanc unitatem impugnant: atqui ut unitas causæ summæ tuto admittatur, necesse non est solvi prius omnes difficultates quæ hanc unitatem impugnant. Nam unitas Dei invicte demonstratur rationibus *a priori*, fatente ipso Baylio. Ergo ut tuto ac certo admittatur hæc unitas, necesse non est prius solvi difficultates quæ eam impugnant. Non sunt enim neganda clara quia non percipiuntur obscura. 2. Non est explicatu possibilis hæc eadem origo mali. Ut enim evolvatur quidquid spectat originem mali, deberet comprehendi ac evolvi totum Dei systema; id est, deberent comprehendi & evolvi omnes divinæ intelligentiæ rationes, fines omnes, omnia media & eorum relationes, proportiones & fines; atqui a nemine mortalium comprehendi & evolvi possunt hæc tam occulta & tam immensa. Ergo origo mali non est hominibus explicatu possibilis. 3. Hæc eadem origo non est explicatu facilior, immo ex dictis est difficilior apud Manichæos quam apud eos qui unicam summam rerum omnium causam admittunt. Sic enim explicari debet hæc mali origo ut explicetur boni & mali commixtio: atqui hæc boni & mali commixtio, nedum explicetur, immo destruitur in systemate Manichæorum, ut probatum est. Hanc commixtionem facile & nullo negotio evolvit sententia quæ unicam rerum omnium causam summam & infinitam agnoscit. Ergo falsa est major.

R. 2. n. min. Quamvis enim ultro concedamus omnes quæstiones circa originem mali non posse ita clare solvi ut nihil obscuritatis remaneat, contendimus tamen adesse nobis principia quædam generalia quibus dirimuntur illæ quæstiones quantum sufficit ad rectam vitæ institutionem. Hæc sunt autem illa principia. Primum creatura est ex aliqua parte essentialiter deficiens. Secundum: mundus præsens frustatim & per partes sumi & considerari non debet. Tertium: Deus nihil creaturæ suæ debet præter naturæ proprietates & appendices. Quartum: causa infinita libera est, nec tenetur unum attributum manifestare potius aut magis quam alterum. Quintum: causa illa non agit nisi ex summa æquitatis lege, est enim sapientissima; sed ejus agendi seriem & motiva plene assequi non valemus, est enim infinita, nos vero finiti. Porro hæc quinque principia certissima sunt. Primum quidem, nempe creatura est ex aliqua parte essentialiter deficiens; est enim finita & limitata. Atqui qua parte finitur & limitatur, ex illa deficit. Ergo aut nulla usquam potuit esse creatura, aut aliquis potuit ac debuit esse in rerum natura defectus. Ergo creaturæ possunt esse aliæ aliis perfectiores; ac proinde aliæ aliis plus deficientes. Ergo, &c. Secundum: mundus in præsenti quæstione non est per singulas partes considerandus, sed velut totum quoddam ex variis ac diversis partibus resultans. Ratio est quia, cum mundus iste totum quoddam efficiat, singulæ partes ad totum illud referri debent, & revera cuilibet attendenti patebit partes illas finem & usum sibi proprium ac destinatum habere. Hinc minor perfectio unius partis illiusque defectus potest cadere in ornatum totius; sicut in machina etsi optima, singulæ illius partes non sunt æqualiter teretes, sed nonnullæ sunt rudes & impolitæ, quarum superficies offendit primam oculorum aciem, dum ad totum & machinæ scopum non attenditur; ita & in mundo. Hinc 1. Sicut defectus in hujus machinæ quibusdam partibus non in artificis incuriam aut malevolentiam, sed in machinæ conditionem refundi debent, sic defectus qui in mundi hujus quibusdam partibus conspiciuntur, non in creatoris incuriam aut malevolentiam, sed in creaturæ conditionem refundi debent. Hinc 2. sicut nemo potest in artificem arguere, nisi non solum generalem totius machinæ finem, sed & singulas uniuscujusque partis destinationes & usus cognoverit, sic nec Deum perstringere licet, nisi non solum communem totius universi finem, sed fines etiam cuique parti proprios perspectos habuerimus. Tertium: Deus creaturæ suæ nihil debet præter naturæ proprietates & appendices. Creatura quippe nihil ultra a Deo exigere potest, nihil ultra ipsi concedere tenetur

Deus

Deus vi suæ æquitatis, cum ex bonitate largiatur illi existentiam. Hinc ubicunque creatura sua sibi essentialia servabit, quidquid superaccidat ipsi, Deus in jus vocari neutiquam poterit. Quartum: prima rerum omnium causa libera est. Si enim prima rerum omnium causa non esset libera, necessitaretur vel ab alio, vel a se: atqui necessitari non potest ab alio. Cum enim prima illa causa sit a se, a nullo cogi aut necessitari potest in operibus ad extra. Non potest etiam necessitari a semetipso; solus enim sibi perfecte sufficit, ac proinde nulla ratione intrinseca cogi potest ad agendum. Hinc non tenetur unum attributum manifestare potius aut magis quam alterum. Eo ipso enim quo prima rerum omnium causa non tenetur etiam ad agendum simpliciter, non tenetur etiam ad agendum hoc potius quam illo modo. Deinde si prima rerum omnium causa posset necessitari a se, vel quia attributorum collectio exigeret actionem, vel quia peculiare aliquod attributum exigeret præ ceteris manifestari quantum potest: atqui neutrum dici potest. 1. Attributorum collectio non exigit actionem: ergo nec illius actionis mensura & regula esse potest; equidem Deus attributa sua negare non potest, sed aliud est attributa negare, aliud ea plus minusve manifestare. Si attributa Dei postularent hanc potius quam illam manifestationem, jam Deus non conciperetur liber inter actionem & non actionem, inter actionem talem & talem; ad unum enim determinaretur ex attributis suis. Nullum est etiam peculiare quod exigat præ ceteris manifestari quantum potest. Singulorum enim attributorum æqualia sunt jura; singula quippe sunt æqualiter infinita. Quintum denique principium. Causa unica cum sit sapientissima, nunquam agit nisi juxta strictos æquitatis & sapientiæ apices; sed cum sit infinita, ejus consilia & operum ac motivorum ejus sapientiam creatura finita & limitata plene assequi non potest. Ens enim summe perfectum nec ignorantia decipi potest, nec cupiditate abripi, nec præcipitatione efferri potest; nec mirum sane si creatura finita immensam intelligentiam comprehendere non possit. Hac ad rem omnino comparatione utitur hic S. Aug. in Ps. 148. „ Si intrares forte in officinam Fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos, „ & da imperitum hominem nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam „ artificis & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non „ sine causa folles hoc loco positi sunt, „ artifex novit quare, etsi ego non novi „. Nemo ergo nullam esse in ente infinito rationem permittendi mali ex eo concludat, quod mens humana hanc rationem non percipiat. Hæc enim duo longissime distant, nullum est nec potest esse motivum permittendi mali: nullum tale percipio motivum. Hinc ad evertendam primæ causæ unitatem, non sufficit exigere a nobis rationes quibus divina regitur primæ hujus causæ sapientia, sed demonstrari debet nullam posse esse huic sapientiæ permittendi mali rationem.

Inst. Atqui datis & concessis illis principiis longe facilius explicatur origo boni & mali moralis in systemate Manichæorum. Longe enim facilius est cuique effectui propriam assignare causam, quam communem quæ tot & tam graves patitur difficultates. Ergo.

R. n. Ant. Ex his quinque principiis sequitur originem & commixtionem boni & mali, præsertim moralis, explicari sub unico principio, & quidem facilius quam in systemate Manichæorum. Huc enim redeunt hæc principia, 1. creaturam nativa sua conditione capacem esse cujuslibet defectus, ac proinde mali moralis. 2. Deum illæsis suis attributis posse creaturam nativæ suæ conditioni dimittere, ac proinde hanc capacitatem mali moralis ab ea non tollere. Difficultas enim quæ urget contra originem & commixtionem boni & mali moralis sub unico principio spectat vel illud principium, vel creaturam: jam vero difficultas illa quoad utranque partem explicatur facilius sub unico principio, quam in systemate Manichæorum. Nam quantum spectat ad unicum illud principium, nihil mirum si creaturam permittat uti innata sibi potestate, &

juxta nativam suam conditionem quandoque in bono constantem esse, quandoque ab eo deficere. Quod si quis pressius urgeat cur Deus jure suo utatur, dicemus nihil adhuc mirum esse, si entis infiniti rationes omnes non intelligamus, cum finiti simus quantum ad creaturam, nulla est difficultas. At e contra insolubilis est in systemate Manichæorum. Longe enim difficilius concipitur aut principium summe bonum jure suo cedere, aut a principio summe malo vinci, aut contra essentiam suam agere, quam unicum principium, licet summe bonum, juxta summam qua potitur libertatem varias creaturæ perfectiones pro nutu temperare, eamque in naturali statu relinquere. Quantumvis enim hæc difficilia videantur, tamen cum unicum illud principium sit infinitum in omni perfectionum genere, pronum est concludere illud ea consilia mente concipere posse quorum fines & rationem perfecte non intelligamus. At non solum non percipitur ratio existentiæ mali in systemate Manichæorum, sed evidenter percipitur repugnantia & impossibilitas hujus existentiæ: ergo ex parte Dei gravior est difficultas in systemate Manichæorum. Quantum vero spectat creaturam, gravior est etiam difficultas. Vel enim in systemate Manichæorum, creatura hanc habet capacitatem, vel est ita bona ut omne malum essentialiter excludat, vel est essentialiter mala. Si 1. nobiscum sentiunt, & inutilis fit eorum hypothesis. Si 2. tunc enim mala fieret creatura antea essentialiter bona, quia a malo principio corrumperetur; atqui longe difficilius concipitur quomodo principium summe malum essentiam rerum mutare possit, inferendo creaturæ malum quod essentialiter excludit, quomodo hoc præstare possit sive consentiente, sive repugnante adverso principio summe bono, quam creaturam natura defectibilem habere actu defectum cujus capax est & quidem essentialiter. Si 3. longe adhuc difficilius concipitur quomodo principium summe malum talem creaturam condere potuerit vidente principio summe bono, quam principium summe bonum, nullo alio reluctante, creaturam intra possibilium ordinem contentam creare. Ergo ex omni parte gravior est difficultas in systemate Manichæorum, &c.

Inst. Atqui duo sunt effectus qui non possunt explicari sub unica causa infinita, nempe bonum & malum. Id enim quod hic explicandum venit, est non tantum origo boni & mali, sed etiam utriusque commixtio: atqui neutrum explicari potest sub una eademque causa infinita, sub uno eodemque principio summe bono, sed duo illi effectus duplicem causam duplexque principium postulant. Tot enim admitti debent prima rerum principia quot sunt effectus qui ab eodem principio fluere nequeunt: atqui duo sunt effectus qui ab eodem principio fluere nequeunt, bonum nempe & malum. Ergo, &c.

R. dist. min. Duo sunt effectus qui non possunt fluere ab uno eodemque principio singulos producente: c. Singulos aut producente aut permittente: n. Scilicet alii sunt effectus qui producuntur a summo principio; alii vero sunt qui arguunt causam deficientem. Equidem esset contradictio dicere bonum & malum oriri ab uno principio summe bono utrunque producente, tum quia inter se opponuntur ut ens & non ens, tum quia malum, utpote mera negatio & privatio, non exigit causam positivam, immo positivo ejus influxu produci non potest. Porro dum bonum & malum oriri dicimus sub uno eodemque summo rerum principio, non intelligimus utrunque ab illo principio produci, sed bonum ab eo produci, malum vero ab eo permitti.

Inst. Atqui bonum & malum fluere non possunt ab uno eodemque principio etiam permittente. Nam principium illud supponitur summe bonum: atqui principium summe bonum excludit omne malum; quodcunque enim malum pugnat cum summa bonitate. Ergo bonum & malum fluere non possunt ab uno eodemque principio etiam permittente.

R. dist. min. Principium summe bonum excludit omne malum a se: c. A creatura, subdist. Summe bonum creaturæ: c. Summe bonum in se: n. Itaque duplici sensu ens potest dici bonum in

in se scilicet & relative ad aliquem. Ens summe bonum in se, est ens quod in se & independenter a qualibet circumstantia & relatione habet infinitam bonitatem; & dicitur infinite bonum absolute. Ens infinite bonum alicui seu relative ad aliquem, est ens quod bonitatem suam seu ejus effectus alicui communicat infinito modo. Equidem Deus est summe & infinite bonus in se, & eo ipso excludit omne malum a se. At 1. ex eo quod sit summe & infinite bonus in se, non inde sequitur quod debeat excludere omne malum ab alio quocunque & a creatura. Debet enim excludere omne malum ab eo solum quod est subjectum summæ bonitatis; at ex eo quod Deus sit summe bonus in se, sequitur ipsum esse subjectum summæ illius bonitatis. Ergo sequitur tantum Deum excludere debere omne malum a se. 2. Deus non est summe bonus creaturæ. Esse enim summe bonum alicui, est infinitos suæ bonitatis effectus ei communicare: atqui Deus infinitos suæ bonitatis effectus creaturæ non communicat. Tum quia id certa constat experientia; certum est enim Deum plura & plura semper addere posse beneficiis creaturæ concessis. Tum quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; creatura autem est essentialiter finita. Ergo non nisi finitos bonitatis effectus accipere potest: nec infinitos bonitatis effectus participare posset, nisi fieret infinita; quod repugnat. 3. Ex eo quod creatura finitos tantum bonitatis divinæ effectus participet, minime sequitur Deum non esse summe bonum in se, nec proinde ex eo quod Deus sit summe bonus in se, legitime concluditur eum omne malum avertere debere a creatura. In hoc ergo vitium est propositi argumenti quod attributi infinitudinem metiatur ex effectibus per quos se prodit: atqui attributum male æstimatur infinitum ex effectibus per quos se prodit, sed ex independentia qua se prodit. Causa enim finita ea judicatur quæ ab alio pendet ut agat sive tanquam a causa efficiente primaria, sive tanquam a causa materiali, sive tanquam a causa movente & determinante. E contra causa illa infinita æstimari debet quæ a nullo extra se pendet, sed sibi sufficit & a se sola pendet. Ergo bonitas judicanda est finita quæ beneficientiæ suæ motiva alio emendicare cogitur; tunc enim pendet ab illis motivis ut determinetur; pendet, inquam, tanquam a causa movente; pendet iterum, a motivis quæ quandoque deesse possunt. At e contra, bonitas habenda est ut infinita quæ a se sola suæ communicationis & beneficientiæ motiva habet, quæ a se sola determinatur; tunc enim sibi soli sufficit. Eo ipso enim quo suæ communicationis & beneficientiæ motiva a se sola habet, eo ipso quo a se sola determinatur ad benefaciendum, eo ipso nihil eam restringere aut limitare potest, eo ipso absque ullo limite & termino potest se communicare; eo ipso ergo est infinita. Sicut enim potentia infinita censetur quæ materiam præexistentem non prærequirit, sic bonitas infinita censeri debet quæ suæ effusionis motiva extrinseca non præexigit, sed non aliunde quam a se habet. Sicut etiam conceptus potentiæ infinitæ non importat ut quæcunque potest operetur, sed se ipsam totam prodit etiam in minimis operibus; sic conceptus bonitatis infinitæ non importat ut quæcunque bona potest largiatur, sed seipsam totam tam manifestat in minimis beneficiis; quia scilicet certi sumus quod sicut maxima, sic minima bona ex immenso sui fundo cum summa libertate & independentia largiatur, ita ut plura & plura semper largiri possit & valeat. Supponamus, v. g. Deum non potuisse creare mundum ex sola bonitate, & nisi propter manifestationem attributorum & ex ambitione gloriæ, ac illo motivo absolute indiguisse; jam pendet ab illa gloria, ut agat; pendet a creatura. Istam enim gloriam alio quærere non cogeretur si plene sibi sufficeret. Ergo erit independens & infinitus si sibi sufficiat & hanc gloriam suæ actionis causam alio emendicare non cogatur. Item si hæc gloria sit actionis Dei motivum absolute necessarium, ergo hæc gloria absolute requiritur ad plenam Dei felicitatem & pacem; ergo quoties hac gloria defraudabitur, toties & eadem proportione imminuetur ejus felicitas. Ergo cum sæpe

hæc gloria Deo desit, sæpe etiam est infelix, quod absurdum est.

Inst. Atqui malum præsentis vitæ pugnat cum Dei bonitate, etiamsi non sit summe bonus nobis & etiamsi illud tantum permittat. Triplicis generis distingui possunt mala naturæ, pœnæ & culpæ. Mala naturæ sunt defectus naturales, seu minor perfectio; talis est gibbositas, cæcitas, &c. Mala pœnæ quæ etiam physica dicuntur, sunt dolor, tristitia, cura, morbi, mors, &c. Mala culpæ sunt peccata: atqui nullum ex his malis potest esse ab uno principio summe bono etiam permittente. Et 1. malum naturæ. Nam inter varias quæ in hoc orbe conspiciuntur creaturas, apparent quædam squallidæ & neglectæ; conspiciuntur, v. gr. homines gibbosi, lippi, stupidi: atqui sane defectus illi non obtinerent sub unico principio summe bono etiam permittente. Talia enim non pateretur principium erga homines benevolum, hæc ab opere suo certo certius averteret artifex cui summa suppeteret bonitas, peritia & potestas. Ergo, &c.

R. n. min. Mali naturæ duplex est species, nempe naturarum diversæ perfectiones, cum aliæ sint aliis perfectiores, & defectus intra eandem speciem individuorum in partibus integrantibus: atqui duplex illud malum naturæ potest obtinere sub unico principio, &c. primum quidem probatur necessarium ex principio a nobis supra proposito, nempe quod creatura sit essentialiter finita & limitata, ac consequenter deficiens. Ergo aut nulla potuit existere creatura, aut aliquis debuit esse in rerum natura defectus. Deinde aut non potest dari creatura nisi unius speciei, eaque infinita in summo creaturæ genere, aut admitti possunt creaturæ aliæ aliis minus perfectæ: atqui primum absonum est Species enim illa unica quavis donaretur perfectione, perfectior adhuc esse posse concipitur. Secundum vero naturæ malum eodem modo evincitur possibile & necessarium. Posito enim licet illo malo, cuncta suis essentialibus gaudent proprietatibus. Quod si non sint æque perfecta, quantum in suo genere possent perfici, uberiorem hanc perfectionem iis concedere non tenetur Deus: Aut ergo solis essentiæ perfectionibus largiendis tenetur Deus, aut individua quoque summe perfecta producere debet; ac consequenter nullius potest esse auctor; singula enim sunt in infinitum perfectibilia. Denique forsan defectus illi quos arguimus non forent defectus, si eorum relatio ad universum mundum & ad integrum divinæ providentiæ systema cognosceretur. Quod ut confirmetur, duplex bonum distingui debet absolutum unum, relativum alterum. Bonum absolutum est illud quod in se bonum est & habet quidquid essentiale est naturæ suæ. Bonum relativum est illud quod bonum est alicui relative ad circumstantias in quibus versatur. Porro quod bonum est in se, non semper est bonum relative. Sic aer in se est quid bonum, sed piscibus nocet; lumen quod ratione sui bonum est, debiles oculos vexat. Ita etiam quod bonum est uni nocet alteri; sic vipera scorpionibus vescitur. Hoc ex speciei & individuorum varietate oritur. Jam vero principium summe malum nonnisi intrinsece & absolute mala producere potest. Ergo cum mala præsentis mundi sint tantum mala relative, ab unico principio summe bono oriri possunt, a principio summe malo, neutiquam. Jam monuimus mundum præsentem, non per partes, sed ut totum quoddam hic esse attendendum. Manichæi sub primo tantum respectu, id est, per partes mundum complectuntur; hoc præsentis eorum argumenti vitium.

Inst. Prima omnium rerum causa, principium summe bonum omnes creaturas æqualiter amat; nulla enim reddi potest ratio cur hanc potius quam illam amaret. Ergo debet omnibus creaturis easdem elargiri & eodem gradu perfectiones; ergo & debet ab iis eadem avertere mala & eosdem defectus.

R. n. anteced. Duplex distingui debet amor, complacentiæ nimirum & benevolentiæ. Amor complacentiæ est ille quo Deus in aliqua creatura sibi complacet; amor ille respicit creaturas sive existentes, sive possibiles; conquiescit in objecti sui consideratione, nec quicquam circa illud operatur. Amor benevolen-

tiæ

tiæ est ille quo Deus bonum aliquod vult & præstat; hoc amore solas creaturas existentes diligit Deus. Jam vero neutro amore creaturas æqualiter amat Deus. Non amore complacentiæ. Nam amor ille major vel minor esse debet pro majore vel minore perfectione in objecto amato, ita ut quæ sunt magis perfecta, magis amet, quæ sunt minus perfecta, minus amet: atqui inter creaturas sive existentes, sive possibiles, aliæ aliis sunt minus perfectæ. Sic, v. g. homo melior est cane essentia, seu consensio attributorum canis est minus perfecta quam essentia hominis. Ergo in homine & ejus essentia magis sibi complacet Deus. Quantum ad amorem benevolentiæ, nullum aliud est motivum inæqualis amoris hujus, nisi summa diligentis libertas. Sicut enim Deus concipitur perfecte liber ad præstandum vel non præstandum bonum, sic concipitur æque liber ad præstandum hoc aut illud bonum, hoc aut illo gradu.

Inst. Saltem principium illud conciperetur melius quod a creaturis suis arceret malum quodcunque. Ergo principium summe bonum id præstare debet.

R. 1. Argumentum istud nimium probat. Ex eo enim sequeretur Deum debere omnia naturæ bona possibilia in creaturam profundere; alias non foret summe bonus: atqui tamen fatente Baylio qui hoc argumentum proponit, consectarium istud falsum est & absurdum.

R. 2. Principium illud conciperetur melius ratione boni collati, id est, magis sensibilem redderet bonitatem suam eamque magis manifestaret: c. In rei veritate, ratione sui & voluntatis conferentis: n. Ex hypothesi quod Deus avertat a creatura omne malum, plura dona ipsi conferret; ergo melior conciperetur ratione doni collati; at non idcirco melior esset ratione sui & voluntatis conferentis, ut jam dictum est. Si quidem independenter a bonis collatis ea concipitur divinæ bonitatis immensitas & voluntatis ejus propensio qua bona sua partitur, ut nihil majus concipi possit. Porro cum dicimus Deum esse summe bonum, intelligimus Deum tum in se, tum ratione voluntatis conferentis, quæ infinita est, non vero ratione boni, quod finitum semper est. Sane si ex manifestatione bonitatis judicandum nobis esset de ipsa bonitate in se & intrinsece, jam non solum nullum deberet esse malum, sed nullum foret possibile. Porro nihil aliud evincit hoc argumentum, nisi bonitatem non manifestari quantum posset, at bonitatem non esse in Deo infinitam minime probat. Nulla enim ratio postulat ut præ ceteris attributis manifestetur Dei bonitas.

Inst. Ex malis poenæ. Immensa pene miseriarum lues homines in præsenti vita depopulatur: atqui ens homini amicum hæc ab eo arceret. Ergo, &c.

R. n. min. 1. In principiis Religionis Catholicæ hæc facile evolvuntur. Mala enim illa permittit Deus tum ut creatura terram fastidiat, cælum vero ambiat; tum ut hæc tolerando gloriam sibi comparet; tum ut vel a peccato avocetur, vel a peccato exeat. 2. Independenter a dogmatibus Religionis Christianæ & ex solo rationis lumine evinci potest ens homini amicum non debere talia ab homine excludere. Ens enim homini amicum non tenetur avertere ab homine ea quæ fluunt ex ejus fundo & naturæ partibus, quæque sunt naturæ illius appendix & consectarium; Deus enim, licet summe bonus, non tenetur naturam hominis & nativam ejus conditionem immutare; potest ergo, illæsa sua bonitate, relinquere in homine fundum, & capacitatem ipsi nativam, nec, quia bonus est, tenetur perficere creaturas ultra earum naturam. Porro mala naturæ, id est, dolores, morbi, mors, &c. fluunt ex natura hominis. Ubi enim duæ uniuntur substantiæ spiritualis & materialis, ibi opposita desideria, ibi pugna, ibi consequenter dolor. Ubi materia, ac liquidorum commixtio, ibi alteratio, & tandem destructio, ibi ergo morbi & mors. Deinde doloris sensationes & ceteræ miseriæ hominem cautiorem reddunt adversus pericula, & suæ conservationi magis attentum.

Inst. Ideo mala physica permittere potest Deus, ex ratione allata, quia mala illa fluunt ex hominis natura, & necessariam connexionem dicunt cum ejus conditione: atqui hoc falsum est; hanc

connexionem evertit tum revelatio, tum ratio. 1. Quidem revelatio docet Adamum in statu innocentiæ ab his fuisse liberum. 2. Ratio dictat ex una parte nullam esse connexionem essentialem inter motus materiæ & sensationes doloris, ex altera vero ista corpora configurari potuisse ut nullos nisi gaudii sensus experiremur. Ergo, &c.

R. n. min. ad prob. dico 1. Adamum quidem ab his malis liberum fuisse, nec ideo destrui connexionem necessariam inter mala physica & conditionem hominis. In hoc enim stat illa connexionis necessitas, non quod actualis miseria sit homini essentialis, sicut actu essentialiter ei debetur anima & corpus, sed quod cum sit essentialiter deficiens, sit essentialiter capax hujus vel illius defectus, & quod nativa sua qua configuratur, dispositio ex se capax sit doloris, &c. Porro Deus quamvis creaturam non possit facere infinitam, potest tamen eam perficere eam eximendo ab hoc vel illo defectu, ut præstitit respectu Adami, ut præstat etiam respectu Sanctorum in cælo. 2. Sensatio doloris non semper oritur ex aliorum corporum actione, sed aliquando inde, aliquando vero & sæpius ex liquidorum commixtione & perturbato æquilibrio, consequenter ad stabilitam ab auctore naturæ arctissimam unionem animæ cum corpore. Hac enim posita unione, concipitur facile quomodo aut corpore heterogeneo vehementius agente, aut rupto liquidorum solidorumve æquilibrio, jam imperturbetur consueta corporis dispositio, ac consequenter quomodo oriatur & oriri debeat sensatio doloris. Equidem Deus posset felicem Adami statum nobis restituere, potuisset corpora alio modo configurare; de Dei potestate non agitur, sed de eo quod debeat absolute ad salvandam bonitatem. Porro ex probatis, bonitas Dei infinita non exigit ut id omne bonum quod potest operetur.

Inst. Immerito vindicatur Deus in permittendis illis malis ex utilitate quam ex iis percipit homo, sive quia inde cautior redditur ad præcavenda pericula, sive quia inde virtutes suas excolit & gloriam sibi promeretur. Ens enim summe bonum sua dona præstat celeriter & constanter. Qui vere amicus est & ex corde diligit, non expectat donec ii quibus benefacere studet miseriis assumpti fuerint ex privatione rei quam celeriter iis conferre poterat. Quod si ex defectu potestatis benefacere non valeat nisi post gravissimos dolores, id invitus amplectitur, nunquam vero ubi liquidam & ab omni dolore liberam voluptatem procurare potest. Tunc enim, si possit, via regia & recta incedit, non obliqua quæ ducit ad beatitudinem per miseriam. Unde sic in forma. Ex allata ratione Deus homines ad felicitatem duceret per miserias, seu indirecte & ex obliquo: atqui ens bonum & amicum ducit ad felicitatem directe & immediate. Ergo Deus non potest ducere hominem ad felicitatem per miseriam.

R. dist. min. Ens bonum & amicum finitum: esto. Infinitum: n. Jam diximus ens infinitum liberrimum esse in communicanda sua bonitate, sive quoad communicationem in se, sive quoad ejus modum. Jam diximus etiam nullam comparationem institui posse inter bonitatem infinitam & finitam. Totum istud argumentum eodem ac præcedentia nititur fundamento & laborat vitio. Evincit enim non tam elucere Dei bonitatem quam si absque ulla miseria felicitatem impertiretur, at non probat nullam esse Dei bonitatem; evincit enim tantum bonitatem divinam non tam manifestari quam posset, non vero positive probat negatam esse illam bonitatem. Porro jam evicimus Deum non teneri ad manifestandum unum attributum potius quam aliud, aut ad manifestandum unum attributum hoc potius quam illo gradu. Immo fatetur ipse Baylius Deum non teneri ad manifestanda attributa hac ratione quod Deus sibi sufficiat plene & omnimode, ex seipso plenam gloriam & beatitudinem habeat, ac consequenter ad agendum non cogatur ex ambitione gloriæ, sed ex sola bonitate. Unde sic resumo. Ideo ex Baylio Deus non potest ducere homines ad felicitatem per miserias, quia est bonus & amicus homini, & hæc via obliqua pugnat cum ejus bonitate: atqui hæc via non pugnat cum bonitate Dei. Nam hac posita via, Deus non negat bonitatem suam, cum bonitas illa

non teneatur hoc vel illo modo agere & se manifestare, fatente Baylio. Dixi ad primum dist. membrum esto; sæpe enim homines amicos suos ad felicitatem per miserias transferunt, cum adsunt hujus agendi rationis legitima momenta, v. g. cum timent ne vilescant dona sua, cumque iis majorem existimationem conciliare volunt. Porro hæc & illis fortiora motiva habere potest Deus. Ergo.

Inst. Ex malo culpæ. Laxis habenis quaqua versum grassatur impietas & peccatum: atqui hæc peccati & impietatis licentia concipi non potest sub unico principio summe bono. Nam peccatum in hunc mundum supponitur non intrasse nisi post absoluta Dei opera; antea nullum erat malum: jam vero hoc posito, concipi non potest malum intrasse sine influxu principii summe mali.

R. n. min. Et dico juxta jam allatam distinctionem, malum illud posse concipi sub unico principio summe bono non quidem illud producente aut approbante, sed permittente. Et hæc responsio fluit ex principiis supra positis. Talia sunt enim illa principia I. Peccatum est mera negatio & privatio; possibilitas vero peccandi est defectus in libertate. Porro peccatum oritur vel ex ignorantia, vel ex cupiditate. Nam ut habet S. August. Enchirid. cap. 83. „ Duabus ex causis peccamus, aut non„ dum videndo quid facere debeamus, „ aut non faciendo quod debere fieri „ jam videmus; quod duorum illud „ ignorantiæ est, hoc infirmitatis „. II. Bonitas non debet æstimari infinita ex eo quod omne quod potest bonum præstet. III. Deus non tenetur unum attributum potius aut magis quam aliud manifestare, hocve potius quam illo modo. Hinc potest permittere defectus in creatura, nec tenetur unum arcere defectum potius quam alterum, non est enim potior ratio cur non possit hunc vel illum defectum, duos vel tres defectus permittere. Porro ex secundo principio concludimus Deum non teneri ex bonitate ad concedendam homini infinitam in intellectu cognitionem, nec immutabilem in voluntate erga bonum constantiam. Ex tertio principio concludimus Deum non magis teneri ad tollendum defectum in libertate, id est possibilitatem peccandi, quam quemcunque alium defectum. Nullum meliorem hujus veritatis explanatorem habere possumus quam S. Aug. l. 5. Op. imp. n. 12. „ Non origo quæritur voluntatis (ma„ læ) sed origo ipsius possibilitatis, & „ invenitur ea esse causa; quia & si „ magnum bonum est rationalis creatu„ ra, non tamen est quod est Deus, cu„ jus solius est inconvertibilis incommu„ tabilisque natura: & hujus rei causa „ cum quæritur, hoc invenietur quia „ non de se ipso, hoc est de sua natu„ ra atque substantia genuit, sed de ni„ hilo... fecit hoc Deus... Sed quia hoc „ est cuique natura de nihilo factum es„ se, quod est naturam Dei non esse, „ quæ immutabilis sola est ... Voluntate „ vero, quæ ratione utitur, sola est ra„ tionalis creatura mutabilis „. Hæc S. Aug. in quibus observ. 1. creaturam esse essentialiter mutabilem, quia scilicet est creata. Mutabilitas autem potentiam & capacitatem sonat, non actum. 2. Possibilitas peccati oritur ex mutabilitate creaturæ. 3. Mutabilitas ex qua oritur possibilitas peccati, est mutabilitas voluntatis. Deinde libertas nihil aliud est quam indifferentia; indifferentia quoad finem, qui est Deus, includit potestatem adhærendi Deo vel creaturis, ac proinde potestatem peccandi. Indifferentia illa supponit quoddam in anima vacuum quod auferetur cum tota olim replebitur animæ capacitas. Vacuum autem illud oritur ex eo quod Deus quidem suas perfectiones in homine depinxerit, sed tamen voluerit se ab eo secernere; ut se in homine depingeret, quasdam sui perfectiones aliquo gradu homini communicavit; ut se ab homine secerneret, nec omnes, nec omni gradu perfectiones dedit, v. gr. immutabilitatem ipsi non communicavit. Deus ergo hominem creavit rectum & bonum, immutabilem creare non debuit. Possibilitas itaque peccandi oritur ex eo quod homo sit mutabilis; porro mutabilis est 1. quia est creatura, hæc mutabilitas est appendix conditionis ejus. 2. Quia cum voluntas ejus non sit plena, potest se avertere a summo bono & bono creato tanquam fini suo adhæ-

adhærere. Porro manifestum est Deum ex nulla lege teneri sive ad manifestandum se homini plene, & sic nec teneri ad tollendum vacuum ejus; nec etiam ad tollendam appendicem ejus conditionis, & sic nec teneri ad concedendam ei immutabilitatem.

Inst. Eo tota recidit allata responsio: Deus bonitatem suam non tenetur manifestare quantum potest; ergo non tenetur arcere a creatura omnes defectus, nec ipsummet peccatum: atqui hæc ratio nulla est. Nam ut Deus peccatum a creatura sua arceat, necesse non est ut bonitatem suam in immensum prodat, nec requiritur ut creatura fiat infinita. Sancti in cælo non sunt infiniti, Deus iis bonitatem suam non communicat infinito modo, & tamen sunt impeccabiles; sic Deus posset inserere homini viatori amorem prædominantem per auxilia ex natura sua efficacia, libertatis tamen amica: atqui his concessis, creatura non fieret infinita. Quod quidem tanto videtur magis necessarium, quod istud exigere videantur Dei sanctitas seu odium ejus in peccatum, & consilia ejus in creatione hominis. Odium enim illud summum est & quo majus dari non potest. Odium autem summum non in eo consistit quod permittat peccatum, & illud deinde puniat, sed in eo magis elucet, quod ne quidem sinat illud existere & illud ante ortum præfocet; sicut medicus magis eligeret morbum præcavere quam per remedia, licet efficacissima, curare. Item Deus hominem ordinavit ad virtutem & ad felicitatem. Ergo summa Dei gloria, summus ejus ordinis amor & ejus consilia in creatione hominis in eo consistunt quod pura sit creaturæ rationalis felicitas, constans sit ejus in virtutem devotio, & pure ac simpliciter dominetur ordinis amor. Ergo.

R. n. prim. min. Eo ipso quo Deus bonitatem suam infinite manifestare non tenetur, sed summa libertate & independentia eam exercet, eo ipso hanc bonitatem non tenetur manifestare hoc vel illo modo, hoc vel illo gradu potius quam alio. Sanctos in cælo plene satiat, & eorum capacitatem plene complet quia vult; at ex eo quod id velit respectu Sanctorum, non sequitur id etiam debere respectu hominis viatoris. Quemadmodum ergo potentia Dei concipitur infinita, licet novas creaturas, novum mundum & quæcunque potest entia non creet, ita etiam bonitas Dei concipi potest infinita, licet amorem illum prædominantem homini non inserat; & sicut potentiæ infinitæ conceptus non exigit ut creaturis suis existentiam conservet, ita nec bonitatis ejus concepceptus importat ut amorem illum prædominantem conservet in homine. Idem dictum sit ad ceteras difficultatis probationes. Deus non tenetur odium peccati exterius manifestare quantum potest, nec bonitatem suam, ducendo hominem ad virtutem & felicitatem per media quibus perfectiora & breviora dari non possint.

Inst. Atqui allata responsio de essentiali creaturæ limitatione nihil valet. Ex hac enim solutione sequeretur hominem esse ad peccatum necessario determinatum. Homo enim est necessario & essentialiter finitus & limitatus; ergo est finite bonus & rectus; ergo necessario deficit a bono; ergo necessario peccat & quidem necessitate antecedente.

R. n. sequel. Nam ut modo monebat S. Aug. aliud est peccatum, aliud possibilitas peccandi. Primum oritur ab hominis voluntate quæ libere deficit a bono; secundum oritur a nativa hominis conditione qui est essentialiter finitus. Uno verbo ex data responsione, id unum sequitur, nempe hominem posse peccare; hancque potentiam fluere ex nativa ejus defectus alicujus capacitate; at ex eo quod possit peccare, ex eo quod potentia illa fluat necessario ex nativa ejus conditione, non sequitur eum hic & nunc necessario deficere a bono, & necessario peccare.

Inst. Homo est actu necessario finitus; ergo est actu necessario deficiens; ergo est actu ad peccatum determinatus.

R. n. conseq. Illegitima est illa consequentia; ex eo quod enim homo sit actu & necessario finitus, sequitur tantum eum actu necessario habere possibilitatem peccandi, non vero eum actu peccare, aut esse determinatum ad peccandum ex natura sua. Hinc distingui potuisset educta.

cta modo consequentia in hunc modum. Ergo est actu necessario deficiens quoad possibilitatem peccati : c. Quoad ipsammet existentiam peccati: n. In eo enim est actu necessario deficiens in quo est necessario finitus, id est, in quo est necessitatus, seu in eo quod nativam ejus conditionem ingreditur: atqui sola possibilitas peccandi, non vero ipsummet peccatum actuale nativam hominis conditionem & ejus essentiam ingreditur. Ergo non est actu necessario peccans, nec ad peccatum determinatus.

ARTICULUS III.

De Providentia Dei.

PRovidere nihil aliud est quam curam gerere, & ad certum ac proportionatum finem dirigere. Providentia itaque est attributum, seu perfectio qua Deus fines & media ab æterno præscivit & prærordinavit. Importat. 1. actum intellectus quo Deus videt finem, media & eorum cum fine proportionem. 2. Actum voluntatis quo res dispensat & media ad fines prærordinat. Differt tamen providentia a voluntate, quod Dei voluntas immediate significet tantum ejus imperium decernens, at providentia præter auctoritatem imperandi complectatur & perfectam rerum cognitionem, & aptam earum dispositionem. Providentiam autem hic attendimus non quatenus est vis seu influentia ex divinæ naturæ perfectione necessario dimanans tanquam ex causa prima omnes causas secundas ad unum determinante, sed quatenus est actus liberrimæ voluntatis divinæ quo versari vult circa res omnes & singulas, modo tamen rebus & earum naturis proportionato.

Actus divinæ providentiæ duplex, conservatio scilicet & gubernatio. Conservatio versatur circa essentias, qualitates, vires & facultates: uno verbo spectat res quatenus permanentes sunt. Gubernatio autem versatur circa actiones & passiones; actiones, inquam, tum immanentes, cogitationes scilicet, volitiones, desideria, &c. tum transeuntes, puta sermones, facta, &c. Uno verbo gubernatio respicit actiones & mutationes quæ rebus accidunt, quæque certa lege ac ratione ad aliquem determinatum finem dirigi possunt. Speciatim vero pertinet gubernatio ad entia intelligentia quales sunt homines quorum facta omnia & casus a Deo observantur, approbantur, vel improbantur, temperantur & diriguntur. Illa ergo conservatio, gubernatio, observatio, directio & administratio est illud ipsum quod providentiam vocamus.

Gubernatio illa duos actus includit & importat; 1. actum assiduæ & continuæ inspectionis & observationis actionum humanarum. 2. Actum judicii quod secundum actiones fert & exercet; qui quidem uterque actus ad voluntatem pertinet, ita ut ad secundum prior referatur & propter eum exerceatur.

Ad conservationem quod attinet, decertant inter se Philosophi an sit actus positivus quo Deus influit immediate in vires & facultates rerum creatarum, an vero actus negativus quo res creatas non vult destruere, sed eas suis viribus relinquit ut tandiu durent quandiu possunt ex vi & virtute per creationem ipsis insita. Litem illam dirimere nobis non hic proponimus; immo ab hac subtili quæstione de industria abstinemus, utpote quæ inutilis ac supervacanea nobis videatur cum deistis contra quos in præsentiarum agimus. Una hic nobis res est, Deum qui omnia produxit, omnia conservare & gubernare.

Providentiam negavit error antiquus, sed non sibi semper concolor. Hanc rejecerunt inter veteres Philosophos Epicurus, Democritus, omnes uno verbo qui libertatem humanam cum providentia conciliare non poterant. Divinæ enim providentiæ hostibus annumerari debent quotquot ex veteribus aut ferream ex Syderum influxu necessitatem, quam fatum dicebant, invexere, aut fortuito omnia contingere asseruerunt. Alii nobiliora duntaxat, non vero minuta, alii generalia, non autem singularia aut particularia divinæ curæ subjecerunt; alii res physicas a Deo regi confessi sunt, humanos vero actus humanæ voluntati totos dedere. Hos omnes errores triplici conclusione impugnamus.

CON-

CONCLUSIO I.

Deus conservat omnia & singula, etiam vilissima.

PRob. 1. Ex ratione primæ causæ. Conservare est actus divinæ providentiæ quo Deus res quatenus permanentes sunt respicit & media earum permanentiæ proportionata decernit & usurpat: atqui admitti debet in Deo talis actus. Nam Deus utpote prima rerum omnium causa, res omnes creavit; eo ipso quo res omnes creavit, eo ipso eas amat amore benevolentiæ, id est, eo amore quo rebus illis bona vult & communicat; eo ipso quo Deus rebus a se creatis bona vult & communicat, eo ipso bonorum illorum conservationi ac permanentiæ invigilare debet; ac præsertim conservationi existentiæ & rationis entis. Ergo res illas quatenus permanentes sunt respicit Deus & media earum permanentiæ proportionata decernit & usurpat. Ergo eas conservat. Uno verbo Deus non potuit entia illa creare quin bonum aliquod iis communicaret; porro bonum illud debet in iis conservare. Nulla enim alia intentione, nullo alio fine bonum istud communicare potuit, nisi ut illud in iis certo saltem tempore permaneat. Ergo.

Et certe si Deus entium illorum curam non gereret & media eorum permanentiæ non usurparet, vel quia non posset, vel quia nollet; potest sane; nam est omnipotens. Vult etiam; nam certo certius amat illa entia quibus existentiæ partem, ut ita dicam, communicavit & in quibus se ipsum vividioribus characteribus exaravit. An curæ illius Deum tæderet? Laborem nescit? An media conservationis illius ignoraret? Est omniscius. Deus sine providentia esset Deus sine scientia, bonitate, ergo, &c.

Prob. 2. Ex natura & conditione rerum creatarum. Quæcunque enim hoc in mundo existunt, non a se existunt, sed a prima illa causa quam Deum esse probavimus: atqui eo ipso quo entia illa a se non existunt, jam a prima illa causa conserventur necesse est. Nam eo ipso quo a se non existunt, jam sunt contingentia, jam non dicunt necessariam connexionem cum existentia simpliciter sumpta; ergo nec eam connexionem dicunt cum existentia continuata; ergo hanc existentiam continuatam accipiunt ab eadem prima illa causa. Eo ipso enim quo entia illa non sunt determinata a se ad existendum simpliciter, legitime concluditur entia illa hanc existentiam ab alio accipere; ergo a pari, eo ipso quo ad existentiam continuatam non sunt a se determinata, jam legitime concluditur existentiam illam continuatam ab alio etiam accipere. Sicut enim entia illa necessariam connexionem non dicunt cum primo existentiæ instanti, sic primum illud eorum existentiæ instans hanc connexionem non dicit cum subsequente. Ergo accipiunt a prima causa, &c.

Et certe vel entia illa a Deo conservantur, vel a se, vel a nihilo, vel a fortuito atomorum concursu conservantur: atqui tria posteriora dici nequeunt. Non primum sibi conservant existentiam. Nam sibi non potuerunt dare existentiam; ergo eam sibi servare non possunt. Se ipsum enim conservare est vel singulis instantibus sibi dare existentiam, vel eam sibi decernere pro tali vel tali temporis spatio. Utrunque porro requirit potestatem, æquale importat dominium ac sibi dare existentiam simpliciter. Ergo 1. entia illa non se ipsa conservant. 2. Non conservantur a nihilo. Nam causa præcontinere debet effectum; nihili autem nullæ sunt proprietates, nulla vis aut actio. 3. Non conservantur a fortuito atomorum concursu. Ex eadem ratione. Et certe nec nihilum, nec fortuitus atomorum concursus dare potuit existentiam: ergo nec eam conservare potest.

CONCLUSIO II.

Deus omnia & singula, etiam vilissima gubernat, & ad certum finem dirigit.

PRob. 1. Ex attributis Dei. Ille enim providet rebus omnibus a quo curam & providentiam istam exigunt ipsius attributa: atqui attributa Dei, sapientia nempe, bonitas, scientia & potentia exigunt, &c. 1. Sapientia. Nam Deus utpote sapientissimus, orbem hunc uni-

ver-

versum variasque ejus partes, ac diversa ex quibus conflatur entia creare non potuit nisi certum ac determinatum consilium haberet, eaque entia ad aliquem finem destinaret: atqui eadem ratio quæ hanc in creatione destinationem importat, directionem aliquam in conservatione exigit. Nam ex eadem sapientia qua Deus creando entia, ea ad aliquem finem destinavit, eadem debet Deus perpetuo ac constanter huic fini invigilare ac prospicere ut entia a se creata finem sibi destinatum attingant. Summæ enim stultitiæ est incurium esse circa res suas & a se conditas, ac earum curam abjicere. Ergo sapientia exigit, &c. 2. Bonitas. Qui enim seipsum diligit, diligit etiam quæ sua sunt, ver. gr. Parentes ad curam liberorum natura duce feruntur; quin etiam feræ omnes, omnia denique entia creata curam habent eorum quæ a se producta sunt. Ergo a fortiori rerum a se creatarum curam gerere debet Deus. Absurdum enim esset Deum deponere sensum quem omnibus aliis entibus ipse inseruit, ac exuere naturalem propensionem quam suis creaturis impressit; præsertim, cum sit omnium entium optimus, & ex summa bonitate ad creandum mundum impulsus fuerit. Ergo bonitas exigit, &c. 3. Omniscientia & potentia. Si enim creaturas suas ad finem certum non dirigeret, vel quia finem illum & media ad illum conducentia non cognosceret, vel quia media illa non posset aut nollet usurpare. Atqui cum sit omniscius, & finem & media ignorare non potest; cum sit optimus & potentissimus, vult & potest media cognita fini applicare. Ergo nulla ratio, nulla causa occurrit cur mundum a se conditum deserat, immo attributa Dei eam impellunt ad gerendam mundi curam, adeo ut necesse sit ut Deus aut attributis illis careat & spolietur, ac proinde tollatur Deus, aut si Deo propria sint ac intrinseca illa attributa, jam curam istam in se suscipiat. Hinc manifestum est inter existentiam Dei & ejus providentiam arctissimam esse connexionem.

Prob. 2. Ex ordine mundi. Ordo enim omnis ordinantem ac disponentem aliquem supponit. Unde in universo orbe omnia videmus suis usibus destinata, & suo fini proportionata; res unaquæque ad finem sibi proprium nativo ac prono veluti clivo tendit. Atqui nec cæca necessitas, nec fortuitus atomorum concursus quidquam adeo ordinatum ac constans efficere possunt. Pleraque enim phænomena de quibus agitur producuntur a causis quæ aut cognitionis sunt expertes, aut per cognitionem suam nihil tunc agunt. Talia sunt, ver. gr. quæ ad nutritionem spectant: ergo mens aliqua homine superior ea moderatur ac dirigit. Et vero res omnes quas hinc & inde circumspicimus cum cælestes, tum terrestres elegantiores sunt, nimis ordinatæ, ac nimium in suis motibus constantes, & ad quotidianos ac eximios usus nimis sunt idoneæ, quam ut casu fortuito formatæ, eodem casu, nulla lege, nullo consilio, nulla denique providentia stare concipiantur. Cum enim videmus domum aliquam in qua omnia sunt rite ordinata, varia supellex apto in loco collocata variæque servorum classes qui suo munere singuli accurate defunguntur, merito concludimus domum illam alicujus Domini sapientissimi esse; ita etiam si quis Rempublicam bene constitutam videat, in qua omnia ordinate gerantur, artes & omnia opificia solerter exerceantur, civibus denique omnia necessaria opportune præbeantur ac provideantur, nemo talem Rempublicam nulli subesse Magistratui, a nulloque Rectore administrari contendet: ergo a pari, cum pulcherrimam illam orbis compagem oculis usurpamus, in qua tanta rerum varietas, tantaque simul constantia deprehenditur, in qua singula, si recte advertamus, suos ad usus aptissima cernuntur, in qua denique non exiguo tempore, sed per plura jam annorum millia nihil de pristino ornatu ordineque decesserit, jam nullus sui compos aliquam huic mundo præesse providentiam negare poterit.

Prob. 3. Ex inductione. Inter entia enim quæ existunt, alia sunt inanimata, alia animata: atqui hæc omnia & singula ad certum ac proportionatum finem dirigit Deus. 1. Inanimata: namque entia illa novas quotidie accipiunt modi.

modificationes: jam vero modificationes illas sibi dare non possunt. Ens enim inanimatum est actionis & electionis incapax ad omnemque modificationem indifferens: ergo aliquam modificationem sibi dare, aut hanc potius quam illam eligere non potest. Ergo ad hanc potius quam ad illam modificationem determinatur a Deo & ab eo dirigitur. 2. Animata. In nascentibus enim & crescentibus plantis mirus relucet ordo; in grano suo jam efformata ac delineata quælibet planta conspicitur; succorum fermentatione sese paulatim explicat, fructumque sibi proprium constanter & uniformiter producit: atqui hæc omnia solus Deus ad fines illos dirigere potest. Hæc enim non fiunt nisi per certum motum hoc vel illo modo determinatum ac effectui producendo attemperatum: atqui solus Deus motum illum his plantis imprimere, & effectui producendo parem & idoneum attemperare potuit. Materia enim ex se est incapax cujusvis motus & ad omnem motum indifferens: ergo nec sibi motum imprimere, nec semel impressum dirigere potest. Præterea nulla alia ratio reddi potest, nisi providentia Dei, cur una herba alteram constanter producat, & quidem tantum secundum genus suum & juxta speciem suam, curve nullam aliam generet diversi generis, alteriusve speciei; materia enim ex se omnis figuræ capax, nullius figuræ tenax. Undenam præterea tam arctis constringeretur limitibus illud quod fortuitum dicunt? Cur novas aliquando plantas enasci nunquam videmus? Ex his sic concludo. In his omnibus evidens est Deum aliquem finem sibi proposuisse & media huic attingendo proportionata providisse: ergo hæc omnia a Deo diriguntur.

Dixi in utraque conclusione 1. Deum curare omnia & singula. Tum quia sicut rerum genera, sic singula cognoscit, alias seipsum non cognosceret; tum quia argumenta superius allata, v. g. ea quæ ex ordine & ornatu mundi desumuntur, res singulas præcipue attingunt; tum quia genera ipsa interirent, si singula perire possent. Dixi 2. etiam vilissima; tum quia vilissima cognoscit & opera manuum ejus sunt; tum quia fini alicui collimant; & sicut divinam majestatem non dedecet vilia illa creare, sic nec Deo indecorum est ea ad finem ab eo intentum dirigere.

CONCLUSIO III.

Deus providet præcipue rebus humanis & eas gubernat.

PRob. 1. Ex ipsiusmet providentiæ idea & notione. Providere rebus humanis nihil aliud est quam actiones humanas ad certum finem destinare, seu dirigere, & ut ad illum finem perveniant invigilare: atqui Deus actiones humanas, &c. Nam gubernatio, seu directio illa, ex dictis, duos actus importat, I. actum assiduæ & continuæ observationis & inspectionis; II. actum judicii quod circa actiones illas exercet: atqui Deus actiones humanas assidue & continuo observat, & de iis judicat. 1. Actiones illas observat. Nam ex probatis, Deus mutationes rebus physicis in ordine physico supervenientes observat & inspicit; ergo a fortiori easdem mutationes attendit entibus rationalibus supervenientes in ordine morali. Et certe nulla afferri potest legitima ratio cur Deus humanas actiones non observet. Nam si Deus actiones illas non observaret, vel quia eas parum curaret, vel quia mentis ejus oculos fugerent, vel quia talis observatio ipsi displiceret & eum tæderet: atqui nihil horum dici potest. Non primum; nam inter actiones illas aliæ in Dei honorem, aliæ in ejus contumeliam vergunt; inter homines alii Deum impense colunt, alii eum pro virili parte inhonorant: atqui Deus non potest parum curare tales actiones. Non secundum: nam Deus est omniscius. Non tertium; nam tædium nescit, nec tædere eum potest vindicanti sui honoris, nisi quia honorem illum vindicare non posset; quod dici non potest. Ergo Deus actiones humanas continuo observat.

2. De iis judicat. Etenim judicare hic nihil aliud est quam pronunciare talem vel talem actionem bonam vel malam esse, ac consequenter laude vel vitupe-

superio, pœna vel præmio dignam esse, ac denique alterutram aut pœnam aut mercedem decernere: atqui sic judicat Deus de hominum actionibus. Ex actionum enim illarum observatione & cognitione vel Deus maneret indifferens & abstineret a ferendo quocunque judicio, vel idem ac æquale de omnibus hominum actibus ferret judicium: atqui neutrum dici potest. Non primum; Deus enim consequenter ad illam actionum humanarum observationem 1. ex una parte videt actiones illas; 2. ex altera parte agnoscit earum cum lege quam proposuit conformitatem vel difformitatem: atqui consequenter ad hæc judicat hanc vel illam actionem esse bonam & malam; deinde hoc ipso pœna vel mercede dignam; denique præmium vel mercedem decernit. Nam perceptio convenientiæ vel disconvenientiæ actionum cum lege est quoddam judicium aut saltem ad illud native & necessario tendit. Judicium de merito, vel demerito actionum illarum, & de distribuenda pœna vel mercede sequitur ex cura quam gerere debet Deus sui honoris suarumque legum & ex priori judicio. Homines enim ubi aliquam actionem cognitam habent, statim ac quasi inviti erumpunt in judicium suæ cognitioni proportionatum; ergo a fortiori Deus cujus personam, jura, leges & honorem spectant actiones illæ. Ergo Deus non potest manere indifferens. Secundum dici non potest, id est, Deus de illis actionibus idem & æquale judicium non fert. Cum enim actiones illæ sint inter se oppositæ, actiones illas pari & eodem pondere æstimare non potest Deus; ergo actiones illas alias approbabit, alias improbabit; ac proinde de iis judicat. Propensiori sane voluntate ferri debet in bonos quam in malos; illis magis eliget benefacere, his vero mala non irrogare non poterit. Uno verbo cum sit sanctissimus, eas actiones quæ suis consiliis repugnant approbare non potest; eas vero laudare debet quæ proposito sibi fini collimant

Prob. 2. Ex principiis homini intrinsecis ac veluti innatis. Sunt enim, ut infra dicemus, quædam principia moralia hominum cordibus a Deo insculpta; existit quædam lex omnium animis insita; hujus legis observationem vel violationem sequuntur quidam remorsus & dolores vel gaudia quædam ex quibus sic arguere licet. Ille providet rebus humanis hominesque ad proportionatum finem dirigit, qui legem & principia quædam quibus actiones illæ dirigantur proposuit, & legis illius auctoritatem pœna & præmio ipsi proportionatis sancivit: atqui res ita est. Hac enim lege nostrorum officiorum nos indesinenter monet; his principiis actus nostros dirigit, principiorum illorum sequelis legum suarum observationi invigilat; quæ sane alia de causa non præstitit nisi quia actiones humanas curat & observat, easque ad aliquem finem ducere intendit.

COROLLARIUM ET CONCLUS. IV.

Deus providet omnibus & singulis rebus creatis ac præsertim rebus humanis.

PRob. Ex conclusione prima. Deus conservat omnia & singula; eadem etiam gubernat, ex conclusione secunda; rerum denique humanarum curam gerit, ex conclusione tertia, & quidem præcipue; res enim curat Deus qua proportione pretiosæ sunt.

Obj. 1. Ideo ex allatis modo probationibus entia creata non possunt seipsa conservare, quia non potuerunt sibi dare existentiam: atqui hæc ratio nulla est. Nam dispar est utriusque ratio. Ideo scilicet sibi dare non possunt existentiam, quia res una & eadem esset causa simul & effectus; atqui eadem ratio hic non militat: ergo, &c.

R. n. min. & dico allatam rationem hic militare tum pro existentia simpliciter sumpta, tum pro existentia continuata. Quid enim est existentia illa continuata, seu existentiæ conservatio? Nihil aliud est quam voluntas efficax transeundi ab existentia actuali, ad existentiam futuram; quæ quidem voluntas est vera existentiæ continuatæ productio. Ut ergo creatura seipsam conservaret, deberet singulis instantibus velle efficaciter, seu producere hunc transitum, id est, existentiam continuatam. Ergo singulis

gulis instantibus esset causa hujus transitus & existentiæ; ac consequenter esset sui causa & effectus. Ex concessis enim creatura dando sibi primum existentiæ instans, esset simul sui causa & effectus; ergo producendo existentiam continuatam, ver. gr. dando sibi secundum existentiæ instans, esset sui causa & effectus pro illo secundo instanti. Et certe si creatura posset seipsam conservare, vel quia per se & essentialiter necessariam diceret connexionem cum existentia continuata; v. gr. cum secundo existentiæ instanti, vel quia connexionem illam poneret libera voluntate; atqui neutrum dici potest. 1. Non dicit per se & essentialiter illam connexionem. Ex concessis enim creatura non habet connexionem necessariam cum existentia simpliciter sumpta, seu cum primo existentiæ instanti; ergo nec habet illam connexionem cum existentia continuata, seu cum secundo existentiæ instanti. In utroque enim casu militant argumenta allata. Et vero cum creatura sit contingens, est indifferens ad existendum, vel non existendum, ac consequenter ad existendum tali vel tali instanti aut modo. Ergo non potest habere necessariam connexionem cum existentia continuata. Alias esset simul determinata & indeterminata ad existendum; esset simul contingens & non contingens; quod repugnat. Ergo 1. creatura non dicit per se & essentialiter necessariam connexionem cum existentia continuata. 2. Connexionem illam non ponit libere. Tunc enim posset supponi creatura nolle illam connexionem & ab ea ponenda desistere; quod absurdum est. Si autem dicatur repugnare istam hypothesim, quia creatura necessario appetit suam conservationem, jam supponitur creatura dicere necessariam connexionem cum existentia continuata; quod jam modo confutatum est. Deinde ex illa libertate creaturæ ad sui conservationem, sequeretur creaturam in perpetuum mansuram esse; repugnat enim creaturam libere consentire suæ destructioni. Denique creatura sufficiens non habet dominium in materiam ut eam propria potestate conservet. Ergo valet ratio allata inter probationes.

Inst. Non valet argumentum desumptum ex contingentia creaturarum. In hoc stat totum hoc argumentum, quod entia contingentia, eo ipso quo talia sunt & existentiam a Deo acceperunt, eo ipso pendere debeant ab eo ratione existentiæ continuatæ: atqui non valet hæc argumentatio. Nam ex eo quod entia illa sint contingentia, sequitur entia illa ab alio determinata fuisse ad existendum; sequitur existentiam a Deo accepisse; ergo sequitur entia illa pendere a Deo ratione existentiæ simpliciter sumptæ; sequitur enim tantum entia illa pendere a Deo ratione illius quod acceperunt: atqui ex eo quod pendeant a Deo ratione existentiæ simpliciter sumptæ, non sequitur entia illa extra nihilum semel posita pendere a Deo etiam ratione existentiæ continuatæ. Ergo.

R. n. ult. min. Juxta nostram argumentandi methodum, ideo entia contingentia, eo ipso quo talia sunt, pendent a Deo ratione existentiæ, quia eo ipso quo contingentia sunt, jam a seipsis determinari non possunt ad existendum: atqui pariter eo ipso quo entia illa sunt contingentia jam non possunt a se determinari ad perseverandum in existentia. Sicut enim eorum substantia nullam dicit connexionem cum existentia simpliciter sumpta, sic nec existentia eorum simpliciter sumpta connexionem dicit cum existentia continuata. Et certe creaturæ a Deo dependentia, de qua agitur, non est dependentia aliqualis tantum & partialis, sed est dependentia summa: supremum enim est Dei in omnia dominium, & quidem quo dari non potest majus; hæc enim Dei perfectio infinita est ut omnia alia ejus attributa. Ergo creatura pendere debet a Deo omni modo possibili & quantum potest. Ergo singulis instantibus, quoad omnia, & quantum ad ipsum existendi modum; ergo sicut ratione existentiæ simpliciter, ita ratione existentiæ continuatæ. Qui enim ratione utriusque dependentiam dicit, magis pendere concipitur, quam qui ratione prioris tantum dependet.

Inst. Atqui allatum ex contingentia entium argumentum non probat entia, licet contingentia, extra nihilum semel posita,

a Deo

a Deo pendere debere ratione existentiæ continuatæ. Etenim Deus entia creare non potuit, quin certum aliquod tempus durationis ipsis determinaverit; ergo creatio aliquam stabilitatem in illis ponit: ergo non pendent necessario a Deo ratione existentiæ continuatæ.

R. dist. conseq. Creatio aliquam stabilitatem ponit pro præsenti: c. pro futuro: n. Creatio nihil ponit in ente nisi actualem existentiam, & simul supponit in ente creato contingentiam & quidem omnimodam: ergo supponit omnimodam indifferentiam sive ad existendum simpliciter, sive ad existendum tali loco, tempore vel modo. Nulla major enim concipitur indifferentia quam ea quæ est ad existendum simpliciter. Prius enim est determinatum esse ad existendum quam ad existendum tali vel tali modo. Præterea ut creatio poneret aliquam stabilitatem pro futuro, deberet ponere connexionem necessariam inter primum & secundum existentiæ instans: porro creatio præcise & per se connexionem tantum dicit cum existentia simpliciter sumpta. Denique eo ipso quo creatura est contingens, jam est indeterminata ad existendum vel in futuro, vel in præsenti instanti; ergo determinatio illa est a prima causa. Nam ut creatura seipsam determinet ad existendum pro instanti futuro, debet transire ab existentia quam nunc habet, ad eam qua caret; sed creatura non potest ab una ad alteram existentiam transire nisi Deus transitum illum ipse producat & velit efficaciter. Ideo enim creatura primum extitit, ideo transivit a non esse ad esse simpliciter, quia Deus voluit efficaciter: ergo a pari, ideo pergit esse, ideo transit ab esse simpliciter ad esse tale quia Deus vult efficaciter. Necesse quidem non est hic excogitare distinctos realiter divinæ voluntatis actus singulis creaturæ durationi correspondentes; sed sufficit & requiritur unus actus quo decernat & existentiam creaturæ, & ejus conservationem & stabilitatem pro tali temporis spatio. Si enim Deus creaturam produceret pro unico instanti extituram, certum est quod in secundo instanti in nihilum relaberetur; nullo necessario præter ea actu voluntatis divinæ: ergo posita creatione simpliciter, creatura esse desineret, nisi intercessisset actus divinus cujus virtute debet tali vel tali tempore perseverare.

Inst. Juxta vetus axioma; unaquæque res in eo statu in quo est, perseverat, donec ab aliqua causa mutetur. Sic, v. gr. necesse est ut domus ab architecto ædificetur, semel vero extructa, per se existere potest; immo eo magis perfecta sunt opera arte facta, quo minus artificis manu indigent. Jam vero opera Dei non sunt minus perfecta quam opera hominum: ergo, &c.

R. n. parit. Hic sedulo distinguere est rerum formas ac dispositiones ab earum existentia. Artifex quidem disponit materiam, ut ex illa, v. g. ædificium construat; Deus enim hominis dominio materiam subjecit, & ex illo concesso dominio varias formas inducere potest homo in materiam: sed artifex materiæ illi existentiam non tribuit. Ideo ergo opificium illud absque manu artificis semel fabricatum subsistit, quia qui materiæ tribuit existentiam, eandem conservat cum variis formis ipsi impressis. Existentia enim modificationum materiæ est ipsiusmet materiæ existentia. Sicut ergo Deus non creat materiam in genere, sic eam non conservat nisi tali vel tali forma ac dispositione quam det, vel ipse, vel homo.

Inst. Saltem potuit Deus creatis entibus ita existentiam communicare ut per se ipsa stare possent. Ergo ruunt argumenta desumpta ex entium contingentia & supremo Dei dominio. Immo vero Dei gloria inde magis illustraretur; sicut artifex peritior existimatur qui tale opificium extruit, quam ille cujus opus manum artificis perpetuo expectat. Ergo a pari, Deus, &c.

R. n. ant. Quantamcunque enim perfectionem Deus illis entibus tribuat vel tribuere possit, non potest tamen naturam & rationem entis creati ipsis auferre, nec supremum abjicere dominium. Ipsis ergo concedere non potest necessariam & independentem existentiam. Creaturam quæ ab ipso continuo non pendeat non magis Deus producere potest, quam creaturam quæ non sit creatura. Deus certe creaturæ non po-

potest tribuere vim existendi per se, & independenter a causa; ergo nec vim perseverandi in sua existentia, per se & independenter a prima causa. Virtus enim perseverandi in sua existentia, est ipsa virtus existendi. Porro existere & incipere esse, non est difficilius quam perseverare in existentia. Si enim creatura vel unum existentiæ instans sibi dare posset, jam alia instantia, immo primum ipsum instans sibi dare poterit. Hinc manifesta est disparitas exempli allati. Nam artifex non habet supremum in machinam concinnatam dominium; necesse non est ut ea ab illo summe dependeat: immo hoc repugnat. Laudatur itaque opificis peritia cum aliquid elaborat quod ipsius manum continuo & singulo instanti non exposcat; gloria vero Dei exigit ut opus a se creatum, ab ipso singulo instanti dependeat & quidem maxima dependentia. Ergo latissima est inter utrunque disparitas.

Inst. Atqui sufficienter penderet a Deo creatura, tum quia ratione existentiæ primitus acceptæ penderet, tum quia virtutem se ipsam conservandi a Deo accepisset, ergo, &c.

R. n. ant. Per existentiam & conservationem creatura magis pendet a Deo quam per existentiam solam. Ergo non sufficienter pendet a Deo per existentiam solam. Si autem concessa a Deo supponeretur creaturæ virtus se ipsam conservandi; hinc sequeretur quidem creaturam a Deo non conservari conservatione directa; quod hic non agitamus; at non sequeretur nullam omnino Deum habere partem in creaturæ conservatione; ac proinde nec sequeretur nullam admittendam esse providentiam. Porro hoc unum nobis hic sufficit contra Deistas, creaturam hoc ipso quo creatura est, non habere satis virium ut sibi existentiam continuet, sed habere & a Deo existentiam illam continuatam, quocunque tandem modo habeat.

Inst. Non probatur a posteriori providentia in ordine physico; nam argumentum ex ordine & ornatu mundi nihil probat. Evincit tantum mundum a Deo fuisse sapienter conditum, & leges ab eodem rite constitutas fuisse secundum quas cuncta procedunt: atqui hæc non probant providentiam entia illa continuo dirigere: leges enim semel positæ tales effectus ex se ipsis producere possunt. Ergo, &c.

R. 1. n. maj. Ordo enim ille importat entium illorum actualem singulis instantibus determinationem ad hunc potius quam ad illum motum: jam vero entia illa ad talem motum ex se non magis determinata sunt quam ad motum simpliciter: ergo ad utrunque motum ab alio, nempe a prima causa determinantur per voluntatem efficacem. Uno verbo entia illa sicut sunt contingentia, ita & ad existentiam tum simpliciter sumptam, tum continuatam sunt indifferentia, ita etiam & ad motum simpliciter, & ad motum talem sunt indeterminata.

R. 2. n. min. Licet enim nihil aliud hic nobis concederetur quam præsentem rerum universitatem legibus sapientissimis a Deo fuisse constitutam, & juxta leges ab eo semel positas moveri & administrari, certe providentiæ divinæ hæc esset confessio, saltem generalis; nam qui fatetur mundum sapienter & legibus a Deo statutis administrari, jam eo ipso dat quod nomine Providentiæ intelligimus; præsertim si attendatur Deum, utpote immutabilem, eadem semper velle quæ voluit. Itaque si semel ordinem illum qui in hoc orbe cernitur Deus voluit constitui, & mundum ea ratione administrari, utique idem semper vult; adeoque ejus voluntate, seu providentia cuncta reguntur. Præterea quærere liceat quid tandem per leges a Deo constitutas hic intelligatur? Quodnam entis genus sint leges illæ? An substantiæ? an accidentia? si substantiæ, an corpora? an spiritus? Utique si quod dicunt objectionis hujus patroni intelligunt, fatebuntur leges illas nihil aliud esse quam Deum ipsum certa quadam ratione res dirigentem ac administrantem, seu quod idem est, nihil aliud esse quam certum quendam modum sapientem ac ordinatum juxta quem Deus operatur. Verbo dicam, est ipsamet providentia divina.

R. 3. n. sequel. Non enim leges illas eo sensu concedimus, quod omnia quæ in orbe fiunt non nisi generalibus motus regulis & mechanice fiant. Si ita

res

res esset, fati quoddam genus in mundum introduceretur. Quis vero credat eum qui regulas illas instituit, ita se iis demancipasse ut ne latum quidem unguem ab iis unquam recedat, neque particularibus voluntatibus quicquam unquam perficiat? Nemo sane inficias ibit ens supremum omnium liberrimum & potentissimum suprema sua libertate in mundo uti posse.

Inst. Atqui ex præsenti aspectabilis mundi structura & ordine inferri non potest divina Providentia quoad gubernationem. Supponi enim potest non absurde existere alios mundos nobis ignotos; supponi iterum potest mundos illos esse aut inordinatos, aut diversimode quam noster compositos; jam vero hoc posito, non possumus ex nostro mundo providentiam arguere. Si quis enim in silvis & inter arida ac spinis hirsuta loca semper degisset, in quibus uno verbo nulla apparent ordinis vestigia; non possent concludere hæc loca præsenti semper providentiæ subjacere. Nulla enim forma manum providam ac gubernatricem ibi indicat; ergo a pari nec nos in data hypothesi ex aspectabili orbe eandem providentiam concludere possumus. Unde sic in forma. Supponi possunt plures alii mundi nobis ignoti & a nostro distincti: atqui in hac hypothesi non valet argumentum deductum ex præsentis mundi ordine. Ergo.

R. n. min. Etiam data & concessa mundorum illorum possibilitate & existentia ex nostri structura & ordine concludi potest providentia divina. Existant enim necne mundi illi, qualescunque tandem sint, non minus constat præsentem nostrum orbem ex una parte ordinis & sapientiæ signa undequaque præ se ferre; ex altera vero varias quas induit formas a Deo solo & inseri potuisse & conservari posse, qui eo in loco semper commoratus fuisset in quo nulla se proderent sapientiæ & providentiæ divinæ signa, non posset quidem ex illius loci structura arguere divinam providentiam; at inde non sequitur nos eam evincere non posse ex forma & ordine mundi in quo scintillant undique divinæ curæ characteres. In inconcinne composito terræ quam habitat angulo homo de quo agitur, male omnino concluderet divinam ubique adesse providentiam ex alterius loci aut mundi bene ordinati, sed incogniti, possibilitate: ergo a pari & nos ex possibilitate aliorum mundorum quos non cognoscimus, male omnino concluderemus nullam esse providentiam.

Inst. In hoc sita est divina illa providentia, quod Deus varia entia ad destinatos usus & fines constanter dirigat: jam vero talem providentiam ex præsentis mundi ordine arguere nullatenus possumus. Ut enim tunc valeret probatio, deberemus cognoscere omnes usus & fines quibus inserviunt variæ mundi hujus partes: atqui tamen, fatentibus nobis, perpaucos tantum attingimus; ergo nihil concludere licet. Etenim ex eo quod alicujus partis usum & ordinem ad alias partes ignoremus, non licet nobis concludere nobis totum esse male ordinatum. Ergo a pari, ex eo quod aliquæ hujus orbis partes rite admodum dispositæ videantur, non inde sequitur totum ipsum integrum sapienti providentia gubernari. Sic itaque resumo. Paucissimos hujus orbis partium usus & fines cognitos habemus: atqui inde nullatenus concludere licet omnia in ordine physico divina gubernari providentia. Ergo.

R. n. min. Licet paucissimos hujus orbis partium usus cognoscamus, partes tamen illas & earum usus sufficienti numero cognoscimus ut de toto pronuntiemus. Ordo enim cui insistunt partes a nobis cognitæ, non potest non esse a causa superiori & intelligenti; nec idem ordo potest diu permanere, nisi ab eadem causa partes illæ gubernentur: fortuitus enim casus aut quælibet alia causa cæca etiamsi ortum dare potuisset præsenti combinationi, quod negamus, eam certe gubernare non potest, nec valet comparatio instituta; nam qui partium usus & fines ignorat, is nihil ex illis partibus de toto concludere potest; at nos non pronuntiamus ex ignotis, sed ex cognitis partium usibus.

Inst. In eo consistit sapientia quod fini proposito media usurpentur proportionata; hac semel posita ac stabilita proportione, nihil ulterius sapientiæ peragendum incumbit. Ergo sapientia non exigit in Deo rerum creatarum curam.

R. n. min. Sapientia extenditur etiam ad ordinis semel positi conservationem. Cum enim entia illa non possint se ipsa dirigere ad finem aliquem, non possunt etiam se ipsa conservare in data ad finem proportione. Ergo sapientia debet sui ordinis executioni invigilare.

Inst. Providentia in ordine morali non potest probari a priori. Ideo enim certa fieret illa providentia in ordine morali, quia, sublata illa Dei providentia, tolleretur justitia Dei: atqui sublata Dei providentia, non tollitur justitia Dei. Duplex si quidem distinguitur Dei justitia, distributiva una, vindicativa altera: porro sublata Dei providentia, neutra læditur aut tollitur justitiæ species. Deus enim absque ulla injustitiæ nota potest justos absque mercede relinquere, injustisque nullam pro peccatis pœnam irrogare. Par & æqualis est ratio justitiæ tum distributivæ, tum vindicativæ. Jam vero nemo dicat Deum teneri ad plectenda scelera, ut alias destruatur justitia vindicativa. Ergo licet Justis bona non rependat, illæsa stat justitia distributiva. Ratio a priori est, quod attributorum Dei exercitium sit omnino liberum. Deinde jure summo potest Deus a nobis exigere famulatum, ipsique servire tenemur titulo dependentiæ, gratitudinis, &c. Nullam nobis debet mercedem, nisi vi gratuitæ ac liberæ promissionis quæ nisi per revelationem certo innotescere non potest. Præterea supponi potest aliquod peccatum præcedens in cujus pœnam Deus nullam bonis operibus mercedem retribuat. Porro tunc justitia Dei nullatenus violaretur: ergo providentia non ita connectitur cum justitia Dei, ut una sublata, destruatur altera. Unde sic pressius argumentari licet. Ut sublata Dei providentia, destrueretur justitia Dei, necesse foret ut Deus teneretur ex justitia Justis & Injustis secundum merita retribuere: atqui ad id non tenetur Deus; justitiæ enim exercitium est omnino liberum.

R. dist. min. ad id non tenetur Deus antecedenter ad promissionem & certam ac specialem ordinationem: esto. Posita promissione & ordinatione illa: n. Esto quod antecedenter ad quamlibet ordinationem & promissionem Deus potuerit Justos absque præmio, Injustos vero absque pœna dimittere, id certe non potest, posita vel aliqua promissione, vel aliqua ordinatione quæ cum præfata retributione connectatur: non potest, inquam, impossibilitate & necessitate consequente ex libere facta promissione ac stabilita ordinatione. Dixi ad primum dist. membrum: esto. Vix enim concipitur quomodo Deus tam bonus & dives Justos pretiosissima manuum suarum opera tanta incuria negligere possit, legumque suarum majestatem violatam otioso videre possit oculo.

Inst. Ex concessis, aut saltem ex datis, Deus antecedenter ad ullam ordinationem aut promissionem, potest nulla Justis præmia, nulla Injustis supplicia retribuere: atqui hoc ipso jam probari non potest lædi justitiam Dei sublata ejus providentia. Nam promissio illa non innotescit nisi per revelationem, quæ adhuc ignota & nondum probata supponitur.

R. n. ant. Et dico promissionem illam posse cognosci independenter a revelatione extraordinaria & supernaturali. Innotescit enim illa promissio tum per innatum æternæ felicitatis desiderium, quod salvis Dei attributis æternum frustrari non potest; tum ex facultatibus quas dedit nobis Deus quæ forent inutiles si huic tantum præsenti vitæ deservirent; tum ex propensione qua ad Deum ut ultimum finem ferimur, tum denique ex legibus quas dedit Deus quarum observationi invigilare debet & quarum reverentiæ motivum sufficiens proponere debet, nec aliud sane nisi alteram vitam felicem aut miseram.

Inst. Promissio illa non magis probari potest per desiderium æternæ felicitatis quam per desiderium non moriendi: atqui promissio illa probari non potest per desiderium non moriendi: nam desiderium non moriendi naturale est & tamen frustratur; ergo desiderium æternæ felicitatis potest esse innatum & tamen frustrari; ergo.

R. n. maj. ad prob. dist. maj. Desiderium non moriendi naturale est ex aliqua parte, & ex illa parte frustrari non potest: c. ex omni parte, & qua parte naturale est frustrari potest: n. desiderium non moriendi oritur ex innato feli-

felicitatis & beatitudinis amore & miseriæ odio. Hinc quisquis præsentis vitæ tædia & angores, alterius vero solatia & flores perpendit, mortem ardenti animo exoptat; ideo vero mortem horret natura, quia nimium in bonis sensibilibus defixa putat se iis deficientibus miseram fore. Desiderium itaque non moriendi nihil aliud est quam determinatio & applicatio desiderii naturalis ad particulare objectum, nempe ad præsentem vitam; sicut amor divitiarum est naturalis desiderii determinatio ad divitiarum possessionem. Itaque desiderium non moriendi ex una parte idem est ac desiderium æternæ felicitatis, & sic naturale est, frustrari non potest, præstam promissionem adstruit; ex alia vero parte diversum est desiderium non moriendi a desiderio æternæ felicitatis, & si naturale non est, frustrari potest, nec adstruit alterius vitæ & mercedis promissionem.

Inst. Atqui data etiam & posita promissione non probatur, sublata providentia, tolli justitiam Dei. Nam posita etiam illa promissione, potest Deus mercedem denegare ob præcedens aliquod peccatum: atqui tunc sublata mercedis retributione, ac proinde providentia Dei, non læditur justitia ejus. Ergo posita etiam promissione non probatur, &c.

R. 1. n. maj. Justis & injustis aliqua expectanda esse vel bona, vel mala constat argumentis positivis; hypothesis præfati peccati nullo nititur argumento; est mera possibilitas quæ argumentis positivis obsistere nequit.

R. 2. n. min. Admisso enim illo peccato, læderetur justitia Dei, si nulla esset bonorum cura posita promissione. Ut enim salva sit Dei justitia in prædicto casu, deberet ex illo peccato cessare promissionis promulgatio, & irrita fieri speciali Dei voluntate: porro facta semel promissione, hic & nunc promulgatur, & perseverant ejus indicia. Manet scilicet, v. gr. felicitatis sine fine desiderium, cura & sollicitudo pro futura vita, &c.

Inst. Atqui posita promissione integra, manet Dei justitia etiamsi tollatur providentia. Integra enim manet Dei justitia modo, etiam posita promissione, deesse potest divinæ justitiæ exercitium: jam vero posita etiam promissione, deesse potest justitiæ divinæ exercitium. Nam etiam posita illa promissione, tam liberum est justitiæ distributivæ quam vindicativæ exercitium: sed posita etiam promissione, liberum est exercitium justitiæ vindicativæ; potest enim Deus illam non exercere & nullam sceleratis pœnam irrogare, ac gratis condonare delicta. Ergo potest etiam justitiam distributivam non exercere, gratis imponere præcepta, & nullam eorum observatoribus mercedem retribuere.

R. n. min. Si adsit decretum pœnam peccatorum ordinans, immunem ab ea facere non potest Deus, salva justitia, eum qui eo in casu reperitur in quo viget decretum; v.g. Deus æternam inflixit pœnam iis qui in peccato lethali moriuntur, licet simul & eodem decreto a pœna pœnitentes exemerit pro gradu pœnitentiæ. Deus ergo insontem dimittere non potest eum quem nullatenus pœnitet, ac proinde debet exercere justitiam vindicativam.

Inst. Saltem providentia non probatur a posteriori. Ut enim providentia probaretur a posteriori, deberet esse signum vel effectus quidam sensibilis cum divina administratione conjunctus: atqui nullum datur tale signum, nullus est talis effectus. Ergo.

R. n. min. Adsunt enim plurima providentiæ hujus signa sensibus objecta, tum in ordine physico, tum in ordine morali. In ordine enim physico adsunt astrorum cursus & terrenarum rerum infinita propemodum multitudo quæ ad usus sibi destinatos & proportionatos constanter applicantur: ad ordinem physicum referri potest Imperiorum conservatio contra solitam casibus humanis varietatem, in qua conservatione vim quandam abditam agnoscit ipse Lucretius. In ordine vero morali adsunt præmia virtuti sæpe reddita & vindictæ quas interdum de sceleratis sumit Deus. Vel ipsi enim Pagani agnoverunt rebus humanis prospicere justitiam quæ scelestos pede claudo, sed certo insequitur. An nova & sibi quodammodo specialia expostulat incredulus?

Sed vetera & communia sufficiunt: quo jure talia sibi exoptat, eodem quilibet alius recentiora & adhuc magis nova sibi exiget, sicque Deum astringet unoquoque momento providentiæ suæ signa edere; singulis enim diebus novi homines nascuntur. Quod si Deista signis extraordinariis tam pertinaciter inhæreat, habet miracula, oracula quibus infra fidem faciemus.

Inst. Ab ordine physico. Ut providentia probaretur a posteriori in ordine physico, deberet dari in ordine aliquis effectus ita divinæ providentiæ proprius ac specialis ut ad causam naturalem a Deo distinctam referri non possit: atqui non datur talis effectus. Omnia enim peraguntur a natura sola juxta leges ipsi germanas ac proprias; & inde est quod rerum omnium dentur causæ naturales. Ergo effectus referri possunt ad causam a Deo distinctam.

R. n. min. ad prob. Dist. rerum omnium dantur causæ naturales a Deo directæ, c. secus, n. Leges enim illæ quæ naturales dicuntur nimium sapientes sunt quam ut a nulla causa intelligente constitutæ sint. Immo vero causæ illæ nihil aliud sunt nisi causæ intelligentis ac sapientis voluntas ac efficacia. Ceterum dum dicitur omnia illa a natura fieri, quid tandem per naturam intelligitur? an res singulæ, v. g. corpora singula quæ in orbe conspicimus hoc nomine designantur? sed hæc intelligentia carent; in ipso homine pleraque fiunt, ut jam notatum est ipso homine inscio. Intelligiturne per naturam collectio omnium illorum entium? Sed collectio a rebus singulis neutiquam differt. Si singula entia aut intelligentia careant, aut quomodo res vel a se, vel intra se peragantur ignorent, quomodo eorum collectio id intelliget? quomodo diriget? Uno verbo quando contendunt omnia quæ geruntur esse effectus & opera naturæ, titulus sine re, nomen sensu vacuum profertur. Si per naturam intelligunt actionis principium quod sine consilio & cognitione agat, absurdum respondetur. Idem mutatis terminis ac fortuitus casus. Si principium actionis intelligens, tunc natura idem erit ac Deus: ergo per naturam vel nihil, vel Deus ipse significatur & intelligitur.

Inst. Non potest probari a posteriori providentia Dei in ordine morali. Nam æquus ac sapiens rerum gubernator ac rector debet unicuique secundum meritum providere: atqui tamen Deus unicuique non providet secundum meritum: nam juxta meritum piorum, bona eis succedere debent, secundum merita vero impiorum, mala iis debent obtingere: atqui tamen teste constanti experientia contrarium evenit; sæpe piis male, malis vero bene est, insontes paribus plerumque malis cum sceleratis involvuntur, & cum iis puniuntur.

R. n. min. Et dico ad singula. Ad primum ut certo asseratur piis male esse, impiis vero bene, deberent certo secerni pii ab impiis; deberet certo constare de pietate: atqui istud certo non semper constat. Cum enim actiones externæ solæ pium non faciant, sæpe hypocrita est quem pium arbitramur. Immo vere pii non semper sunt ab omni labe immunes, ac proinde sordes illas in illis abluere potest Deus. Multi e contra impietatis notam contrahunt quos sincera vel saltem aliqua pietas Deo devincit. Deinde ut dicatur alicui male esse, non sufficit ut damna quædam experiatur ratione vitæ, sanitatis & fortunæ; mala enim illa, etsi physice mala, non sunt tamen mala absolute, possuntque non esse noxia animæ, immo possunt ei salutaria esse. Jam vero Deus non tantum corporis, sed etiam animæ curam gerit: Deus ergo potest permittere erga pios quæ eorum corpori nocent, animæ vero eorum prosunt. Quod tanto justius potest Deus quod simus in præsenti vita in quodam statu probationis, explorationis & exercitii, ac ut ita dicam, in quadam palæstra in qua per illa mala Deus virtutes exercet & ampliat ac in lucem prodit, vires animæ explicat, piosque alios a mundi amore avertit, alios ad perfectiora accendit. Rutilii innocentia ac virtus invisa adhuc lateret nisi accepisset injuriam; dum vero violatur, effulget. Ad secundum bona quibus abundant impii non sunt vera & realia: caduca sunt, nec mentem infinitum anhelantem explere possunt. Prætensa illa bona sæpe iis nocent, eorum enim usus immoderatus vires corporis atterit.

Porro

porro nemini bene esse potest ex bonis fortunæ nisi ex bono eorum usu; sicut stomacho bene esse non potest a cibis, licet optimis, nisi bene digerenti & sano. Ad tertium duo præmitto, 1. aliud occidere, aliud punire. Providentiæ ordinis & justitiæ ratio non permittit ut insons puniatur, bene vero ut occidatur ab eo qui summum jus vitæ & necis in eum habet: occidere enim est actus dominii absoluti in quo nulla potest esse injuria; qui enim vitam tanquam Dominus dedit, is eam jure suo adimere potest. Punire vero est actus judicii in quo injuria esset si pœna extenderetur ad non peccantem; pœna enim & peccatum sunt duo correllata. 11. Aliud est aliquando puniri aliquem occasione peccati cujus reus non est; & aliud ipsum insontem & ab omni peccato expertem puniri. Fieri enim potest ut qui immunis est a peccato illo alterius cujus occasione punitur, multis aliis peccatis implicetur propter quæ quovis tempore, Deo vindice, puniri meretur: occiduntur itaque, non puniuntur boni cum malis.

Inst. Esto quod bona impiorum sint fluxa & caduca, mala vero piorum corpori tantum noceant, nihilominus verum est bona temporalia esse utcunque bona, corpori utilia & aliquando necessaria, vitamque esse quid jucundum; ad bona illa jus habere pios præ impiis; ecquid enim vero nunquid pii corpus non habent aut non sentiunt? Nunquid insano Stoicorum more iis æqualis est taurus Phalaridis & balneum salutare? Unde ut Deus in hac vita unicuique retribuat pro meritis, debet quæ vere noxia sunt a justis avertere, quæ bona, ab impiis arcere: atqui hæc Deus non præstat. Ergo.

R. n. min. Et dico Deum unicuique in hac vita retribuere quantum humana patitur conditio. Nam Deus hominem ad societatem efformavit. In hac vita boni cum malis permixti vivunt, immo mutuo inter se amicitiæ vinculo connexi, etiam natura duce. Deus ergo perfectum & ad strictos juris apices compositum judicium exercere non potest quin justos impiorum suppliciis involvat. Boni enim cum malis vel amicitia, vel propinquitate conjuncti, eorum doloribus & ærumnis tangi solent. Quam partem liquidæ voluptatis gustare posset filius de parente summis doloribus affecto sollicitus? Quam relinqueret parenti jucunditatem filii unice dilecti sors luctuosa, Deo in scelerum vindictam sæviente? Quid, si peste, fame vel bello armatus incedat Deus, quot probi absumuntur? Unde si hominum delictis pœna statim parata esset, innumera in humanam societatem redundarent incommoda. Horrendum, ac triste desertum fieret totus orbis. Vel enim statim sceleratis pœnæ irrogarentur, vel interposita aliqua mora: si primum, jam ultima universo orbi imminet clades; jam nullus pœnitentiæ locus; utique multi punirentur qui pœnitentiam postea acturi essent. Si secundum, idipsum est quod Deus facit. Nam impiorum felicitas nihil aliud est quam dilatio supplicii. Denique exigit providentia ut religiosis bona virtuti propria retribuat. Unde impiis & sceleratis quibus semper aliqua virtus, bona dat temporalia. Caducam virtutem, aliquo præmio dignam, bonis caducis remunerat. Justis vero bona certa, mansura eorumque virtuti proportionata ac consanguinea retribuit. Mala quibus agitantur lenit ac demulcet pura & læta conscientia quam nullus ipsis invitis eripere potest.

Inst. Saltem inde sequitur Deum plenam hic non ferre sententiam. Ergo sequitur mancam ac proinde nullam esse omnino providentiam.

R. n. conseq. Cum plenam sententiam hic non ferat Deus, nec Religio naturalis eam doceat, hinc & Religionis naturalis insufficientiam, & alterius vitæ existentiam concludere nobis est. Hic primum sublucet hæc utraque veritas. Plenum enim judicium & sibi & justis debet Deus: non exequitur in præsenti vita; ergo in altera tale judicium nobis expectandum est. Si enim Deus seipsum sine testimonio relinqueret, nec ulla essent ejus in vita præsenti judicia, Deum otiosum rerumque nostrarum incurium pene nobis esset concludere. Ex signis autem quæ providentiæ suæ aliquando edit, concludimus & Deum curare res humanas, & expectandam nobis esse alteram vitam in qua plene retribuat.

Obj. 3. Saltem quæ ab hominum libertate pendent non dirigit Deus. Nam homines actionum suarum habent dominium; ergo se ipsos dirigunt; ergo, &c.

R. dist. Habent dominium imperfectum & cum dependentia a prima causa: c. Absolutum, adæquatum, & sine ulla dependentia: n. Jam probavimus creaturæ independentiam tribui non posse. Jam vero dominium absolutum creaturæ rationalis in suas actiones, independentiam omnimodam in ea argueret. Eo ipso enim quo creatura rationalis dominium absolutum haberet in suas actiones, jam independens esset a prima causa quoad illas actiones. Ergo jam non diceret summam dependentiam.

Inst. Cura illa pugnat cum felicitate Dei & ejus immutabilitate. Tunc enim Deus modo ex impiorum sceleribus irascitur, modo ex eorum pœnitentia placatur: atqui hæc pugnant cum Dei felicitate & immutabilitate. Ergo Deus non curat de dirigendis illis actionibus, sed ab iis oculos avertit ut ad quæ ipsi placent mentem appellat.

R. n. ant. & dist. maj. Modo irascitur, modo placatur effective: c. Affective: n. Jam vero licet irascatur effective, id est, licet signa iræ exterius aliquando det, non inde affective irascitur.

Ad sequelam dico istam Dei ab operibus suis aversionem esse absurditatis maximæ fœtum. Deus enim se ipsum cognoscere non potest, quin entia a se creata cognoscat; immo amare se ipsum non potest, quin eadem entia, ut a se creata, amet. Deum sine cognitione fingere, chimera est; ipsum sine amore supponere insanum est. Ergo Deus creaturas suas qua tales amat, non solum amore benevolentiæ, sed & amore complacentiæ. Ergo eas diligit & curat. At vero quo magis entia illa ipsum ejusque attributa referunt, & ad gloriam suam concurrere possunt, eo ipsi præsentiora & cariora debent esse. Ergo homines eorumque actiones impensius fovet. Uno verbo si Deus ab hominibus oculos avertat vel ex ignorantia, vel ex inadvertentia, vel ex odio, vel quia omnia quæ geruntur pari apud ipsum sunt in pretio: falsum est quadruplex illud consequens: ergo, &c.

Inst. Immensam majestatem omnino dedecet res tam viles, nihila nempe & atomos sic attendere. Quis enim vero Regem aliquem magnum non rideret, immo non corrigeret formicarum familiæ sollicitum, earum cursitationibus & sorti serio invigilantem? Jam vero longe magis a Deo homines distant quam formicæ a Rege illo: ergo, &c.

R. n. ant. Jam enim probavimus providentiam Dei arctissime conjungi cum attributis Dei & rerum ac hominum natura & conditione. Namque ex dictis summa bonitas Deum inclinat ad fovenda opera a se condita; summa sapientia finem a se intentum, & quem sola assequi potest, perpetuo persequitur; Deus supremum in creaturam habet dominium, & creatura ex sua conditione summam dicit insufficientiam, imperfectionem & dependentiam. Ergo providentia Deum non dedecet, utpote quam ab ipso exigant & propria ejus attributa, & rerum a se conditarum conditio. Hac providentia omnia Dei attributa elucescunt ac exercentur, v. g. justitia, misericordia, &c.

Ad comparationem institutam, dico maximam esse disparitatem tum ex parte Dei, tum ex parte hominum; ex parte Dei quidem. 1. Enim Deus est Creator hominum, immo eos ad imaginem suam efformavit; non ita Rex ille formicas de quibus habet objectio. 2. Deus infinita gaudet potentia, ejus sapientia, omnes ejus perfectiones limitibus carent; ergo ad omnia etiam minima nullo labore, nullo majorum negotiorum periculo sese extendit. At non ita Rex ille; licet enim verum non sit absolute eum minima curare non debere, ideo & risu & vituperio exciperetur si formicis studeret, quia potestas ejus arctissimis constricta limitibus, res minimas attendere non potest, quin graviora negligat. Tandem nec supremum in formicas habet Rex ille dominium, nec illud agnoscere possunt formicæ.

Ex parte hominis vero. Namque insunt homini, ut postea probabimus, quædam notiones, immo & animi propensiones quæ supponunt ipsum Deo destinatum esse. Nihil tale in formicis il-

lis

lis agnoscimus. Præterea homo legis & directionis alicujus capax est, ad certum aliquem finem collimare & componi potest. Non ita formicæ illæ. Ad quid ergo in illis dirigendis tantopere desudaret Rex ille? Et certe nihil probat exaggerata illa hominem inter & Deum disproportio. Deus enim cognoscibilis est, & ejus cognoscendi capax est homo; Deus summo honore dignus, talis honoris reddendi utcunque capax est homo. Nihil tale de formicis illis asserere est: ergo, &c.

Obj. 4. Vel Deo sua displicet administratio, vel ea ipsi placet. Si primum, infelicem sane eum, utpote qui perpetuo & probris exponitur, & ad eorum ultionem cogitur. Si secundum, jam in malo sibi complacet; in malo inquam tum morali, tum physico. In malo quidem morali; serenus enim videt peccatum quod prohibere potest, & hinc destruitur ejus sanctitas. In malo vero physico. Nam cum mundum istum creavit, vel defectus ejus prævidit, vel non; si prævidit, cur aut illum creavit, aut ab istis defectibus eum non servavit? Si non prævidit, dolendum est ipsi vel quod talia ignoraverit incommoda, vel quod ea impedire non potuerit. Unde merito incusandus vel ignorantiæ, si non prævidit; vel impotentiæ, si non potuit auferre; vel malitiæ, & crudelitatis, si noluit tollere illa incommoda. Ergo.

Præterea qualem hominum curam gerit Deus! Ipsis concessit libertatem quæ mala potius ac nociva dicenda est quam utilis & ex qua peccati auctor fit. Eo ipso enim quo Deus homines creat, v. g. in hoc momento cum omnibus eorum facultatibus & modificationibus, eo ipso utique peccatores eos creat, & peccati auctor est.

Unde sic in forma. Illud de Deo asseri non potest quod ejus attributa undequaque lædere videtur; atqui talis est providentia. Vel enim sua Deo displicet administratio, vel ea ipsi placet. Si primum, jam turbatur ejus felicitas. Si secundum, jam læditur ejus bonitas. Ergo, &c.

R. n. min. Et dico Deo suam placere administrationem, nec inde labefactari ejus bonitatem. Tunc enim non læditur Dei bonitas, ubi omnia ab ipso ordinata habent rationem boni veri & realis: atqui quæcunque a Deo sunt ordinata habent rationem boni veri & realis. Si quid enim obstaret quominus quæ a Deo sunt ordinata haberent rationem boni veri & realis, sane quia haberent rationem boni tantum imperfecti: atqui licet quæ a Deo ordinata sunt habeant rationem boni imperfecti, habent tamen rationem boni veri & realis. Licet enim aliquod bonum sit limitatum, id est, non habeat omnes gradus possibiles perfectionum, non sequitur nullam perfectionem aut rationem boni illud habere. Sicut, v. g. ex eo quod musca non habeat omnes perfectionum gradus possibiles, v. gr. licet non habeat perfectiones hominis proprias, non sequitur muscam nullatenus esse quid bonum. Ratio est, quia ad bonitatem entis sufficit & requiritur 1. ut habeat perfectiones sibi & suæ conditioni convenientes. 2. Sufficit ut habeat perfectiones quas Deus voluit ei impertiri & eo gradu quo ipsi placuit. Tunc Deus sibi complacet in illo gradu perfectionum. Ergo etiamsi Deo sua placeat administratio, non læditur ejus bonitas.

Inst. Atqui aut infelix Deus, aut crudelitatis argui posse videtur. Si enim Deo sua displiceat ordinatio, manifestum est quod summum dolorem ipsi afferat. Jam vero præsens rerum administratio Deo non potest non displicere. Nam ex una parte perpetuo probris exponitur ex continuis sceleribus quæ in hoc mundo perpetrantur; ex altera vero ad eorum ultionem singulis quasi instantibus cogitur. Ergo turbatur Dei felicitas. Si vero Deo sua placeat administratio, ergo in malo tum morali, tum physico sibi complacet. Utrunque enim serenus videt. Ergo aut infelix, &c.

R. n. ant. Quoad utranque partem. 1. Etiamsi Deo non placeret præsens rerum ordinatio, non inde langueret ejus felicitas. Felicitas enim nihil aliud est quam boni pleni & perfecti possessio, vel potius gaudium ex hac possessione ortum. Jam vero præsens rerum constitutio nec possessionem illam, nec gau-

dium ex ea proveniens turbare potest. Nam in tantum vel possessionem illam, vel gaudium illud turbare posset rerum illa constitutio, in quantum ex illa constitutione & ex creaturis vel bona sua, vel gaudium suum haberet Deus: atqui res non ita se habet: in se ipso totam suam felicitatem Deus habet. Ipsi enim naturalis est summa perfectio, necessariusque & infinitus in se ipsum amor. Ergo ex se ipso, non ex creaturis habet tum bona sua, tum gaudium ex bonorum illorum possessione proveniens. His extrinseca est omnino præsens rerum conditio, ac consequenter nihil horum eam turbare potest. Turbamur quidem nos ex iis quæ extra nos posita sunt, quia cum finitæ sint perfectiones nostræ & finitus sit nostri amor, nobis ad felicitatem non sufficimus, sed ex objectis externis eam emendicare cogimur. At Deus felicitatem suam, seu bonum suæ naturæ congruum & conveniens ex se habet. Omnia possidet quæ possit & velit possidere. Infinitam habet scientiam qua omnia novit; infinitam potentiam qua omnia potest desiderii sui objecta assequi. Hinc pacato ac tranquillo animo opprobria sibi illata & contemplatur, & ulciscitur. Ergo etiam si Deo displiceret præsens rerum constitutio, integra remaneret ejus felicitas quæ, ex dictis, est gaudium ex possessione perfecta illius quod unice diligitur. 2. Quamvis præsens illa rerum ordinatio Deo placeat, non ideo in malo sibi complacet. Non in malo morali, quod plectit. Malum physicum non est ex se & intrinsece quid malum; contra illud remedia parat. Et certe Deus complacet sibi in eo omni quod bonum est & quod ipse fecit in præsenti rerum conditione, sed non ideo sibi complacet in eo quod superaddit homo, vel in eo quod homini per accidens succedit. Ergo nec infelix Deus, &c.

Inst. Atqui ex præsenti administratione aut infelix Deus, &c. Cum enim Deus mundum istum creavit, vel ejus defectus prævidit, vel non. Si primum, jam mundum istum salva sua bonitate creare non potuit, nec conservare potest; ens enim summe bonum non nisi bona & quidem perfecte bona facere potest. Si secundum, jam de incommodis suo operi annexis dolere debet. Ergo aut infelix, &c.

R. n. min. Et dico Deum prævidisse defectus quibus subjacet mundus noster, nec inde ejus bonitatem labefactari. Quod ut pateat observ. 1. Deum creaturam condere non potuisse infinitam & in suis perfectionibus illimitatam. Alias creatura illa Deo par esset & æqualis; esset Deus ipse. Perfectiones autem possunt esse infinitæ & illimitatæ vel in se, ratione sui ac entitatis, vel ratione gradus & modi quo communicantur. Neutro sensu potuit Deus concedere creaturæ perfectiones infinitas & illimitatas. Potuit ergo, immo debuit ipsi impertiri beneficia vel in se finita, vel in se infinita, sed limitata ratione modi & gradus. Hinc sequitur Deum condere non potuisse creaturam ab omni omnino defectu immunem; defectus enim & limitatio sunt unum & idem. Ergo illæsa bonitate Deus potuit condere creaturam mutabilem & iis obnoxiam defectibus qui sponte fluunt ex ejus natura suntque illius appendices. Observ. 2. Et hinc conclude providentiam Dei non exigere ut creaturam suam ab omni imperfectione liberam faciat, sed tantum ut ipsi contra hos defectus remedia opportune præparet. Tunc enim Deus creaturam suam, ut par est, curat & fovet cum ipsam munit contra defectus quos tollere non potuit, nisi mutata creaturæ conditione & destructa ejus natura. Ex his sic argumentor. Ideo prævisis mundi præsentis defectibus Deus mundum illum creare non potuisset, quia cum sit summe bonus, non nisi summe bona facere & largiri potest: atqui nedum non nisi summe bona, id est, infinita & illimitata in se aut summo gradu ac infinito modo, largiri teneatur, immo non potest, sed tantum bona creaturæ conditioni proportionata. Ergo illæsa bonitate Deus potuit concedere homini bona imperfecta. Ergo potuit Deus, illæsa sua bonitate, mundum istum creare prævisis ejus defectibus. Et certe, ut jam diximus, bona creaturæ a Deo concessa, licet annexam habeant limitationem & imperfectionem, sunt tamen

vere

vere bona, ficut v. g. vita & exiftentia licet caduca fit & fluxa, eft tamen quid bonum. Ergo etiam licet Deus vitæ & exiftentiæ hujus fragilitatem præviderit, exiftentia illa non definit effe quid bonum. Ergo a pari illæfa bonitate, &c.

Inft. Atqui læditur bonitas. Ex conceffis enim incommoda quibus premitur humanum genus prævidit Deus, nec tamen fuftulit: atqui hoc ipfo læditur ejus bonitas. Ideo enim incommoda illa non fuftulit Deus, vel quia non potuit, vel quia noluit: potuit fane; ergo noluit; ergo læditur Dei bonitas.

R. n. confeq. fcilicet lædi fummam Dei bonitatem ex eo quod incommoda illa feu allatos defectus tollere aut præcavere noluerit. Summa Dei bonitas in eo confiftit quod dona concedat vere & in fe bona, non in eo vero quod largiatur vel omnia bona quę poteft, vel in fummo gradu, vel in eo quod a creatura tollat omnes omnino defectus quibus pro fua conditione fubjacet aut fubjacere poteft. Quod fi quis quærat cur hæc mala arcere noluerit Deus, ftupomus quidem, fed plenam refponfionem dare non poffumus. Hoc unum nobis conftat nempe hinc non lædi ejus bonitatem aut quodlibet ejus attributum. Quod ut pateat obferv. 1. Ex dictis & probatis Deum, illæfa fua bonitate ac tota fua natura, condere potuiffe creaturam limitatam & imperfectam; fed ex illa limitatione & imperfectione fluunt pleraque mala de quibus agitur & quibus vexatur humanum genus. Ergo. 2. Deus illæfa fua bonitate & natura, pro fumma qua potitur libertate, potuit omnem mundum poffibilem eligere; unum enim attributum præ alio manifeftare non tenetur, cum omnia ejus attributa fint æqualiter infinita. Ergo, illæfa fua bonitate, potuit feligere mundum præfentem; eft enim poffibilis, utpote qui exiftat. Sed ex conceffis in mundo præfenti exiftunt omnis generis mala: Ergo Deus, illæfa fua bonitate & natura, potuit mala illa non tollere. Hæc obfervatio valet tum pro malo phyfico, tum pro morali de quo mox agemus. Ceterum hos ignorare cur Deus mala illa non abftulerit haud mirum. In fcientiis omnibus, in ipfa cum primis Philofophia occurrunt difficilia non pauca, ita quandoque perplexa, ut ex iis vel folertiffimi quique vix ac ne vix fefe extricare poffint. Sic, ver. gr. quid notius materia? quid motu apertius? In his tamen omnibus graviffimæ ac humanæ fagacitati infuperabiles undequaque enafci difficultates nemo nefcit. Ita a pari, etiamfi nodos omnes quibus implicatur providentiæ notio folvere nequeamus, non ideo neganda vel rationi adverfa judicanda eft providentia. Id arctiffimis ingenii noftri limitibus eft adfcribendum. Nec mirum fane fi facultas finita & limitata infinitæ fapientiæ thefauros intime perfpectos non habeat. 3. Hanc obfervationem hic præfertim valere. Agitur enim de re vaftiffima & excelfiffima quæ fi a nobis perfecte comprehenderetur, jam definere effe id quod eft. Ut enim certo a nobis definiri poffet in omnibus cafibus quid Deum deceat, quid vero ipfi indecorum fit, oporteret ut naturam & ejus perfectiones perfecte & ad amusfim cognofceremus, ut certum de Dei operibus ac eorum commodis vel incommodis judicium ferre poffemus, neceffe effet ut omnia illa opera eorumque nexum ac feriem plane cognofceremus. Quæ omnia nemo fibi arrogare audebit. 4. Difficultates bene multas quæ contra providentiam urgentur non tam rem ipfam quam rei modum fpectare. Inter illas difficultates plurimæ probant, ad majus, Providentiam ab his aut ab illis male concipi, vel principium generale male ad tales vel tales cafus applicari, at falfum effe principium illud, aut nullam effe omnino providentiam minime evincunt. Denique conferantur hinc & inde & argumenta quibus impugnatur, & momenta quibus ftabilitur providentia, quantæcunque rationes contra providentiam militent, aut potius militare videantur, longe plures & validiores pro ea militare manifeftum erit. Dentur, v. gr. ut volunt adverfarii, dentur quædam rerum minus rite ordinatarum exempla, at quanto plura & apertiora rerum pulcherrima fpecimina fefe offerunt? Porro his potius quam illis moveri decet. Siquidem hæc nativa fua pulchritudine fe commen-

mendant; illa vero non nisi inscitiæ nostræ pondus suum debere credibile est. Illa recte ordinata finique suo apte proportionata dissimulare non possumus, hæc vero eo solo criminamur titulo quod usum finemque cui inserviant non detegamus.

Inst. Atqui eo ipso quo incommoda illa prævidit Deus, nec sustulit, jam ruit ejus bonitas. Inter enim incommoda & mala illa unum occurrit maximum & præcipuum, nempe peccatum, quod prævidit, quod facile tollere potuit, nec tamen sustulit, cujus possibilitas immo & existentia a Deo ipso quasi & saltem mediate oritur, licet sanctitatem, bonitatem & omnia ejus attributa evertat. Et quidem ens summe sapiens agere non potest sine sufficienti ac legitimo motivo; motivum non tollendi, seu permittendi peccati foret in Deo vel ratio provisoris generalis, vel ejus attributorum manifestatio, vel libertas Dei, vel libertas homini concessa: atqui nullum ex his motivis sufficiens ac legitima censeri potest ratio non tollendi, seu permittendi peccati.

1. Quidem insulsa est responsio desumpta ex ratione provisoris generalis, tum quia hæc ratio non valet pro hominibus nisi quia pluribus non sufficiunt & ad tot ac tanta sunt impares; tum quia Deus est provisor particularis simul & generalis.

2. Libertas Dei non plus roboris habet; supponit enim statum quæstionis. Agitur an Deus pro sua voluntate & libertate potuerit permittere peccatum. Non potest ergo responderi eum illud posse, quia liber est. Deinde si ex illa permissione lædantur & evertantur Dei attributa, jam libertas, quæ nihil potest contra illa attributa, non est ratio sufficiens & legitima.

3. Nec etiam hominis libertas. Vel enim esset libertas contradictionis vel contrarietatis: porro neutra libertatis species est motivum sufficiens & legitimum permittendi peccati; quia neutra exigit & importat existentiam peccati. Non libertas contradictionis, quæ est tantum facultas electiva unius boni præ alio, ac proinde nullam dicit connexionem cum existentia peccati; &, quod notandum est, sola est de essentia libertatis. Unde potuit Deus concedere homini veram libertatem mercedis cujuslibet meritoriam, nec tamen permittere peccatum. Quantum ad libertatem contrarietatis, seu facultatem electivam boni & mali, Deum talem concedere homini libertatem & permittere peccatum, sunt quid unum & idem. Eadem recurrit difficultas & quoad libertatem illam & quoad peccatum. Deinde potuit Deus libertatem illam concedere, nec tamen permittere peccatum. Potest enim largiri gratias efficaces quibus præcaveatur peccatum & cum quibus integra stare libertas. Ergo illa etiam altera libertatis species non importat peccati existentiam.

4. Non denique attributorum manifestatio quæ ex una parte non sufficit enti quale est Deus; ex altera vero major ac splendidior foret peccato non permisso. Et quidem manifestatio attributorum, est quid Deo omnino accidentale. Deus omnia propter semetipsum operatus est; sibi soli sufficit, nec laudibus nostris eget. E contra stat odium essentiale & infinitum quod destructionem & non existentiam peccati necessario postulat. Hinc sequitur manifestationem attributorum Dei nihil esse & evanescere ex ejus odio erga peccatum: deinde non manifestatio illorum attributorum, si Deo contrariatur, negative tantum contrariatur; at peccatum permissum positive Deo adversatur. Homines enim sola natura duce & absque revelatione vix conciliant peccati eam permissionem cum Dei bonitate & ceteris ejus attributis. Ergo illa attributorum manifestatio evanescit. Deinde integra, immo splendidior foret hæc manifestatio peccato non permisso. In aprico enim poneretur bonitas Dei quæ tam grande malum a creatura excluderet; sanctitas & odium erga peccatum clarius paterent, ut mox videbitur; manifestari posset justitia distributiva ex præmiorum distributione, vindicativa vero sufficienter ex distributiva erueretur: Ergo peccato non permisso, satis, immo vividius exprimerentur Dei attributa. Quin etiam permissio peccati obstat huic manifestationi & ea destruit attributa. Manifestanda est enim bonitas infinita, id est qua ma-

jor nec esse, nec concipi potest. Ita pariter de odio erga peccatum. Summa & qua major dari non potest gloria in eo consistit ut qui aliis præest virtutem, ordinem ac pacem inter omnes tutetur; quam ex eorum subditorum infortunio erueret, falsa est & infelix. Summus & quo major esse aut concipi non possit virtutis amor absque ulla vitii commixtione. Quod si hanc possit civibus suis præstare felicitatem & tamen vitium erecta fronte grassari sinat, licet illud postea ulciscatur; amor quo virtutem prosequitur non est, ille quo major concipi non possit. Denique summum non est erga vitium odium si existere permittatur & æternum puniatur; summa pœna est annihilatio; ergo summum est odium quo peccatum annihilatur antequam existat. Fieri non potest ut Deo summe bono & sancto vitium sit medium unicum, aut saltem necessarium manifestandæ gloriæ. Deus ille homini bonus, concipi non potest cui placere possit systema aut ordo in quo maximæ hominum partis damnatio & miseria ejus felicitati conducat, & eam damnationem natura illius entis exigat. Eo ipso quo peccatum gloriæ Dei concurrit, Deus peccatum non diligere non potest eo amore quo gloriam suam amat. Hinc enim peccatum speciem quandam bonitatis & amabilitatis contrahit: hinc ergo læduntur Dei tum bonitas, tum sanctitas. Ergo hæc attributa non sunt infinita, aut saltem non ut talia manifestantur permisso peccato. Ergo nullum assignari potest legitimum ac sufficiens motivum permittendi peccati. Quod si dicas te ignorare motivum quo Deus inducatur ad illam permissionem; ergo gratis nullaque ratione asseritur Deum illud permittere. Motivum enim quod ignoratur idem est ac si nullum esset. Hæc in varios distribuenda sunt syllogismos. Illa permissio fictitia est cujus nulla afferri potest ratio legitima ac sufficiens: atqui permittendi peccati nulla afferri potest ratio legitima ac suffic eus: ergo.

R. 1. n. maj. Possumus asserere Deum posse permittere peccatum, licet ignoremus rationem & motivum quo ad illud inductus fuerit. Deus enim, utpote infinita sapientia præditus, potest habere motiva homini, utpote finito, impervia. Nec inde concludendum nos id asserere sine motivo. Nam ex una parte videmus existere peccatum; ex altera vero evidens est illud existere non posse, nisi aut operante, aut permittente Deo; denique evidens est Deum operari non posse peccatum; evidens est etiam illud permittere non potuisse sine legitima & sufficienti ratione; ergo restat ut peccatum permittat Deus legitima ex ratione. Ergo licet ignoremus motivum quo determinate ac speciatim inductus fuerit Deus ad permittendum peccatum, possumus concludere eum habuisse illius permittendi rationem legitimam qualiscunque tandem illa sit.

R. 2. n. min. Et dico libertatem sive Dei, sive hominis, sive utranque simul afferri posse ut legitimum permittendi peccati motivum. 1. Quidem libertas Dei. Scilicet permittit peccatum, quia vult illud permittere. Ex summa qua potitur libertate, potuit eum eligere ordinem qui nunc est, tum quia mundus iste est possibilis, existit enim, tum quia Deus non tenetur aut unum attributum præ alio manifestare, aut tali potius quam tali gradu manifestare. Ergo Deus potuit pro sua libertate eum eligere ordinem in quo permitterentur peccata. Nec sane hoc dici potest petitio principii. Cum enim Deus sibi sufficiat, nec extra se agendi motivum emendicare possit, aut cogatur, tota ratio facti alia esse non potest nisi voluntas facientis; ver. gr. cur Deus creare mundum voluerit, nulla proferri potest ratio, nisi quod illum creare voluerit: equidem nihil potest libertas Dei contra ejus attributa, sed peccati existentia nullo modo nocet divinis attributis, ut ex sequentibus mox solutionibus patebit. Quantum ad libertatem humanam, potuit ejus concessio Deum movere ad permittendum peccatum. Deum enim potuisse concedere homini libertatem imperfectam mox dicemus ubi de hac difficultate. Concessa vero libertate imperfecta, jam possibile fit peccatum ex natura illius libertatis; existit vero ex vitio hominis. Ergo Deus aut non potuit concedere li-

bertatem imperfectam, aut si potuit, peccatum etiam potuit permittere ratione & motivo ex libertate desumpto. Diffiteri non possunt, aut saltem non videntur adversarii, Deum potuisse concedere homini libertatem quam vocant contrarietatis, modo ejus exercitium gratiis efficacibus muniret. Sed hoc ipso possibile sit peccatum, positoque possibili in actu nihil sequitur absurdi. Peccati autem existentia non magis nocet Deo quam ejus possibilitas. Potuit quidem dare gratias efficaces; sed potuit etiam non dare. Nam gratiæ efficaces perficiunt libertatem; potuit ergo illas dare, quia potuit perficere libertatem; sed potuit etiam non dare, quia nullum Dei attributum exigit ut homini concedat libertatem tali vel tali gradu perfectam. Potuit ergo velle condere hominem liberum; potuit libertatem ejus nativæ suæ conditioni relinquere. Ergo.

Inst. Atqui libertas homini concessa non est Deo sufficiens motivum permittendi peccati: illud non est motivum sufficiens quo Deus induci non potuit illæsis suis attributis: atqui Deus ex libertate illa induci non potuit ad permittendum peccatum illæsis suis attributis: nam libertas quam concessit est ad malum versatilis: atqui libertatem ad malum versatilem concedere non potuit Deus illæsis suis attributis ac præsertim illæsa sua bonitate. Ergo.

R. n. min. Et dico Deum, illæsis suis attributis, ac etiam bonitate, potuisse concedere homini libertatem ad malum versatilem. Deus enim, illæsa sua bonitate, potest concedere id omne quod est realiter bonum: atqui libertas etiam in malum versatilis est realiter bona. Bonum enim ex eo quod sit imperfectum, non definit esse bonum; sic vita, licet imperfecta, utpote brevi duratura & multis obnoxia miseriis, nihilominus est bona. Ergo a pari libertas quæ est imperfecta quia est ad malum versatilis. Malum enim seu peccatum vel in aliquo negativo, vel in aliquo positivo consistit: jam vero utrumvis dicatur est utrobique imperfectio quam permittere potuit Deus illæsa sua bonitate. Et quidem si malum morale sit mera privatio debitæ rectitudinis, jam manifestum est libertatis versabilitatem ad malum nihil aliud esse quam potestatem deficiendi seu aberrandi a lege, ac proinde esse defectum. Jam vero defectum illum potuit permittere Deus illæsa sua bonitate. Bonitas enim Dei, utpote infinita, cuilibet defectui opponitur; omnis enim defectus felicitati ac perfectioni hominis ex natura sua opponitur. Ergo aut nullum, aut quemcunque defectum permittere potest Deus illæsa sua bonitate. Sed ex probatis Deus, illæsa sua bonitate, potuit condere hominem defectibilem, imperfectum & mutabilem. Ergo. Quod si peccati natura in aliquo positivo reponatur, non minus obtinent principia hucusque posita, nec læditur summa Dei bonitas ex peccati permissione. Deus enim seipsum in homine depingere voluit ut tamen se ab eo distingueret. Ut ergo se in homine depingeret, debuit ipsi quasdam suas perfectiones communicare certa quadam proportione; ut vero se distingueret, omnes & omni gradu communicare non potuit. Sicut enim quædam sunt in Deo perfectiones communicabiles, ut bonitas, v. gr. sic sunt etiam quæ communicari non possunt, ut infinitudo, infallibilitas & immutabilitas. Deus ergo ex sua bonitate in creando homine non tenebatur ipsi concedere infallibilitatem in cognoscendo, aut luminis mensuram quæ sit supra omnem ignorantiam & errorem, sicut nec firmitatem in bono volendo quæ superet omnem inconstantiam & levitatem; immutabilitas enim in bono & infallibilitas in cognoscendo non sunt homini essentiales, nec his absentibus, libertas aut homo non desinunt esse quid bonum. Jam vero ex hac fallibilitate in cognoscendo & mutabilitate in volendo, sponte sequitur voluntatis seu libertatis versabilitas ad malum. Ergo.

Inst. Atqui Deus, illæsa sua bonitate, concedere non potuit libertatem ad bonum versatilem. Deus, illæsa sua bonitate, non potuit homini concedere donum quod libenter concederet ens homini summe infensum & inimicum: atqui quam habet homo libertatem ad malum versatilem potuit homini concedere ens summe ipsi infensum & inimicum.

cum. Ens enim infensum & inimicum hostibus suis elargiri potest dona in se quidem bona, sed quæ in eorum perniciem & malum vertenda esse certo prævidit, subministratis etiam auxiliis ad devitandam perniciem illam, sed quæ certo prævideret effectu suo defraudanda esse; tunc enim certam facit eorum perniciem ex æquo ac si malum iis irrogaret. Ergo.

R. 1. n. maj. & parit. Et dico Deum, illæsa sua bonitate, concedere potuisse donum quod largitus fuisset ens malignum & summe homini inimicum. Libertas & auxilia quibus consociatur sunt quid in se bonum, in malam quidem partem verti possunt, sed etiam in bonam. Tota ergo dantis bonitas aut malitia æstimanda est ex mente & intentione dantis; an revera bonum vel malum accipientis intenderit ubi præsertim in accipientis damno nullæ sint dantis partes. Donum itaque quodcunque potest considerari in se vel ratione intentionis ex parte dantis. Ens summe bonum & summe malignum possunt conferre idem donum; sed non possunt eadem intentione. Ens enim malignum donum offerret in se quidem bonum, sed ea mente eoque consilio ut ex prævisis circumstantiis noceat accipienti. Non læditur autem bonitas ex eo quod donum aliquod exitum malum sortiatur, licet prævisus fuerit, sed ex eo quod in dante adsit lædendi voluntas & intentio. Jam vero nedum probetur libertatis concessionem & auxiliorum quæ eam fulciunt elargitionem oriri in Deo a perdendorum hominum cupidine, immo contrarium constat. Certum est enim existere ens summe perfectum; ens illud unicum esse, providum ac summe bonum. Contra illa primaria principia per se nota occurrit difficultas ex libertatis concessione desumpta; sed ex illis principiis constat Deum esse summe bonum, nec lædendi consilium mente concipere posse. Ergo fieri non potest ut libertatis concessio proficiscatur in Deo a voluntate lædendi.

R. 2. n. min. In principiis Manichæorum. Nam in illis principiis ens summe malignum tale est ex natura sua, essentialiter & necessario. Ergo ex natura sua aversatur id omne quod habet rationem boni. Sed libertas & auxilia quæ eam comitantur, licet sint versatilia, sunt tamen bona in se. Ergo in principiis Manichæorum ens summe malignum ea elargiri non potest.

R. 3. Dist. min. Quam homo habet libertatem potuit ipsi concedere ens homini infensum, sed finitæ virtutis & potentiæ, sicut inimicitiæ: c. infinitæ virtutis & potentiæ: n. Itaque, ut jam observavimus, ex concessa & male impensa libertate plurimi damnantur, at multi etiam ope hujus libertatis felicem sortiuntur statum, omnes ceteris entibus præcellunt. Jam vero hoc posito concipi non potest libertatem oriri posse ab ente homini infenso. Cur enim concederet donum quo non omnes, sed aliqui damnentur? Hoc evolvi non potest nisi ex eo quod ens illud vel non omnes oderit, ac proinde finitam & limitatam gerat inimicitiam, vel ex eo quod vel ignoret media perdendis hominibus idonea, aut ea usurpare non possit, ac proinde finitæ sit potentiæ & sapientiæ. Deus similis foret homini qui omnes perdere impotens, quos posset tantum subrueret. Nihil horum dici potest de Deo in suis tum inimicitia, tum potestate & sapientia infinito. Ergo, &c.

Inst. Atqui Deus, illæsa sua bonitate, non potuit concedere homini libertatem ad malum versatilem. Deus enim non potuit concedere homini id quod homo recta ratione utens sibi eligere aut dare aut accipere non posset; porro homo recta ratione utens, non posset sibi dare aut accipere libertatem illam. Si enim homo sicut Deus libertatis abusum certo præbideret, tunc sane præbideret etiam donum illud vertendum esse in sui perniciem, in Dei dedecus & opprobrium: libertatem ergo sibi dando aut accipiendo certo illius abusu præviso in propriam perniciem, in Dei dedecus & opprobrium consentiret; sed quantumvis homo sciat se libertate bene uti posse, eo ipso quo ea male se usurum esse prævidit in sui perniciem & Dei dedecus, non potest consentire in propriam perniciem aut in Dei dedecus. Res exemplo illustrari potest. Sit homo cui decem mala aurea mittantur: novit quidem

homo

homo ille ex moderato illorum esu multa proventura sibi bona; novit etiam penes se stare ut illo fructu modeste utatur; & certo etiam cognoscit se ex iis immoderate esurum, & ex illo esu sequuturum esse tum sui ipsius interitum, tum patris sui & totius familiæ dedecus. Homo ille mala illa aurea accipere non posset, si foret sui compos, quin in propriam consentiret perniciem. Ita a pari de homine quantum ad libertatem. Ex his sic concludo. Deus concedendo libertatem ad malum versatilem, illius abusum certo prævidit: atqui, præviso illo abusu, non potuit homini concedere libertatem ad malum versatilem, illæsa sua bonitate erga hominem. Deus enim, illæsa sua bonitate, non potuit homini concedere id quod homo recta ratione utens non potuisset, illæso sui amore, sibi dare aut accipere: atqui homo recta ratione utens non posset, salvo sui amore, sibi dare aut accipere libertatem ad malum versatilem cujus abusum certo prævideret. Nam non potest, recta ratione utens, consentire in sui perniciem. Ergo nec Deus, illæsa bonitate, potuit eam homini dare præviso illius abusu.

R. 1. n. maj. & parit. Ideo homo non posset in casu proposito libertatem prædictam sibi dare aut accipere, 1. quia in propriam perniciem consentiret, & sic a proprio sui amore deficeret. Deinde quia consentiret in Dei dedecus & sic ab ejus deficeret dilectione, quæ quidem duo sunt contra rectam rationem. At nullum ex his momentis contra Deum militat. Non primum; nullam enim veram & intrinsecam Deo infert perniciem peccatum. Non secundum, tum quia gloria externa quam evertit peccatum est Deo omnino extrinseca & accidentalis; tum quia alia gloria extrinseca eam quam per peccatum amittet compensare potest & quidem cumulate; tum denique quia gloriæ hujus externæ dominus est Deus, non homo cujus non est patrimonium & in quam nullum habet jus.

R. 2. n. maj. alia de ratione. In præfata majore instituitur comparatio inter Dei bonitatem relativam, seu erga nos & amorem quo seipsum unusquisque prosequitur & prosequi debet ex rectæ rationis dictamine: vult illa major Deum non posse offerre homini libertatem ad malum versatilem quin lædat bonitatem quam erga nos habet, sicut homo eam libertatem sibi dare aut accipere non potest, quin contradicat amori quam sui ipsius gerere debet ex rectæ rationis usu. Porro hoc falsum est. Homo enim ex amore sui tenetur sibi velle omne bonum quod potest & a se arcere omne malum quod potest; ita pariter Deus idem tenetur præstare erga seipsum ex bonitate absoluta & ex necessario illo quo seipsum prosequitur amore. At vero non ad id tenetur erga creaturam ex bonitate relativa. Ex illa enim propensione qua amat creaturam Deus non tenetur eam diligere sicut seipsum; nam diligit seipsum amore infinito, ergo nec tenetur velle creaturæ id omne quod sibi vult, & ab ea arcere id omne quod sibi ipsi nocet aut injucundum est. Ergo Deus, salva bonitate relativa, potest concedere creaturæ id quod creatura, recta ratione utens, sibi dare aut accipere non posset salvo sui amore.

Inst. Atqui Deus, illæsa sua bonitate relativa, non potuit homini concedere libertatem ad malum versatilem præviso illius abusu. Non magis Deus talem libertatem in assignato casu potuit homini concedere quam pater ensem potest subministrare filio furioso quo in suicidium usurum esse certo prænoscit: atqui sane in illo casu pater ex amore erga filium ensem ipsi furioso quo ad suicidium usurum esse prænoscit subministrare non potest. Ergo nec Deus ex bonitate relativa libertatem ad malum versatilem, præviso illius abusu, concedere potuit. Ergo Deus non magis libertatem illam homini concedere potuit in casu proposito quam pater ensem filio furioso.

R. n. maj. Eidem argumento eadem sit responsio. Pater ille de quo agitur, filium, ut par est, non diligit ensem illi tradendo; filium enim diligere debet ut seipsum; Deus autem nos diligere non tenetur ut seipsum, ut mox probavimus. Deus enim ejusdem naturæ non est ac nos, sed longe excellentioris.

Ergo cum res diligat secundum uniuscujusque perfectiones & perfectionum gradus non debet, nec etiam potest nos sicut seipsum diligere.

Inst. Atqui Deus, illæsa sua bonitate non potuit concedere homini libertatem ad malum versatilem. Bonitas enim Dei est infinita, summa, & qua major dari aut concipi non potest; nec infinita foret si major posset concipi. Jam vero, illæsa tali bonitate, concedere non potest Deus libertatem ad malum versatilem. Deus enim ex sua bonitate, quæcunque fecit aut dedit ea facere aut dare debuit ut in creaturæ felicitatem vergerent. Ergo dona ab ipso concessa creaturam ejus miseram facere non debent; alias non forent vera bona, bonitasque ejus minor esset quam concipitur; seu alia major esse & concipi posset, ea nempe quæ bona absque ullius mali commixtione communicaret, aut malo vitando efficacissima subministraret media; hæc autem eo magis obtinent quod libertas sit donum gratuito a Deo concessum homini non petenti, & facile fuerit Deo omne malum arcere. Idem dic de sanctitate Dei vi cujus odio infinito peccatum prosequitur. Summum & maximum odium non in permittendo ad tempus peccato postea vero æternum puniendo, majus concipitur quo nequidem peccatum existere finitur. Ex his sic argumentari licet. Bonitas sicut sanctitas infinita est ea qua major dari non potest: sed bonitas quæ concedit libertatem ad malum versatilem minor est ea bonitate quæ libertatem in bono immutabiliter defixam concederet. Ergo bonitas quæ dat libertatem ad malum versatilem non est infinita. Ergo Deus, illæsa sua bonitate, non potuit concedere libertatem ad malum versatilem.

R. dist. maj. Bonitas infinita est ea qua major dari non potest in se aut potentia: c. in actuali communicatione: n. pariter dist. min. Bonitas quæ concedit libertatem ad malum versatilem minor est ea quæ concederet libertatem immutabiliter in bono defixam; minor est, inquam, quoad actualem communicationem: c. minor est in se aut potentia: n. Itaque bonitas Dei in se est infinita; est etiam talis relative ad nos potentia; potest enim semper plura & majora addere pro sua inexhausta fœcunditate. Bonitas autem Dei erga nos, seu relativa, non est infinita in actuali communicatione, quia seipsam, seu suos effectus non potest nobis communicare summo & infinito gradu; quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Ergo cum creatura sit finita, bonitas Dei ipsi communicari non potest summo & infinito gradu. Denique bonitas quæ libertatem in bono immutabilem faceret major foret relative ad nos & quoad effectus & ratione doni; majus enim & perfectius donum concederet, hinc suam bonitatem splendidius manifestaret Deus, sed bonitas illa in se eadem semper est & remanet quodcunque tandem bonum elargiatur. Ex præsenti ergo difficultate sequitur tantum Deum actu nobis non conferre omne bonum & eo omni gradu quo potest, at non sequitur Deum nullatenus nobis bonum esse, id est, nullum bonum nobis communicasse. Libertas enim qualem habemus est certe bonum & quidem eximium, licet melior & perfectior dari & excogitari possit. Sic etiam Deus, ut censeatur nobis bonus, non debuit nobis dare, nec dedit nobis intelligendi facultatem infallibilem, nec etiam quæ sine labore & exercitio res statim apprehenderet; ergo nec a pari debuit, ut Deus censeatur nobis bonus, dare libertatem quam potuit perfectissimam. Hæc difficultas ut bene multæ aliæ supponit, 1. Deum non posse esse summe bonum in se, quin eo ipso sit nobis summe bonus actuali communicatione. 2. Supponit Deum nullatenus censeri posse nobis bonum eo ipso quo nobis talis non est actu infinita sui communicatione; quæ duo evidenter falsa sunt. Idem dicendum de sanctitate seu odio Dei erga peccatum. Odium illud majus esset quoad effectus, & splendidius manifestaretur peccato nequidem permisso, sed ad talem & tali gradu sanctitatis manifestationem nulla lex obligat Deum.

Inst. Ergo immerito concluditur tum bonitatem, tum sanctitatem Dei esse infinitas.

R. dist. sequel. Ergo istud immerito concluditur ex effectibus: c. absolute: n. Ex idea Dei & ex intuitu idearum concludimus omnia Dei attributa ac proinde sanctitatem & bonitatem esse infinita in se; eo ipso quo sunt infinita in se, deducimus esse infinita erga nos potentia, quia plures & semper plures sui effectus communicare nobis possunt & manifestare; at cum effectus attributorum divinorum sint finiti, ex iis praecise aestimanda non sunt illa attributa, sed ex summa qua se produnt libertate & independentia. Sic, v. g. Dei potentia in creando mundo, non praecise ex eo mundo aestimari debet, sed ex supremo nutu quo eam librat & exercet. Causa enim illa procul dubio est infinita quae sibi sufficit, nec aliunde emendicare cogitur suae actionis motiva & media, nec durae necessitati serviliter servit. E contra causa finita & limitata omnibus indiget, extra se mendicat, necessitati servit; dependentiam enim arguit ac subordinationem, quia non sibi sufficit. Causa infinita limitatos effectus producit, tum ex natura creaturae, tum ex summa qua se prodit libertate; causa finita finitos producit effectus ex suae efficacitatis ac foecunditatis limitibus. Idem esto judicium de sanctitate.

Inst. Atqui, illaesa sanctitate, Deus non potuit concedere homini libertatem ad malum versatilem. Illud Deus non potuit concedere, illaesa sanctitate, quod facit ipsum auctorem peccati: atqui libertas ad malum versatilis facit Deum auctorem peccati; nam ex una parte libertas illa Deum habet auctorem; ex altera vero, libertas illa intimam ac necessariam dicit cum peccato connexionem. Tolle enim libertatem illam, jam non est peccatum; pone illam eandem libertatem, jam adest peccatum hoc solo quod libertas ad peccatum sit versatilis. Ergo ex illius libertatis concessione ruit Dei sanctitas.

R. n. min. Et dico libertatis ad malum versatilis concessionem non facere Deum auctorem peccati. Ad probationem dico 1. libertatem esse conditionem sine qua non existeret peccatum, non vero causam ejus efficientem. Dico 2. libertatem connexionem necessariam dicere cum possibilitate peccandi, non cum peccati existentia actuali. Dico 3. sive peccatum consistat in negativo, sive reponatur in positivo Deum non censendum esse illius causam. Si enim peccatum sit mera negatio, non arguit causam efficientem, sed deficientem, ac proinde non Deum. Etiamsi peccatum importet aliquid positivum in suo formali conceptu, Deus non fit illius auctor; tum quia etiam in illo casu libertas dicit connexionem tantum cum possibilitate peccati, tum quia peccati existentia etiam tunc oritur ex ignorantia in intellectu creaturae, & ex levitate ac inconstantia in ejus voluntate; sed cum illa levitas & ignorantia sint naturales creaturae appendices, sola creatura fit auctor peccati.

Inst. Atqui ex concessa libertate Deus fit auctor peccati. Licet enim libertas necessariam cum peccati existentia connexionem non dicat, ordinem dicit certum ad peccatum, sicut potentia ad actum certo & infallibiliter reducenda: atqui eo ipso quo ordinem illum dicit, jam Deus fit auctor peccati. Qui enim furioso alicui quem ad mortem obstinatum esse certo noscit ensem subministraret, necis hujus foret auctor. Ergo a pari Deus concedendo libertatem ad malum versatilem, praeviso illius abusu, fit auctor peccati.

R. n. min. ad prob. n. parit. Hujus difficultatis auctores Deum in jus vocant eodem modo & pari methodo ac in saecularibus & humanis judiciis. Homines enim in penetranda veritate parum oculati ex verisimilitudinibus & apparentiis sententiam plerunque ferre coguntur. Sic, v. gr. volunt Deum non posse permittere peccatum, quin peccati auctor sit, quia inter homines verisimile esset eum parentem peccati reum esse qui filio furioso ensem praeberet; apparentiae enim & praesumptiones contra patrem illum testimonium ferrent, nec valeret ista excusatio: permisi, non feci. Sed observandum est non semper eum, qui malum praevidit nec impedivit, hujus auctorem judicandum esse. Praesumptio enim allata aliquando etiam in civilibus judiciis spernitur dili-

gen-

gentiori discussione, præsertim si adsint validissima motiva hujus permissionis. Porro res ita in præsenti casu accideret, si talis discussio in Deum caderet, & omnia ac singula ejus motiva intime nota habere possemus. At vero loco talis discussionis adsunt nobis principia certa & inconcussa ad quorum fulgorem evanescere debet omnis suspicio aut præsumptio peccatum Deo tribuens. 1. Enim certum est peccatum existere non posse, quin illud permittat Deus. 2. Deum nunquam peccatum permittere posse cum suarum perfectionum detrimento & injuria. Deus enim seipsum negare non potest. 3. Constat etiam Deum peccati auctorem esse non posse illæsis suis attributis & perfectionibus. Ergo evidens est Deum permittere peccatum, & tamen hujus auctorem non esse. Jam vero principia illa sunt extra omnem disputationis aleam posita. Ergo oppositæ præsumptiones his argumentis cedere debent. Ergo ex eo quod pater qui filio suo ensem concederet, necis ejus auctor judicaretur, non inde Deus peccati auctor dicendus est, licet illud permittat.

Dixi in responsione præsumptiones aliquando merito respui etiam in civilibus judiciis. Supponamus enim virum virtutis indubiæ tenacem, v. gr. immensæ liberalitatis fama conspicuum. Quæcunque ac quantumvis verisimilia momenta eum furti, v. gr. arguant, nullius tamen erunt roboris & sponte sua cadent; adeo ut eo in casu in quo quilibet alius reus judicaretur, & veritas cruciatibus ab eo exquireretur, huic viro probo intacta sua remaneret virtus ipsis etiam dicentibus judicibus. Non quod aliæ sint juris regulæ erga illum, ac erga alios, sed quod alia sit earum applicatio, immo quia more solito applicari non possunt; apparentiæ enim illæ cedere debent fidei debitæ huic viro probo. Ergo a fortiori, & erga Deum prædictæ præsumptiones cedere debent fidei quæ ipsi debetur. Quo enim sanctior & perfectior est Deus tali homine, eo melius erga eum vincit præsens ratiocinium. Infinita est enim Dei bonitas adversus quam nulla ratio quantumvis verisimilis prævalere potest. Nulla ratio vincere potest fidem Deo debitam qua credimus eum recte omnia ordinasse. Unde sic in forma breviter resumo argumentum modo allatum. Paritas mox adducta efformat tantum verisimilitudinem & præsumptionem quæ Deum peccati auctorem facit; sed argumenta quibus stabilitur bonitas & providentia divina non verisimilia modo sunt & probabilia, sed totidem sunt demonstrationes evidentissimæ. Ergo licet Deus permittat, &c.

Inst. Atqui eo ipso quo libertas ordinem certum dicit ad peccatum ut potentia ad actum certo & infallibiliter reducenda, jam Deus est auctor peccati. Nam Deus creavit hominem cum illa facultate, immo singulis instantibus eum sic creat eum conservando. Ergo si homo sit peccator, jam hominem creat peccatorem; ergo creat ejus peccatum; ergo est illius auctor. Sic itaque contraho. Deus singulis instantibus creat hominem peccatorem. Ergo creat ejus peccatum.

R. 1. Hoc argumentum eos tantum premere qui volunt conservationem esse jugem creationem. Nos Deum omnia conservare & gubernare asserimus; modum vero quo suam exerceat providentiam non definimus, immo ab hac quæstione caute abstinemus ne liti litem addere videamur, nec hoc nobis necesse est contra Deistas disputantibus. Nec valere potest objectio pro prima creatione. In primo enim creationis instanti, cum nulla foret cognitio aut volitio peccaminosa in homine, Deus eum non creavit hominem peccatorem. Quod autem dederit ei in illo instanti libertatem ad malum versatilem, jam probavimus Deum inde non esse culpandum peccati auctorem.

R. 2. c. totum. Probat allatum argumentum a Deo creari hominem peccatorem, non autem creari formaliter ipsummet peccatum. Supponamus ad instans hominem per se & independenter a quocunque alio ente, ac proinde independenter a Deo suas producere volitiones. In hoc casu dum creatur a Deo instanti A, in eodem instanti homo producit suam volitionem. In illa hypothesi creatur a Deo cum illa volitione, nec tamen hæc volitio Deum habet auctorem. Ergo Deus potest crea-

re singulis instantibus hominem etiam formaliter cum suis facultatibus & volitionibus, nec tamen volitiones illas creare. Sit homo lignum aliquod nodis & maculis respersum elaborans. Homo ille varias educit ex illo ligno modificationes cum illis nodis & maculis, nec tamen nodos aut maculas producit. Ita a pari de Deo erga volitiones hominis.

R. 3. dist. conseq. Deus singulis instantibus creat hominem peccatorem materialiter sumptum, id est, creat hominem qui peccator est: c. creat hominem formaliter peccatorem, id est, ipsum peccatum formaliter creat aut producit; n. Aliud est creare formaliter hominem peccatorem, & aliud creare hominem formaliter peccatorem. Primum præstat Deus; nam creat formaliter hominem qui peccator est; non creat hominem formaliter peccatorem, id est, ipsum formaliter peccatum non creat aut producit. Peccatum est vel a creatura deficiente, vel a creatura agente quidem & operante, sed ex errore aut ignorantia.

Inst. Atqui Deus hominem singulis instantibus creat formaliter peccatorem, seu etiam ejus peccatum creat formaliter aut producit. Deus enim cum creat animam, eam totam & integram creat, totum ejus esse, omnem ac talem ejus entitatem producit. Eam enim creat ut est a parte rei & in reali ejus statu; sicut cum creat corpus, illud creat ut est a parte rei, in reali ejus statu, ac proinde cum tali vel tali forma. Status enim corporis est motus vel quies, talis vel talis forma, situs, &c. Status animæ est cognitio & amor talis vel talis. Ergo sicut Deus non potest creare corpus nisi tali vel forma, vel situ, sic nec creare animam nisi ejus modificationes cognitionem scilicet & volitionem etiam creet & producat. Deus enim creando hominem non creat ens universale logicum, aut genus, vel speciem, aut ens sine forma, sed creat ens individuale & formaliter ut tale. Sed ens non est formaliter tale nisi per talem formam, situm, determinationem, ver. gr. Deus non potest singulis instantibus creare voluntatem formaliter talem, nisi eam creet formaliter determinatam tali determinatione. Ergo Deus singulis instantibus animam creare non potest, nisi ejus determinationem simul creet & producat; ergo nec nisi peccatum ejus creet. Sic itaque argumentari juvat. Ille creat hominem formaliter peccatorem, seu ejus peccatum, qui creat singulis instantibus tum hominem, tum ejus determinationem: atqui Deus singulis instantibus creat tum hominem, tum ejus determinationem. Nam hominem creare non potest Deus formaliter ut talem quin etiam creet ejus determinationem. Ergo.

R. n. min. Deus creando hominem formaliter ut talem, id est ut peccatorem, non ideo creat ejus determinationem peccaminosam. Si enim peccati natura sit mera privatio & negatio, res est evidens; si vero sit aliquid positivum, Deus creat formaliter hominem peccatorem, id est, creat hominem qui talem sibi nativa activitate fecit determinationem, at non inde sequitur eum ipsammet determinationem creare. Ex innata enim fœcunditate a Deo humanæ voluntati indita homo suas elicit volitiones, Deo quocunque volueris modo operante id quod est in determinatione bonum. Malum vero naturali hominis mutabilitati adscribi debet. Nec valet comparatio instituta inter animam & corpus; mens enim humana, utpote activa, potest talem vel talem pro nutu sibi seligere cognitionem aut amorem; corpus vero utpote essentialiter iners & otiosum non potest motum præ quiete sibi comparare; sed omnia tenetur recipere a causa extrinseca. Ergo etiamsi Deus non possit corpus creare quin etiam ejus modificationes creet, non item de anima.

Inst. Atqui Deus creando hominem creat tum hominem, tum ejus peccatum. Cognitio enim & volitio sunt animæ modificationes; non habent ergo existentiam ab animæ existentia distinctam, sed cum anima identificantur. Ergo Deus totam animam creare non potest, quin ejus etiam modificationes creet aut quovismodo producat. Unde sic urgere licet.

cet. Deus animam creando totum ejus esse producit: atqui Deus totum esse animæ producere non potest, quin etiam producat modificationes ipsi identificatas & ab ea indistinctas. Ergo etiam ejus cognitiones ac volitiones producit.

R. n. min. 1. Si proprie & rigorose loqui velimus non creatur modificatio. Creatio enim est eductio e nihilo tum sui, tum subjecti; cum enim producitur cogitatio, jam existit subjectum, nempe anima; alias cogitatio sicut quælibet modificatio non posset existere defectu subjecti in quo reciperetur. 2. Creare animam est creare totum ejus esse, totam ejus substantiam: atqui substantia animæ creari potest quin simul & eo ipso creetur ejus cognitio & volitio. Nam nondum demonstratum manet cogitationem actualem esse animæ essentialem; ergo supponi potest instans in quo actu non cogitet. Jam vero si in illo instanti producatur, tota producitur ejus substantia, nec tamen producitur ejus cognitio. Ergo produci potest animæ substantia quin tamen producatur ejus modificatio, ut manifestum est in primo creationis instanti, ex jam observatis. Nec omittendum modificationes substantię esse quidem a substantia cujus sunt modi indistinctas, ubi semel existunt, non antequam existant. 3. Valere posset objectio ubi subjectum suas sibi dare non potest modificationes; non item ubi ex innata a Deo activitate subjectum potest sibi suas dare modificationes.

Inst. Atqui Deus hominem creare non potest, quin ejus creet modificationes, seu volitiones. Vel enim Deus volitionem & determinationem creat in homine, vel homo eam sibi dat: porro homo non potest sibi dare volitionem & determinationem. Homo enim suum esse augere, novosque gradus entis sibi addere non potest: sed non potest suam sibi dare determinationem, quin suum esse augeat novosque sibi faciat entis gradus. Quod ut pateat duo hic distinguamus, nempe simplicem determinationis possibilitatem & capacitatem, & ipsam determinationem & ejus actum. Simplex ac mera determinationis possibilitas est profato quid reale, sicut a fortiori ipsa determinatio actualis. Sed determinatio actualis plus est quam ejus possibilitas; huic certe aliquid addit: ergo actualis determinatio aliquid animæ superaddit reale; ergo novam addit realitatem. Ergo auget esse animæ & novum entis gradum addit; realitas enim realitati superaddita facit ens majus. Ergo homo non potest suam sibi dare volitionem aut determinationem, quin suum esse augeat novumque entis gradum sibi superaddat. Hæc itaque sic pressius urgere licet. Homo non potest suam sibi dare determinationem, nisi anima suum esse augeat & ampliet, novumque entis gradum sibi superaddat: atqui homo non potest suum esse augere aut ampliare nec novum entis gradum sibi superaddere. Ergo homo non suam sibi dat volitionem aut determinationem. Ergo Deus eam ipsi dat & creat. Ergo Deus creat tum hominem tum ejus peccatum.

R. n. maj. Falsum est hominem sibi dando suam volitionem, suum esse augere novumve entis gradum sibi addere. Actualis quidem volitio aut determinatio est quid reale, sed in genere modificationis, non in genere substantiæ; aliquid addit meræ volendi possibilitati, sed in genere modificationis. Ergo augere aut addere non potest in genere substantiæ. In materia adest modificationis recipiendæ capacitas; adest etiam modificatio actualis. Neutrum auget materiæ substantiam. Altera æquivocatione ludit hæc objectio. Si enim per creare suam volitionem intelligatur eam vi activa producere, hoc sensu anima creat suas volitiones & determinationes. Certum est enim animam vi activa gaudere, & ope hujus activitatis agere, demum non posse agere nisi volendo. Ergo anima suas volitiones vere & active elicit. Quicunque alius sensus voci creare tribuatur vacuus est lutulentamque exprimit senteutiam ex qua emergere impossibile est, liquidam accipe. Anima vere suas operatur volitiones, nihil tamen creat, suum esse non auget, nullumque novum entis gradum sibi superaddit.

Inst. Atqui homo non potest suam sibi dare determinationem quin suum esse augeat novumque gradum entis superad-

dat sibi. Ut enim jam diximus, modificationes animæ actuales sunt quid reale; immo sunt inter se distinctæ & diversæ, & unoquoque fere instanti mutantur & variant. Jam vero diversitas & mutatio modificationum in quolibet ente oritur vel ex diversa ac mutata partium dispositione, seu importat partes inter se realiter diversas & varie dispositas, vel ex eo quod varios efformene gradus entis. In anima nullæ sunt partes; ergo ejus modificationes ex vario situ partium diversificari non possunt: ergo varietas modificationum animæ ex eo præcise oritur quod varios effotment gradus entis.

Et certe cum anima sit simplex, nulla excogitari potest in ea mutatio nisi acquirendo vel deperdendo aliquam realitatem, seu aliquem gradum entis. Ergo non mutatur nisi vel novos acquirendo vel veteres deperdendo gradus entis. Ergo mutari non potest ex mutabilitate modificationum quin illæ modificationes sint totidem gradus entis. Ex his sic in forma concludo. Modificatio animæ, seu ejus volitio aut determinatio vel est aliqua & singularis partium ejus dispositio, vel novus gradus entis: atqui falsum prius. Ergo modificatio animæ est novus gradus entis. Ergo homo non potest suam sibi dare determinationem aut volitionem nisi novum gradum entis sibi superaddat.

R. n. maj. Modificatio animæ nec est nova partium dispositio, nec novus entis gradus. Est modificatio & nihil amplius. Tota hæc objectio procedit a minus noto. Experientia constat nos varias experiri modificationes. Ex idearum intuitu constat etiam illas modificationes esse simplices nec esse partium dispositionem. Cetera omnia sunt incerta. Variarum illarum modificationum diversitatem & ejus gradum constitutivum pressius urgere velle & expressius assignare idem esset ac si cæcus a nativitate judicium de coloribus efferre volens, ex eo quod colores non sint hæc vel illa res quam cognoscit, assereret esse aliam quam cognoscit, v. g. Ex eo quod colores non sint soni, concluderet eos esse odorem.

Inst. Atqui quælibet animæ modificatio est novus entis gradus. Idem sit judicium de omnibus animæ modificationibus ac de amore Dei. Hic amor aliquid profecto addit ejus meræ possibilitati, mera amoris divini, seu amandi Dei capacitas & facultas seu possibilitas est realitas. Ergo amor Dei actualis est quid magis reale; alias infans esset æque perfectus totque perfectionis gradus haberet quam sanctus quilibet in divino amore consummatus; quod absurdum est. Ergo actualis Dei amor novum perfectionis ac proinde entis gradum simplici amoris possibilitati superaddit. Itaque ut in forma procedam, illæ modificationes sunt novi gradus entis quæ novum perfectionis gradum superaddunt: atqui modificationes animæ novum ipsi perfectionis gradum superaddunt. Ergo sunt novi gradus entis.

R. n. maj. Ex nova modificatione anima novam acquirit perfectionem, non novum entis gradum. Aliud est perfectio, aliud proprietas essentialis. Quælibet perfectio non ideo est proprietas essentialis, sola vero proprietas essentialis substantiam auget & ampliat, novumque entis gradum superaddit. Itaque potentia, capacitas seu possibilitas volendi est proprietas homini essentialis sine qua nec esse, nec concipi potest homo; est revera gradus entis. Hanc potentiam perficit volitio actualis; ponit enim voluntatem in actu & exercitio: sed nullum gradum entis superaddit; non est enim ens, sed mera modificatio. Ergo gradum entis addere non potest. Hinc quilibet sanctus infante est perfectior, sed plures entis gradus voluntas ejus non habet quam infantis voluntas.

Inst. Cum Sinensibus. Vel Deus peccaminosam voluntatem, id est, peccatum formaliter sumptum creat, vel non. Si primum, est auctor peccati. Si secundum, vel peccatum est mera privatio, vel est aliquid positivum. Peccatum esse meram privationem sunt verba & voces; idem est ac si diceretur sanitatem esse morbi privationem. Si vero peccatum in aliquo reali & positivo reponatur, nec tamen hujus sit Deus auctor, ergo existit aliquid positivum ac reale cujus Deus auctor non est.

R. & dico absurdum non est malum for-

formaliter sumptam esse meram privationem, ut fuse probant tum Philosophi, tum Theologi qui hanc quæstionem ex professo tractarunt, quos adeat qui vacat. Si vero in aliquo reali & positivo consistat; reale illud non est in ratione entis aut substantiæ, sed in genere relationis. Bonum enim consistit in relatione conformitatis cum lege; malum ergo erit relatio opposita; relatio illa erit formaliter quid reale, sed manebit semper mera relatio, non vero ens fiet aut substantia. Audiamus S. Aug. l 5. op. imperf. originem mali moralis evolventem. Cum eo distinguamus peccandi possibilitatem & peccati actualitatem. Quantum ad volitionis malæ seu peccati possibilitatem oritur ex S. illo D. „ Quia etsi magnum bonum est rationalis creatura, non tamen „ est quod est Deus cujus solius est inconvertibilis immutabilisque natura, & „ hujus rei causa cum quæritur, hoc invenietur, quia non de se ipsi, hoc est, „ non de sua natura atque substantia genuit, sed de nihilo, hoc est, de nulla „ re fecit Deus .... quia hoc est cuique „ naturæ de nihilo factam esse, quod est „ naturam Dei non esse, quæ immutabilis „ sola est..... voluntate vero, quæ ratione utitur, sola est rationalis creatura „ mutabilis, „ Ex quibus patet Deum voluntatem creare non potuisse immutabilem; illam vero peccare posse ex hoc quod sit mutabilis: quantum vero ad ipsam peccati actualitatem & existentiam sic ejus originem ibidem aperit idem S. Doctor voluntatem pro volitione usurpando. „ Manifestum est unde sit (voluntas) ab „ illo enim est voluntas cujus est voluntas: ab Angelo, scilicet, voluntas Angeli, ab homine hominis, a Deo Dei; „ & si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id utique agit ut oriatur ab illo bona voluntas cujus est voluntas, sicut agit ut homo oriatur ab „ homine. Ideo enim quia creat Deus „ hominem, ideo non ex homine homo „ nascitur; malæ autem voluntatis unusquisque auctor est quia malum vult. „ Hæc S. Aug. in quibus asserit Deum operari quidem nostras voluntates seu volitiones, at illæsa nostra libertate, hominemque esse causam peccati, quia vult id quod malum est.

QUÆSTIO II.

De Religionis subjecto seu de Homine.

In quæstione præcedenti Religionis fundamentum posuimus, demonstrando Deum unicum, infinite perfectum & summe providum. Ecce ergo Religionis objectum. Nunc de homine nobis est agendum; circa quem ea tantum stabilienda suscipimus quæ intimam cum Religione dicunt connexionem. Homo duplici parte constat spirituali una, materiali altera; uno verbo, anima & corpore. De hoc nihil dicemus. Ipsum realiter, non solum phantastice existere, hic supponimus. De anima vero multa nobis probanda hic veniunt, nempe spiritualitas, immortalitas, ac consequenter essentialis ejus a corpore differentia. Sic rem aggredimur.

ARTICULUS I.

De Animæ spiritalitate.

Unumquenque nostrum cogitare ac proinde esse in nobis aliquod cogitationis principium, res est extra omnem disputationis aleam posita. Quæ sit autem principii illius natura, acriter olim inter se decertarunt inter Paganos Philosophi. Immo, quod nobis dolendum, infelicibus ferreisque hisce temporibus male omnino florescere videtur Materialistarum insana opinio. Eorum error est, id omne quod existit aut materiam esse aut materiæ modificationem. Nullum admittunt spiritum. Epicurum eorum ducem ac antesignanum merito dixerim. Nullam substantiam mere spiritalem agnoscebat. Hinc principium illud quod in nobis cogitat corpus esse volebat, non quidem crassum, sed leve & tenuissimum. Hinc ex varia & certa quadam motus determinatione, diversam in hominibus cogitandi rationem, vim & capacitatem repetebat. Sententiam ejus avide arripuerunt hodierni Materialistæ. Mentem igneam volunt, cujus ideæ rudes & informes ex sensationibus ceu rami ex trunco pullulant, & per sensationes se produnt.

In eo animam a suo corpore disparem esse asserunt, quod illud crassioribus constet partibus. Ita miris consociata sunt vinculis mens & corpus, ut motus inter unius & alterius affectiones mutuum usque vigeat commercium quod suspendere ac retardare tantillum penes nos non est. Sic autem in hoc systemate variæ mentis operationes evolvuntur. Animi propositum differre, est motum materiæ sistere aut retardare; illud mutare, est ab uno motu ad alterum transire; ad illud redire, est materiam ad eum motum quem prius habuerat revocare. Recentior quidam Philosophus (*Lokius, quem sequutus est Voltaerus*) primum ea stabilit principia ex quibus sequitur cogitationem materiæ repugnare. Postea vero statuit nunquam fortasse nobis certo compertum iri an mera & nuda materia cogitet, nec ne. Hæc ipsi erat ratio, scilicet absque revelatione constare non potest an Deus materiæ alicui vim cogitandi non impresserit. Aliis placuit materiam spiritalem facere potius quam animum materialem; totam rem sic ordinant: Supponunt in materia quasdam partes quas monades vocant; monades illæ sunt substantiæ omnino simplices & partium expertes, & triplicis sunt generis: I. Deus. II. Mens humana. III. Est pars & elementum corporis & extensionis. Tres illæ monades sunt essentialiter diversæ: habent enim determinationes essentialiter diversas quæ ab aliis dicuntur attributa constitutiva. Volunt itaque hujus systematis auctores corpus nihil aliud esse quam aggregatum quoddam illarum monadum, & inde concludunt materiam cogitare posse, non quatenus materia est & quid extensum, sed quatenus est inextensa & simplex. Tandem quidam Medicus animam olim in fibris medullaribus cerebri collocavit eamque nihil aliud esse voluit quam fibras illas, adeo ut medullari huic substantiæ identificaretur & coextenderetur. Deinde contendit sensationes esse motum vel affectionem quamlibet substantiæ medullaris ex reflexu & percussione spirituum animalium ortam. Denique addit animæ cogitationes esse vel sensationes vel varias sensationum modificationes; & quod in ea sententia observandum est; nulla est pars cerebri in qua unica omnes nervi coeant & adunentur. Adversus tam periculosum tamque nefandum erroris portentum omnes nervos intendere nobis est. Sic aciem dirigimus.

CONCLUSIO I.

Cogitatio non potest esse modificatio Materiæ.

PRob. 1. ex origine & principio modificationum. Quod est enim modificatio materiæ, illud exurgit ex statu, structura & motu materiæ: atqui ex nullo horum exurgit cogitatio: supposita enim qualibet structura, dato quolibet situ, assignata qualibet materiæ partium dispositione, concipitur tantum diversus ordo vel diversorum corporum inter se, vel diversarum partium ejusdem corporis ad se invicem, sed non concipitur cogitatio; nihil horum est cogitatio, immo ab his differre eo magis percipitur, quo magis ad corporis, motus & cogitationis ideam attenditur. Ergo, &c.

Et sane sume materiæ cujuscunque cubum: da materiæ illi quam libuerit figuram; verte illam, atque inverte; divide, subdivide atque in pulverem redige; pulverem illum ut libebit agita, ac in omnem partem projice, nunquam concipies quomodo intelligentia & cogitatio e pulvere illo emergat. Quantumvis enim delicata & defæcata supponatur materia, remanet semper materia, suam divisione non deperdit essentiam: semper ergo extensa, semper divisibilis manebit, semper duo extrema & medietatem habebit. Ergo facta qualibet divisione, non modo in primario suo conceptu non includit, immo a se excludit cogitationem.

Prob. 2. ex natura modificationis. Omnis modificatio est ejusdem generis ac substantia cujus est modificatio: atqui cogitatio non est ejusdem generis ac materia: nam cognoscimus ex una parte cogitationem esse simplicem, ex altera vero, si attendamus ad ideas claras, in materia nihil concipimus præter attributa quædam essentialia, puta extensionem,

nem, divisibilitatem, impenetrabilitatem & modos quosdam seu accidentia, nempe certum motum vel quietem, certam figuram, certum situm. Jam vero nihil illis omnibus commune est cum cogitatione, cum affirmatione, v. g. aut negatione; nihil cum miris illis idearum complexionibus quæ disciplinas omnes constituunt; nihil denique cum virtutum ac vitiorum habitibus aut actibus. Non datur, v. gr. dubium rotundum, vindicta triangularis; nulla est motus velocitas aut determinatio quæ affirmationem, negationem, dubium, &c. efficiat. Et certe modificatio identificatur cum subjecto: ergo cogitatio identificaretur cum materia: ergo foret extensa & divisibilis: ergo daretur media, vel tertia, vel quarta pars cogitationis, affirmationis, v. g. dubii, &c. quod est absurdum.

Prob. 3. ex modo quo modificatio adhæret materiæ. Nam quidquid in materia deprehenditur vel ipsi essentiale est, vel accidentale; unde: cogitatio vel essentialis, vel accidentalis esset materiæ: atqui neutrum. Non primum, tunc enim omnis materia, etiam crassior, cogitaret, quod absurdum est, nec volunt Materialistæ ipsi. Deinde si cogitatio esset essentialis materiæ, portio materiæ unam sensationem, unam cogitationem deperdere non posset, quin statim aliam recuperaret, sicut figuram unam mutare non potest, quin etiam altera succedat. Præterea vel esset attributum primarium vel secundarium. Non primarium: nam in primario materiæ conceptu, in primaria ejus idea cogitatio non detegitur, immo ab ea excluditur. Non attributum secundarium. Nam attributa secundaria a primariis fluunt. Ergo. Non secundum; vel enim materia cogitationem sibi daret, vel eam ab alio acciperet. Atqui non potest sibi dare cogitationem. Si enim sibi daret, vel per quietem, vel per motum: non per quietem. Materia enim quiescens nullius actionis capax est; multo minus ergo actionis tam eximiæ qualis est cogitationis productio. Præterea non potest materia de non cogitante fieri cogitans, quin mutationem aliquam suscipiat: sed dum quiescit nullam mutationem pati concipitur materia: ergo, &c. Non per motum: motus enim nihil aliud est quam translatio corporis ex uno in alterum locum; unde materia mota nihil aliud est quam materia existens in hoc vel illo loco, sicut materia quadrata vel rotunda nihil aliud est quam materia existens hac vel illa figura, terminatione aut partium dispositione: atqui, &c. Nam simplex materiæ existentia cogitationem non potest producere: ergo nec existentia materiæ in hoc vel illo loco, &c.

Quod si dicatur materiam ab alio accipere cogitationem, ille a quo eam accipit vel est quid a materia distinctum, & vincimus; vel est quid ab ea indistinctum, & redeunt omnia argumenta modo allata; erit enim tunc vel attributum, vel modificatio, &c. Ergo.

Et certe si cogitatio oriretur a motu, vel esset motus ipse, vel ejus effectus. Non primum; nam in motu duo sunt, nempe translatio corporis & locus sive a quo, sive ad quem. Porro cogitatio, v. g. dubium, affirmatio non est translatio corporis, aut locus ipse. Non secundum; nam motus nullum alium effectum immediate producit, nisi mobilis alium situm, aliam dispositionem novumque ordinem. Nihil horum est cogitatio. Et vero si cogitatio esset effectus motus, jam effectus nobilior esset causa ipsa, longe enim perfectius est cogitare, quam extensum esse aut moveri. Idem dicendum est de sensatione. Si corpusculum & portiuncula materiæ sit capax sensationis, v. gr. doloris, gaudii, &c. cum intra nervos aut in cerebro collocabitur, hujus sensationis capax erit quocunque in loco fuerit, ac etiam cadaveri inserta. Quod si e contra aerea atomus cogitandi facultate careat, hanc non acquiret ex eo quod fiat vel spiritus animalis, vel quodcunque libuerit. Sicut enim ens quod nullam habet localem præsentiam, eam sibi comparare non potest; ita ens novo situ, nova dispositione non potest fieri de non cogitante cogitans. Organorum enim dispositio ad motum localem reducitur, ac proinde nihil aliud est quam nova partium positio. Porro nova illa partium positio partes illas non mutat nisi extrinse-

ce;

re; v. gr. nihil certius hac propositione: cogito, ergo sum. Attamen nullum assignari potest corporis organum a quo adsit nobis cogitationis idea aut existentiæ. Ideæ illæ bene an male olent? Habent ne partem superiorem & inferiorem? Quod si ab organisatione independens sit cogitandi facultas in materia, ergo materiæ portio cogitabit in lapide, in festuca, in cadavere; quod absurdum est. Sic itaque strictius hoc ratiocinium premere licet. Corpus non potest esse cogitationis capax, nisi vel independenter ab organis, vel dependenter ab iis, seu quia organis unitur, aut iis instruitur: atqui neutrum dici potest. Non independenter ab organis: tunc enim corpus illud ubique cogitaret, v. gr. in lapide, in festuca, &c. Non quia unitur organis aut iis instruitur. Nam organorum instructio est tantum motus localis: atqui c rpus quod antecedenter ad motum illum localem sensationis erat incapax, ex illo motu non potest acquirere sentiendi facultatem. Partes enim illæ corporis quod organis instruitur non sentiebant cum, v. g. a dextris erant; ergo nec sentient si a sinistris collocentur. Nam varia partium dispositio mutationem parit in illis partibus extrinsecam tantum & essentialiter diversam a sensatione. Ergo corpus etiam si organis uniatur, sensationis est incapax.

Prob. 4. ex absurdis. Quærere enim liceat a Materialista an cogitatio sit totius materiæ appendix, id est, an omnes & singulæ materiæ partes cogitent, necne. Si primum, jam tot admitti debent entia cogitatione prædita, quot sunt partes materiæ. Si secundum, jam ens cogitans resultat ex partibus non cogitantibus: Utrunque absurdum. II. Ex hypothesi quod tota subjecti cogitantis materia non cogitet, sed tantum una atomus hac facultate gaudeat, jam quæro undenam atomo illi talis prærogativa præ ceteris obvenerit? Unaquæque enim materiæ particula easdem figuras, eosdem motus ac quælibet alia materiæ portio suscipere potest. III. Quod si ex partium materiæ colluvie cogitatio oriri dicatur, jam soli partium unioni tribuitur cogitatio; quod absurdum est. Ex illa enim unione non exurgit nisi nova localis relatio quæ cogitationem parere minime potest. Deinde si sola materiæ partium unio cogitet, id est, si materia cogitet ratione tantum partium conglobatarum; ergo materia omnes omnino cogitationes quæ existunt simul experitur, ac proinde poterit experiri contradictorias; v.g. judicare poterit simul & eodem tempore Deum existere & non existere; id omne quod existit, esse corpus & simul spiritum; materia actu cogitabit simul & non cogitabit, quod ita absurdum est ac si diceretur eandem materiæ portionem esse quadratam simul & rotundam. IV. Singulæ totius ac collectionis hujus partes vel sunt in quiete, vel sunt in certo quodam motu cogitationis productivo. Materia in quiete nihil aliud est quam moles otiosa & iners. Ergo tunc non potest sibi adducere motum cogitationis feracem. In motu vero cum qualibet pars materiæ cogitatione careat, suum motum dirigere non potest. In ista enim hypothesi motus cogitationem præcedere debet, ac consequenter sine cogitatione existere concipitur. Ergo cogitatio non potest esse causa motus, sed est ejus effectus. Ergo pars materiæ motum sibi proprium non dirigit. Ergo sine absurditate dici non potest cogitationem succedere ex motu.

Hic observare non pigeat hæc argumenta non tantum eo valere ut animæ simplicitati viam sternant, sed his etiam evinci existentiam Entis æterni cogitantis & spiritualis. Materiam enim non semper aut cogitare, aut cogitasse fatentur vel ipsimet adversarii. Ergo aliquando tantum cogitat & cogitationis suæ aliquod agnoscit initium. Fingamus itaque nobis aliquod in æternitate punctum, quo præter rudem & indigestam materiam nihil extiterit, nulla intelligentia, nulla cogitatio. Quæro quomodo materia de non cogitante facta sit cogitans? undenam ipsi deinceps cogitatio exorta est? undenam huic indigestæ moli, quæ nec se ipsam, nec aliud quicquam noverat, accessit cognitio tum sui, tum innumerum aliorum? Uno verbo in ista hypothesi non magis concipi potest quomodo ens aliquod antea non cogitans cogi-

cogitare cœperit, quam quomodo ens quodlibet ex nihilo sine causa emergere potuerit. Prima ergo omnium rerum causa debuit esse cogitans & spiritualis.

CONCLUSIO II.

COROLLARIUM I.

Anima est simplex & spiritualis.

PRob. 1. ex probatis. Nam nomine animæ intelligitur id quod in unoquoque nostrum cogitat, & quod est sui conscium; sed ex probatis cogitatio non potest esse modificatio materiæ; necessario & essentialiter partes excludit, simplex est & indivisibilis: ergo tale est etiam principium illud quod in nobis cogitat.

Prob. 2. ex animæ capacitate & cognitionum ejus multitudine. Longe lateque protenduntur animæ cogitationes; non locorum, non temporum limitibus circumscribitur; modo in cælum avolat, modo ad intima terræ descendit; totum orbem cogitatione involvit; futura, præterita, præsentia unico intuitu complectitur: porro his impar est anima materialis. Materia enim non agit in distans; ea solum attingit quæ ipsi proxima sunt & immediata. Quantumvis delicata & subtilis supponatur cerebri materia, quemcunque motum ei supponas, intra cerebri claustra tantum movetur, non ultra; immo certo quodam ac determinato tempore indiget ut cerebri spatium evolvat ac emetiatur: atqui principium in unoquoque nostrum cogitans nullos tales limites agnoscit; non locorum, non temporum angustiis circumscribitur, soles, lunas, immo mundum infinito numero cogitatione concipit: porro tam immensæ operationes non possunt oriri a motu intra tam angustos cerebri fines coarctato: ergo.

Prob. 3. ex variis animæ operationibus. Quatuor sunt præcipuæ, nempe cogitatio simplex, idearum collatio, reflexio & abstractio. Nam anima nostra non solam rerum convenientiam aut disconvenientiam percipit, sed circa utranque discurrit; varias inter se confert ideas; alias jungit, alias disjungit; modo eas veluti replicat, modo ab iis abstrahit. Porro his operationibus impar est anima materialis. 1. Quidem de simplici cogitatione modo dictum est: 2. Idem constare potest de idearum collatione. Si enim anima esset materialis, tunc omnes ejus cognitiones essent totidem materiæ particulæ, immo cum materia sit in infinitum divisibilis, infinitas numero animas, aut potius animulas sub se contineret quarum cuique sua esset seorsim idea & existentia. Ut ergo anima materialis suas comparet ideas, debet una pars ejus perspectum habere quid cogitet pars altera: sed singulæ illæ partes seorsim & independenter a se invicem existunt. Sicut ergo existentia unius non est existentia alterius, sic nec cogitatio unius est cogitatio alterius. Pars A, v. gr. non est pars B. Distinctæ sunt sicut tres anguli trianguli. Porro partes illæ sic distinctæ mutua cogitatione imbui non possunt. Nam non magis potest una pars cogitare alterius cogitatione & ea imbui, quam illius aut existere existentia, aut motu moveri. Cogitatio enim cum sit modificatio, identificatur subjecto, sicut motus; nec magis una & eadem cogitatio potest esse communis omnibus materiæ partibus sic a se invicem realiter distinctis, quam una eademque materiæ portio potest esse simul quadrata & rotunda. Ergo pars una materiæ partis alterius cogitationem cognoscere non potest. Ergo nec comparare.

Ex illa idearum, si materiales essent, incommunicabilitate sequitur animam non tantum non plura objecta inter se, sed nec varias ejusdem objecti partes ac relationes inter se conferre posse. Nam ubi cogitatio & ejus objectum sunt quid materiale, jam variæ partes objecti variis cogitationis partibus correspondere debent, sicut variæ hominis partes variis speculi partibus; ergo tunc unaquæque cogitationis pars oppositam sibi objecti partem tantum cognoscit; ceteras vero partes quibus non afficitur, cognoscere minime potest. Sic una cogitationis pars videbit angulum A. Altera angulum B. Altera denique angulum C. At tres illos angulos una & eadem cogitatione complecti, aut integrum ac totale objectum,

ctum, id est triangulum nunquam efformare poterit. Ergo.

Præterea anima suas replicat ideas, ac in se ipsam revolvitur. Hæc mentis operatio dicitur reflexio, quæ nihil aliud est quam mentis attentio ad proprias cogitationes ut eas discutiat, approbet aut corrigat. Porro talem operationem non suscipit in se anima materialis. Nam juxta Materialistas, inde tantum cogitationes experitur mens nostra, quod agitetur cerebrum, aut quod sensus in eam agant. Jam vero hæc reflexionem non pariunt; non dant nisi ideam aut sensum objectorum per quæ vel cerebrum agitatum est, vel excitatæ sunt sensationes. Etiamsi centies impressiones iterentur, nihil dabitur nisi iterata ejusdem objecti repræsentatio; erit, v. gr. idea ejusdem soni, figuræ; sed non aderit reflexio. Quod si a corpore non oriatur ista reflexio, nec etiam oriri poterit ab anima in placitis Materialistarum. Tum quia materia in se ipsam agere, ac proinde reflectere non potest; tum quia tunc anima ageret independenter a corpore, ac proinde esset immortalis: quod respuunt Materialistæ. Ergo, &c.

Cum anima objecta attingit, gradus metaphysicos separat; v. gr. aliquando abstrahit a gradu substantiæ, & solam rationem Entis attendit. Porro materiæ portio in aliam non agit nisi per motum; non impingit in eam, v. g. ratione Entis tantum, aut ratione solius substantiæ. Ergo nec abstrahit.

Prob. 4. Ex sensationum comparatione. Ex his quæ in nobis peraguntur constat nos dum varias experimur affectiones judicare quænam ex iis moleste, quænam vero jucunde nos afficiant; quænam magis, quænam vero minus sensum sui faciant. Ponamus, ver. gr. aliquem ad opulentam & delicatam mensam sedere, & exquisita simul recreari musica. Homo ille utriusque musicæ scilicet & mensæ delicias & sensum inter se confert, immo sensationes illas comparat cum voluptatibus animi, ac judicat quænam ex illis affectionibus præstet. Porro principium quod in homine isto ea discernit, ad quod omnes illæ sensationes referuntur, simplex est. Nam auditus a gustu distinguitur, ita ut, v. gr. Surdus cibo accurate deguster, sonos vero non discernat. Sua cuique organo ita propria est sensatio, ut unum in alterius sensationem non excurrat nec ea afficiatur. Nullam connexionem habet sensatio auris cum sensatione palati. Ac proinde in anima materiali pars jucunditate soni affecta, non esset ea quæ dapum suavitatem delibaret; sicut anima Petri non est anima Pauli, sicut auditus non est gustus: ergo hi duo sensus, duæ istæ materialis animæ partes mutuam sensationem inter se conferre non possunt.

Et certe ubi substantia, subjectum harum affectionum, non est simplex, tunc variæ affectiones cadere debent in diversas partes: ergo tunc dari debent plures sensus intimi, totque quot numerantur partes quæ supponuntur harum esse affectionum subjecta; sicut ubi plures sunt homines, ibi pro eorum numero multiplex requiritur sensus intimus. Jam vero tunc impossibilis est variarum affectionum inter se comparatio. Tunc enim non magis anima varias sensationes illas inter se conferre potest, quam unus homo suas cum alterius affectionibus comparare. Sicut enim sensus intimus unius hominis non est sensus intimus alterius, ita in anima materiali sensus intimus partis A, non est sensus intimus partis B. Ergo, &c. Denique anima cujuscunque nostrum propriæ existentiæ sensum intimum habet quo se a quocunque alio ente distinguit: atqui anima materialis, seu potius acervus materiæ, propriæ existentiæ sensum intimum habere non potest, nec se ab alio quocunque ente distinguere; id absurdum fatetur vel ipse Clarkius. Vel enim totum illius acervi haberet illum sensum intimum, non vero partes, vel partes, non vero totum; vel partes simul & totum haberent sensum illum intimum: atqui nihil horum dici potest; non primum; nam totum ut totum non habet existentiam propriam, ac proinde existentiæ propriæ sensum habere non potest. Deinde totum, ut totum nihil aliud est quam partium seu monadum collectio; ergo totum illud non potest habere pro-

propriæ

priæ exiſtentiæ ſenſum intimum quin partes ſeu monades propriam exiſtentiam ſentiant: alias totum illud propriam exiſtentiam ſentiret ex hypotheſi; non ſentiret autem, quia nulla ex partibus a quibus non diſtinguitur ſuæ exiſtentiæ ſenſum haberet. Non ſecundum; tum quia ex ratione allata repugnat partes ſuam ſentire exiſtentiam, dum ſuam non ſentit totum cum quibus identificatur; tum quia ſi monades non ſint materia, etiamſi cogitarent, non inde ſequeretur materiam cogitare & habere ſenſum ſuæ exiſtentiæ. Non tertium; ſi enim totum ſimul & partes ſuæ exiſtentiæ ſenſum haberent, vel quia ſenſus intimus totius eſſet ſimul ſenſus intimus partium, vel quia ſenſus intimus totius ex variis omnium partium ſenſibus intimis conflaretur: atqui utrunque repugnat hac ſola ratione quod unaquæque pars ab altera ſit diſtincta & ſeparabilis; ac conſequenter unaquæque pars ceteras omnes a ſuo ſenſu intimo ſicut a propria exiſtentia excludat.

CONCLUSIO III. ET COROLLARIUM II.

Anima eſt eſſentialiter a corpore diverſa.

PRob. 1. ex probatis. Nam corpus eſt ſubſtantia extenſa, & prædita aliis proprietatibus quæ ſequuntur ex diviſibilitate, extenſione, figura & motu: atqui mens humana eſt realiter diſtincta a ſubſtantia extenſa, &c. Nomine enim animæ intelligitur illud quod in unoquoque noſtrum cogitat; atqui. Nam eſt ſimplex ex probatis. Eſt enim ſubjectum modificationis ſimplicis, nempe cogitationis. Ergo.

Prob. 2. Illa diſtinguuntur ac eſſentialiter diverſa ſunt quorum diſtinctio, vel diverſitas fundatur in ipſiſmet rerum eſſentiis: atqui. Rerum enim eſſentiis repugnat ut duo attributa contradictoria ſint in uno eodemque ſubjecto, ſicut iis repugnat idem ſimul eſſe & non eſſe. Ergo cogitatio & extenſio ſeſe mutuo excludunt ab uno eodemque ſubjecto: tunc enim idem ſubjectum eſſet ſimul extenſum & inextenſum, haberet partes, & ſimul eas excluderet. Ergo, &c.

Obj. 1. cogitatio poteſt eſſe attributum aut modificatio materiæ. Ideo enim hoc repugnaret, quia materia eſt extenſa: atqui materia licet extenſa poteſt cogitare: ergo, &c.

R. n. min. Materia non poſſet cogitare, utpote extenſa, quin extenſa quoque & conſequenter diviſibilis fieret cogitatio. Abſurdum conſequens: ergo & antecedens. Tunc enim poſſet dari media vel quarta pars cogitationis, v. gr. dubii, affirmationis.

Inſt. Ut materia licet extenſa poſſit cogitare, ſatis eſt quod cogitet non ut extenſa, ſed ut ens: atqui. Nam extenſio actualis non eſt de eſſentia materiæ. Jam vero licet cogitatio incompoſſibilis ſit cum modificationibus materiæ, non inde ſequitur incompoſſibilem eſſe cum ſubſtantia materiæ. Ergo.

R. n. 1. min. Licet enim materia non cogitaret formaliter ut extenſa, eſt tamen realiter & eſſentialiter extenſa: ergo realiter & eſſentialiter excludit cogitationem.

R. 2. n. ſequel. & prob. Fateor enim quod extenſio actualis non ſit de eſſentia materiæ, ſed ſufficiat radicalis; ſed non inde cogitationis capax erit materia. Cogitationi enim non tantum actualis, ſed radicalis opponitur extenſio. Extenſio enim radicalis nihil aliud eſt quam exigentia partium extra partes. Porro abſurdum eſt ſubjectum aliquod ſimul exigere eſſentialiter partes & eas eſſentialiter excludere; ſicut abſurdum eſt ſubjectum habere partes & eas non habere. Utrunque æqualiter contradictorium eſt; ergo, &c.

Obj. 2. Saltem dari poſſunt in materia partes quæ cogitationis ſint capaces. Certum eſt quod exiſtant entia compoſita; ergo certum eſſe debet exiſtere entia ſimplicia. Nihil enim exiſtit cujus exiſtentiæ nulla ſit ratio ſufficiens. Jam vero compoſitionis alicujus entis nulla ratio ſufficiens poteſt reponi in alio compoſito; alias aſſignandum eſſet unde veniat & hujus entis compoſitio. Ergo ratio compoſitionis aliunde repeti debet & reponi in entibus ſimplicibus. Quidquid exiſtit vel unum eſt, vel unitatum collectio. Et quidquid unum eſt, non eſt unitatum collectio. Ergo ſunt in materia par-

partes quæ unæ sunt, simplices & ulterioris divisionis omnino incapaces. Sunt materiæ elementa, atomi & monades dicuntur. Porro his positis, nihil obstat quominus monades illæ vim cogitandi habere possint. Sola enim ratio huc usque allata cur materia cogitandi vim habere non possit, desumitur ex ejus extensione & divisibilitate; hæc ratio non militat contra monades. Ergo monades cogitandi vim habere possunt. Ergo saltem dari possunt in materia partes cogitationis capaces. Unde sic in forma urgere licet. Dantur in materia quædam partes quæ monades dici possunt: atqui partes illæ cogitationis sunt capaces: ergo dantur in materia partes quædam cogitationis capaces.

R. 1. transeat maj. Repugnare enim & sibi contradicere videntur monades. Ex una enim parte monades illæ sunt partes extensionis, sunt elementa, ex quibus conflatur continuum divisibile & extensum; & tamen sunt inextensæ & indivisibiles. Jam vero repugnat inextensum additum inextenso facere aliquid extensum. Eo ipso quo monades illæ sunt materiæ partes, eo ipso sunt materia, eo ipso habent partem inferiorem & superiorem, duo latera, duo extrema & medium. Ergo non possunt supponi simplices. Vel monades illæ spatium aliquod occupant, vel non. Si primum, jam non sunt simplices. Si secundum; jam possunt sese invicem penetrare; at corporibus inesse, aut moveri dum moventur corpora nequaquam possunt. Quis vero concipiat moveri corpora, dum non moventur nec moveri possunt eorum elementa & partes ex quibus resultant? Entia realiter extensa possunt inter se distingui ex diversitate locorum; at monades, non ita; quandoquidem pro earum simplicitate nullum spatium replere possunt: si ergo duæ occurrant monades perfectæ & omnino similes, distingui non poterunt. Erunt duæ, ex hypothesi; erit tamen una monas in rei veritate. Frustra arguit Leibnitius, & ex eo quod existant entia composita, concludit existere entia simplicia quæ sint compositorum ultima & formalis ratio. Absurdum est quærere rationem rei cujus nulla esse & afferri potest ratio; absurdum est proinde quærere rationem essentiæ rei alicujus. Rei enim alicujus essentiæ nulla reddi potest ratio. Aurum, v. g. est compositum cujus nulla unquam reddi potest ratio. Quis eo usque desipiet ut quærat rationem essentiæ & naturæ rerum? v. gr. cur mens humana sit substantia simplex & cogitans? Non potest equidem dari progressus infinitus in rationibus sicut in causis, sed hic non recurritur ad progressum infinitum. Rei enim cujuslibet natura ultima est hujus progressus meta. E contra si quæras cur anima mea existat, respondebo Dei voluntatem esse hujus existentiæ causam. At vero latum est discrimen inter rei alicujus rationem & causam. Simplex ratio non est causa, licet qualibet causa sufficientem sui effectus rationem secum importet. Denique si pertinaciter velint monades esse simul partes materiæ & simplices, observabimus materiam spiritualisari, si sic loqui fas est; materiam jam non esse materiam; ac consequenter extra statum quæstionis excurri, nihilque contra nos probari qui agimus de materia, ut existit, de materia extensa & divisibili: quidquid sit de maj. cujus ampliorem discussionem ad Philosophos remittimus.

R. 2. n. min. Etiam data non concessâ monadum existentia non inde sequitur eas cogitare posse. Licet enim illæ monades sint simplices, sunt tamen mera veraque materia. Ergo annexam habent eam inertiam quæ materiæ essentialis est. Ergo capaces non sunt cujuslibet actionis. Sed cogitatio est actio ex parte entis cogitantis. Ergo monades, licet simplices, non sunt capaces cogitationis. Deinde in minutissimo materiæ globulo innumeræ sunt monades. Hoc posito, quærere liceat an una tantum monas cogitandi facultatem habeat, an vero omnes & singulæ hac prærogativa gaudeant. Si primum; nulla reddi potest hujus ratio. Si vero omnes & singulæ monades cogitandi facultatem habeant, cum infinitæ sint numero monades, infinitæ sunt etiam numero cogitationes, jam infinita numero debent esse cogitandi principia. Hinc in globulo illo nulla fieri poterit idearum communi-

catio & comparatio; hinc globulus ille rei cujuslibet totalem & integram ideam sibi conflare non poterit. In ea quam refellimus sententia nullum est reale spatium sicut nullum est reale corpus, est tantum utriusque apparentia; hinc in rei veritate non datur propinquum & distans: nihil enim est extra aliud. Cur ergo monades nullas alias nisi proprias ideas percipiunt, cum omnes æqualiter distent & proximæ sint? Cur unam potius quam alteram percipiunt? Quis primam, quis centesimam perceptionem determinavit, cum nihil exterius agat in monadem, nihilque possit eam determinare ad hanc potius quam ad illam perceptionem?

Inst. Atqui data semel monadum existentia, monades sunt cogitationis capaces. Nam cogitatio potest concipi ut motus quidam, ita ut cogitare sit moveri: atqui monades moveri possunt. Ergo sunt cogitationis capaces.

R. 1. n. maj. tum propter momenta jam allata, tum quia juxta Lockium cogitatio est actio ex parte entis cogitantis. Porro motus non est actio ex parte corporis moti, sed est mera passio. Non enim vi propria & innata sibi activitate corpus se transfert de loco in locum.

R. 2. n. min. Etiamsi motus esset vera actio ex parte corporis moti, non inde cogitare possunt monades; quidquid sit enim, tria hic certa sunt in principiis Lockii, 1. cogitationem importare necessario aliquem motum in corpore cogitante; 2. monades nullum motum sortiri posse; 3. etiamsi aliquem motum sortiri possent, non eum qui cogitationi germanus sit. Primum certum est. Cum enim cogitatio sit actio, juxta Lockium, jam corpus cogitare non potest quin agat. Sed si quæ concipiatur actio corporis, certe motus. Hinc supponamus aliquem materiæ acervum eo dispositum modo ut cogitare possit; juxta Lockium, acervus ille nusquam cogitabit nisi objecta extra eum posita in ejus organa agant. Ex illa porro actione nihil resultare potest in illis organis nisi motus quidam. Quærere liceat a Lockio undenam in cadavere nulla superfit cogitatio? Non sane quia jam substantiæ spirituali non unitur; non alia ergo de causa nisi quia nullos motus experiri potest. Ergo juxta Lockium cogitatio, si sit in corpore, ac proinde in monadibus, importat aliquem motum. Jam vero 2. monades moveri non possunt. Monades enim, utpote simplices, nullum locum occupare, nullum spatium implere possunt. Ergo nec transferri de loco in locum. Ergo nec moveri. 3. Etiamsi monades motum aliquem sortiri possent, non eum possent qui eliciendæ cogitationi idoneus est & germanus. Duplex enim distinguitur motus, unus localis, externus qui est motus totius, v. g. hominis deambulantis; alter internus & qui est motus partis alicujus, v. g. oculi, manus, fibri, &c. Motus totius non est eliciendæ cogitationi idoneus. Veluti si ad extremos terræ transferatur homo gravi sopore sepultus, nullam sensationem, nullam ideam experietur occasione eorum quæ in itinere geruntur, nisi ex aliquo objecto vehementer agitentur aliqui fibri. Sic nec nos nulla afficit sensatio occasione motus terræ quo unaquaque minuta plures leucas conficimus. Ergo motus externus & totius nullam mutationem per se inducit; in illo motu corpus idem omnino manet, & cum nihil ex nihilo fieri & oriri possit, jam corpus illud de non cogitante non potest fieri cogitans. Solus ergo partium motus & internus potest cogitationem elicere in corpore. Jam vero in monade nullus potest supponi motus internus. Nam ea est monadum natura ut sint in se immutabiles; cum nullas habeant partes, nullam divisionem, nullam alterationem pati possunt, nullum locum occupant, nullum situm habent, sunt quasi solitariæ, cuilibet externæ affectioni imperviæ; non possunt suas variare positiones. Uno verbo monadum essentiæ repugnat mutari. Ergo monadum essentiæ repugnat percipere.

Inst. Atqui monades moveri etiam motu interno ac consequenter cogitare possunt. Ideo enim istud non possent, quia cum nullas habeant partes, sunt in se immutabiles, ac consequenter nullam cogitationem sibi adsciscere possunt. porro hæc ratio nulla est. Valere potest contra mutationes ab extrinseco, non va-

valet contra mutationes ab intrinseco. Quidquid enim creatum est mutationi est obnoxium; ergo monades sunt mutationi obnoxiæ; sed mutationis principium ipsis est intrinsecum. Cum enim nullas habeant partes, in alias monades agere non possunt; habent ergo activitatem sibi innatam & intrinsecam vi cujus suas in se operantur mutationes ex quibus nascuntur perceptiones quæ sunt etiam ipsæ mutabiles, licet nulla re externa afficiantur. Activitas illa non tam est potentia quam conamen quoddam, seu tendentia perpetua ad actionem qua successive plurimas in se mutationes operatur. Tendentia seu conamen illud satis bene repræsentatur per nisum illum quo in actionem tendimus ubi aliquod premit impedimentum. Hinc itaque sic resumo. Ut monades possint cogitare, satis est, juxta stabilita principia, ut innata sibi activitate possint varias mutationes in se introducere: atqui monades innata activitate possunt varias mutationes in se introducere. Ergo & cogitare possunt.

R. 1. n. maj. Ut enim monades possint cogitare, non sufficit, ut innata sibi activitate possint varias mutationes in se introducere; cogitatio enim non est mera mutatio. Deinde mutatio illa introduceretur profecto per motum. Sed monades utpote partium expertes nullum motum, saltem qui cogitationi sit germanus, suscipere possunt; ergo nec etiam mutationem, saltem eam, quæ cogitationi sit relativa. Denique major supponit falsum. Etenim quæcunque tandem monadibus illis supponatur innata activitas, nunquam poterit in illis introducere mutationem cui essentialem dicunt repugnantiam. Porro monades cuilibet mutationi essentialem dicunt repugnantiam. Nam juxta earum patronos, monades sunt natura sua in se immutabiles. Deinde nulla concipitur accidere posse materiæ mutatio, nulla nova in ea succedere cogitatio nisi quæ consistit in varia partium ejus dispositione; ergo cum monades essentia sua sint simplices & partes excludant, non potest in iis mutari partium dispositio. Ergo quæcunque tandem, &c.

R. 2. n. min. Et dico chimericam esse illam monadum activitatem. 1. Enim ex eo quod monadas nullas habeant partes, inde concluditur eas in alias monades agere non posse; inde concludere etiam licet eas in se ipsas agere non posse; aut si agunt, posse & in illas agere. Corpus enim non agit nisi contactu physico. Si ergo monades licet non habeant partes, possunt agere in se ipsas, poterunt etiam agere in alias, licet aliæ monades non habeant partes, aut si in alias monadas agere non possunt, quia monades illæ nullas habent partes, nec in se ipsas eadem de causa agere poterunt. Quis concipiat corpus quod nullas habet partes in seipsum agere? corpus enim quodlibet contactu agit physico; si habeat partes, tum sic agit tum in se, tum in alia objecta; si non habeat partes, contactu physico nec in se, nec in alia objecta agere potest. Sed omnino repugnat corpus agere uno modo in se, & diverso in alia objecta. 2. Nihil potest retardare activitatem monadum cum sint independentes, solitariæ & ab aliis omnibus sejunctæ, cum in se mutuo non influant & intima sit iis earum activitas. 3. Activitas illa semper agit & necessario, non est libera, non est potestas agendi vel non agendi; est quædam substantialis actio in qua potestas semper conjungitur cum actu. Monades non propriam determinant actionem, sed earum natura determinat conamen illud in quo consistit earum actio. 4. Conamen respectu hominum non habet locum nisi in actibus qui imperati dicuntur, consistitque 1. in collisione corporum quorum alia aliis motum suum communicare debent. 2. Supponit inefficaciam voluntatis ad operandum aut ad operandum celeriter. 3. Consistit in sensu ingrato orto ex spirituum animalium dissipatione & nervorum tensione; jam vero nihil horum est actio. Ergo conamen monadum non est actio. Ergo chimæra est prætensa illa monadum activitas.

Inst. Ideo juxta datas modo responsiones monades non possunt cogitare, quia non possunt eo moveri motu, nempe interno, qui eliciendæ cogitationi sit proportionatus: atqui hæc ratio nulla est. Motus enim ille internus fortasse quidem necessarius est aggregatis ac compositis

ut

ut cogitent, elementis vero sufficere potest motus localis. Sic itaque resumo. Ideo monades cogitare non possunt, quia non possunt moveri motu interno: atqui motus ille non est necessarius elementis ut cogitent, sufficit vero motus localis: ergo monades eo motu moveri possunt qui cogitationi sit proportionatus.

R. n. min. Si enim elementis sufficiat motus localis ad cogitandum, sufficere debet aggregatis & compositis, quandoquidem motus ille erit motus singulorum elementorum ex quibus constantur aggregata. Ergo si motus ille sit cogitationis productivus respectu omnium & singulorum elementorum, erit etiam respectu aggregatorum. Deinde certum est monadas habere partes intelligibiles, respective quidem immobiles, attamen extra se invicem positas. Monas ergo seu elementum est quoddam aggregatum cujus partes locum mutare & motu respectivo seu interno moveri non possunt: sed ex probatis alio motu cogitare non possunt quæcunque corpora nisi motu illo interno. Ergo.

Inst. Atqui sufficit motus localis. Ad cogitationem enim sufficit motus qui aliquam mutationem introducere possit in monadas: atqui motus localis mutationem aliquam in monadas introducere potest. Quies enim est certus quidam modus existendi; motus est alius modus existendi: ergo mutatur corpus dum transit a statu quietis ad statum motus. Ergo motus localis mutationem aliquam in monadas introducere potest.

R. dist. min. Motus localis potest introducere mutationem relativam, extrinsecam & improprie dictam: c. internam, absolutam & proprie dictam: n. mutatio relativa, proprie loquendo non est mutatio. Sit corpus A distans a corpore B quatuor passibus: Corpus A moveatur motu locali ad duos passus a corpore B. In hoc corpore accidit mutatio relative ad corpus B; at eo instanti quo corpus A motum sistit, corpus A est semper corpus A. Semper rotundum aut quadratum, uno verbo idem est in se ac antequam moveri inciperet. Quod de illo instanti dicitur, de ceteris dictum sit. Mutatio vero proprie dicta attenditur in ipsomet corpore, nec potest esse nisi a motu partium, sic corpus non potest fieri cylendricum nisi partes moveantur & ex illo motu ad formam cylendricam componantur. Nulla ergo mutatio proprie dicta corporibus, ac consequenter nulla cogitatio nisi per motum partium. Si ex motu locali oritur cogitatio, discrimen inter varias animæ nostræ perceptiones supponeret discrimen relativum inter varios motus locales ex quibus oriuntur: atqui tamen hoc falsum est. v. gr. Latum est discrimen inter perceptionem ad aspectum trianguli, & perceptionem ad aspectum circuli: atqui tamen ad utriusque aspectum non excitatur motus diversus. Ergo ex motu locali oriri non potest cogitatio.

Inst. Potest supponi elementa dividi realiter in varia fragmenta, vel constare partibus mobilibus, non quidem usque ad monadis essentiæ alterationem, sed ut sufficit levibus quibusdam impressionibus.

R. n. suppositum. Tunc enim elementa illa jam non essent elementa. Quantumvis levis supponatur motus internus, in elementis semper supponit partes. Et si possit supponi motus levis, poterit etiam supponi paulo vehementior; deinde adhuc paulo vehementior; motus enim potest semper augeri. Ergo motus partium in monadibus etiam levissimis supponit partes. Hic observare liceat nos monadibus cogitandi facultatem non denegare ex eo quod non percipiamus quænam sit proprietas a qua fluat ista vis & facultas cogitandi, sed quia visibiles monadum proprietates huic facultati repugnant.

Inst. Allata argumenta evincunt quidem elementa per se, & si solitaria sint, non posse cogitare; sed non probant eadem elementa combinata & aliis conjuncta non posse cogitare.

R. n. ant. Elementa enim sive separata & solitaria, sive combinata semper sunt eadem. Ergo si in una circumstantia non possunt cogitare, nec possunt in alia, quia proprietates elementorum seu monadum repugnant cum cogitatione. Pars enim cogitationis incapax alteri parti conjuncta quæ sit etiam cogitationis incapax, non potest efformare to-

tum quod cogitare possit. Corpora enim omnes suas mutuantur proprietates ab elementis ex quibus componuntur, ver. gr. motu locali donantur corpora, quia eundem motum suscipiunt elementa. Inauditum est apud Chymistas occurrisse elementa novis & alienis vestita proprietatibus. Cogitatio ex dictis non potest oriri in monade, nisi ex motu interno. Sed monades non magis idoneæ sunt motui interno combinatæ, & cum in corpus coaluerunt, quam separatæ. Ex probatis enim motus internus est motus partium; supponit partes quas essentia sua excludit elementum; porro essentia elementi est eadem sive sit combinatum sive maneat solitarium. Ergo etiam combinatum cogitare non potest. Deinde si elementum cum solitarium est, cogitationem posset concipere, posset habere conscientiam *sui*, & dicere *ego*. Combinatum vero, vel illam *sui* conscientiam servat, vel eam amittit. Si servat, jam in quovis corpore non magis fieri potest cogitationum & idearum collectio ex cogitationibus omnium atomorum, quam si plures serie continua se tenerent homines, posset fieri earum cogitationum collectio. Si vero conscientiam *sui* post combinationem monades non habeant, ergo eam antea non habebant. Nulla enim occurrit ratio cur conscientia illa amitteretur; concipi non potest quomodo corpus simplex & nulli alterationi obnoxium, facultatem aliquam deperdere possit. Posset ne elementum illud cogitandi facultatem conservare, sensum vero & conscientiam suæ cogitationis deperdere? cum illam facultatem relinquit atomus, cui eam dimittit? quo abit illa facultas?

Inst. Tam facultas cogitandi potest competere elemento combinato, licet ipsi non conveniat solitario quam flexibilitas: atqui flexibilitas licet elemento solitario convenire non possit, competit tamen eidem combinato. Elementum enim, si solum sit, flecti & incurvari non potest; potest tamen flecti series elementorum. Ergo a pari de cogitandi facultate, ex adunatis elementis potest resultare totum cogitans.

R. n. maj. & parit. Flecti enim & incurvari nihil aliud est quam moveri localiter certo quodam modo; ergo posse flecti & incurvari est posse moveri localiter certo quodam modo. Sed juxta monadum defensores ante combinationem elementa poterant moveri localiter omni modo. Ergo quod elementa combinata possint incurvari, nihil elementis combinatis succedit quod solitariis non inesset. E contra vero ante combinationem non possunt moveri motu interno, ac proinde non possunt cogitare; ergo nec post, & si moverentur illo motu, jam insolitum quid & suæ essentiæ dissonum experirentur. Hinc disparitas.

Inst. Quamvis atomus non vivat, vivit tamen animal, quod est atomorum congeries. Ergo a pari, licet atomus non cogitet, atomorum congeries poterit cogitare.

R. n. conseq. & par. eadem ratione. Vita enim nihil aliud est quam actio & reactio partium individui alicujus. Ad hanc actionem & reactionem sufficit motus localis cujus capaces sunt monades, sed qui ad cogitationem non sufficit. Supponamus duo elementa combinata quæ in corpus coalescant, unum in quiete, alterum in motu. Si succedat cogitatio in elemento moto, cogitabit vel elementum in quiete, vel elementum in motu, vel utriusque congeries. Non elementum in quiete cogitabit; nulla enim realis mutatio, nulla nova affectio ipsi successit. Non elementum in motu positum; motus enim ille localis est; non mutatur inde realiter elementum; sit alteri elemento vicinum, sit ab eo centum passibus remotum, nihil interest. Non utriusque elementi congeries. Congeries enim illa nihil aliud est quam utrunque elementum quod cogitationis est omnino incapax. Quod si motu locali addi supponatur motus internus, ergo partes intelligibiles elementi supponuntur realiter distinctæ, supponitur elementum alterationis capax, partes ejus possunt situm suum mutare; & jam non sunt elementa, jam debet admitti divisibilitas in infinitum.

Inst. Atqui sicut elementa combinata vivere possunt, sic & cogitare. Supponantur elementa ex omnibus animalis

alicujus corporis partibus avulsa natitare promiscue in parva fluidi seminali quantitate. Fingatur illa elementa conceptionis suæ instanti certo ordine sibi invicem copulari juxta ordinem quem in animali cujus erant obtinuerant; illa ordinem illum resumant ex reminiscentia antiquæ copulationis & ex desiderio eam iterum habendi. Hinc elementa illa sicut vitam, ita priores sensus & intelligentiam resumunt; ac proinde sicut adunata vivere, sic & cogitare possunt. Itaque sic in forma. Ut elementa combinata possint sicut vivere, sic cogitare, satis est quod vi adunationis possint resumere sensum & intelligentiam, ut modo expositum est: atqui elementa vi adunationis possunt resumere sensum & intelligentiam, ut modo expositum est: ergo sicut vivere, sic cogitare possunt elementa adunata.

R. 1. n. maj. Supponit major elementa posse habere sensum & intelligentiam, & eam revera habuisse cum primum adunata fuerunt, quod falsum esse jam sufficienter probavimus.

R. 2. n. min. Etiamsi sensum & intelligentiam habuissent elementa cum primum adunata fuerunt, eam non possent resumere cum iterum copulantur. Ut enim intelligentiam illam resumant, necesse est 1. ut pristinæ unionis reminiscantur; 2. ut etiam posita illa reminiscentia, possint efformare nova corpora organis prædita: atqui 1. elementa semel separata, non possunt pristinæ unionis reminisci. Ut enim elementum illud possit pristinæ unionis reminisci, requireretur ut instanti secundæ copulationis cogitasset *se*, & aliud elementum cui conjunctum fuerat: atqui hoc impossibile est etiam in principiis Cl. de Maupertuis hujus systematis auctoris. Nam juxta Cl. virum illum eo ipso illo instanti quo duo elementa adunata sunt, jam conscientiam *sui* deperdunt ut totum unicum cogitans efforment; illamque conscientiam non recuperant nisi post separationem. Ergo tempore primæ unionis *sui* conscientiam non habebant. Ergo instanti secundæ unionis reminiscentiam primæ habere non possunt. 2. Etiam posita illa reminiscentia, dato etiam quod iterum uniri desiderent, ea unione non possunt copulari quæ organisatis corporibus efformandis sufficiat. Nam juxta illud systema elementa se invicem non cognoscunt nisi ex vicinitate, contactu, & unione. At vero elementa quæ in dicto seminali fluido natitant sunt minutissimo numero; hinc in corpore a quo avulsa sunt erant profecto longe a se invicem distantia & in variis ac diversis corporis partibus; adeo ut nequidem tria fortasse occurrant quæ sibi mutuo cohæserint: ergo elementa illa nunquam sibi invicem nota fuere, nec proinde unionem desiderare possunt. Deinde non sufficit ut duo elementa uniri desiderent, requiritur ut desiderium illud perficere possint: atqui non possunt. Ut enim possent, deberet esse vis mutua quæ elementa illa ad se invicem attraheret: jam vero quænam esset illa vis? an attractio? tunc ergo ea est imaginanda cujus leges elementorum desideriis sint attemperatæ; & tunc inutilia sunt illa elementorum desideria; eorum vices geret attractio. Ergo nihil est in elementis quod explendis eorum desideriis faveat. Ergo etiam data in iis primæ unionis reminiscentia & novæ copulationis cupiditate, non possunt efformare corpora organis instructa.

Inst. Atqui data illa reminiscentia, supposito illo desiderio, jam elementa possunt efformare corpora organis instructa. Ad hoc enim satis est quod tempore fœcundationis possit supponi succedere motus intestinus qui elementa illa mille modis appropriet & eorum unioni faveat juxta eorum desideria; atqui motus ille intestinus potest supponi. Ergo data, &c.

R. n. maj Quod enim elementum aliis uniri desideret, quod motu intestino approximentur, quod sese invicem tangant illa elementa, hæc non sufficiunt; requiritur præterea ut sibi cohæreant, requiritur vis quæ ita elementa conjuncta teneat ut a se divelli nequeant. Jam vero neque atomorum seu elementorum desiderium, neque motus quo ad unionem appelluntur, neque quies huic motui succedens possunt efficere vinculum illud quo impediatur dissolutio. Recurrendum ergo ad causas co-

hæsionis generales & particulares, dicendumque causas illas infinities variatas elementorum desideriis correspondere; sed tunc iterum dico inutilia sunt illa elementorum desideria, utpote quæ per causas illas facile suppleri possunt.

Inst. Atqui necessarius non est motus internus ut elementum cogitet. Motus ille fortasse esset necessarius ut elementum plures ideas habeat; at minime vero ut unicam tantum habeat ideam. Scilicet supponatur homo qui uno tantum visus sensu fruatur, cujusque oculi immobiliter defixi manerent in objectum etiam immotum. Homo ille absque ullo motu ex parte sui objectum suum percipit; ita a pari atomus absque ullo motu posset unica imbui cogitatione. Sic itaque tam potest elementum unica supponi imbutum cogitatione quam homo uno tantum sensu, v. g. visus percipere objectum immotum. Jam vero in homine illo nullus est, nec requiritur motus internus, quia immotum est objectum & unica perceptio: ergo nec in elemento idem motus requiritur ad unicam cogitationem.

R. 1. n. maj. Homo ille quodammodo non videret, sed esset in ecstasi; ergo nulla paritas eum inter & elementum quod supponitur revera cogitare. Deinde homo ille vel agitatur motu interno, vel non. Si primum, nulla eum inter & elementum comparatio quod ad cogitationem requirit necessario motum internum, ex probatis. Secundum repugnat. Unde.

R. 2. n. min. Tandiu enim homo ille percipit objectum suum quandiu retina ejus oculi, seu nervus opticus agitatur & est motus quidam in organo visus. Cessante illo motu etsi quies succedat, objectum suum non amplius videt homo ille.

Inst. Nihil obstat quominus elementum in omnimoda quiete unica & ecstatica constanter imbutum maneat cogitatione.

R. n. ant. Si is sensus sit objectionis modo propositæ, tunc 1. comparatio non est adæquata & justa, quandoquidem oculus hominis illius in ecstasi motu reali agitatur, nec elementum talem motum suscipit. 2. Quomodo posset supponi in elemento quiescente cogitatio quæ in homine importat motum?

Inst. Motus potest esse necessarius ad excitandam cogitationem, at cogitatio semel orta potest manere etiam cessante motu.

R. n. ant. Si enim cogitatio perseverare posset motu cessante, jam pendet a certa quadam forma materiæ cogitantis, jamque quodlibet elementum, hanc vel illam formam hanc vel illam haberet cogitationem: atqui tamen experientia constat quamlibet formam, quem unque situm partium corporis non sufficere ad cogitationem. Immo inde sequeretur absurdum, nempe corpus, etiam mortuum, cogitare, cum habeat certam formam, certam partium dispositionem sicut & corpus vivens. Quin immo, cum mors causet in corporibus vehementem fermentationem ex qua unoquoque instanti mutatur forma & dispositio partium insensibilium quas in omnem partem movet & agitat, unoquoque instanti variarent perceptiones, pluresque in cadavere orirentur quam in corpore vivente, quod absurdum est. Deinde si ex partium forma & dispositione oritur cogitatio in monades; ergo monas semper eandem cogitationem quandiu existet servabit. Cum enim motu interno non possit agitari, quam semel habet formam & dispositionem partium, hanc in æternum servabit. Cogitatio ergo erit immutabilis sicut & monas ipsa.

Inst. Cogitatio in monade erit a partium motu & forma independens.

R. n. ant. Hoc erat ultimum effugium quod facile præcludi potest. Si enim res ita sit, tunc cogitatio existet sine ulla causa; tunc poterunt sensus hominis tum interni, tum externi agitari, fibri concuti poterunt quin tamen homo ille vel levissimam impressionem & affectionem patiatur; poterunt etiam omnes illi sensus omnino quiescere, nec tamen homo ille cessare a percipiendo & ullam cogitationem amittere. Solus esset in orbe terrarum, solus contemplaretur, & tamen quæcunque videt videret, quæcunque audit audiret; quamvis nihil videndum foret, nihil audiendum; quod absurdum est.

Inst.

Inst. Præcipua difficultas quæ premit in tribuenda monadibus cogitandi facultate oritur ex eo quod in tali systemate non possent facile explicari variæ mentis operationes: atqui hoc falsum est. Præcipuæ enim mentis operationes sunt cogitationum & sensationum existentia, multiplicitas simultanea & successio, earum communicatio, distinctio & comparatio: atqui hæc omnia possunt explicari concessa monadibus cogitandi facultate. Ergo.

R. n. utramque min. 1. Cogitationum & sensationum existentia non potest explicari, tum quia, ex dictis, motum internum cogitationi producendæ necessarium non suscipiunt monades; tum quia monades non habent organa, ac proinde sensationes organis additas experiri non possunt. 2. Cogitationum multiplicitas simultanea in eo consistit, quod plures ideas, plures sensationes simul sensum sui faciant, quod quidem absolute necessarium est ut efformetur judicium: porro cogitationum & sensationum talis multiplicitas in systemate monadum explicari non potest. Qualibet enim idea, si a materia oriatur, postulat motum sibi proprium, correspondentem & a quocunque alio motu distinctum: atqui monas non potest moveri duplici motu simul & eodem instanti. Præterea motus qui excitatur in organo visus, ver. gr. toto cælo differt a motu in organo auditus, & sic de ceteris sensibus. Attamen quandoque omnibus simul sensibus utimur. Ad hoc requiritur ut omnia organa agant in corpus cogitans. Sed tam varios, tamque oppositos motus simultaneos non suscipit corpus. 3. Successio cogitationum importat successionem motuum internorum & mutationum: sed omnem motum internum, omnem mutationem natura & essentia sua respuunt monades. 4. Cogitatio aut sensatio non possunt communicari in præsenti systemate quin unumquodque organum in variis suis partibus varios motus accipiat quos corpori cogitanti simul distribuat. Jam vero varios illos motus distribuere non potest quin in corpore varias & distinctas partes reperiat variis motibus correspondentes. Ergo cum monas sit simplex nec habeat partes, nec varios ac diversos etiam motus recipere potest. Deinde cum unaquæque monas sit alterationis incapax & unicam supponatur habere posse & revera habere ideam, non potest una alteri suam communicare ideam; alias alterationi fieret obnoxia. Denique idearum distinctio & comparatio. Supponamus ad instans monadas illas esse in motu, & cogitationem nihil aliud esse quam motum, tunc impossibilis est idearum & sensationum distinctio aut comparatio. Nam vel singulæ monades, aut etiam duo extrema uniuscujusque monadis uno & eodem motu agitabuntur, vel motu proprio ac singulari movebuntur. Si primum; jam ideæ & sensationes confunduntur; quod repugnat. Nam constat experientia ex diversis sensibus varias oriri ideas & sensationes, immo certum est per unum eundemque sensum multiplicem suscipi ideam & sensationem. Ergo. Si vero singulæ monades aut duo earum extrema proprio motu moveantur, jam non una est anima, non unus est spiritus, sed multiplex, immo numero infinitæ sunt animæ. Jam vero in ista hypothesi impossibilis est idearum aut sensationum comparatio. Sicut enim motus ille ita unicuique monadi proprius est, ut eum cum alterius monadis motu conferre nequeat, sic nec propriam cogitationem aut sensationem cum alterius cogitatione aut sensatione conferre potest. Ut enim fieret illa comparatio, deberet fieri cogitationum & sensationum communicatio: atqui illa idearum communicatio est omnino impossibilis. Cum enim cogitatio sit accidens, deberet ab una monade ad alteram, aut ab uno ejusdem monadis extremo ad alterum transire: atqui transitus ille est impossibilis: nam in ipso transitus instanti nullum haberet subjectum inhæsionis; quod tamen repugnat nisi admittatur miraculum, quod sane hic non agnoscent Deistæ. Ergo etiam data monadum existentia, impossibilis est idearum & sensationum distinctio aut comparatio. Ergo.

Inst. Atqui data monadum existentia, possibilis est cogitationum & sensationum communicatio & comparatio. Data enim

enim monadum illarum existentia, jam concipi potest cogitatio & sensatio ut quidam monadum illarum motus; jam vero hac facta hypothesi, cogitatio & sensatio communicabuntur juxta leges communicationis motus. Porro constat experientia juxta leges illas motum totalem & integrum quandoque & inter certa quædam corpora communicari, v. gr. inter corpora elastica. Ergo a pari poterit cogitatio & sensatio totalis & integra communicari data semel monadum existentia. Unde sic resumo. Ut data semel monadum existentia, possit concipi cogitationum & sensationum communicatio & comparatio, sufficit ut communicatio illa fieri possit juxta leges communicationis motus: atqui data monadum existentia, potest fieri cogitationum & sensationum communicatio juxta leges communicationis motus. Ergo data monadum existentia, concipi potest cogitationum & sensationum communicatio.

R. n. min. 1. Cogitationum & sensationum communicatio fieri non potest eo modo qui cogitationi & sensationi repugnet, & ipsi sit omnino extraneus: atqui data licet monadum existentia, si cogitationum & sensationum communicatio fieret juxta leges communicationis motus, tunc fieret illa communicatio modo qui cogitationi & sensationi foret extraneus & repugnans. Nam ex probatis non solum cogitatio aut sensatio non sunt motus, sed istud repugnat cogitationis & sensationis essentiæ. Ergo. 2. Cogitatio & sensatio totalis & integra debet communicari: atqui cogitatio aut sensatio non potest sic communicari sicut motus. Nam ut exemplo allato utar, corpora elastica totum quidem motum communicant quem habent instanti communicationis, at non communicant aut communicare possunt eum omnem motum quem habuerunt a primo instanti motus: nam a primo illo instanti, motus ille modo acceleratus est, modo retardatus, modo hac, modo illa directione impulsus. Ergo nunquam eandem motus quantitatem nec omnes directiones communicat. At vero principium illud quod in nobis cogitationes & sensationes non tantum communicat quales eas habet in instanti communicationis, sed ut eas habuit ab initio cogitationis, uno verbo perfecte totales & omnino integras. 3. Dum monades illæ objectum percipiunt, vel unaquæque ex illis totum objectum attingit, vel objecti partem tantum singula perciperet. Si primum; jam pro monadum numero multiplicabitur perceptionum & animarum numerus. Ergo cum monades illæ sint numero infinitæ, aderunt etiam animæ & perceptiones numero infinitæ. Et vero vel unaquæque ex illis monadibus est anima, vel non. Si primum; jam multiplex anima. Quod absurdum est. Unicum est enim illud quod in nobis cogitat, legit, &c. Immo tunc quælibet ex illis monadibus toti illarum æquivalebit. Si secundum, jam totum ex iis monadibus conflatum anima esse non poterit. Ergo si singulæ monades totum objectum percipiant, jam absurdum dicitur. Si vero singula singulam partem objecti videat, jam impossibilis idearum communicatio & comparatio. Tunc enim nulla ex iis monadibus objectum totum percipit, nulla de objecto toto pronuntiare potest; non secus ac si plures personæ singulæ singulam objecti partem viderent; nihil de toto affirmare possent.

Inst. Atqui etiam posita monadum multitudine, potest fieri idearum communicatio & comparatio. Ad hoc enim sufficit quod omnes illæ monades, quæ sunt totidem veluti animæ partes, in unum simul punctum concurrant & adæquatam totius objecti perceptionem efforment: atqui res ita est. Ergo.

R. n. maj. Centrum enim illud commune in quod concurrunt variæ partes animæ vel est punctum mathematicum, & ex monadum numero; vel est punctum physicum & reale. Si primum; 1. punctum mathematicum ideale est & repugnat ex probatis. 2. Vel totum objectum exhibent singulæ monades; & tunc inutile est centrum illud commune. Vel inter singulas monadas frustratim dividitur idea; & tunc impossibile est ut totum objectum in centro illo communi reddatur: nam ex probatis impossibilis est idearum communicatio

inter

inter illas monadas. Ergo 1. non potest esse punctum mathematicum. 2. Non potest esse punctum physicum & reale. Ut abunde constat ex rationibus allatis. Rem totam exemplo illustrare liceat. Supponamus aliquam frumenti congeriem, & ideam hominis in illa congerie effusam esse. Vel unumquodque granum totalem & adæquatam hominis ideam habet; & tunc tot supponi debent entia cogitantia, quot sunt frumenti grana. Vel unumquodque frumenti granum partem tantum hujus ideæ habet, & tunc nullum granum potest dicere: hominem concipio, quia nullum granum potest enuntiare quid concipiat; nec etiam granorum congeries adæquatam hominis ideam exprimere potest. Cum enim nullum ex his granis cognoscat, quid cogitet alterum granum, nullum etiam scire potest an omnes istæ cognitiones & idearum partes hominem efforment ac exhibeant. Porro utraque ista hypothesis sensui intimo, rerum ideis, & quotidianæ experientiæ repugnat. Nam sensu intimo unicuique nostrum innotescit, ut jam multoties diximus, illud quod in unoquoque nostrum cogitat, esurit, gaudet, tristatur, &c. unicum esse.

Inst. Atqui monadarum distinctio & multiplicitas idearum comparationi & communicationi non officit. Nam constat experientia adeo celeres aliquando ac citatas esse ideas ut eodem instanti menti coruscare videantur, licet successive tantum mentem percellant. Pariter constat experientia ita rapidum esse aliquando motum, ut simultaneus videatur, licet tamen sit successivus; ut accidit quando aliquis ignitum carbonem circulari motu agit ita celeriter ut circulum efficiat. Unde sic. Ut fiat idearum comparatio & communicatio, posita licet monadarum distinctione & multiplicitate, satis est quod monadarum motus licet in se successivus, videatur tamen simultaneus: atqui res ita se habet. Ergo, &c.

R. 1. n. maj. Quantumvis enim celer supponatur motus, quantumvis insensibilis appareat, recurrunt ac nihilominus valent argumenta superius proposita. Vel enim motus ille singulis monadibus proprius est, & tunc impossibilis est idearum communicatio, vel omnibus monadibus unus est & communis motus, & tunc ideæ confunduntur, & impossibilis est idearum distinctio. Tandiu enim durare debet perceptio semel data, in systemate Materialistarum, quandiu durat motus & ejus actio sensibus impressa. Ergo si constanter sit idem motus & eadem ac uniformis ejus actio, jam eadem menti obvolvi debet idea. Ergo impossibilis est idearum distinctio. Præterea inter perceptiones quæ menti affulgent aliæ vivide, aliæ remisse eam afficiunt; quæ debiles sunt vividas sane expellere non possunt in placitis Materialistarum, immo nec sui sensum facere possunt; nam agunt mechanice & juxta motus leges. Atqui tamen contrarium sæpe evenit. Nam, ver. gr. dum torquet acerbissimus dolor, nares percellit sæpe odor suavissimus, dulce ab amaro gustu secernitur, videntur colores. Atqui hæc omnia evolvi non possunt in systemate de quo agitur. Dum enim moventur monades illæ ad excitandas varias illas sensationes, vel motu æquali & directe opposito feruntur, & tunc nulla erit sensatio, vel directione angulari opposita, & tunc non erunt variæ illæ sensationes modo expressæ. Motus enim quod sic directione opposita propulsatur, mediam directionem sequitur. Ergo in illa hypothesi corpus nec frigus, nec calorem experietur, sed medium esset inter utrumque; quod absurdum est.

R. 2. Ad comparationem institutam. Equidem carbo ignitus circulari er & celeriter agitatus circulum efficit, quia cum unam atmosphæræ partem subit, altera adhuc agitata manet motu semel impresso, & cum subito ad eamdem partem eodem motu redeat, idem motus circularis continuatur. At ubi de idearum distinctione agitur, non tantum evolvendum est quomodo dato eodem motu eadem perseveret idea, sed quomodo aut eodem posito licet motu distinctæ tamen formentur ideæ, aut quomodo sub diverso motu possit fieri idearum comparatio.

Inst. Atqui licet materia sit indivi-

sibilis, potest tamen cogitare. Ideo enim materia cogitare non posset, eo ipso quo est divisibilis, quia dividi non posset quin ipsamet cogitatio divideretur: atqui divisa materia, non ideo dividitur cogitatio, sed potest supponi indivisa in singulis materiæ partibus divisis. Ergo licet materia sit divisibilis, potest tamen cogitare.

R. n. min. Et dico quod si cogitatio oriatur a materia, divisa materia, cogitatio non possit supponi indivisa in singulis materiæ partibus divisis. Vel enim cogitatio materiæ portionem adhuc indivisam totam & quantum ad omnes suas partes afficit, vel non. Si primum; dividitur ergo cogitatio: nam pars A, ver. gr. separari non potest a parte B, quin cognitio quæ partem A afficiebat, separetur simul a cognitione quæ parti B inhærebat. Vel enim cognitio illa instanti divisionis parti divisæ inhæret, vel ei non inhæret, & quasi supra se revolvitur ac replicatur. Si inhæret, jam dividatur necesse est. Sin minus, fit ergo ens substantiale per se subsistens absque subjecto inhæsionis, tuncque jam non est modificatio materiæ. Quod si Materialista dicat cogitationem non afficere materiæ portionem, nisi quantum ad aliquas partes, cur hæc vel illa pars materiæ potius cogitaret quam altera? Utraque enim æqualiter & materialis, & extensa & divisibilis est.

Inst. Atqui licet divisibilis sit & extensa materia, tamen potest cogitare. Ideo enim asseritur materiam pro sua extensione & divisibilitate cogitare non posse, quia cogitatio & extensio sese mutuo excludunt ab uno eodemque subjecto: atqui hæc ratio nulla est; nam motus & quies sese mutuo excludunt ab uno eodemque subjecto: atqui tamen motus & quies possunt esse modificatio ejusdem subjecti; ergo a pari cogitatio & extensio possunt esse modificatio ejusdem subjecti. Ergo materia licet extensa & divisibilis, potest cogitare.

R. dist. maj. motus & quies sese mutuo excludunt ab uno eodemque subjecto simul: c. successive: n. itaque quies & motus sese excludunt simul ab uno eodemque subjecto; idem enim corpus non potest simul quiescere & moveri. At corpus quod concipitur capax motus, hoc ipso concipitur capax quietis; hinc corpus quod movetur hic & nunc poterit quiescere in alio instanti; hinc motus & quies non sese excludunt successive ab uno eodemque subjecto. E contra vero cogitatio & extensio sese mutuo excludunt tum simul, tum successive ab uno eodemque subjecto. Simul quidem quia eadem substantia eodem instanti non potest essentialiter exigere partes, & eas essentialiter excludere; non potest actu habere partes & eas actu non habere. Successive vero; quia substantia quæ essentialiter habet aut exigit partes non potest eas successu temporum essentialiter excludere. Substantia enim non potest etiam successu temporum essentiam suam exuere aut mutare. Jam vero extensio exigit essentialiter partes; cogitatio essentialiter partes excludit. Ergo cogitatio & extensio ab uno eodemque subjecto sese mutuo excludunt etiam successive. Ergo valet ratio allata. Uno verbo motus & quies quantumvis sibi mutuo oppositi, aliquam tamen affinitatem dicunt cum uno eodemque subjecto, & ordinem ad illud dicunt; e contra vero cogitatio & extensio nullam affinitatem dicunt uni eidemque subjecto; immo quo magis ad utriusque naturam attenditur, eo magis percipiuntur talem affinitatem essentialiter excludere.

Inst. Atqui licet cogitatio & extensio sese etiam successive excludant ab uno eodemque subjecto, tamen materia cogitare poterit, aut saltem contrarium asseri non potest. Nam ex modo concessis, ideo motus & quies possunt esse modi unius ejusdemque substantiæ, quia dicunt ordinem ad idem subjectum: atqui pariter cogitatio & extensio dicunt ordinem ad idem subjectum, nempe ad corpus humanum. De extensione quidem, res est extra omnem controversiam. De cogitatione vero sic demonstratur. Quod tam pendet a corpore ut existat quam extensio, ordinem dicit ad subjectum idem ac extensio, nempe ad corpus humanum: atqui cogitatio tam pendet a corpore ut existat quam extensio. Quælibet enim cogitatio cujus conscii sumus,

mus, pendet ab organis corporeis ut in nobis producatur. Ergo, &c.

R. dist. min. Cogitatio pendet tanquam a causa physica : n. Tanquam a causa occasionali : subd. Per accidens & in aliquibus : c. Absolute & in omnibus : n. Itaque illud pendet ab organis corporeis absolute & tanquam a causa physica aut subjecto inhæsionis, quod non potest existere sine illis organis, & in quod organa illa physice influunt, vel quod immediate recipitur in illis. Illud vero pendet tantum per accidens, quod pendet tantum in eo quod producatur consequenter ad commotionem factam in organis corporis, licet possit produci, & revera sæpe sæpius producatur independenter ab illis.

Porro 1. cogitationem non pendere ab organis corporeis tanquam a causa physica manifestum est ; cum sint enim corpora, cogitationis exclusionem dicunt. Præterea inde evertetur hominis libertas, virtutis laus, boni & mali moralis distinctio & notio. Multæ sunt sane ideæ in quas nihil possunt sensus, v. g. dubium, desiderium. Dicant nobis Materialistæ cujus coloris, soni aut figuræ sit affirmatio aut negatio ; frigida ne, an calida ? 2. Nec cogitatio pendet ab organis ut a causa occasionali in omnibus. Multæ enim sunt ideæ, v. gr. cogitationis, entis, animæ, &c. quæ non habent sensus ut causas occasionales. Quid enim vero possunt sensus in dubium, vel persuasionem, aut in utriusque distinctionem ? An delineare nobis possunt spem, timorem, desiderium ? an ex iis concipiemus æternitatem, infinitatem, immensitatem ? Ingerent ne nobis ideam possibilitatis, existentiæ, entis ? &c. Fatemur ergo cogitationem pendere in aliquibus ab organis corporeis tanquam a causa occasionali, & hoc propter unionem ejus cum suo corpore ; pendere vero in omnibus, aut tanquam a causa physica, negamus.

Inst. Atqui pendet tanquam a causa physica absolute & in omnibus. Namque anima nascitur cum corpore, cum eo crescit, ægrotat & senescit ; quin immo corporis complexionem sequuntur mores ; uno verbo omnes corporis vices anima experitur. Unde sic in forma resumo & probo subsumpt. Illa substantia pendet ab organis corporeis absolute, in omnibus & tanquam a causa physica quæ omnes corporis vices experitur, ac sequitur : atqui talis est anima. Ergo.

R. dist. Omnes corporis vices experitur ratione alterius & ex defectu instrumenti : c. Ratione sui : n. Itaque fateor quod substantia quæ has vices experiretur ratione sui, & tanquam pars essentialis corporis, foret revera corpus, aut penderet ab eo tanquam a causa physica ; tunc enim sane haberet materiæ proprietates. At vero anima hæc experitur tantum ratione alterius, nempe ratione corporis & ex defectu instrumenti ; scilicet corpus cui unitur est quoddam instrumentum quo anima utitur ad attingenda sensibilia ; sensus sunt quædam vehicula quæ menti humanæ adducunt & sistunt objecta sensibilia. Ubi vehicula illa tardiora sunt, aut minus recte disposita, ubi instrumentum quo utitur anima hebes est, tunc anima tardius aut minus recte sua obit munia, non ex se, aut ratione sui, sed defectu & vitio vehiculi aut instrumenti ; vitium illud non in animam, sed in corpus refundi debet cujus ministerio indiget ut illas peragat functiones. De anima hic idem sit judicium ac de quolibet artifice, v. g. fabro ferrario. Ut artem suam exerceat variis instrumentis opus habet, quæ quidem antequam parata habeat, nihil in arte sua exequi valet, quantumvis alias peritus ; cum vero instrumenta illa imperfecta sunt, aut hebetantur, imperfecte etiam, & maxima cum difficultate opus exequitur. Ita a pari, corporis organa ac membra sunt animæ instrumenta ipsi in præsenti statu necessaria. Antequam organa illa parata sint, ut in infantia, non mirum est nihil fere mentem agere posse. Ubi vero instrumenta illa sive per morbos, sive per senectutem hebetantur, mentis etiam operationes hærere necesse est. Quæ quidem omnia evincunt animam in præsenti vita dependentiam & commercium dicere cum corpore, ipsam vero cum illo confundi minime probant. Tam enim organa illa sunt ab ipso animo distincta, quam vitrea per-

perspicilla quibus utuntur miopes; ex eo quod autem oculus languens non videat, non magis licet concludere animam cum eo confundi, quam cum perspicillo, ex eo quod per perspicillum fuco illitum non perspiciamus. Quantacunque ergo supponatur utriusque illius substantiæ unio, semper tamen duæ illæ substantiæ remanent natura distinctæ ac diversæ; nec ex earum unione fit ut unius idea aut existentia sit idea aut existentia alterius. Etiam posita illa unione diversimode a nobis concipiuntur, ergo & distinguuntur.

Inst. Constat experientia inter motus corporis & affectiones animæ mutuum usque vigere commercium, quod suspendere tantillum ac retardare penes nos non est. Ergo anima omnes corporis vices experitur etiam ratione sui.

R. n. antecedens. Cujus falsitas patet ex antea dictis. Ceterum 1. falsum est commercium illud animæ cum corpore ita universale ac necessarium esse ut quoad nulla suspendi aut retardari possit. Quod ut intelligatur observandum ex functionibus animæ alias esse quæ ejus sunt, quatenus spiritualis est, alias vero quatenus est forma corporis. Primi generis sunt idea, judicium, volitio. Secundi vero sunt sensationes, affectiones quæ ordinantur ad corporis conservationem. Quantum ad functiones secundi generis & quæ dicuntur sensibiles, anima pendet a corpore, alias vero exercere potest seorsim a corpore, adeo ut duplicem quasi vitam homo agat in corpore, sensualem unam, spiritualem alteram. Suas habet unaquæque leges, sua munia, suas delicias, suos dolores. Cum ex sensuum commotionibus afficimur, vitam agimus sensualem; at ubi nulla re sensus agitante cogitamus, argumentamur, nosque afficimus sine oculis, sine auribus, immo paralysi constricto ferme toto corpore, viget animus, eandem servat memoriæ vim & rationis, eosdem amoris & odii, honoris ac pudoris sensus; tunc vitam illam spiritalem vivimus. Sic cum a voluptate, cum a corpore & a sensibus animum sevocamus, animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus. Hinc in corpore languido, mens aliquando vividissima & ad agendum promptissima. Hinc sæpe sæpius studio atque industria vitia temperamenti ab animo superantur; e contra vero sæpe fit ut temperamento non impellente, vel prava consuetudo, vel improborum exhortationes & exempla ad vitia excitent. Hinc etiam anima ubi impressiones ab organis corporeis accipit, sæpe & sine his & contra eas ag t, earum vim modo auget, modo elidit, cupiditates coercet & legem iis imponit.

2. Materialistis potius quam nobis solvenda venit præsens hæc difficultas, longeque difficilius in eorum principiis animæ a corpore concipitur dependentia; v. gr. in systemate Spinosæ & Platonis. Nam juxta nos anima est substantia creata, ac proinde imperfecta, ac consequenter pendere posse concipitur ab alia substantia, licet inferiori, præsertim si dependentia ista in pœnam alicujus culpæ succedat. At apud Spinosam & Platonem, cum anima sit aut modificatio, aut portio substantiæ increatæ & necessariæ, jam natura ac essentia independens est.

Inst. Atqui anima corporis vices sequitur ratione sui. Ex concessis enim anima sequitur varias corporis vices & dispositiones corporis: atqui anima vices illas sequi non potest quin sequatur eas ratione sui, sicut ex duobus corporibus unitis & a se mutuo dependentibus unum alterius vices sequi non potest quin eas sequatur ratione sui. Ergo.

R. dist. ant. Sequitur modo longe diverso quo unum corpus sequitur alterius corporis dispositionem: c. eodem modo: n. corpus sequitur alterius corporis dispositionem, quatenus hujus corporis afficit modum, figuram, aut quocunque modo mutat statum respectivum partium quem antea habebat. Quæ quidem mutationes corpori non succedunt, nisi quatenus divisibili & extenso. At principium cogi andi eo tantum sensu corporis dispositionem sequitur, quod ad diversam impressionem quæ fit in organis corporis cui unita est, varias patiatur sensationes.

Obj. 3. Ut ex cogitationis natura animæ simplicitas legitime concluderetur, certo

certo nobis constare deberet cogitationem cujus conscii sumus non recipi in organis corporeis tanquam in subjecto inhæsionis: atqui non certo nobis constat cogitationem, &c. Nam id constaret per conscientiam cogitationis; natura enim cogitationis nihil hic facit: atqui conscientia cogitationis nullo modo docet nos naturam subjecti in quo recipitur cogitatio. Ergo, &c.

R. n. ult. min. aut dist. Conscientia non docet directe: c. indirecte & mediate: n. ex conscientia cogitationis animæ simplicitas per ratiocinium evidenter concluditur: scilicet evidentia constat cogitationem esse quid simplex; sensus intimus refert nobis nos hic & nunc affici cogitatione; inde evidenter concludere est subjectum cogitationis, id est, animam esse quid simplex & spiritale. Duo itaque hic distinguenda in cogitatione; ejus natura & existentia. Illam evidentia; hanc sensus intimus certam facit.

Inst. Quies est simplex; & tamen recipitur in subjecto extenso. Ergo a pari cogitatio licet sit simplex, potest recipi in subjecto extenso.

R. dist. Quies est simplex ratione sui & aliquo sensu: c. ratione subjecti: n. Quies ratione sui est mera negatio & privatio, verbo dicam, nihil est, ac proinde sub hoc respectu dici potest aliquid simplex eo sensu quod nihilum dividi non possit; cogitatio vero ratione sui est aliquid positivum. Unde ex hac parte nulla comparatio. Quies ratione subjecti est quidem aliquid positivum, sed sub eo respectu non est aliquid simplex. Nam sub hoc respectu nihil aliud est quam materia non mota, id est, servans eundem ordinem tum cum suis partibus, tum cum aliis corporibus: ergo materia non mota habet partes. Ergo quies partes & subjectum corporeum postulat.

Inst. Albedo, calor, sonus, durities, &c. sunt quid simplex, omnem divisionem aut compositionem excludunt; atqui tamen hæc omnia materiæ modificationes sunt: sola enim materia alba, calida, &c. esse potest. Ergo ex eo quod cogitatio excludat partes, non sequitur ejus subjectum inextensum esse & indivisibile.

R. dist. min. Hæc omnia sunt modificationes materiæ quatenus sunt materiæ dispositiones: c. quatenus sunt sensationes: n. Itaque duplici sensu calor, durities, sonus accipi possunt. Sumuntur aliquando pro sensationibus ipsis quas in nobis excitant corpora alba, calida, &c. Aliquando etiam per hæc intelliguntur virtus, efficacia, proportio & dispositiones quarum virtute objecta in nobis excitant sensationes albi, sonori, calidi, &c. Hæc 1. sensu intellecta sunt quid indivisibile quidem, sed sunt etiam animæ nostræ modificationes; sunt enim sensationes, nec nisi substantiæ indivisibili inesse possunt. In secunda vero acceptione, modificationes sunt divisibiles, materiæ inhærent, partes habent, aut potius supponunt a se invicem realiter distinctas & separabiles. Sic v. gr. albedo sumpta pro corporis dispositione vi cujus corpus illud albi sensationem nobis ingerit, nihil aliud est quam quædam materiæ partium dispositio quæ objecti superficiem terminat, vi cujus undequaque lucis radios nobis remittit. Porro manifestum est dispositionem illam partes supponere a se invicem separabiles. Sic etiam calor hoc sensu sumptus est quædam species motus; durities est partium mutua inter se conjunctio, qua immobiles firmantur. Iterum: hæc omnia divisibilitatem, extensionem sonant ac supponunt in subjecto cujus sunt modi; non item cogitatio: ergo non valet paritas.

Inst. Sensatio & idea sunt quid unum & idem; sicut enim omnis sensatio est idea, sic omnis idea est sensatio. Sed sensatio recipitur in subjecto corporeo, ergo & idea.

R. dist. Sensatio & idea sunt quid unum & idem; sensatio, inquam, id est perceptio actionis corporum: c. id est actio ipsa corporum est idea: n. Atqui sensatio recipitur in subjecto corporeo: dist. Actio corporum: c. Perceptio actionis illius: n. Itaque duo in sensatione distinguenda sunt, nempe actio aliorum corporum in proprium corpus, & perceptio hujus actionis, seu actus mentis percipientis corpus sibi unitum hoc vel illo motu agitari. Actio corporum est in corpore, & tendit ad corpus; non est sensatio, sed sensationis oc-

occasio. Actus vero quo mens hanc percipit actionem, sensationis nomen solus tenet, nec recipitur nisi in subjecto simplici. Nemo enim non agnoscit variam nervi vibrationem esse omnino diversam a sensu caloris & soni, &c. Nisi corpori nostro alligata esset substantia simplex, si homo constaret ex duplici tantum materiæ portione unita, frustra corporis nostri machina aliorum corporum actione & reactione impelleretur, frustra certas quasdam figuras ab illis corporibus reciperet, nulla magis adesset sensatio aut cognitio quam in cera sigillo impressa.

Obj. 4. Ut aliquid de aliqua re asseratur, debent attributum & subjectum perspecta esse & cognita. Sic ut Deum bonum esse pronuntiemus, idea tum Dei, tum bonitatis nobis adsit necesse est: ergo ut certo pronuntiemus materiam non posse cogitare, animam vero simplicem esse & cogitationis capacem, debet adesse nobis utriusque idea, satis clara & perfecta: atqui sive mentis nostræ, sive cogitationis, sive denique materiæ non adest nobis idea satis perfecta & adæquata: mens enim per se ipsam non cognoscitur. Ergo.

R. 1. Libenter quidem fatemur animam nostram non in se ipsa & per se nobis patere, sed tantum ex ejus modificationibus: at nec melius materiam perspectam habemus. Quæ sit ejus natura, nos latet, id unum de ea retectum habemus tales, vel tales modos eam suscipere. Ergo ex illa pari utriusque substantiæ ignorantia non magis licet Materialistis cogitationem materiæ concedere, quam animam corpoream affirmare, & spiritalem positive negare. Ergo temere ex ignorantia arguunt & concludunt.

R. 2. n. min. quoad utranque partem. 1. Quidem quantum ad materiam. Nam fatentibus Materialistis, datur idea multarum figurarum, v. gr. trianguli, circuli, &c. Porro ideæ illæ supponunt & important substantiam extensam, seu substantiam quæ habeat partes a se invicem distinctas. Uno verbo, fatentibus vel ipsismet Materialistis, habemus aliquam saltem imperfectam materiæ ideam; primaria saltem ejus attributa cognoscimus. Jam vero negare non possunt iidem Materialistæ primaria inter illa attributa cogitationem non modo non occurrere, sed etiam attributa illa maximam præ se ferre cum cogitatione repugnantiam. Ergo 1. materia sufficienter nobis nota est ut possimus asserere eam cogitare non posse. 2. Quantum ad cogitationem. Negare enim nec possunt, nec audent Materialistæ cogitationem esse per se quid simplex & indivisibile. Quo magis enim attendimus ad ideam cogitationis, eo magis detegimus eam partes a se invicem distinctas a se excludere. Ergo nec negare possunt aut debent iidem Materialistæ cogitationi deberi subjectum simplex & indivisibile. Ergo 2. sufficientem habemus cogitationis ideam ut asseramus subjectum in quo recipitur esse necessario simplex & indivisibile, ac consequenter materiam non posse cogitare. 3. Denique quantum ad animam. Nam, fatente Lockio, ex ideis facultatum & operationum mentis nostræ tam claram ejus habemus cognitionem, quam ex conglobatis ideis soliditatis, cohærentium sibi partium & divisibilitatis adest nobis idea materiæ: sed ex variis ideis soliditatis, &c. sufficiens adest nobis idea & cognitio ut concludamus earum subjectum esse divisibile & extensum. Ergo ex variis etiam ideis facultatum & operationum mentis nostræ, sufficiens adest nobis ejus idea & cognitio ut asseramus eam esse simplicem. Uno verbo certum est diversitatem idearum & conceptionum notam esse diversitatis substantiarum: sed anima concipitur ut inextensa & indivisibilis: nam sic concipitur cogitatio quæ est ejus modificatio. Unde, modificationes materiæ subjectum extensum & divisibile exigunt. Modificationes animæ subjectum inextensum & indivisibile volunt. Eam ergo materiæ habemus ideam quæ ab ea evidenter excludat cogitationem; eam vero animæ quæ evidenter cum cogitatione proportionem dicat: hæc idea est clara: ergo.

Inst. Priusquam asseramus substantiæ alicujus proprietates, ver. gr. animam esse simplicem, immortalem, debet intus extraque & perfecte cognosci; sed de animæ natura adhuc disputatur; alii

alii enim eam in actuali, alii eam in radicali cogitatione reponunt; ergo non satis clara.

R. dist. maj. Debet perfecte cognosci, id est, per cognitionem quæ sit perfecta substantialiter, & sufficiat ad assertionem propositam; c. quæ sit comprehensiva; n. Hanc ultimam cognitionis speciem perpetuo hic urgent, ac nobis obtrudunt increduli; & inde eo progrediuntur, ut concludant nihil a nobis tuto ac certo posse cognosci, ac proinde de omnibus omnino nobis dubitandum esse. Nulla etenim res, ne minima, ne vilissima quidem a nobis comprehensiva cognitione penetratur. De rebus eminentissimis tuto pronuntiamus, nec tamen eas cognoscimus tali cognitione. Sic Deum esse summe bonum asserere non dubitamus; Deum tamen non comprehendimus. Sic etiam polygonium decem laterum millionibus terminatum non comprehendimus, certo tamen scimus angulos quos efformant ejus latera æquales esse viginti millionibus angulorum rectorum, minus quatuor angulis. Ut ergo aliquid de re aliqua astruatur, requiritur & sufficit cognitio assertioni relativa ac commensurata. Porro talem hic habemus. Quidquid enim decertent inter se Philosophi circa primariam animæ essentiam, stat nihilominus ratum & fixum inter eos, 1. cogitationem esse quid simplex. 2. Subjectum simplex ipsi deberi. 3. Adesse in nobis principium cogitandi & subjectum cogitationis. 4. Huius principii, seu mentis nostræ essentiam consistere vel in cogitatione actuali, vel in cogitatione radicali, id est, in facultate cogitandi; porro eo ipso quo cogitatio est simplex & excludit partes a subjecto in quo recipitur, eo ipso vel ipsa cogitatio radicalis partes excludit a subjecto in quo recipitur. Ergo quidquid tandem sentiant Philosophi circa primariam animæ essentiam, stat nihilominus certum inter eos animam esse simplicem, sufficientemque habemus animæ ideam ut asseramus eam esse simplicem.

Inst. Atqui nullo sensu habetur idea sufficiens. Nam non habemus animæ ideam claram, distinctam & positivam, sed tantum negativam. Ergo quid sit anima dicere non possumus, sed tantum quid non sit. Ergo immerito edicimus eam esse spiritalem ac cogitationis capacem.

R. n. ant. Dum enim unusquisque sensu intimo propriæ cogitationis conscius est, evidentia simul percipit cogitationem quam experitur esse quid simplex. Hinc eadem evidentia duce, concludit animam suam in qua recipitur cogitatio esse quid simplex. Hanc ergo habet unusquisque animæ suæ ideam quod sit substantia simplex; porro idea illa est positiva, non negativa. Ergo.

Inst. Quandiu perfecte non cognoscitur materia, tandiu possumus conjicere aliquas ipsi inesse incognitas proprietates quæ cogitationi compatiantur, ac consociabiles sint; ita etiam de anima subodorari possumus proprietates aliquas nobis ignotas ipsi inesse quæ extensionem suscipere possint. Ergo.

R. n. ant. Etiamsi materiam perfecte non comprehendamus, eam sufficienter perspectam habemus ut certo pronuntiemus eam hæc vel illa attributa essentialiter excludere. Risum sane moveret qui ex hac cognitionum nostrarum imperfectione lumen & aer, aurum & lutum pertinaciter confunderet. Quid ad nos, materiam a nobis intus extraque non cognosci? quid refert aliquas ipsi inesse proprietates quas ignoramus? proprietates illæ eas quæ nobis notæ sunt non tollunt, longitudinem, scilicet, latitudinem, &c. Semper verum erit materiæ annexas esse illas proprietates quas in ipsa detegimus. Ergo semper verum erit dicere materiam extensam esse & divisibilem; ergo & cogitationis incapacem. Dum autem suam Materialistæ nobis obtrudunt ignorantiam, quæro utrum eo usque procedat illa imperitia ut ingenitas materiæ proprietates essentialiaque ejus attributa omnino ignoremus? Si ita rem esse asserant, jam evidentiam ipsam impugnant. Quod si proprietates illas cognitas primitivas esse neget Materialista, & contendat eas ab aliis oriri quas non cognoscimus, saltem non diffitebitur eas esse materiæ essentiales, nec ab ea separari posse. Quidquid sit, negare non possunt Materiali-

stæ

stæ inter primitivas illas materiæ proprietates nobis ignotas & eas quas in materia jam cognoscimus intercedere debere aliquam germanitatem ; debent enim habere habitudinem cum communi & eodem subjecto. Ergo nec negare possunt proprietates illas primitivas nobis ignotas cum cogitatione compati non posse; nam proprietates nobis notæ cum quibus consanguineæ sunt illæ proprietates ignotæ cogitationi repugnant. Demum dum Materialistæ perpetuo arguunt ex proprietatibus ignotis, idem est ac si eandem vellent materiæ portionem posse esse rotundam simul & quadratam, ex eo quod plurimas circuli proprietates ignoremus. Ergo etiamsi plurimæ proprietates materiæ nobis ignotæ sint, sequitur materiam non magis cogitare posse, quam propriam exuere naturam.

Inst. Quandiu intime non est cognita materia, tandiu temere ab ipsa excluditur cogitatio. Sic enim ratiocinantur qui spiritalitatem animæ propugnant: in materia non detegitur nisi extensio, divisibilitas, &c. Ergo materia cogitare non potest. Quod quidem ratiocinium eo recidit. Pauca de materia cognoscimus; quædam non nisi imperfecte auguramur & cognoscimus; ita animàm non nisi negative cognoscimus, adeo ut melius dicere possimus quid non sit quam quid sit. Uno verbo; nihil scimus; ignoramus an materia possit cogitare, nec ne: ergo materiam non cogitare positive asserere licet. Quasi vero Newto multas luminis proprietates antea ignotas non detexerit.

R. Pauca quidem a nobis de materia cognosci; sed cum pauca illa cogitationem a materia excludant, haud temere eam non cogitare asserimus. Ex concessis enim materiam esse extensam certo cognoscimus: at hæc proprietas per se cogitationem a materia eliminat. Ergo. Præter primarias ac essentiales illas materiæ proprietates a nobis cognitas, si quas alias habet materia, certum est eas analogas fore proprietatibus jam cognitis; attributa enim secundaria fluunt ex primariis. Ergo sicut omne corpus est extensum & divisibile, his relativa ac consanguinea sint oportet illa quæ detegenda supponuntur attributa; alias substantiæ illæ jam non forent corpora. Ita etiam omnes effectus materiæ his nituntur proprietatibus, & ad primaria illa attributa reducuntur. Sic, v. gr. Nevvtonianæ experientiæ evincunt tantum ante ipsum nobis non omnes innotuisse divisiones, motus & figuras quibus idonea est materia, & sic etiam variæ quæ deinceps fient experientiæ nihil in materia nisi ipsi analogum nobis aperient.

Inst. Ideo materia cogitare non posset, quia quomodo cogitare possit non concipitur: atqui hæc ratio nulla est. Nam nec melius etiam intelligitur quomodo substantia quælibet ideas habere possit; aut quomodo substantia inextensa in aliam extensam agere possit, & vice versa: atqui tamen ex eo quod hæc non cognoscantur, idearum existentiam & genesim negare non licet: ergo etiam ex eo quod ignoretur quomodo materia cogitare possit, non ideo eam cogitare posse negandum est.

R. n. primam maj. Non ideo asserimus materiam cogitare non posse, quia quomodo cogitare possit non concipimus; sed quia ex cognitis materiæ attributis clare & evidenter ac positive percipimus materiam cogitationis esse omnino incapacem. Equidem ignoramus modum quo generentur ideæ, quo substantia inextensa in aliam extensam agere possit & vice versa; at inde minime sequitur nos dubios hærere debere an materia cogitare possit. In materia enim clare percipiuntur proprietates quæ cogitandi facultatem ab ea excludant; at nullatenus percipitur substantiam spiritalem in corpoream agere non posse, immo actionis hujus mutuæ possibilitas ex utriusque substantiæ unione & Dei omnipotentia erui potest. Ut una substantia in aliam agat, necesse non est ut utraque sit homogenea; ut vero materia cogitet, requiritur ut cum cogitatione aliquam habeat habitudinem. Hinc cum cogitatio maximam habeat affinitatem cum substantia spiritali, nullam vero cum materiali, subjecto simplici eam deberi asserimus.

Inst. Admittere substantiam spiritalem ignotam corpori unitam quæ cogitationem recipiat idem est ac admittere

in materia proprietatem ignotam vi cujus materia cogitet; posterius rejicitur; ergo & prius rejici debet.

R. n. maj. 1. ex probatis, anima nobis est sufficienter nota ut ei cogitandi facultatem tribuamus; e contra prætensa illa in materia cogitandi capax proprietas nedum sit nobis cognita, immo evidenter repugnare percipitur. 2. Supponere talem in materia proprietatem, est supponere materiam cogitare posse; atqui ex probatis repugnat materiam cogitare posse. Ergo non valet allata paritas.

Inst. Constat mihi me habere corpus & cogitare. Porro longe magis rationi consonat cogitandi facultatem tribuere soli substantiæ notæ, quam ignotæ. Ergo.

R. n. totum. Etenim sicut certum est unumquenque nostrum corpus habere, sic ipsi constat eum cogitare, & principium cogitandi habere. Constat etiam ipsi animam & corpus quantum ad ideam nihil commune inter se habere. Sicut enim corpus ex extensione, sic animum ex cogitatione cognoscimus. Unde corpus ab anima distinctum concludimus, sicut cogitationem ab extensione. Ergo cum constet homini corpus inesse ipsumque cogitare, & cogitationem corporis appendicem non esse; jam non corpori, sed alii facultati tribuenda cogitatio. Ergo eam tribuere animæ, tribuere non est eam ignotæ facultati.

Inst. Saltem omnipotentiam divinam & omnes ejus terminos ac effectus non satis cognoscis. Ergo Deum materiæ cogitandi facultatem imprimere posse non nisi cum summa impietate negare potes. Etenim tam Deus potest istud, quam spiritalem facultatem corporeæ substantiæ alligare.

R. n. conseq. Prudenter enim affirmare possumus Deum non posse facere quod repugnat. Sed materialis anima cogitans tam repugnat, quam corpus immateriale, aut circulus quadratus; ignoramus ergo quo se extendat omnipotentia divina; sed certo scimus eo sese non extendere.

Inst. Licet motus non sit materiæ essentialis, motum tamen materiæ concessit Deus; ergo ipsi etiam sensum & activitatem concedere potuit. Mente quidem nostra limitata, non concipimus quomodo hæc omnia materiæ addere potuerit Deus; sed nec melius intelligimus quomodo Deus materiam induerit gravitatione, attractione, &c. Ergo licet cogitandi facultas nullam affinitatem habere videatur cum materia, eam huic repugnare immerito concludimus. Sic itaque in forma. Tam potest Deus materiæ vim cogitandi superaddere, non mutata materiæ essentia, quam eidem materiæ, nec mutata ejus essentia, superaddere motum, gravitationem, &c. Posterius potest; ergo & prius.

R. n. maj. Fatemur Deum materiæ tribuere & superaddere posse aliquid quod non sit ipsi essentiale; sed illud semper debet esse analogum primariæ ejus essentiæ. Unde cum motus, attractio, &c. proportionem dicant cum materia, non mutatur ejus essentia, si hæc ipsi superaddantur; at vero cum cogitatio essentialem præ se ferat cum aliis essentialibus materiæ proprietatibus oppositionem, cogitationem materiæ inserere non potest Deus, nisi mutata vel cogitationis vel materiæ essentia. Fatemur etiam multa Deum posse quæ angustam mentis nostræ aciem fugiant; nec sane cogitationem materiæ negamus hoc solo titulo quod non intelligamus quomodo extensioni cogitatio consociari possit, sed quia, ut jam diximus, clare & evidenter percipimus sese mutuo excludere. Ceterum Lockium talia prementem attente pervolventi patebit etiam in hujus Philosophi principiis prætensam a nobis impossibilitatem in ipsismet rerum essentiis fundari. Eo enim nos ducunt argumenta ab eo allata ad evincendam animæ spiritalitatem, & cogitationis ac extensionis in uno subjecto repugnantiam. Ergo Deus utranque sic consociare non potest, illudque concedere debet vel ipse Lockius si principiis a se stabilitis cohærere velit.

Inst. Ideo negatur materiam cogitare posse, quia est solida: atqui soliditas materiæ cogitationem ab ea non excludit. Nam Deus, nemine diffitente, potest detrahere materiæ soliditatem; materiam propria soliditate sic spoliatam poterit Deus in animum mutare. Hæc autem mutatio fieri non potest nisi remaneat aliquid utrique mutationis termino com-

commune; alias non esset vera materiæ in animum mutatio, sed esset destructio materiæ in cujus locum substitueretur animus. Illud autem utrique mutationis termino commune & mutationi superstes non potest esse aliud quam substantia. Jam vero huic substantiæ communi superaddere potest cogitationem; jam enim non obstat soliditas materiæ ipsi detracta. Sed cogitatione in materiam introducta, potest restituere materiæ primævam soliditatem. Ergo poterit Deus cogitationem & soliditatem in una eademque substantia conjungere. Ergo soliditas materiæ non est ratio sufficiens ut excludatur a materia vis cogitandi. Ex quibus sic arguere licet & probare Deum tam posse cogitandi facultatem materiæ soliditati superaddere quam motum aut gravitationem vel attractionem. Deus potest materiam propria soliditate spoliare: atqui materiæ sic propria soliditate spoliatæ potest Deus cogitandi facultatem communicare, & postea primævam soliditatem materiæ cogitanti reddere. Ergo tam potest Deus materiæ cogitandi facultatem superaddere quam motum, &c.

R. 1. n. maj. Saltem in principiis Lockii qui hujus difficultatis est auctor. Cum enim Lockius essentiam materiæ in soliditate reponat, non magis potest deperdere propriam soliditatem, quam propriam essentiam, nec Deus potest materiæ detrahere soliditatem & eam in animum mutare non mutata ejus essentia. Deinde hæc mutatio fieri non potest, juxta Lockium ipsum, nisi remaneat substantia utrique mutationis termino communis; jam vero ex principiis ab eodem Lockio stabilitis repugnat talis substantia. Nam substantia illa esset substantia abstracta, & tamen natura est realis, in se positiva cui superadderentur attributa materiæ & spiritus: sed contendit idem Lockius substantiam abstractam & ratione sui solius spectatam non esse naturam realem & positivam, sed arbitrariam mentis nostræ fictionem. Præterea si remaneat substantia utrique mutationis termino communis, jam sequitur spiritus creatos & corpora, immo Deum ipsum sola modificatione inter se differre; quod absurdum est, etiam juxta Lockium,

R. 2. n. min. Esto enim quod Deus possit materiam propria soliditate spoliare, non ideo poterit ei cogitandi facultatem inserere & postea soliditatem cum cogitatione in materia conjungere: Vel enim soliditas cogitandi facultati compati potest in uno eodemque subjecto, vel non. Si primum; inutile est Deo tot circulos volvere & revolvere, soliditatem destruere, cogitandi vim indere, & postea destructam soliditatem exsuscitare. Statim potest materiam, dum est solida, cogitandi prærogativa induere. Si vero soliditas essentialiter cogitationi repugnet, frustra iterum tot circuitus obit Deus. Nam non minus cogitationi repugnabit soliditas in una hypothesi quam in altera. Ut enim hic exemplo ad rem utar, Deus potest quamlibet portionem materiæ forma circulari spoliare, & ei formam triangularem inserere, sed manente forma triangulari, non potest simul in quacunque hypothesi formam circularem reddere eidem portioni materiæ.

Obj. 5. Judicia & perceptiones animæ ejus spiritualitatem non evincunt. Namque belluæ similes exerunt operationes.

R. Argumentum istud non valere; desumitur enim a re obscura & nobis ignota. Nondum satis nobis compertum est quodnam sit belluinarum actionum principium. Porro non ideo neganda sunt clara, quia non percipiuntur obscura. Præterea quid tandem sibi volunt Materialistæ per has difficultates? Quodnam emolumentum ex iis sibi promittunt? Vel enim mens eorum est asserere Deum animam spiritalem brutis addidisse, vel intendunt operationes brutorum, quas quidem operationes spiritales esse supponunt, oriri a materia. Si primum, nihil inde contra mentis humanæ spiritalitatem. Etiam si enim Materialistis daretur belluas animam spiritalem habere quæ prædictas operationes exerceat, non sequitur aut cogitationem oriri a materia, aut nullum inesse nobis cogitandi principium a materia distinctum. Quod si supponant Materialistæ belluarum operationes spirituales esse, & tamen illas operationes oriri a materia & a principio a materia indistincto suppo-

supponunt istud, non probant. Probandum ipsis esset belluarum operationes, licet spiritales sint, oriri tamen a materia. Quod cum nec probent, nec probare possint, in primævas & jam confutatas absurditates relabantur.

Obj. 6. Repugnat anima vere & realiter spiritalis. Talis enim esse non potest quin sit perfecte simplex. Porro non potest esse perfecte simplex, quin sit Deus ipse. Simplicitas enim non suscipit plus & minus. Ergo anima si simplex sit, simplex erit gradu perfectissimo, adeo ut alia substantia illa simplicior aut purior dari non possit. Ergo cum simplicitas illa animæ essentiam constituat, jam attributum habet commune cum Deo, & ab eo distingui non poterit. Ergo erit Deus ipse.

R. n. min. Anima poterit esse simplex, nec tamen Deus erit aut ipsi æqualis. 1. Non erit Deus; nam poterit a Deo distingui. Attributum enim pluribus entibus commune specificam eorum naturam non constituit; specifica differentia poterit constitui per aliud attributum. 2. Non inde anima Deo æqualis. In simplicitate duo sunt distinguenda; partium nempe exclusio & entitas ipsa ac modus ejus existendi. Exclusio partium est Deo ac animæ communis ac in utroque æqualis. Non enim hoc sensu magis aut minus suscipit. At præter illam exclusionem partium, aliquid aliud includit simplicitas. Partium exclusio est mera negatio; & simplicitas in Deo est quid positivum. Quantum ad hoc posterius, suscipit magis & minus. Entitas enim ut existendi modus infinita sunt in Deo, finita vero in creatura. Hæc de spiritalitate animæ sufficiant, nunc de ejus immortalitate nobis est agendum.

ARTICULUS II.

De Animæ immortalitate.

MOrs dissolutionem, separationem, destructionem importat. Morti immortalitas opponitur. Vox illa immortalis duplicem sensum suscipit; vel enim significat id quod mori non potest, vel id quod nunquam morietur. Rursus aliquid dici mori non posse, vel quia nulla habet in se dissolutionis principia, vel quia a nulla causa extrinseca destrui potest; nam duplici modo destrui potest ens aliquod per annihilationem nempe & sui dissolutionem. Si per dissolutionem, vel per se, vel per alium dissolvetur; si per alium, vel per Deum, vel per alios spiritus, vel per aliorum corporum actionem. Hinc

Duplex immortalitas, alia ab intrinseco, alia ab extrinseco. Illud est immortale ab intrinseco quod nulla in se interna habet dissolutionis principia. Illud est immortale ab extrinseco quod nunquam dissolvetur, aut dissolvi non potest ab alia causa extrinseca.

Inter hostes immortalitatis animæ alii eam mortalem volunt, quia materialis est, alii quia a Deo annihilanda. Primi animam volunt materiam esse, & corpori ita addictam ut sine eo cogitare non possit; cum ergo cogitare sit ipsi vivere, jam juxta eos, destructo corpore in statum cujusdam insensibilitatis incidit anima & cogitare desinit.

Certum est non dissolvendam esse spirituum actione. Spiritus enim non agunt nisi voluntate & imperio. Cum ergo anima ab his spiritibus existentiam non acceperit, jam nullum in eam habent dominium, ac proinde eam annihilare non possunt. Uno verbo clare cognoscimus solam potentiam infinitam ut substantias creare, ita eas destruere posse. Certum pariter esse debet animam perire non posse actione aliorum corporum: Namque agere non possunt in objectum quod nullas habet partes.

Non quæritur utrum anima sit immortalis natura sua eo sensu quod propria virtute & absoluta existendi necessitate nullum perfectionis detrimentum pati possit; hoc enim sensu, solus Deus est immortalis. Non quæritur etiam tantum utrum anima sit in æternum duratura; aliud enim est immortalitas, aliud æterna duratio. Illa solis entibus viventibus competere potest, hæc ipsi materiæ quam Deus in æternum servare potest, & quæ manere censetur, licet formam immutet. Non quæritur denique utrum anima sit immortalis eo sensu quod nequidem a Deo annihilari possit; sicut enim

enim sine Deo anima ne minimum quidem perfectionis gradum acquirere potest, ita sine eo nec retinere potest. Deus ergo animæ omnes perfectiones, ac proinde & ipsam vitam, ipsamque existentiam potest auferre. Ergo & animam annihilare supremo jure potest. Nec quæritur etiam an Deus possit animam in perpetuum conservare. Qui enim ex infinita potentia primum dedit existentiæ instans, ex eadem potentia, infinita numero instantia concedere potest.

Eo ergo tota præsens devolvitur quæstio. 1. Utrum anima dissolutionis principia habeat, an vero sit immortalis ab intrinseco? 2. An a Deo aliquando sit annihilanda, an vero in perpetuum sit ab eo conservanda, ac proinde an sit immortalis etiam ab extrinseco.

CONCLUSIO I.

Anima est immortalis ab intrinseco.

PRob. 1. Ex probatis, anima est simplex: ergo nullas habet partes: ergo partium dispositionem deperdere, & inde perire ac dissolvi non potest: ergo nullum habet in se dissolutionis principium: ergo immortalis est ab intrinseco.

Et certe ex probatis anima est essentialiter a corpore distincta & diversa: ergo immortalis ab intrinseco. Ideo enim juxta Materialistas corpori morienti commori debet anima, quia corpori destinata & alligata, eo pereunte perit. Sed licet corpori destinata sit, & alligata anima, corpori morienti commori non debet eo ipso quo est ab eo essentialiter diversa & distincta. Eo ipso enim quo anima est a corpore essentialiter diversa & distincta, eo ipso ratione sui ab eo independens est: ergo & ratione tum existentiæ, tum operationum; independentia enim illa fluit ex essentiali ejus a corpore diversitate: atqui eo ipso quo, anima independens est a corpore ratione tum existentiæ, tum operationum, jam corpori morienti commori non debet. Posita enim illa animæ a corpore independentia, jam anima habet suam sibi & propriam existentiam, existentiam uno verbo ab existentia corporis distinctam. Quod confirmatur ex eo quod anima sit substantia, non modus, aut accidens, ac proinde per se subsistat & habeat existentiam independentem ab existentia corporis. Porro hoc ipso existentia unius non est existentia alterius, hoc ipso anima per se independens est a corpore ratione operationis. Sicut enim ex illa essentiali animæ a corpore diversitate & distinctione dimanat ejus independentia ratione existentiæ, sic ex eadem diversitate dimanat independentia ratione operationis. Operatio enim sequitur esse. Ergo cum *esse* animæ sit independens a corpore, jam debet esse in anima aliqua operatio, huic *esse* propria & relativa a corpore independens. Ergo ex probata essentiali animæ a corpore diversitate & distinctione, sequitur animam morienti corpori commori non debere. Immo ex illa essentiali animæ a corpore distinctione longe potiori jure concludere nobis est, sola unione, animam ab ipsa separatione sua jura resumpturam.

Præterea eo sensu anima moreretur juxta Materialistas, quod statim ac separata a corpore, cogitandi facultatem amitteret & eo ipso vivere desineret ac incideret in statum cujusdam insensibilitatis: sed fictitius est, & repugnat ille status insensibilitatis, tum quia nullo nititur argumento aut exemplo; tum quia cum, fatentibus Materialistis, cogitatio sit vita animæ, jam aut in somno cogitat anima, aut quotidie moritur & resurgit; quod absurdum est; tum quia cum, ex probatis, anima cogitandi facultatem non emendicet ex sua cum corpore unione, hac soluta cogitandi facultatem asservare debet.

Prob. 2. Sententia nostra vera est sive negata, sive concessa Dei existentia, 1. concessa. Admitti enim non potest existentia Dei, quin admittatur ens spirituale; alias cogitatio & mirus ordo qui in toto orbe refulget, oriri posset a materia, corpora se ad finem suum per se dirigere possent, ac consequenter inutilis esset existentia Dei. Sed concessa spiritualitate Dei, jam animæ spiritualitas negari non potest. Ergo. 2. Ea negata. Tunc enim quidquid existit, necessario existit, & in æternum idem remanet: Ergo sicut corpus existere & move-

moveri independenter ab anima perseverabit, sic & ipsa anima perseverabit existere & cogitare independenter a corpore. Ergo etiam negata, &c.

Prob. 3. Illa sententia vera est quæ negari non potest in quocunque systemate: atqui talis est animæ immortalitas ab intrinseco. Negari non potest etiam in male coctis Epicuri, Spinosæ & Platonis systematibus. In systemate quidem Epicuri. Detur enim ipsi ad instans animam coalescere ex lævioribus, politioribusque materiæ partibus, ab ipsa morte dissociabuntur quidem partes illæ; sed separatio illa vim cogitandi non adimit. Nam in principiis Epicuri, motus est materiæ essentialis; ergo partes illæ semper moveri possunt. Sed in iisdem principiis cogitatio ex motu oritur: ergo post suam a corpore separationem, facultatem tum sese movendi, tum cogitandi anima servabit. Nec dicat Epicurus cogitationem oriri ex certo quodam ac speciali situ, vel motu partium, aut partes illas ut vim innatam cogitandi exerant, exigere ut crassioribus corporibus adunentur. Nam 1. juxta Epicurum partes illæ ex eo solo cogitandi vim habent, quod sint defæcatæ, ac ceteris corporibus delicatiores. Ergo unionem cum crassioribus partibus per se non exigunt ad cogitandum. 2. Inde tantum sequeretur animam aliquandiu fore incogitantem, non vero facultatem cogitandi, sicut nec facultatem se movendi amissuram. Poterunt partes illæ motum istum cogitationi necessarium recuperare; non sit enim impossibilis ex separationis instanti. Innumera alia crassiora corpora reperiri poterunt in immensa aeris regione, his iterum uniri poterunt partes illæ. Uno verbo; partes de quibus agitur, ex quibus coalescit anima in systemate Epicuri, ex tali motu, vel situ, ex unione cum crassiori corpore determinantur quidem ad cogitandum actu, non vero cogitandi vim & facultatem mutuantur. Ergo.

Juxta Spinosam anima & corpus sunt duæ modificationes unicæ illius substantiæ quæ in mundo existit. Ergo cum substantia illa existat necessario, jam & ejus modificationes existunt necessario. Si enim destruerentur, vel quia destrueretur subjectum, vel quia a subjecto destruerentur; seipsas enim destruere non possunt. Ergo cum subjectum destrui non possit, jam anima non peribit per dissolutionis interiora principia: ergo erit immortalis ab intrinseco. Quod nobis hic in præsentiarum sufficit. Et certe juxta Spinosam duæ illæ modificationes sunt a se invicem distinctæ & independentes: pendent tantum a communi subjecto. Ergo quandiu remanebit subjectum, modificationes illæ manere poterunt. Ergo cum subjectum illud sit necessarium, semper manebit, & cum modificationes illæ sint a se invicem distinctæ, una destructa, altera non destruetur. Ergo anima corpori superstes erit. Immo substantia Spinosæ non potest esse sine aliqua modificatione. Ergo sicut substantia illa ut extensa, non potest esse sine extensione, sic nec eadem, in quantum est spiritalis, potest esse sine cogitatione. Ergo modificationes illæ a subjecto, id est, ab unica illa substantia destrui non possunt.

Denique in systemate Platonis. Tunc enim animæ sunt totidem particulæ animæ mundi, id est Dei ipsius; a se ipsis existunt. Ergo finem habere non possunt. Per innumera divagari possunt corpora, ex uno in aliud transmigrare, minime vero absumi aut perire possunt: Ergo. Nunc sit

CONCLUSIO II.

Anima est immortalis ab extrinseco.

PRob. 1. Ex modo quo destrueretur anima, Illa substantia est immortalis ab extrinseco quæ non potest perire nisi per annihilationem, & non annihilabitur: atqui 1. anima non potest perire nisi per annihilationem. Nam ex probatis, nullum habet in se dissolutionis principium. 2. Non annihilabitur. Nam inter entia creata, primum locum tenet anima, post Deum secunda. Corpus ipsum cum moritur, dissolvitur quidem, mutationem in forma & dispositione partium patitur, at non annihilatur. Uno verbo; a mundo creato nullum est annihilationis exemplum. Ergo

a fortiori nec anima annihilabitur. Et sane corporis existentia animæ existentiæ non alligatur; ergo multo minus animæ duratio, corporis duratione circumscribitur.

Prob. 2. ex attributis Dei. Creandæ enim animæ motivum, fit motivum ejusdem conservandæ. Scilicet Deus nihil potest velle sine aliquo motivo, & quidem sine motivo quod ex ejus attributis non eruatur; extra enim sua attributa, extra se ipsum, agendi rationem & motivum emendicare ipsum dedecet. Ergo deesse non potest motivo quod entis alicujus intelligentis existentiam suadeat, nisi ex motivo quod divinis innitatur attributis, & fortius entis illius intelligentis destructionem postulet, & ad eam impellat. Jam vero 1. nullum est tale motivum, quia nulla in Deo cognoscuntur attributa quæ animæ destructionem exigant. Immo supponere talia ex utraque parte opposita momenta, quorum alia animæ conservationem, alia vero ejus destructionem importent, nihil aliud est quam eadem attributa inter se opponere, & rationi nuntium dare. Immo etiam omnia Dei attributa animæ conservationem ambire evidenter percipiuntur. Ut enim jam præmonuimus postulant Dei sapientia, justitia & bonitas ut virtus suo donetur præmio, vitium sua afficiatur pœna: sed ex observatis, hæc attributa plenum, adæquatum, sibique condecentem non sortiuntur hic effectum; ergo alteram vitam in qua hæc plena sint attributa postulant Dei eadem sapientia, justitia, &c. Concipiamus, ver. gr. duos homines quorum unus per totam vitam pietati studuerit, assiduum divinæ voluntatis asseclam, qui nullas non ærumnas, nullas non miserias hunc in finem expertus, vitam in contemptu, in doloribus transactam inter crudelissima supplicia reliquerit; alter vero qui contraria prorsus ratione se gesserit, spreto Deo virtutem omnem, omnem conscientiam pro nullo habuerit; cædibus, veneficiis, &c. ante omnes alios immanior, in divitiis interea, in honoribus quietos duxerit dies. Quærere nunc liceat an Deus qualem nobis natura demonstrat iisdem oculis duos illos homines spectare possit? Utriusque actiones quales in se sunt sane videt; eas æqua lance æstimare & approbare certe non potest; ergo alterutrum suo calculo comprobabit: ergo priori potius eliget bona præstare; nec potest non amare eos qui ipsi similes se præbent, aut saltem ad ejus similitudinem sese componere gestiunt. Quis enim concipiat Deum illum suæ & approbationis & improbationis signa & effectus nunquam præstiturum? Quænam esset Dei æquitas, si tam iniquæ distributionis nulla in æternum fieret compensatio? Quæ Dei bonitas, si pios durissima quævis perpessos nusquam remuneraret? Ubinam Dei justitia, si sceleratissimos in nefanda quæque scelera ruentes, insontes abire omnino fineret? Ubi sapientia, si tam inconcinnum rerum ordinem non emendaret? Uno verbo postulant Dei attributa ut virtus suo munere donetur, vitium suo plectatur supplicio: hæc in præsenti vita non fiunt: ergo altera expectanda juxta Dei attributa. Ergo. Hæc strictiori forma sic resumo. Illa attributa probant continuandam esse animæ existentiam post hanc vitam, quorum nulla animæ destructionem exigunt, multa vero hujus conservationem postulant. Atqui 1. nulla enim proferri possunt attributa quæ necessariam connexionem dicant cum ista destructione. Et certe ex modo probandis, nec diffitentibus adversariis, multa Dei attributa prædictam animæ conservationem importare percipiuntur. Ergo nulla huic opponuntur. Alias intestinum quoddam bellum ac quædam contradictio inter Dei attributa introduceretur. Ergo nulla Dei attributa; &c. 2. Multa vero e contra hanc conservationem important; bonitas, nempe, justitia & sapientia. 1. Bonitas; nam inter homines alii eum impense colunt, alii ejus jura violant: atqui sane longe magis eliget bona sua prioribus partiri: nam benevolentia qua in creaturas propendet, ipsum impellit ad eam exercendam erga eos qui de Religione bene merentur: non potest enim non amare eos qui ipsum amant, & quæ ipsi placent ambiunt. Ergo cum istud in præsenti vita non impleat, altera

tâ in qua illud præstet nobis est expectanda. 2. Justitia. Nam justitia Dei postulat ut suum unicuique reddat; atqui tamen contrarium plerunque evenit in præsenti vita; non semper bona justis succedunt, impiis sæpe sæpius obveniunt. Ergo aliquando tandem & post præsentem vitam hanc iniquam distributionem compensabit. Et vero ex dictis Deus æquo pretio vitium & virtutem, & actiones hominum sibi oppositas æstimare non potest; ergo suæ vel improbationis vel approbationis signa non potest non dare. Atqui non dat in præsenti vita. Ergo dabit in altera. 3. Denique sapientia. Constat enim præsenti ordini aliquid deesse. Imperfectus admodum est ordo in quo felicem sortem experitur impius, tristem vero patitur justus: atqui ordinem tam imperfectum tamque inconcinnum resarcire debet & resarciendum postulat sapientia. Ergo cum hæc non fiant in præsenti vita, &c.

Prob. 2. Ex animæ dotibus & propensionibus. Animam esse immortalem ab extrinseco, nihil aliud est quam Deum decrevisse eam in perpetuum conservare: porro tale decretum valida suadent momenta; illud enim supponunt & important animæ dotes, inclinationes ac studia. 1. Dotes; Deus enim utpote sapientissimus, nihil facit frustra. Jam vero nisi Deus animam in perpetuum conservare decrevisset, frustra ipsi concesserit tot & tam eximias dotes quæ connexionem dicunt cum meliori & interminata vita. Cui etenim fini & bono tot ideæ quibus mens illustratur, tot artes, tot scientiæ, tot inventa? Ad quid præsertim illa rerum spiritualium & divinarum divina cognitio, quæ cum rudi materia nihil commune habet, quæque supra viles & angustos humanæ vitæ labores immane quantum attollitur! ac sane si non alium in finem mens nostra edita est, quam ut per paucos annos luto quasi affigeretur, & vilibus quibusdam ser vitiis operam daret, ad quid eximia illa ac vividissima intelligentia quæ præterita recolit, futura anticipat, ad summum usque cælum ut & ad ima usque tartara mira celeritate, nullo labore nulla mora sese transfert? Ad quid ipsi illa ingenii sagacitas quæ res cælestes & terrenas, divinas & humanas mira facilitate assequitur? Ut quid excelsa illa ac vere divina mentis temperies qua a sensibus se ipsam avellit, & supra mortalia se ipsam erigit? Uno verbo. Illæ cognitiones alteram vitam & meliorem & interminatam exigunt, quæ cum præsenti vita nullam, cum altera vero multam ac evidentem proportionem dicunt: atqui cognitiones ac dotes animæ tales sunt. Etenim præsens vita exigit tantum cognitiones suæ durationi & indigentiæ proportionatas: atqui prædictæ animæ dotes proportionem dicunt cum longiori ac meliori vita, ordinem dicunt ad alia officia: ergo.

2. Animæ studia ac propensiones. Urget omnes constans immortalitatis ac felicitatis desiderium, omnes beati esse volunt, & quidem beatitudine plena & perpetua. Hinc unusquisque sibi de futuro prospicit, nominis gloriam & posterorum existimationem sibi conciliare satagit: porro desiderium illud rationi consentaneum est, deinde ejus expletio alteram vitam expectat, & cum animæ immortalitate arctissime conjungitur, 1. rationi consentaneum est & ab ipsa natura desiderium illud. Est enim in nobis sine nobis; nemo miser esse vult, mortem omnes vel inviti fugiunt & horrent. Sensus ille generalis est & universalis, ac proinde a natura quo magis rationem excolimus, eo etiam magis crescit illud desiderium. 2. Desiderium illud alteram vitam expetit. Non nisi enim ex sensu dignitatis & ex præconcepta nostræ destinationis nobilitate nobis sic de futuris prospicimus, & gloriam ac existimationem apud posteros affectamus. Ente sane sapientissimo ac optimo indignum prorsus est creaturis suis sic illudere, eas perpetuo & invincibiliter ad felicitatem inclinando, ad quam eas non destinavit & qua semper carebunt in ipsisque desiderium accendendo quod in æternum vanum & irritum futurum est. Denique ea est mentis nostræ indoles & conditio, ut quidquid verum, cognoscere, quidquid bonum, amare possit; immensa, infinita gaudet capacitate. Sic, v. g. quo diutius vivitur, eo diutius vitæ

vitæ vehementius exardescit desiderium; quo plura sciuntur, eo plura scire ambitur. Tota quanta est omnis terra nobis non sufficit. Nisi nos ad majora semper vocaret hæc nostræ mentis amplitudo, intra sensibilium cognitionem & amorem anima seipsam circumscriberet; iis enim adhærendo, omnia cognosceret & amaret quæ cognoscere & amare posset, nec ultra rerum sensibilium sphæram excurreret. Porro immensam illam capacitatem animæ a Deo ipso inditam fuisse manifestum est. Ergo cum in præsenti vita proportionato huic mentis nostræ amplitudini modo aut verum non cognoscamus, aut bonum non amemus aut possideamus, altera nobis expectanda est vita in qua Deus seipsum nobis cognoscendum præbebit eo quo par nobis est modo & qui nostram capacitatem expleat. Uno verbo hæc omnia suadent ex institutione creatoris maximam esse animæ nostræ cum immortalitate proportionem. Unde sic brevius hæc in forma. Illud decretum suadent animæ dotes & propensiones. 1. Animæ dotes. Illæ enim dotes decretum interminatæ conservationis suadent, quæ cum longiori vita relationem & connexionem dicunt: atqui dotes animæ connexionem dicunt, &c. Nam illæ dotes connexionem dicunt cum longiori vita, quæ forent inutiles omnino & frustra a Deo datæ nisi supponatur altera vita: atqui, &c. nam per illas dotes anima multa & innumera & quidem modo præstantissimo cognoscit quæ nihil cum rudi materia aut præsenti vita commune habent. Atqui inutiles sunt illæ cognitiones nisi supponatur altera vita. Nam præsens vita exigit tantum cognitiones suæ durationi & indigentiæ proportionatas: ergo inutiles forent dotes & cognitiones quæ supra viles & angustos hujus vitæ limites excurrunt. Ergo connexionem dicunt, &c. 2. Propensiones. Necessario enim beatitudinis desiderio mens exæstuat, infinita gaudet capacitate: atqui desiderium illud alteram vitam exigit & ejus decretum supponit. Ad hoc enim satis est quod sit a Deo ipso, nec vanum esse possit, & eo ipso quo vanum non est, jam altera vita sit decreta. Atqui 1. est a Deo. Nam est universale, est in nobis sine nobis. Quo magis exculta evolvitur ratio, eo magis crescit illud desiderium. 2. Vanum esse non potest. Nam Deus creaturis suis perpetuo illudere non potest: atqui Deus perpetuo illuderet, &c. Nam perpetuo eas inclinaret ad felicitatem qua semper carebunt. 3. Denique legitimum & verum esse non potest quin Deus decreverit animam in perpetuum conservare. Nam desiderium illud vitam appetit sine ullo termino: hinc quo diutius vivitur, eo diuturnioris vitę animam remordet desiderium. Sed desiderium illud est a Deo: ergo ideo tale desiderium animæ indidit Deus, quia decrevit eam in perpetuum conservare. Fatendum quidem hæc non plenam facere demonstrationem, ut deinceps observabimus; at diffiteri non possunt Materialistæ quin maximam vim hæc habeant: sed de his adhuc in posterum. Nunc solvendæ sunt objectiones.

Obj. 1. Contra primam conclusionem. Illa substantia destrui potest, ac proinde mori, quæ dividi potest. Atqui anima dividi potest. Nam pati potest: sed pati non potest, quin dividatur. Supponamus aliquem pedem in ignem, manumque in aquam congelidam simul immittere: duplex tunc afficit opposita sensatio quam pati non potest anima quin dividatur. Non magis enim hæc duo contradictoria pati potest anima quin dividatur, quam materia esse simul rotunda & quadrata. Calor enim & frigus sese mutuo excludunt ab eodem subjecto, sicut rotunditas & quadratura. In casu proposito anima esset simul calida & frigida. Ergo sicut eadem portio materiæ non potest esse simul rotunda & quadrata, ita nec anima calida simul & frigida esse potest quin dividatur.

R. admisso exemplo, n. min. Anima enim refert sensationes, non fit ipsa sensatio; refert ergo anima in duabus materiæ sibi unitæ partibus talem vel talem excitari motum: unde subjectum quidem illorum motuum debet esse divisibile, substantia vero quæ motus illos refert debet esse simplex, ut probavimus supra ubi de simplicitate animæ ex comparatione idearum & sensationum. Tota hæc oppositio se tenet ex parte objectorum, & ex parte corporis in quo recipitur actio aliorum corporum. Hinc manifesta est disparitas in comparatio-

tione allata. Nam materia fit realiter quadrata, vel rotunda, anima non fit calida aut frigida, ficut non fit circularis aut triangularis cum circulum aut triangulum percipit. Ergo nulla eft contradictio, ac proinde nulla comparatio. Animam effe frigidam aut calidam, nihil aliud eft quam partes ejus quiefcere aut moveri tali vel tali motu. Quod abfurdum eft.

Obj. 2. Contra fecundam conclufionem. Nihil evincit defiderium illud beatitudinis. Multos enim reperire eft qui in terrenis defideriis toti vilefcant & defigantur; ergo defiderium illud non a natura, nec commune eft.

R. n. confeq. Illi enim fe a proprio gradu voluntarie abjiciunt; fed inde non fequitur dignitatem illam non ipfis nativam effe, ac confanguineam. Et fane quod illi rebus finitis fic inhæreant, probat tantum eos falli in applicatione ac determinatione illius defiderii, vanum effe illud defiderium non evincit.

Inft. Defiderium illud a nobis ipfis proprio motu & fine ullo legitimo fundamento conceptum eft, ergo non a natura.

R. n. ant. Quod enim a nobis proprio marte confictum eft, nec generale, nec invincibile eft. Omnes porro populi hunc fenfum combiberunt Ægyptii, Chaldæi, Indi, Perfæ, &c. Non contemnendum fane teftimonium. Agitur enim hic 1. de gentibus antiquiffimis & primæ rerum origini proximioribus, 2. De gentibus a fe invicem diffitis. 3. De gentibus omnis generis, incultis & excultis; immo quo excultiores fuere, eo hanc fententiam altiori corde infixam habuerunt. Denique perfpicaciffimi & eruditiffimi Philofophi hanc propugnarunt. Porro confenfus ille adeo antiquus ac generalis ortum ducere non poteft nifi vel ab evidentia rationum, vel ab antiquâ aliqua traditione, vel ab utroque fimul. Quidquid dicatur, immortalitatis fenfus non proprio marte confictus eft, fed a natura ortum ducit.

Inft. Facile excuti poffet defiderium illud fi attenderemus; nam vanum effe ac futile vel ipfa docet experientia. Ergo.

R. n. ant. ad prob. vero dift. Docet experientia vanum effe pro aliqua temporis circumftantia, nempe pro præfenti vita: c. Simpliciter, abfolute & univerfaliter: n. Cum ex una parte vividum fit ac neceffarium illud defiderium, ex altera vero in hac vita fuum non affequatur effectum, hinc alteram vitam concludimus. Et fane qui fit ut defiderium volandi, vel lunam adeundi nos non afficiat, vel fi afficeret, facile corrigi poffet; e contra plenæ & perpetuæ felicitatis defiderium nos non deferat, nec corrigi poffit; nifi quod illud chimæricum fit, iftud vero ab ipfa natura, & de re ad quam nati fumus?

Inft. Defiderium illud nihil aliud eft præter ftudium propriæ confervationis, quo propriam vitam tuemur, & quæ nocere poffunt refugimus. Ergo defiderium illud non fpectat alteram vitam.

R. 1. n. ant. Immortalitatis enim defiderium & cura propriæ confervationis affinia quidem inter fe funt, at confundi non debent, diftinguuntur enim duo illi fenfus. 1. Quia defiderium confervationis eft ab inftinctu, & ab impulfu qui nobis & brutis communis eft. Verum aliquid longe majus & nobilius experimur. Vitæ enim perpetuæ ac felicitatis numeris omnibus abfolutæ perpetuo exæftuamus defiderio. Quo rudiora ingenia funt, eo magis inftinctu moventur; quo vero nobiliora, eo alacrius ad immortalitatem fefe erigunt. Diftinguuntur 2. duo illi fenfus quia exiftunt independenter a fe invicem. Senfus enim iftos fæpe divifos cernimus, immo quandoque contrarios. Nam mali optant interitum, dum ardentiffime fuæ ftudent confervationi; boni e contra vitam profundunt, ipfifque vilefcit præ immortalitatis defiderio.

R. 2. tranf. ant. n. confeq. Etiamfi enim daretur ad inftans defiderium immortalitatis idem effe cum ftudio propriæ confervationis, ex illo perpetuæ confervationis defiderio fequeretur femper nos, æternam vitam naturali inclinatione velle. Cum ergo æterna hic vita non fruamur, fequitur aut inclinationem illam naturalem fuo in perpetuum fruftrandam effe effectu, aut ferri in aliam quam in præfentem vitam. Undenam enim illa in nobis averfio propriæ deftructionis, nifi ex amore contrarii, id eft, vitæ perpetuæ ac immortalitatis? Cum ergo vitæ talis tale defiderium a natura, id eft, ab auctore naturæ impreffum fit, jam anima non annihilanda.

Inst. Etiam si immortalitatis desiderium non sit quid idem cum propriæ conservationis studio, attamen sensus in quibus fundatur illa immortalitatis sententia, scilicet propriæ excellentiæ opinio, vivendi desiderium, felicitatis appetitus, timor miseriæ, sensus, inqnam, illi nobis non sunt insiti nisi ad propriam conservationem. Hinc fit ut nostram vitam tueamur, quæ nobis sunt bona, prosequamur, quæ vero nociva, fugiamus. Sed sensus illi nullum habent objectum certum ac determinatum, sæpissime vani sunt; & sicut timemus, sic speramus sine causa. Timemus, v. gr. in inviis latrones, etsi nulli sint; in tenebris nescio quæ terrent nos phantasmata: ergo a pari spes & timor futurorum vana esse possunt. Sic itaque urgeo. Sensus in quibus fundatur desiderium immortalitatis nobis non sunt insiti nisi ad propriam conservationem: sed sensus illi non habent objectum magis certum quam varii illi timores qui eandem conservationem spectant, quos vane experimur. Ergo sensus illi vani esse possunt. Ergo vanum esse potest desiderium his sensibus fundatum.

R. 1. n. maj. Cujus ratio patet ex dictis. Immortalitatis enim desiderium, felicitatis appetitus ultra vitæ hujus terminos late excurrunt, immo quandoque cum corporis interitus desiderio conjunguntur: ergo non eo nobis inditi sunt illi sensus præcise ut corporis conservationi invigilemus.

R. 2. n. min. Expectationes & metus nobis insiti cum vanis terroribus comparari nequeunt. Terrores illos vanos esse ratio, si paulisper attendamus, docet & probat. Vanæ illæ formidines nec universales sunt, nec sponte nascuntur, nec idem habent fundamentum. Sensus interiorum naturales sunt, extirpari non possunt, Dei voces sunt, ac proinde veraces. Sic, v. gr. illa nostræ excellentiæ conscientia vana non est. Hujus excellentiæ conscii sumus, divinamque mentis nostræ vim vel inviti intelligimus.

SCHOLIUM.

ANimam ergo esse immortalem, & alteram vitam nobis expectandam, ita certum est, ut huic sententiæ nulla ratio repugnet; e contra multa faveant argumenta. Jam si animus talis sit naturæ ut nullas intereundi causas in se habeat; si Deus multa nobis signa dederit quibus manifestaverit se decrevisse ut animus sit corpori superstes; non potest finis homini ullus dignior proponi quam hujus status felicitas. Quæ & qualis illa sit, ac quibus mediis comparari possit, sedulo investigare debet. Hæc quæstio factum quoddam involvit quod conjecturis ac incertis opinionibus deprehendi non potest. Porro ad illam felicitatem nulla alia via nisi Religio, ad hujus cognitionem pro suo modulo ducit Religio naturalis, sola vero plena in luce ponit Religio Christiana; sit ne huic fides adhibenda, deinceps discutiemus. In antecessum an aliqua, & præsertim an naturalis Religio sit admittenda nobis nunc est inquirendum.

QUÆSTIO III.

De existentia & natura Religionis naturalis.

RElígionis proprium est debitum Deo honorem persolvere. Hinc proportionem, saltem aliquam, habere debet, & cum eo cui honor impenditur, & cum eo qui honorem istum rependit, uno verbo cum Deo & homine. Quantum ad Deum, debet Religio digna Deo docere, & digne eum colere. Quantum vero ad hominem, Religionis officia primario ac præcipue consistunt in intellectu & voluntate. Hinc ea facile reducas ad cognitionem & amorem; hæc vero si evolvas quatuor habebis, laudem nempe, gratiarum actionem, fiduciam & orationem. At cum homo anima & corpore constet, pro duplici illa parte, duplicem Deo honorem debet. Itaque ut hæc omnia rite exequamur, Religionis naturalis existentia & natura evolvenda venit. Sic rem aggredimur.

ARTICULUS I.

De existentia Religionis naturalis.

PRobata semel ac concessa Dei existentia, jam Religionis alicujus necessi-

cessitas firmissimis stat fundamentis, quæ convellere, immo labefactare nullus potest, nisi quæ antea concessit, jam quis negare præsumat. Ne autem in aliquo hic deesse videamur, Religionis alicujus generatim necessitatem ita primum stabiliemus, ut inde ad naturalem Religionem via sternatur.

CONCLUSIO I.

Sunt quædam hominis erga Deum officia.

PRob. 1. Ex probatis existit Ens aliquod supremum & infinite perfectum quod ceterorum omnium causa sit: jam vero posita illa Entis supremi existentia, quædam homini erga Deum incumbunt officia. Tunc enim exurgit Ens illud inter & hominem quædam relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam: ergo & quædam relatio dominii & subjectionis: ergo sicut Ens supremum in hominem habet dominium, sic homo Deo subjectus esse debet, & officia hujus subjectionis appendices implenda habet. Ergo exurgunt quædam hominis erga Deum officia.

Prob. 2. In homine condito maxima relucet Dei & sapientia & bonitas: atqui utraque illa perfectio quædam hominis erga Deum importat officia. Bonitas quidem. Ex hac enim quæcunque habet homo, omnia accepit. Sapientia vero; in opere enim quod tam vivide Dei majestatem refert, sane aliquid consilii Deus habuit. Immo singula quæcunque in homine detegimus, ne uno quidem excepto, propriam sibi ac proportionatam destinationem habent, sic visui oculus, auditui auris inservit. Multo magis totum ipsum quod ex variis illis partibus resultat, ac proinde intellectus & voluntas fini alicui destinatur ex Creatoris mente: atqui huic fine consilio prospicere & collimare debet homo. Ergo quædam sunt hominis erga Deum officia.

COROLLARIUM I. ET CONCLUSIO II.

Necessaria est & admitti debet aliqua Religio.

PRob. 1. Ex dictis concluf. præcedente. Nam ut modo probavimus, homo certis quibusdam erga Deum officiis devincitur: sed collectio officiorum illorum est ipsamet Religio saltem maxima & præcipua ex sui parte. Ergo necessaria est aliqua Religio. Et sane Religio nihil aliud est quam commercium quoddam Deum inter & hominem in quo Deus homini sese manifestat, & Deum homo glorificat; ut ergo necessaria sit aliqua Religio sufficit quod Deus homini se manifestaverit, & hoc posito homo Deum glorificare debeat. Atqui 1. Deus se manifestavit. In Dei enim operibus scintillant & erumpunt undequaque ejus attributa. In mundi creatione emicat potentia; in ejus ordine, sapientia; in gubernatione, providentia; in conservatione, bonitas. Modo clementiam, modo justitiam suam manifestat. Ergo Deus se ipsum manifestum præbuit. 2. Posita hac manifestatione Deum sibi cognitum glorificare debet homo. Ratio enim dictat summo honore dignam esse summam sapientiam & perfectionem, gratum ac memorem animum summæ bonitati summo jure deberi. Ergo posita hac manifestatione, &c. Et vero, ut mox iterum evolvemus, Deus nihil facit sine consilio; aliquem finem intendere debuit in ista manifestatione: atqui nullum alium finem intendere potuit, nisi sui glorificationem: cui enim bono suam justitiam manifestaret, nisi ut homo ipsum timeret? cur bonitatem ipsi in propatulo poneret, nisi se amari vellet? cur sapientiam tantam in lucem educeret, nisi ut creaturam ad certum & sibi propositum finem duceret? Ergo posita hac manifestatione, &c. Ergo adest commercium in quo Deus se homini manifestat, &c. Ergo admittenda est aliqua Religio.

Prob. 2. ex natura & conditione hominis. Religio necessaria est homini tum in statu naturæ, tum in statu civili

vili & sociali. Homo enim plurimis exæstuat desideriis, plurimis laborat vitiis. Sæpe nocendi cupidine ardet, nec nocendi mediis aut potestate destituitur. Homo sic compositus vinculum aliquod exigit quo hæc omnia coerceantur. Porro vinculum illud non potest aliud esse nisi sola Religio. 1. In statu naturæ. In hoc enim statu cum naturalis vigeat independentia, tunc sublato divinitatis metu, quo quisque viribus polleret, jam in omnes erumperet, nulli bonum præstaret nisi quod præstandum suaderet privata utilitas, quæ semper esset virtutis mensura ac norma. Uno verbo sublato amore boni & pœnæ metu, jam laxis habenis, effræno impetu in immania quæque prorueret cupiditas: sed amor boni & timor pœnæ non possunt esse sine aliqua Religione. 2. In statu sociali. Homines enim, natura ducente, in societatem devenere ut, viribus adunatis, suis promptius indigentiis succurrerent; ut ergo stet societas, ac finem ex societate intentum assequantur homines, debent singula membra sibi mutuam opem præstare, erga invicem sinceros esse oportet; pactis stent, privatæ utilitati totius societatis bonum prævaleat necesse est. Porro ubi nulla adest Religio, jam hæc incerta nutant ac inertia languescunt. Si enim nulla sit Religio, jam nulla est regula fixa & immobilis fines illos assequendi; jam nullum erit motivum commune & firmum quod ad talia præstanda determinet, ut patebit in solutione difficultatum. Ergo necessaria est, &c.

Et vero si suppleri posset Religio ad hæc coercenda, vel per proprii commodi amorem, vel per gloriæ studium, vel per leges humanas. Atqui non per primum. Privata utilitas sæpe sæpius publicæ opponitur; immo virtuti contrariatur in multis casibus. Non secundum. Humanæ enim gloriæ adeptio non nisi virtutis larvam ac speciem exigit. Quod si gloriam illam in cordata virtute reponas, jam prætendis id quod Religionis nomine intelligimus. Non denique leges humanæ. Quantumcunque enim perfectæ supponantur, his tribus semper subjacebunt vitiis. 1. Quantum ad tenorem, non omnia vetant crimina, nec omnes imperant virtutes. Non avaritiam, non iram, non concupiscentiam prohibent. Non jubent patientiam, animi gratitudinem, amorem. 2. Quantum ad sanctionem. Earum enim præmia simul & supplicia sperni possunt. Legum quandoque violatio fortunam magis splendere fecit quam earum observatio. Multa sunt scelera, multæ etiam virtutes quæ invisis ac ignorantibus hominibus exercentur, immo quandoque aliter exerceri non possunt. Immo non satis locupletem præmiorum supellectilem, non eo usque fœcundam suppliciorum arcem habent homines ut omnes virtuosos, aut omnes sicarios præmio donent, aut pœna plectant. Denique quantum ad extensionem. Reges, Tyranni, & quicunque in terra principatum obtinent, jugum illud impune excutiunt. Magnos illos prædones qui totum orbem ferro, igne & bello depascuntur lex non punit. Ergo. Hinc etiam omnes omnino populi Religionem aliquam sibi proposuerunt. Hinc unanimis omnium viget consensus.

CONCLUSIO III.

Officia illa Deo debita in ipsismet rerum essentiis nituntur.

PRob. Officia quæ Deo ab homine persolvenda sunt, oriuntur ex relatione Deum inter & hominem. Porro relatio illa rerum essentiis nititur. Oritur enim ex ratione causæ ex parte Dei, & ex ratione effectus ex parte hominis; quæ quidem ratio tum Deo, tum homini intrinseca est. Item officia illa in Dei essentiam & in ejus attributa velut in primarium fundamentum recumbunt; puta in Dei sapientiam & bonitatem erga hominem. Denique Dei colendi obligatio originem suam ducit ex proportione quadam hominis ad Deum, qua homo Deum sibi manifestatum potest & debet glorificare; atqui hæc proportio nititur adhuc natura & essentia Dei & hominis. In hoc enim consistit illa proportio quod Deus & ejus perfectiones tales sint, ut cognosci possint ab homine, homo vero facultatem habeat his cognoscendis parem & idoneam. Ergo Deum inter & homi-

hominem adest proportio utriusque essentia fundata. Ergo officia prædicta nituntur rerum essentiis.

CONCLUSIO IV. ET COROLLARIUM II.

Existit Religio naturalis.

PRob. 1. Ex dictis ultima conclus. & præcedentibus. Officia quæ homo Deo debet ipsismet rerum essentiis, ipsaque natura innituntur: sed nomine Religionis naturalis nihil aliud intelligitur quam istorum officiorum collectio: ergo existit Religio naturalis.

Prob. 2. Religio naturalis est ea quam ratio dictat & ad quam natura inclinat; atqui debitam Deo reverentiam dictat ratio, & ad cultum Deo exhibendum inclinat natura. Dictat enim unicuique natura gratum ac memorem erga benefactores animum, bonos colendos esse ac amandos. Jam vero sensus illi naturales sunt. Nam sensus illos a nobis amoliri non possumus; ita quippe a natura facti ac compositi sumus ut hisce propositionibus assensum vel inviti demus; hinc nobismet ipsis displicemus si in ingratitudinis vitium incidisse nos deprehendamus. Ergo sensus illi erga homines, & a fortiori erga Deum naturales sunt: ergo natura dictat, &c.

Et vero, ut postea probabitur contra Hobbium, naturali propensione ad societatem homines inclinari, nemo naturæ humanæ sedulus indagator negabit. Jam vero eadem vincula quæ nos societati devinciunt, eadem & quidem fortius ac jure potiori nos Deo religant. Si enim privati boni studium in societatem nos ducit, longe majora a Deo speranda habemus; si timor, ut Hobbio placet, longe magis a Deo nobis timendum est. Si in mutuum fœdus descendimus ex amore innato quo nobis similes diligimus, longe major aderit inclinatio ad Deum colendum, utpote qui ad ejus imaginem conditi sumus. Hinc manifestum est dari Religionem necessario veram, principiis necessario veris innixam, nobis insitam, ac proinde naturalem. His enim principiis nititur Religio, nempe Deum existere, huic nos, v. g. gratum debere animum, utpote qui ab eo multa acceperimus, & a quo ipsammet existentiam habeamus, denique nos reos fore si huic officio defuerimus. Ergo.

Prob. 3. Illud naturale est quod supponit ac involvit desiderium naturale & vehemens beatitudinis: atqui Religionem supponit & involvit naturale illud beatitudinis desiderium. Ad hoc enim satis est quod per illud desiderium nos moneat Deus de illo præstando per quod solum satiari illud potest, quodque non nisi per actus religiosos expleri tandem queat: atqui per illud desiderium nos monet Deus de illo præstando per quod solum satiari potest, nec nisi per actus religiosos expleri potest. 1. Per illud desiderium, &c. Cum enim desiderium illud continuum sit in nobis sine nobis, a nobis prorsus est independens, nec nisi ab auctore naturæ, ac proinde non nisi naturale esse potest. Ergo cum desiderium illud satietatem appetat, jubet per illud Deus, qui nihil facit frustra, ut ea amplectamur media quibus expleri potest. 2. Sola Religio medium esse potest ad sedandum illud desiderium. Religio enim sola ad id ducit quo solo expleri potest desiderium illud. Ad hoc enim satis est quod Deus solus sit beatitudo hominis objectiva, seu illud sit objectum cujus possessio possit nos beatos reddere, deinde quod sola Religionis via obtineri possit felix illa Dei possessio: atqui hæc duo vera sunt. Primum; nam hominis beatitudo objectiva debet esse bonum quoddam permanens & stabile, quod sit finis simpliciter ultimus, quodque perfecte possit satiare hominis facultates. Jam vero solus Deus talis est. 1. Solus est bonum stabile; solus enim est æternus, necessarius, immutabilis. 2. Solus est finis simpliciter ultimus ad quem omnia referre teneamur, ab ipso enim solo omnia accipimus. 3. Solus potest perfecte satiare. Solus quippe est summa veritas & summa bonitas: ergo solus totam animam, intellectum nempe & voluntatem beare potest. Secundum. Non minus certum est, nempe quod felix illa Dei possessio sola Reli-

Religionis via obtineri possit. Ut enim jam diximus, Deus videt hominum actiones ut in se sunt, ergo non potest pro sua æquitate & justitia non discernere inter eos qui ipsum coluerunt, & inter eos qui ipsi Punico quasi odio reluctati sunt. Ergo piorum tantum beatitudinem fovebit, & media huic conducentia iis solis subministrabit: sed ex modo dictis Deus solus est beatitudo hominis objectiva: ergo iis solis possidendum se præbebit qui ipsum per Religionis officia coluerint. Ergo sola Religionis via Dei possessio obtineri potest.

Prob. 3. Religio naturalis est ea quam auctor naturæ unicuique intimat ac præscribit: ut ergo existat Religio naturalis duo sufficiunt & requiruntur. 1. Ut auctor naturæ, nempe Deus, jus leges præscribendi & cultum imperandi habeat. 2. Ut jus illud revera exercuerit. Atqui 1. Jus habet. Nam, ex probatis, Deus est ens necessarium, summe perfectum & prima rerum omnium causa. Porro hoc ipso leges ferendi & cultum exigendi jus habet. Vel enim jus supremum leges ferendi oritur ex virium ac potentiæ superioritate, vel ex naturæ excellentia, vel ex naturali dependentia ab eo a quo omnia accepta sunt, vel denique ex potestate juncta cum bonitate & sapientia ex una parte, ex altera vero, ex hominum indigentiis ac necessitatibus. Porro certum est quod hæc omnia hic vigeant, & in Deo jus supremum leges ferendi, in homine vero summam dependentiam arguant. Ergo. 2. Jus illud exercuit; namque adest una ex parte Legislator, ex altera vero adsunt creaturæ cogitationis ac electionis ac proinde directionis & legum observandarum capaces: jam vero naturalis illa proportio frustra ac sine causa adesse non potest; hæc duo supra memorata simul concurrere non potuerunt, nisi ad aliquem finem & scopum, sicut oculi organizatio probat ad videndum destinatum esse. Ut quid sane Deus omnia præstitisset quæ ad leges capescendas requiruntur, dum nullas nobis vellet præscribere? Facultates illæ, intellectus, voluntas, libertas tunc essent nobis inutiles. Supponamus enim vero hominem sibi ipsi suæque voluntati permissum, jam inutile ipsi lumen rationis, utpote qui solo instinctu ducendus sit; nihil ipsi conducit activa in utrunque indifferentia & potestas judicium suspendendi, si in primas quasque apparentias impetu ruere debeat; ubi nulla lex, ibi nulla electio facienda, ibi ergo inanis reflexionis & electionis potestas. Immo nocivæ essent illæ facultates. Tolle enim leges quæ eas dirigant, jam, ut diximus, ruit societas; more ferarum vivunt, sæviunt ac divagantur homines. Ergo Deum jure suo usum esse rationi maxime consentaneum est. Ergo revera leges nobis imposuit Deus.

Et certe dum in mundo physico summa undequaque refulget sapientia, mirusque ac exquisitus ordinis amor, mundum intellectualem ac moralem fortunæ ludibrio permissum esse nemo concipiat. Unde sic argumentor. Deus utpote ens sapientissimum fini alicui in creando mundo collimare & huic proportionata media usurpare debuit: atqui finis ille est certus quidam ordo cui vult hominem disponere, & media illa sunt legis & Religionis naturalis promulgatio & institutio: 1. quidem finis a Deo intentus est ordo quidam cui vult hominem disponere. Nam finis ille est propria Dei gloria & creaturæ felicitas: atqui hoc supponit & importat in Deo ordinem aliquem cui hominem velit disponere. Nam felicitas creaturæ non potest consistere nisi in amore ordinis: atqui huic eidem fini collimat Dei gloria. Nam gloria Dei consistit in manifestatione attributorum, nempe justitiæ, sapientiæ, &c. Sed attributa illa nihil aliud sunt quam ordinis & boni universalis amor. Ergo 1. finis Dei est ordo quidam cui vult hominem disponere. 2. Legis & Religionis naturalis promulgatio ac institutio sunt media huic fini assequendo proportionata. Nam ex probandis inter bonum & malum morale datur discrimen essentiale, ac proinde sicut quodvis medium ad finem non ducit, sic actiones humanæ non possunt omnes esse indifferentes. Ergo actiones illæ debent dirigi per aliquam regulam & legem: sed regu-

regula illa alia esse non potest, nisi lex & Religio divina naturalis. Nam agitur de fine & ordine quodam naturali quem Deus, ut auctor naturæ, sibi proponit. Ergo legis & Religionis naturalis promulgatio & institutio est medium stabiliendo huic ordini.

Obj. 1. Suppleri potest Religio per privatæ utilitatis studium & amorem. Ideo enim necessaria dicitur Religio, quia per eam solam coerceri possunt pravæ hominis cupiditates, & totius societatis bonum foveri: atqui his præstandis sufficit privata sola utilitas recte intellecta & usurpata: hac enim ductus quilibet, eam vim & injustitiam sedulus præcavebit, quam sibi timebit; id boni aliis impertietur quod sibi desiderabit; immo eo impensius virtutem colet, & societati favebit, quo vividius privatæ utilitatis potius quam Religionis sensu afficietur. Ergo.

Resp. primo ad totum argumentum. Namque utilitas recte intellecta est utilitas ad rectæ rationis normam composita: sed utilitas ad rationis rectæ normam composita aut est ipsissima Religio naturalis, aut saltem sine aliqua Religione subsistere non potest. Ergo vel non intelligunt ipsi Deistæ quid sibi velint per utilitatem recte intellectam, & verbis fucum faciunt, vel mutato nomine, Religionem appellant, quam tamen pertinaciter recusant.

R. 2. n. min. Positis rebus ut sunt, id est, pro ea qua homines in malum propendent inclinatione impossibile est 1. ut privata utilitas ab omnibus recte intelligatur. Quid enim? Privatus quilibet poterit ne omnes ad rectam privatæ utilitatis sive intelligentiam, sive usurpationem cogere? Novum ne mundum creabit? 2. Impossibile est ut privata utilitas publicæ, saltem aliquando, non opponatur: nec sane qui omnia ad propria commoda metitur, qui scelera quæque audet, is non semper, immo fere nunquam iis serio attendit, quæ ipsi pari vice obvenire possent. Et inde præterea eas tantum excolet virtutes quæ propriæ utilitati germanæ erunt, & eo modo quo utilitatem illam decebit; quod nec veræ virtuti, nec vero societatis bono congruit.

Inst. Atqui privata utilitas supplere poterit Religionem. Nam timor pœnæ, mercedis spes tam sufficient ad omnia crimina præcavenda, quam apud religiosos futuræ pœnæ timor & mercedis expectatio.

R. n. ant. & parit. Ideo religiosi tanta in existimatione habent alterius vitæ appendices, quia certa est illa vita, nec frustrari potest; non ita bona aut mala hujusce vitæ quæ irrogare possunt terreni Judices. Enim vero nullum Deum agnoscenti nihil magis timendum quam mors, nihilque ultra pertimescere potest. Quid ergo si mortem audeat? Quid si ejus horrores alto despiciat supercilio? Profecto si ad id usque sit obstinatus, omnia ipsi audere licebit; juxta illud Poetæ:

Cogi potest, qui nescit mori.

Jam vero ad mortem sibi inferendam multa animum inflectent. v. gr. Timor eorum quæ minitatur civilis potestas, supremæ auctoritatis invadendæ fucata justitia, præjudicata in Principis agendi ratione stultitia meliusque res publicas gerendi fiducia, &c.

Obj. 2. Independenter a Religione vigent in homine primaria illa principia quibus stant & foveri possunt societates, nempe legitima justi & injusti notio, sacra promissorum fidelitas, legum optimarum institutio. Hæc enim independenter & seorsim a Religione vim suam habent. Hinc multis olim Philosophis, ut Epicuro, &c. hæc suffecerunt. Ergo.

R. 1. Hæc omnia sine aliqua Religione haberi non posse. Sunt enim pars Religionis naturalis.

R. 2. n. ult. ant. Seclusa enim Religione infirma sunt illa momenta. Esto quod veritates illas sincere teneat irreligiosus; ad eas executioni demandandas sufficienti motivo carebit. Profecto si quis naturæ humanæ levitatem, inconstantiam, nativamque in bonum privatum, in cupiditates, & etiam in malum propensionem attendat, hæc omnia absque Religione infirma esse, nec nisi præclaras esse speculationes cito deprehendet. Ceterum observandum est 1. hic agi de societate ex doctis pariter & indoctis conflata. Non ergo quæ-

stio

ftio movetur de uno aut altero Atheo, vel Deista, ac proinde immerito tantopere urgetur exemplum Epicureorum. Etiam si enim apud rationem excultam hæc aliquantisper vigere possent sine ulla Religione, non sane pariter obtinebunt apud rationem incultam, abnormem ac barbaram qualis reperitur in vili plebe. 2. Eo sensu Religionis necessitatem vindicamus, quod ex una parte irreligio ex se omnibus vitiis pateat, ex altera vero Religio & promptius & efficacius his viam præcludat, adeoque ab sente omni Religione frequentius & graviora scelera emergerent, nisi Dei alicujus existentiam aliqualemque providentiam tenerent utcunque homines.

Inst. Hinc sequeretur omnes Religionem etiam falsam, crudelem, v. g. impudicam aut superstitiosam irreligioni anteponendam esse, aut Religionem qualemcunque, aut saltem veram adeo vitiis contradicere, ut hac data, jam hæc omnia evanescerent: atqui utrunque falsum est. Nam quantum ad primum; Religio quæ homicidium, ver. gr. aut adulterium doceret, irreligioni postponenda est; & quantum ad secundum, certum est quod ex Religione vera, aut saltem sub illius servitio multa oriantur mala: ergo.

R. n. maj. & dico 1. Ex principiis stabilitis non sequi Religionem crudelem, &c. irreligioni esse anteponendam. Ut enim jam diximus, hic agimus de iis qui saltem aliquâ vera Religionis principia retinent. Porro furtum, homicidium, &c. nedum ad prima Religionis principia pertineant, immo ipsis repugnant. Fatemur etiam Religionem quæ primarias, saltem aliquas veritates retinet plurima falsa his admiscere posse, sed hæc sunt Religioni accidentalia ac extrinseca. Uno verbo id unum contendimus, sensum divinitatis alicujus qualiscunque tandem sit, cultumque huic correspondentem, generatim loquendo, fovendæ virtuti ac societati longe promptiorem esse, quam omnis divinitatis abdicationem. Quantumvis enim langueat & a vero aberret ille divinitatis sensus, qua proportione ad verum accedit, hac a scelere arcet. Sensum autem illum incredulitati & Atheismo postponendum esse ex eo non sequitur quod aliquando falsis admisceatur. Dico 2. Ex nostris iisdem principiis non sequi nulla sub Religionis jugo fore hominum vitia. Dicimus tantum Religionis via facilius excludi vitia. Immo addimus, ubi agitur de populis integris in quibus sunt docti & indocti, indoctis & rudibus Religionem esse unicam sceleris devitandi viam. Quia sensus illos quos facile suscipit ratio exculta, ne primoribus quidem labiis degustare potest ratio agrestis & plebeja. Deinde non contendimus omnes virtutes quæ in religiosa societate refulgent a sola Religione proficisci; id unum volumus ad tales virtutes producendas natam esse Religionem, licet aliquando & per accidens, virtutes illæ aliunde oriri videantur, aut Religio alium habeat effectum, aut qui eam amplexi fuit, non semper eam sequantur.

Obj. 3. Consensus unanimis populorum non magis probat Religionis necessitatem, quam Deorum pluralitatem.

R. n. ant. Maxima inter utrunque disparitas. Tunc consensus veritatis est testis ubi 1. est omnium locorum. Temere enim præconcepta opinio varia est pro variis locis, quia hominum indoles alia est in aliis locis, alia in Gallia, alia alibi. 2. Ubi est omnium temporum. Doctos enim experientia facit. Pro annorum numero ut multa discimus, sic multas deponimus opiniones. 3. Ubi cupiditatibus adversatur. Porro hæc sibi non vindicat Polytheismus. Immo in Polytheismo duo observanda ac distinguenda. 1. Sensus alicujus divinitatis, ex hac parte & generalis & verus est. Deinde sensus multiplicatæ ac partitæ divinitatis; hac ex parte non ita generalis. Nam alii alios Deos colebant, alii plures, alii pauciores; uno verbo quantum ad numerum eadem non erat ac quoad divinitatis cultum simpliciter consensio.

Inst. Ille consensus nihil probat qui nititur traditione legitima ratione destituta: atqui talis est consensus ille. Ideo enim divinitatem aliquam admittebant filii, quia id a patribus acceperant; nulla expostulata, nulla accepta legitima ratione. Alias & Religionis simul gene-

generatim & Polytheismi & quæsissent & accepissent rationem; utrunque enim simul transmittebatur.

R. n. min. Traditio enim illa vel est mundo coæva, vel ipsi posterior: si primum, jam error, si error est, mundo saltem coævus erit, ergo æque homini naturalis est ac quælibet altera alia veritas: ergo naturæ ipsi contradicit Atheus. Quod si mundo creato posterior sit hæc traditio, & tunc nata sit cum Atheismus ubique vigeret, quomodo divinitatis ille sensus adversante licet antiquitate, universalitate, immo, juxta incredulos, ipsamet ratione, ita totum invasit orbem ut ne angulus quidem Atheo vix remanserit? Non poterit regerere Atheus id ex paucitate hominum tunc degentium factum esse. Nam tunc fateri cogetur omnes homines ab uno ortum ducere. Quod si hoc fateatur, jam supremi alicujus Numinis existentiam a quo omnia existant vix negare poterit; ergo etiam fateri cogetur hominem aliqua Deo debere officia ac proinde & aliqua ipsi ab hominibus deberi; ergo & aliquam Religionem necessariam.

Ad probationem dico inter sensum divinitatis alicujus & Polytheismi opinionem discrimen esse jam allatum. Consensus ille unanimis circa divinitatem aliquam oriri potest 1. ex naturali proportione hominis ad illud dogma. Hobbius *Leviat. p. 1., cap. 12.* fatetur naturalem esse unicuique Numinis alicujus invisibilis timorem; Lucretius concedit nativa in unoquoque homine Religionis semina. 2. Consensus ille potest esse rationis opus. Matura nempe ætate quisque potuit Numinis alicujus existentiam concludere ex considerata ac perspecta mundi hujus aspectabilis forma, ex ipsamet hominis existentia. Ex neutro fonte oriri potuit Polytheismus. Quin immo sicut Polytheismus evincit Divinitatis alicujus sensum fuisse universalem, ac consequenter admittendum esse aliquem Deum, sic falsarum Religionum multiplicitas probat Religionis alicujus sensum fuisse universalem, ac consequenter aliquam saltem esse admittendam Religionem.

Ceterum mirari satis non possumus incredulos ex una parte adeo timidos esse ubi de Religione admittenda agitur, tantoque vereri temere præconceptas opiniones, ex altera vero adeo eas spernere ac audentes esse pro irreligionis opinione; præsertim cum impietas plura & periculosiora timenda sibi habeat præjudicia, nulla vero in se suscipiat Religio, utpote quæ certis & inconcussis nitatur principiis. Tam verum est enim nos aliquibus erga Deum officiis devinciri, quam verum est Deum existere, nosque ab eo multa accepisse; porro Deum existere, nosque ab eo multa accepisse, tam verum est, quam constat summam in mundo sive creando, sive regendo ac conservando dominari sapientiam, bonitatem, potentiam, istud vero posterius eadem fulget evidentia ac ipsum mundum existere. In his propositionibus nulla ne levissima quidem patet rima per quam error gliscere possit. At incredulo ex incredulitate 1. multo plura timenda sunt præjudicia; tot enim sunt præjudicia timenda quot in corde gerit ac fovet prava desideria quibus favet negata Religio. 2. Multo periculosiora. Longe enim facilius corriguntur quæ subrepunt ex educatione, ex falsa ac mendaci traditione, quam quæ ex prava cordis propensione. Sic, v. g. stellas nostris facibus æquales, nobis persuaserant sensus; facili negotio præjudicium illud excussimus. At quæ animo combibimus ex prava affectione, difficilius quam pellem mutamus. Hic enim nostrum commodum, nostra omnia in discrimen veniunt. Dei existentiam Religionisque onus pravis sane cupiditatibus non dabunt increduli; undenam ergo judicium de existentia alicujus Numinis nondum evellere potuimus, instigante licet cupiditate, suadentibus licet sensibus, titillante licet novitatis prurigine?

Inst. Ut consensus ille aliquid probaret, deberet esse omnino unanimis: atqui non est unanimis: multos enim recensere est populos qui ut nullum Deum, ita nullam habuerunt Religionem.

R. 1. n. maj. Fatentur enim hujus accusationis auctores nationes Atheismi suspectas vix humani aliquid præ se ferre:

re : porro ex illis inhumanis gentibus definitum ac generale de tota natura humana judicium ferre æquum non est. Si quis inde concluderet nullas esse alias naturales hominis facultates præter eas quæ apud illos populos conspiciuntur, & sese produnt, male omnino concluderet; ita & in præsenti casu illegitima est conclusio.

R. 2. n. min. 1. Enim viatores qui eos populos Atheismi suspectos fecere in errorem induci facile potuerunt, sive quia linguam eorum non callebant satis, sive quia non satis seduli eorum scrutatores fuere, sive quia breviori tempore apud eos populos commorati sunt. Deinde non solum possibilis, sed & realis est eorum viatorum error. Ab aliis enim relatoribus Atheismi nota hæc expuncta est quos consule si vacat.

Inst. Saltem negari non potest aliquos fuisse qui nullum Deum, nullam Religionem professi fuerint : jam vero eorum consensus tam probare debet nullam admittendam Religionem, quam Religiosorum auctoritas evincit aliquam admittendam esse. Ergo.

R. n. min. & parit. Disparitas est 1. quia pauci admodum fuere qui omnem ablegaverint Religionem ; innumeri vero stant ex parte Religionis. 2. Intellectis rerum argumentis ac notionibus, statim rejecta est incredulorum male conficta opinio ; e contra quo magis ad rationem, & rerum naturas attenderunt homines, quo magis defœcata fuit eorum ratio, eo in aliquod, immo in verum Numen fuit pronior. 3. Paucorum illorum irreligio ex nativis præjudiciorum & errorum fontibus ortum ducere potuit neutiquam vero Religio. Profecto Religionis omnis ablegatio non ex usu rectæ rationis, sed aut ex insana novitatis prurigine, qualí tenebatur qui nivem atram dicebat ; aut ex mente corrupta, sicut vitiato palato res non ut sunt sapiunt. 4. Non mirum quosdam Religionis omnis jugum excutere conatos esse, utpote quæ pravis adversetur cupiditatibus ; mirum esset si larva Religionis delusi omnes pretiosissimis cupiditatibus nuntium dedissent.

Inst. Consensus ille nihil probat qui artis politicæ est fœtus: atqui : ergo.

R. 1. n. min. Illa Deistarum assertio gratis & sine fundamento est conficta ; hujus enim nec auctorem, nec tempus, nec modum assignare possunt. Assignent enim quæso quis Legislator aut imperii conditor eam de cultu Numinis primus opinionem invenerit ? Qui fieri potuit ut Reges omnes in omnibus alias discordes, in ferendis legibus diversi, temporum & locorum longo dissiti spatio, inter se nihilominus consenserint circa communem de Religione legem ? Quonam tempore omnium animis inserta est opinio, omnium sensibus tam austera, cupiditatibus tam infensa ? An Trojanorum, an Romanorum tempore ? Quonam modo tam insolens opinio omnium animos invasit ? An ferro ? an armis ? Dic ergo, inquit Velleius, dic obsessas urbes, excisos appella exercitus ? an via contractus & conventionis ? Ostende comitia, mediatores appella. 2. Repugnat hæc eadem Deistarum assertio. Vel commentum hujus modi audax probavit novator idoneis argumentis, vel non. Si primum, ergo solidis rationibus ac proinde & ipso lumine naturali nititur Religio ; si secundum, ergo universum genus humanum licet libertatis amantissimum, ad contradictionem propensissimum, propriæ quasi naturæ oblitum Religionis larvam totis ulnis amplexum est, qua nihil, juxta Deistas, gravius & molestius, cum prius ab ipsa nativitate sanam ac gratam simul teneret sententiam. Quæ omnia absurda sunt. Et vero hæc assertio supponit fuisse tempus quo totus orbis in Atheismi fæcibus jacebat ; Principes Religionis ideam sibi primos efformasse ; proprio marte omnia cudisse ejus principia ; populos omnes, inaudita huc usque obedientia primævos suæque origini coævos sensus auctoritati dedisse ac subjecisse. Porro hæc omnia gratis supponuntur ; quis enim credat omnes eo usque desipuisse populos, ut sola Principum auctoritate, nulla legitima ratione, statim & nullo negotio primam deseruerint sententiam ? Insanos sane Principes ac politicos qui chimæram proprio marte fabricatam eo

usque

usque verebantur, ut illius jugum ne ipsi quidem, licet conantes, excutere possent? Insanos profecto qui divinitatem excogitarant tutelam innocentiæ ac virtutis quam sæpe opprimebant? Prætere transitus a non Religione ad Religionem, vel sensibilis, vel insensibilis fuit. Mirum sane aut sensibilem fuisse, nec ullius ulla remanere monumenta, ullas historias; aut insensibilem fuisse, hominesque omnes ad unum fere sensim sine sensu ab irreligionis sententia, ad Divinitatis & Religionis alicujus opinionem transisse; quasi ita a natura compositi essemus ut omnes sero capiamus somnum Deistarum, tum primo mane religiosi expergiscamus! Denique longe probabilius, longeque ad verum magis accedit Principes omnes opinionem jam ubique vigentem politicæ ac privatis utilitatibus accommodasse, quam ex inaudita ac præsertim dura sententia stabilire voluisse præstandam sibi obedientiam. Præmia, divitias, honores proposuerunt militibus Duces, civibus Rectores, subditis Reges; divitiarum amorem non fabricarunt, non animis inseruerunt, sed supposuerunt existentem. Ita & Religionem. Tandem transitus ille ab irreligione ad Religionem est res memoria digna; scripturæ inventionem sane præcedit. At quomodo nulla omnino traditio ne levissima quidem hujus transmisit vestigia? Hac enim traditione remotissima licet cognoscimus; v. gr. varias Idololatriæ species, variasque superstitiones. Cur hac eadem traditione tam celebris epocha innotescere non potest? Immo quomodo fieri potest ut quo altius ascendimus, eo puriorem divinitatis notionem deprehendamus? Quo enim a divinitatibus Paganorum longius discedimus, eo unitatem Dei clarius recognoscimus.

Inst. Consensus ille timoris opus est, juxta illud: primus in orbe Deos fecit timor. Ergo.

R. 1. n. ant. Nam juxta hujus difficultatis auctores; timor ille cæco ac mechanico impetu ideam istam in nobis peperit. Timor autem Deum qualem mente concipimus, nempe bonum, misericordem, amandum fingere non potuit; unde namergo Dei bonitatem, clementiam, &c. hausimus? Proprium enim timoris objectum est terribile aliquid & malum imminens. Immo ponamus Atheos aliam timori causam adjungere unde oriatur spes in Deum, nempe Dei bonitatem, concursus ille causarum, scilicet bonitatis & timoris Deum nobis repræsentabit a quo non magis timendum quam sperandum habemus.

R. 2. transf. ant. n. conseq. Nam generalis ille Divinitatis timor qui, ut fatentur adversarii, omnium animis insedit, supponit, non facit Deum. Longe enim rerum naturæ consentaneum magis est realem Dei existentiam huic timori locum dedisse, quam timorem illum opinioni de existentia Dei viam stravisse. Si enim revera Deus existat, merito timetur; sin autem, undenam timorem illum tam universalem? Quodnam ejus principium? Interius ne, an exterius? Si interius; ergo a natura ita omnes comparati sumus ut in Divinitatem & Religionem aliquam propendeamus. Si exterius, ergo hunc timorem ab aliis edocti sumus; quis porro magistros edocuit? & horum doctores quis ea erudivit forma ac methodo quæ naturam magis quam artem ac industriam referret? Denique supponit hoc argumentum fuisse aliquod tempus in quo omnes omnino homines Athei erant; quod jam confutavimus. Ergo.

ARTICULUS II.

De Religionis natura.

NUnc quænam sit cultus religiosi natura, seu, in quo consistat cultus ille, quæ sint illius partes nobis est explorandum. Jam diximus generaliter in cultu tum interno, tum externo reponendum esse honorem illum quem Deo debemus. Hæc duo seorsim probanda incumbunt.

CONCLUSIO I.

Necessarius est cultus internus.

PRob. 1. Illud admittendum est ad quod Dei notio variæque illius per-

fectiones sponte ducunt: atqui Dei notio variæque ejus perfectiones sponte ducunt ad cultum internum. Namque cognita Dei existentia, deprehensis variis illius perfectionibus, jam eas pro suo modo venerari & colere debet homo; si enim existat Deus, si sit summe perfectus, mundique hujus spectabilis auctor, jam ipsi laudem & admirationem debemus. Quod sumus, ipse fecit & dedit & adhuc multa ab eo speranda habemus; ergo & pro præteritis beneficiis gratum memoremque animum debemus, & de futuris securum ac confidentem, & ad ea postulanda sollicitum ac orationi intentum. Ergo.

Prob. 2. Cultus internus ad Dei cognitionem & amorem commode reduci potest: jam vero cultus hujuscemodi & Dei consiliis & hominis destinationi ac fini apprime congruit, ac cum utroque intimam dicit connexionem. 1. Dei consiliis: tum quia, ut jam dictum est, Deum inter & hominem naturalis quædam exurgit relatio ex eo quod Deus se ipsum manifestum præbuerit, & homo Dei cognoscendi capax sit; tum quia a Deo, ab auctore naturæ animæ nostræ indita est quædam proportio cum his veritatibus; benefactores sunt diligendi, honorandi sunt parentes, &c. quæ omnia a fortiori pro Deo urgent. 2. Hominis destinationi. Quatuor enim perfectionum gradibus constat homo entis, scilicet, viventis, animalis & rationalis. Unde ut cultus internus, Dei scilicet cognitio & amor, hominis destinationi collimet, satis est quod rationalitas sola hominem ad finem sibi proportionatum ac destinatum componat, & quod finis ille nihil aliud sit quam Dei cognitio & amor: atqui 1. rationalitas, &c. Si enim ad nihil aliud destinatus sit homo quam ut existat, jam gradus & ratio viventis est ipsi omnino inutilis; item si ad vivendum tantum factus sit, jam sentiendi facultas ipsi superfluit; denique si solis animalibus functionibus deputatus sit, ad quid ipsi ratiocinandi vis? Unde: si existentia sola finem hominis impleret, jam inutiles essent tres posteriores existentiæ gradus; ergo a pari, si tres primi existendi gradus finem hominis plene perficerent & ipsi sufficerent, jam superflua redundaret rationalitas. Ergo sola hæc rationalitas hominem ad finem suum dirigit. 2. Finis ille est Dei cognitio & amor. Homo in quantum homo eo destinatus est sane ut ratione sua legitime utatur & modo qui ipsam deceat; jam vero modus ille legitimus importat ut intellectui & voluntati condignum ac proportionatum proponatur objectum; ergo cum utraque facultas infinita gaudeat capacitate, utrique proponi debet objectum infinitum: ergo Deus: ergo Dei cognitio & amor sunt finis hominis.

CONCLUSIO II.

Necessarius est cultus externus.

Exponitur. Cultus externus est ille qui corporis exercetur ministerio. Sumitur vel generice & indeterminate, vel specifice, 1. sensu, nulli ritui, nullis cæremoniis in particulari alligatur. 2. Sensu has vel illas determinate cæremonias includit. Agitur hic de cultu externo juxta primum sensum. His prænotatis.

Prob. 1. Ille cultus necessarius est quem natura & conditio hominis exigit in quocunque statu, sive monastico & solitario; sive politico & civili: porro 1. in statu monastico. Nam homo duplici constat ex parte, corpore nimirum & anima; sicut utrunque a Deo accepit, ita ratione utriusque multis auctus est beneficiis, ratione utriusque a Deo pendet: ergo ratione utriusque quædam Deo debet, variaque sunt ejus erga Deum officia; ergo utrique facultati proportionatum accommodatumque cultum debet homo; ergo sicut ratione animi, cultum interiorem, ita ratione corporis externum debet, seu exteriora quædam internæ reverentiæ signa Deo exhibere tenetur. 2. In statu politico. Nam ex sæpius jam adnotatis, homo a natura ad societatem factus & comparatus est. Ergo ad mutuam rerum terrenarum communicationem destinatus: jam vero repugnat ut ad rerum terrenarum communicationem sit compositus, nec ad Religionis, seu rerum spiritualium communicationem, seu societatem destine-tur.

tur. 1. Enim bona quæ a Deo ratione animæ, ex Religione ſperanda habemus, longe ſuperant ea quæ ratione corporis ex ſocietate nobis promittimus; multo magis enim verum bonum noſtrum illa promovent. 2. Filii erga parentes, cives erga Rectorem ac Principem, ſubditi erga Regem ſocietatem ambiunt in honore, amore & reverentia; ergo a fortiori erga Deum qui his titulis longe potiori jure gaudet. 3. Ideo ad ſocietatem natura ipſa hominem compoſuit ut commune ſocietatis bonum pro viribus ſuis promoveret; ergo a fortiori natura eum inclinat ad procurandam gloriam Dei qui totius ſocietatis pater eſt & caput. Uno verbo repugnat hominem ad ſocietatem civilem natum eſſe & ad Religionis ſocietatem non eſſe deſtinatum: porro eodem modo repugnat hominem ſocietati civili inhærere ſine vinculo aliquo exteriori, ac hominem eundem ſocietati Religionis inhærere ſine aliquo exteriori ſigno: ergo hominem ſine aliquo cultu externo ſocietatem Religionis amplecti eodem modo repugnat, ac ipſum ſocietati civili inhærere ſine aliquo vinculo exteriori. Ergo.

Et ſane dum cæli & totus orbis totus quantus eſt gloriam Dei enarrant, ac in ejus reverentiam erumpunt, ſolus non deſidia torpebit homo, præco Dei eximius, mixtus adorator, Angelus terrenus pariter & cæleſtis. Ergo externam Dei gloriam cumulare ſatagere debet; ergo exteriora interni amoris ſigna, ſeu cultum externum debet. Præterea amor diu otioſus vacare non poteſt; cito, ſi ſincerus ſit, in externa teſtimonia erumpit; ſic filii interioris erga parentes amoris & reverentiæ argumenta proferre ſatagunt, &c. denique inter beneficia quæ Deus hominibus exhibet, alia privata, alia publica; alia ſingulis, alia toti ſocietati ſunt exhibita; ergo ſicut ſingulatim pro ſingulis & privatis beneficiis, ita publice pro publicis quædam ipſi debemus; ſicut ſingulorum, ita & omnium generaliter eſt Dominus: ergo. Huc accedit omnium populorum unanimis conſenſus, qui ſicut Deum aliquem, ita & religioſum aliquem cultum conſtanter retinuerunt.

Obj. 1. Illud Deus a nobis non exigit quem non exigere ſuadent ejus attributa; atqui Dei attributa ſuadent Deum non exigere a nobis cultum exteriorem. Nam cultum illum a nobis Deum exigere, & tot vivere impios, vel injuſtitiam, vel impotentiam in Deo arguit. Impotentiam quidem; ſi impios illos in Religionis lucem adducere vult & non poteſt; injuſtitiam, ſi poteſt & non vult.

R. n. ant. Et dico Deum velle & poſſe eos impios in Religionis lucem adducere, nec inde quicquam vitii in Deo emergere. Quod ut intelligatur, diſtingui debet potentia in quantum ſuprema eſt & abſoluta, ab eadem potentia in quantum alia Dei attributa eam moderantur. Multa enim Deo poſſibilia ſunt ſi ſumma ejus potentia præciſe attendatur, quæ tamen non congruunt, ſi aliæ Dei attendantur perfectiones. Sic, v. gr. ſi abſolutam Regis alicujus inſpicias auctoritatem, ſubditos ſuos opprimere, tributis onerare, immo omnes letho dare poteſt; quæ tamen repugnant attenta ejus bonitate, juſtitia, benignitate, &c. Deum ſufficienti poteſtate gaudere ad cogendos impios, immo meliorem eorum frugem toto corde velle non ambigimus; ſed 1. non poteſt velle eo modo qui libertatem hominis deſtruat. 2. Nec etiam velle poteſt eo modo qui bonitatem ejus evertat; vix etiam eo modo velit qui bonitatis, patientiæ & benignitatis manifeſtationi nullum locum relinquat. Id unum conſtat Dei attributa eſſe æqualia, utpote infinita, nec ſibi oppoſita. Vide quæ ſupra diximus de mali moralis permiſſione, ubi de providentia.

Inſt. Ideo neceſſarius eſſet cultus externus reſpectu Dei, quia cum corpus pendeat a Deo ſicut anima, jam utrunque in Dei reverentiam excurrere debeat: atqui hæc ratio nulla eſt. Nam anima ſola poteſt tum pro ſe, tum pro corpore officium illud explere & ſupremum Dei dominium agnoſcere. Ergo ratio allata nulla eſt.

R. n. min. Etiam ſi illud abſolute fieri poſſet, non poteſt tamen, tum quia hominem naturaliter in cultum illum a Deo poſitive exigi ſuadent ſæpius manifeſtata exterius ejus attributa quæ ſenſibili

signo ideo prodidisse videtur ut sensibili signo adorarentur; tum denique quia non alio fine Deus hominem duplici substantia condidisse videtur, nisi ut a duplici illa substantia duplici honore decoraretur.

Obj. 2. Ens summe sapiens nihil agit sine motivo legitimo. Porro nullum est tale motivum exigendi cultus externi: non gloria interna, quæ augeri non potest, non externa quæ Deo essentialis non est; sibi enim Deus sufficit. Ergo.

R. 1. distinguo maj. Nunquam agit sine motivo nobis cognito, vel ignoto: c. cognito semper: n. Itaque non valet major, tum quia non semper tenemur motivum tale Deo intrinsecum assignare, posito quod Deus cultum illum exigere nobis manifestet; tum quia inter motiva allata datur medium, nempe suprema & sola Dei voluntas. Non vult equidem sine motivo; quodnam autem sit illud motivum assignare semper nec tenemur, nec possumus.

R. 2. n. min. Et dico Deo deberi cultum tum internum, tum externum propter rationes allatas inter probationes. Deinde dico cultum externum Deum exigere ad promovendam extrinsecam sui gloriam, non quod eo cultu, ea gloria ad sui felicitatem indigeat, sed quia ut supremum habet in omnia dominium, sic jus summum habet ut illud revereantur qui capaces sunt. Ergo sicut homo ceteris entibus præstat natura, sic ceteris officio præstare debet. Equidem liberas & rationales creaturas formare liberum Deo fuit; semel vero creatas omni officio erga ipsum liberas facere non potuit. Ceterum sicut differunt istæ duæ propositiones: Deus cultu nostro indiget, & Deus jubet cultum illum; sic & hæ differunt: Deus cultum sui imperat, & imperat quia eo indiget. Deum jubere sui cultum, fatemur, indigentiam & jejunam mendicitatem hujus præcepti motivum esse, negamus.

Obj. 3. Nullus tenetur cultum Deo exhibere quem cognoscere non potest: jam vero seclusa revelatione, impossibile est scire quem cultum exigat Deus: ergo antecedenter ad revelationem homo nullum Deo cultum exteriorem debet.

R. dist. maj. Nullus tenetur cultum exhibere quem non potest cognoscere tum determinate tum indeterminate: c. determinate: n. Equidem ubi agitur de eo præcise cultu quem exigit Deus, homo eum non potest cognoscere, nisi Deus ipsi manifestaverit; sed ex eo quod eum præcise cultum quem voluntate positiva elegerit Deus, homo non possit cognoscere extra revelationem, non sequitur hominem extra revelationem ad nullum cultum exteriorem teneri. Tenetur ad duo; 1. generatim ad cultum aliquem exterius exhibendum. 2. Ut animo paratus sit ad eum persolvendum cultum quem Deus jusserit, ubi voluntatem illam resciverit; sed priusquam talem vel talem cultum amplectatur, aliquem deberi fateatur, & quantum suggerit natura & ratio exequatur.

Obj. 4. Verus ac sincerus Dei cultus in Dei cognitione & amore consistit: sed Dei cognitio & amor sunt quid internum. Ergo.

R. dist. maj. Consistit primario & principaliter: c. Simpliciter: n. Aut: in Dei cognitione & amore tum interno, tum externo: c. Interno solum; n. Actus interni Religionis, cognitio & amor Dei, sunt principales in cultu Dei relative ad actus externos; sed actus externi sunt tamen Religioni essentiales. Actus enim interni exigunt manifestari per exteriores.

Inst. Atqui cultus Deo debitus simpliciter consistit in aliquo interno. Nam cultus externus potissimum positus est in quibusdam cæremoniis a societate præscriptis & jure positivo stabilitis; nam jus naturale cultum illum non determinat: atqui cæremoniæ illæ Dei cognitioni & amori non sunt quid intrinsecum: ergo verus Dei cultus consistit simpliciter in aliquo interno.

R. 1. n. maj. Agitur hic de cultu generatim: porro cultus ille non consistit potissimum in cæremoniis jure positivo & a societate stabilitis: hoc enim tantum verum est de cultu tali vel tali & determinato; cultus vero externus generatim importat tantum internæ reverentiæ signa externa qualiacunque tandem illa sint.

R. 2. n. min. Et dico cæremonias genera-

neratim sumptas esse cultui divino intrinsecas & essentiales. Ex probatis enim internæ erga Deum reverentiæ externa signa exhibere debemus; id postulant natura hominis socialis & solitarii, Dei glorificatio, variaque ejus beneficia: jam vero illud quod exigit tum natura hominis, tum Dei, vel dominium vel beneficentia, illud est essentiale & intrinsecum cultui quem debet homo, tum ratione sui & quatenus homo, tum ratione circumstantiarum in quibus cultum illum debet: ergo.

Inst. Ideo inter homines necessaria sunt illa externa honoris ac reverentiæ signa, quia aliter de sensibus internis judicare non possunt: sed Deus independenter ab illis exterioribus signis interiores sensus discernit: ergo.

R. dist. min. Deus independenter ab illis signis exterioribus interiores sensus discernit, sed tamen signa illa pro suo jure exigit; c. secus: n. Itaque ex eo quod Deus independenter a signis exterioribus eos sensus cognoscat quos gerit cor nostrum, sequitur tantum Deum signa illa non jubere titulo ignorantiæ; at minime sequitur signa illa non jubere alio titulo. Nec sane ex ignorantiæ titulo signorum illorum necessitatem desumpsimus. Externa nostræ erga Deum pietatis signa necessaria sunt ex parte Dei, ex parte nostri & ex parte aliorum hominum, sed diversa ratione & causa. Ex parte Dei quidem: tum ut supremum in corpora dominium exerceat, tum quia corpus ipsum multis Dei beneficiis auctum & cumulatum in partem debitæ gratitudinis pro viribus excurrere debet. Nobis etiam sunt necessaria; amor enim iners & otiosus valde dubius est. Deinde anima corpori alligata multum pendet a corpore; a sensibilibus ad spiritualia facilius erigitur. Signa tandem illa sunt necessaria ex parte aliorum hominum; homo enim ad societatem a natura ipsa factus & compositus, commercium cum aliis inire debet non tantum in civilibus, sed etiam & a fortiori in rebus Religionis, utpote quæ propius tangat homines quam rerum civilium possessio. Deinde sunt quædam beneficia quæ privatis a Deo succedunt palam & publice, de quibus palam & publice gratiarum actionem debet. Sunt etiam alia beneficia quæ ita distribuuntur ut in nullum privatum singularem, & qua talis est, sed in societatem quatenus societas est cadant. Ergo gratitudinis debitum ab ipsa societate, quatenus societas est, persolvi debet. Ergo huic persolvendo concurrere debent omnes & singuli.

Obj. 5. Illud non est admittendum quod Deum dedecet, ejusque perfectionibus, ac nostris erga eum officiis adversatur: atqui talis est cultus externus: cultus enim ille certis quibusdam locis alligatur & circumscribitur; exigit templa, sanctuarium, Ministros speciales, & particularia quædam tempora: atqui talis cultus Deum dedecet. Tunc enim per cultum illum, iisdem loci, temporis & personarum circumstantiis & limitibus alligatur ac circumscribitur divina immensitas, nostraque erga Deum reverentia, tamque circumscribitur quam cultus ipse externus. Tali cultu arctantur & intra angustos parietum limites occluduntur nostri de Divinitate sensus; pravis ac adulterinis de Dei natura opinionibus janua aperitur, novumque additur robur: ergo. Itaque ille cultus non est admittendus qui Dei dignitati & nostris erga eum officiis adversatur: atqui talis est cultus externus: ergo non est admittendus.

R. n. minorem quoad utranque partem; 1. quidem cultus externus Dei majestati non adversatur: ideo enim ex cultu externo læderetur summa Dei majestas, vel quia majestas illa, vel quia nostra erga eam reverentia ex illo cultu locorum ac temporum terminis circumscriberetur: atqui utrunque falsum est. Primum quidem: nam licet Deus sit ubique per suam immensitatem, potest tamen certis quibusdam locis, absque suæ immensitatis dispendio, splendidiori & specialiori modo suam nobis præsentiam exhibere. Potest enim Deus sua beneficia hominibus impertienda certis quibusdam alligare conditionibus; & sicut certa quædam tempora, sic & certa quædam loca specialioribus & majoribus deputare beneficiis. Ergo non circumscribitur Dei majestas. Non circumscribitur etiam nostra erga

Deum reverentia. Ideo enim Deo templa erigimus, quia cum in iis vividius splendeat suprema Dei majestas, ibi etiam clarius Deum edifcimus & facilius externis adminiculis suffulti ad Deum assurgimus. Deinde cum societas, qua talis exigat certa ac determinata loca ut possint convenire jam homines, utpote Religionis societate conjuncti, exigunt certa ac determinata loca ut debita Religionis officia persolvant. Hinc non circumscribitur nostra erga Deum reverentia. Hinc etiam manifestum est cultum externum suam haurire originem, hinc ex summa Dei libertate ubi & quando voluerit se prodentis, inde ex nostra infirmitate & socialis entis conditione. 2. Cultus externus nostris erga Deum non adversatur officiis. Ex eo quod enim fortiori titulo ad cultum Deo exhibendum certis quibusdam in locis teneri nos existimemus, non inde sequitur aut concludimus nos alibi nulla Deo debere. Stabilita Religionis naturalis existentia, evoluta ejus natura, nunc ipsius discutienda occurrunt principia.

QUÆSTIO IV.

De Religionis naturalis principiis, seu de distinctione Boni & Mali moralis.

JAm monuimus Religionem coalescere ex quibusdam propositionibus quarum aliæ speculativæ sunt, aliæ vero practicæ. Has propositiones Religionis principia non immerito dixeris. Inter illas propositiones aliæ positivæ, aliæ negativæ. Positivæ aliquid affirmant aut jubent; v. g. Deum esse bonum, Deum esse amandum. Negativæ aliquid negant vel vetant; v. gr. Deum non esse crudelem, Deum non esse inhonorandum. Quæritur utrum & quomodo positivæ a negativis a se invicem differant; seu, ut consuetis vocibus utamur, an propositionum illarum objecta, bonum nempe & malum, essentialiter inter se differant. Huic disputationi quædam notiones ac definitiones præluceant necesse est.

DEFINITIO I.

Morale a moribus dicitur. Mores autem, seu actus morales sunt actiones hominis liberæ quæ aliquam legem, regulam & directionem suscipiunt. Moralitas ergo est relatio actuum humanorum cum aliqua lege & regula. Relatio illa est modus actionem afficiens; modus autem ille duplex; alius actionis internus & essentialis, alius externus & accidentalis. Prior necessario & ex rei essentia diffluit; posterior a facultate seu ente intelligente, v. g. a Principe, rebus alligatur.

DEFINITIO II.

Actus humanus est actus a voluntate deliberate procedens. A voluntate quidem vel mediate, vel immediate. Deliberate vero; quod & cognitionem & electionem importat. Hinc ad actum humanum duo concurrere debent, cognitio, scilicet & electio libera.

DEFINITIO III.

Obligatio a ligando dicitur; estque vinculum morale quo necessitate astringimur ad aliquid agendum vel fugiendum, vel patiendum. Sic clarius & pressius definiri potest obligatio; nempe necessitas moralis aliquid agendi vel non agendi, Necessitas illa moralis est, non physica; naturales hominis vires non ligat, libertatem ejus restringit.

DEFINITIO IV.

Lex est regula actuum humanorum obligans ad id quod rectum est, seu ad bonum morale prosequendum, malum vero morale fugiendum. Regula autem sensu proprio est instrumentum quoddam cujus ope linea recta ab uno puncto ad aliud deducitur. Hic autem & sensu figurato ac morali est principium quo dirigitur homo ut finem ac intentum scopum attingat.

DEFINITIO V.

Bonum morale est illud quod legi alicui conforme est; malum quod legi alicui

cui dissonat. Ex dictis enim moralitas est relatio actuum humanorum cum aliqua lege; ergo si adsit relatio conformitatis, erit bonitas moralis; si desit illa relatio, erit malitia moralis.

DEFINITIO VI.

Naturale illud est quod in rerum essentiis & idearum intuitu fundatur aut deprehenditur; vel quod ab auctore naturæ nobis impressum est ac insitum, adeo ut sit in nobis sine nobis. Sic dicitur lumen naturale, quod a Deo auctore naturæ nobis datum sit; sic dicitur existentia Dei veritas naturalis, quia solo lumine naturali, ex idearum intuitu cognosci potest; utroque sensu dicitur jus naturale.

DEFINITIO VII.

Juris variæ sunt acceptiones. Hic Juris nomine intelligimus qualitatem moralem alicui personæ competentem ad aliquid juste habendum vel agendum. Hobbius ergo & Spinosa perperam confundunt jus cum potentia & viribus. Potentia enim est qualitas physica, jus vero qualitas moralis; potentia abstrahit a quacunque lege, jus vero juxta communem notionem ordinem expresse dicit ad aliquam legem & regulam.

PRINCIPIUM I.

Homo est liber. Istud tanquam principium & axioma hic ponimus de quo qui plura voluerit Philosophos aut alios Tractatus Theologicos adeat. Sensu quippe intimo unicuique constat se actionum suarum dominum esse; dominium autem illud sola dat libertas, tollit vero determinatio ad unum, id est, necessitas. Ergo.

PRINCIPIUM II.

Homo alicujus obligationis est capax. Hujus rei duplex est ratio. Prima quia homo est liber, ac proinde voluntas ejus ad utrunque oppositum est versatilis. Ergo lege aliqua dirigi ac restringi potest, & huic legi sese conformare potest homo. Secunda quia homo superiorem habet aliquem a quo pendeat, nempe Deum & alium ejus vice.

Exarserunt olim nec nostro sæculo omnino quiescunt gravissimæ lites circa boni & mali moralis originem ac distinctionem; Carneades asserebat homines jura sibi pro utilitate sanxisse; & varia pro moribus & pro temporum varietate mutata. Uno verbo contendebat nihil esse injustum nisi quod utile; ex utilitate justitiam vel injustitiam metiebatur.



Hobbius, Philosophus Anglus, varia hic effutit ac mentitur. Juvat accuratam totius ejus systematis analysim struere. Ab ejus definitionibus exordium ducimus. Prima; status naturæ, seu status hominum naturalis est ille qui viguit antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent ac in societatem devenissent. Secunda; in illo statu recta ratio nihil aliud est quam ratiocinatio uniuscujusque propria. Hinc recta ratio in statu naturæ non est facultas infallibilis, sed ratiocinandi actus, & ratio unicuique propria. In civitate autem, id est, intra societatem, recta ratio est ratio civitatis, seu lex civilis. Tertia; Juris nomine, inquit, nihil aliud significatur quam libertas quam quisque habet utendi facultatibus naturalibus secundum rectam rationem. Alibi jus naturale, aliis terminis tamen, sed eodem sensu jus naturale sic definit, & juxta eum, est libertas quam habet unusquisque utendi potentia sua ad naturæ suæ conservationem & ea omnia quæ eo videntur tendere faciendi. Quarta; natura sunt affectus & cupiditates seu passiones animantis.

His præeuntibus notionibus, sic sua ponit principia. Primum; in statu naturæ unusquisque fertur ad appetitionem ejus quod sibi bonum & ad fugam ejus quod sibi malum est; fertur, inquam, necessitate naturæ non minore quam qua lapis fertur deorsum. Hoc est ex Hobbio primum fundamentum & lex primaria juris naturalis. Secundum; omnes homines maturæ ætatis inter se æquales habendi sunt quoad vires & potentias naturales. Tertium; natura dedit unicuique jus in omnia. Finis hujus juris

est propria conservatio, seu vitæ & membrorum tuitio. Objectum hujus juris sunt res omnes & media omnia quæ conducunt, aut potius quæ indicantur conducere & esse necessaria ad illam conservationem; adeo ut illo statu mere naturali unicuique liceret omnia habere, possidere & facere quæcunque, & in quoscunque libebat & quantum poterat. Ratio hæc erat ipsi. Jus nihil aliud est quam potentia. Unde quilibet homo tantum juris habet quantum potentiæ. Sed omnes homines, saltem maturæ ætatis, sunt æquales quoad vires & potentias naturales. Ergo habent singuli homines jus æquale & absolutum in omnia.

Nunc evolvendæ sunt consecutiones quas Hobbius ex illis principiis deducit: Prima; ex primo principio, id est, ex innata propensione qua in propriam conservationem ferimur seu ex jure nos conservandi concludit unicuique jus esse utendi omnibus mediis ad hunc finem necessariis; quia jus ad finem frustra habet cui jus ad media necessaria denegantur. Ergo qui jus habet se conservandi consequenter habet jus agendi omnem actionem sine qua conservari non potest. Secunda ex secundo principio, scilicet ex hominum æqualitate concludit in statu naturæ nulla fuisse publica judicia, nullum usum testimonii neque veri, neque falsi, sed unumquenque fuisse supremum judicem eorum quæ ad propriam conservationem & proprium bonum conducunt. Ex tertio principio, nempe, ex jure absoluto omnium in omnia, hæc deducit. 1. Ex illo jure oriri omnium adversus omnes perpetuas suspiciones, ac consequenter bellum omnium in omnes; quanquam bellum illud alibi vult oriri ex omnium æqualitate. Quidquid sit, status naturalis fuit status belli omnium adversus omnes, ac consequenter omnes homines nascuntur & sunt sibi naturaliter infensi. 2. In tanto & mutuo hominum metu nulla securitatis via melior anticipatione, nempe ut unusquisque vi & dolo ceteros omnes subjicere sibi conetur quandiu alios esse viderit a quibus sibi cavendum esse judicabit. 3. Ex illo bello omnium in omnes concludit vim & dolum hujus status virtutes cardinales esse, nihil esse aut dici debere justum, neminique fieri posse injuriam nisi cum quo initur pactum; passiones & actiones quæ ex iis oriuntur non esse peccata antequam cognoscantur Legislator & lex a quibus prohibeantur: consequenter contendit ante inita pacta & fœdera nihil esse bonum aut malum, sed omnia esse bona vel mala ex pactis & ex fœderibus, ex legibus Principum; ita ut Principi etiam contra conscientiam obedire teneamur etiamsi furtum aut homicidium jubeat; denique utilitatem fuisse mensuram juris ita ut primitus oriatur ab utilitate juxta primum principium. Deinde ex pactis & legibus postquam scilicet homines metu & cupiditate in societatem devenerunt. Hinc ulterius contendit omnem legum naturalium violationem consistere in falsa ratiocinatione, sive in stultitia hominum non videntium officia sua erga ceteros homines ad sui conservationem necessaria. Duplicem auctoritatis & juris fontem agnoscit. 1. Ante inita pacta potestas irresistibilis jus confert. Hinc tunc injuria nemini fieri quidem, at contra Deum & leges naturales peccari potest. 2. Consensum seu pactum alterum juris principium assignat.

Hæc est itaque totius Hobbii doctrinæ summa. 1. Vult nostra erga Deum officia ante initum fœdus vel antiquum, vel novum fontem & originem suam desumere ex insuperabili Dei potestate cui resisti non potest. Nam ex Hobbio jus & potentia cum sint unum & idem, necesse est nostra ut erga Deum officia oriantur ab ejus potentia. 2. Cum omnes homines sint æquales quoad potentias naturales, nullus homo habet jus in alterum; ac consequenter nostra erga alios homines officia oriuntur ex pactis & fœderibus ad quæ devenimus ex utilitate.

Hobbium sequutus est Spinosa, & ad vivum licet alia forma nobis reddidit. Tract. Theol. Pol. cap. 16, T. I. 1. Has tradit definitiones. 1. Jus naturale nihil aliud est quam regulæ naturæ uniuscujusque individui secundum quas

unum.

unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum. Ex. gr. pisces a natura determinati sunt ad natandum, magni ad minores comedendos; adeoque pisces summo naturali jure aqua potiuntur & magni minores comedunt. II. Defin. leges naturæ sunt cupiditas & potentia. Hinc juris prodit altera notio priori germana & affinis. Nimirum jus naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinatur. III. Defin. naturæ potestas est ipsamet Dei potestas. Hæc definitio relativa est ad palmare ejus principium quo statuit quæcunque existunt nihil aliud esse quam modos unius ejusdemque substantiæ unicæ, Deumque nihil aliud esse quam collectionem entium quæ existunt; ex quo sequitur naturæ seu entium collectionis potestatem esse Dei ipsius potestatem.

Post ejus definitiones veniunt ejus principia. I. Natura absolute considerata, jus summum habet ad omnia quæ potest, hoc est, jus naturæ eo usque se extendit quo usque ejus potentia se extendit. Hanc ipse subjicit probationem; naturæ potentia ipsa Dei potentia est qui summum jus ad omnia habet. Sed jus nihil aliud est quam potentia, ex datis modo notionibus. Ergo jus naturæ sese extendere ad omnia quæ potest, & jus illud se extendere ad omnia simpliciter, seu esse absolutum sunt quid unum & idem. II. Principium. Lex summa naturæ est ut unaquæque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idque nulla alterius, sed tantum sui habita ratione. Probatio facilis est. Nam jus summum nullum patitur respectum ad alios. Sed lex naturæ, ac proinde lex summa naturæ sunt quid unum & idem, ex datis definitionibus. Ergo lex quæ jubet conservationem, eam jubet nulla alterius habita ratione. III. Principium. Universalis potentia totius naturæ nihil est præter potentiam omnium individuorum simul. Ratio aperta est. Natura tota & universalis est ipsamet omnium individuorum collectio. Ergo potentia totius naturæ est potentia omnium individuorum simul.

Tria inde deducit Spinosa. I. Ex eo quod per jus naturæ intelligat regulas naturæ uniuscujusque individui secundum quas determinatur, concludit nullam esse differentiam inter homines & reliqua naturæ individua, neque inter homines ratione præditos & inter alios qui veram rationem ignorant: quidquid enim unaquæque res ex legibus naturæ suæ agit, id summo jure agit, nimirum quia agit prout ex natura determinata est; nec aliud potest. Quare inter homines quandiu sub imperio solius naturæ vivere considerantur, tam ille qui rationem nondum novit, vel qui virtutis habitum nondum habet ex solis legibus appetitus summo jure vivit, quam ille qui ex legibus rationis vitam suam dirigit. Hoc est, sicut sapiens jus summum habet ad omnia quæ ratio dictat, sive ex legibus rationis vivendi, sic etiam ignarus & animi impotens, summum jus habet ad omnia quæ appetitus suadet, sive ex legibus appetitus vivendi. Qui veram rationem ignorant non magis ex legibus sanæ mentis vivere tenentur, quam felis ex legibus naturæ leoninæ. II. Conseq. Ex eo quod natura absolute considerata jus summum habeat ad omnia, concludit unumquodque individuum jus summum habere ad omnia quæ potest, sive jus uniuscujusque eo usque se extendere quo usque ejus determinata potentia se extendit. Nam juxta ipsum jus, seu potestas totius naturæ, cum sit potestas Dei qui jus summum habet ad omnia, sese extendit ad omnia quæ potest; sed juxta eundem Spinosam, universalis potentia totius naturæ nihil est præter potentiam omnium individuorum simul; hinc sequitur unumquodque individuum jus summum habere ad omnia quæ potest, seu jus illud habere quantum se extendit determinata ejus potentia. Hinc jus & institutum naturæ nihil nisi quod nemo cupit, & quod nemo potest, prohibet. III. Conseq. Ex lege summa qua unusquisque eniti debet ut in eo statu permaneat, in suo statu perseveret, concludit unumquodque individuum jus summum habere ad existendum & operandum prout naturaliter determinatum est. Jus illud sum-

summum est, ut probavi; non potest in suo statu perseverare, nisi certo modo existat & operetur, eo scilicet quo per leges suæ naturæ determinatur; ergo eo ipso quo ex lege summa naturæ eniti debet unumquodque individuum ut in suo statu perseveret, jam jus habet summum ad certo modo existendum & operandum.

Quidam præterea fuere qui boni & mali moralis originem ex libera ac positiva Dei voluntate hauserint; adeo ut quæ bona sunt, talia sint quia Deus ea præcipit, quæ vero mala, talia sint quia Deus ea prohibet. Denique sunt alii qui licet rerum moralium originem ab ipsa natura ac ipsis rerum essentiis ducendam esse fateantur, negant tamen vim ullam obligandi nisi ex libera ac positiva Dei voluntate. Verior ac magis communis sententia discrimen illud bonum inter & malum morale, sicut vim obligandi ex ipsismet rerum essentiis suam ducere & originem & obligationem. Quod antequam stabiliamus præfata errorum monstra quæ alia pepererunt sæcula, & nostra male fovet ætas confutare nobis est.

CONCLUSIO I.

Discrimen Boni & Mali moralis non oritur ab utilitate.

PRob. Illud non est justi & injusti origo, nec eorum distinctionis principium quod essentialiter discrepat a justo, justique & injusti insufficiens est principium, quod denique multa absurda & incommoda involvit. Atqui 1. utilitas essentialiter differt a justo. Quæ enim diversimode concipiuntur, ac definiuntur ea sunt essentialiter diversa: porro justum & utile diversimode concipiuntur & definiuntur: justum enim illud ab omnibus intelligitur quod ex officio debemus, quo violato aut omisso, in culpa sumus, quod alios respicit, & certis quibusdam regulis quibus subjicimur consentaneum est; utile vero quod nos unice respicit, quod nobis prodest & convenit, & in commodum ac felicitatem nostram cedit: quod usurpare vel omittere possumus. Atqui sane conceptus illi diversi sunt & quidem essentialiter: aliud est enim ac diversum, & quidem essentialiter, quod alios, & aliud quod nos respicit; aliud quod debemus, aliud quod nobis licet & congruit. Ergo.

2. Utilitas insufficiens est justi & injusti principium. Illud enim insufficiens justi & injusti principium ad quod revocare non possumus omnia officia nostra, & quod non est verum ac sufficiens obligationis fundamentum; atqui 1. ad utilitatem revocare non possumus omnia officia nostra. Nam officia nostra spectant vel Deum, vel nos, vel alios: atqui hæc omnia officia nostra ad utilitatem revocare non possumus. Nam multa sunt quæ his tribus debemus independenter ab utilitate. v. gr. Deo debetur admiratio & reverentia pro summa ejus excellentia, sapientia, immensitate & ceteris ejus attributis absolutis quæ nullam dicunt ad nos relationem, ex quibus proinde nulla ad nos defluit utilitas. Multa sunt crimina quæ sive nobis, sive aliis nullum nocumentum inferre possunt, sicut etiam multæ virtutes quæ nullam pariunt utilitatem. Sic crimina in corde recondita, sic virtutes quatenus internæ, & sine quibus non nisi caduca ac larvata virtus habebitur. Ac proinde ad utilitatem revocare non possumus internum aut vitii odium, aut virtutis amorem. 2. Utilitas non est verum ac sufficiens obligationis fundamentum, seu in allata opinione deest illud obligationis fundamentum. Undenam etenim illa oriretur obligatio? Si quod esset tunc obligationis fundamentum, certe innatus nobis nostri amor, aut propriæ felicitatis desiderium: atqui amor ille aut desiderium illud non est obligationis fundamentum. Quod enim est motivum tantum quo ad agendum extimulamur illud non est obligationis fundamentum: atqui amor ille aut desiderium illud est tantum motivum quo ad agendum extimulamur: amor enim ille aut desiderium illud nos quidem ad agendum excitat, sed non cogit ad obsequium per legitimam mediorum electionem. Nam si quis nolit esse beatus, aut medium felicitati suæ minus pro-

por-

portionatum usurpare pertinaciter velit, imprudentiæ, aut stultitiæ argui potest, at lis ipsi moveri non potest, nec cogi potest ad obsequium. Ergo amor ille nostri innatus, aut propriæ felicitatis desiderium non est verum sufficiens obligationis fundamentum. Et certe si amor ille aut desiderium illud esset obligationis fundamentum, vel quia natura nos inclinat ad explendum illud desiderium, & ad propriam sectandam utilitatem, vel quia Deus jubet nos desiderium illud exequi & propriam utilitatem sectari: atqui neutrum dici potest. Non primum, nam aliud est inclinatio seu propensio, & aliud obligatio, aut obligationis fundamentum. Si quis nolit illum naturæ ductum sequi, nemo hac de causa eum in jus vocare potest. Non secundum; alias jam propriæ utilitatis inquirendæ obligatio, ac proinde justum saltem aliquod in divinam voluntatem ultimate tunc refunditur; quod tamen renuunt ii quos nunc confutamus. Ergo nullo sensu utilitas est obligationis fundamentum. Ergo insufficiens est justi & injusti principium.

3. Multa involvit absurda & incommoda. Tunc enim 1. justitia Dei jam nullatenus concipi potest a nobis; Deus enim nulla re indiget, nec quidquam ei utile esse potest. 2. Nihil Deo debemus, nihil Creatori nostro, a quo omnia nostra accepimus, nisi in quantum nobis ad aliquid utilis erit. Ita nihil parentibus filii, nihil cives patriæ debebunt; nulla veritatis, nulla æquitatis ac justitiæ jura erunt seclusa & absente utilitate; nec aliud vita hominum erit præter turpe ac inhonestum mercimonium. 3. Totius justi fons & origo a virtute quidem avocabit, ad vitia vero accendet. Multarum enim virtutum tollit exercitium, & quantum ad alias, frangit ac non parum elidit animi constantiam in earum exercitio. Quænam enim vero erit justitia, quæ liberalitas, gratitudo, si non alia mensura exerceantur, quam quatenus nostra intererest? Nutante profecto aut etiam penitus collapsa propria utilitate elanguebit virtus, immo succisis nervis corruet. E contra quid non audebit, & in quod nefas non proruet vel ipsa alicujus utilitatis umbra delusus? Præsertim si nullum alium nisi imprudentiæ reatum incurrere se sibi persuadeat. Immo vel ipsa in Deum blasphemia & ejus odium innocens erit eo ipso quo fugacis alicujus utilitatis spes sollicitabit & alliciet. 4. Cum propriæ utilitatis quilibet sit judex & conscius, justa unusquisque ea censebit quæ in rem suam cedent; sic ergo pro varia indole, patria, pro ingenio varias sibi quisque utilitates finget, varias ergo etiam justitiæ regulas. Immo justitia omnis radicitus evellitur, cuique enim licebit in turpissimis ac nefandis quibusque utilitatem suam reponere. Præterea quod uni utile est, alteri sæpe sæpius inutile aut etiam nocivum; aderit ergo simul & justitia, & injustitia. Justitia quidem, quia oritur mihi ex mea utilitate; injustitia vero quia sicut propriæ utilitatis captandæ jus mihi incumbit, sic & alter eodem & pari jure suam utilitatem sectari potest; ergo jus habeo simul & non habeo.

CONCLUSIO II.

Antecedenter ad opinionem & conventionem hominum Bona & Mala moralia inter se distinguuntur.

PRob. 1. Cum in nos ipsos descendimus, & intima mentis nostræ penetralia perlustramus, sponte occurrunt nobis quædam notiones ac propositiones qua speculativæ, qua practicæ, quarum tanta est evidentia ut negari, immo in dubium revocari non possint, ver. gr. in speculativis bis duo dant quatuor; idem non potest esse simul & non esse; quod factum est infectum esse nequit. Item in practicis suum unicuique tribuendum est; alteri ne feceris quod tibi fieri non vis, &c. Porro principia illa non pendent a conventione aut opinione. Nam illa principia non pendent a nobis, sunt in nobis sine nobis, horum auctores & domini non sumus; ea vel inviti vera fatemur, dum tamen falsitas eorum nobis maxime conduceret. Quam sæpe, exempli gratia, voti nostri esset, ut quod factum est, infectum sit! Quam sæpe e re nostra foret

ict æquale in aliena, ac in nostra jus habere. Verum obstant notiones illæ, quibus vim facere ne summis quidem ingeniis, ne potentissimis etiam Principibus licet. Ergo eorum principiorum domini non sumus: ergo non a nobis per conventionem aut opinionem nascuntur.

Prob. 2. Ea non differunt opinione sola quæ ante quamlibet conventionem aut legem positivam differre intelliguntur: atqui principia illa ante quamlibet legem aut conventionem differre concipiuntur. Is quippe ante quamlibet legem positivam discrimen illud percipit qui recta ratione utens, legem naturaliter, necessario & antecedenter ad quamlibet conventionem aut legem positivam, sibi & aliis positam esse judicat: atqui 1. intelligit legem illam sibi esse positam: nam unusquisque si ab ea deviet, etiam nullo teste, nullo alio accusante, seipsum reprehendit, judicat & damnat. Si huic consentiat, jam seipsum laudat, sibique gaudet & gratulatur: sic adest in nobis propensio quædam ad quærendam & fovendam societatem, ad diligendos liberos vel parentes. Porro nulla major est obligatio quam illa quæ violari nequit, nisi judicium contra se ferendo. Ergo. 2. Aliis. Nam virtus etiam in hostibus probatur; vitium vero in amicis etiam displicet; illos vero hac sola ratione laudamus quod quæ debent, faciant, hos vero aversamur quia debitum neglexerunt aut violarunt officium. Ergo utrisque aliqua incumbere officia supponimus. Et sane quis fur æquo animo furem patiatur? Quis aut tanta exardescat avaritia, aut eo effrænata abripiatur cupiditate ut eandem illam rem quam ex scelere tentat, non magis velit etiam omni impunitate proposita puris manibus prensare? Nullus qui non nequitiæ præmiis sine nequitia potiri velit. Unde novum quasi exurgit argumentum: lex enim illa omnem conventionem aut opinionem antecedit, quæ quibusdam nititur & innotescit propensionibus quæ universales sunt, quarum auctores non sumus, quæ per educationem quidem evolvuntur, sed nobiscum nascuntur; quæ a nobis sentiuntur incognita adhuc quacunque lege civili, imo versantur sæpe circa ea quæ lege civili non imperantur, v. gr. circa gratum ac memorem animum; atqui res ita se habet. Ergo antecedenter, &c. Denique certum est nos ante omnem educationem, opinionem, aut conventionem habere lumen naturale: ex illa enim dote educationis, conventionis & societatis capaces sumus. Certum est pariter ante omnem conventionem, &c. lumen naturale nobis aliquid dictare. Saltem enim dictat educationi fidelem navandam esse operam, ideo huic educationi docilem præbemus aurem, quia ratio id honestum nos docet; rationis ope discernimus ea quæ societati ineundæ conveniant, quæ huic adversentur. Ergo principia illa omnem educationem, &c. præcedunt. Unde sic in forma. Illa lex existit antecedenter ad omnem conventionem quæ omnem educationem antecedit: atqui existit lex quæ omnem educationem præcedit. Nam existit lex quæ ipsi educationi aurem docilem adhibendam esse dictat. Lumen enim naturale quod ipsam educationem antecedit, otiosum esse non potest saltemque dictat legitimæ educationi obsequendum esse.

3. Denique quod omnium locorum, temporum ac ætatum populis bonum aut malum constanter visum est, illud tale est independenter a conventione, &c. Atqui quædam dantur principia moralia, generalia nempe ac primaria, quæ hac universali gaudent acceptione: nulla gens est quæ non sentiat actus Deum diligendi laudabiles esse; nulla gens non sentit gratitudinem erga parentes & benefactores toti humano generi salutarem esse. Nulla temperamentorum diversitas facit ut quisquam non bonum sentiat esse universis ut singulorum innocentium vita, membra & libertas conserventur. Ergo.

CONCLUSIO III.

Systema Hobbii circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis sibi contradicit.

PRob. Quatuor sunt enim Hobbii assertiones. Prima, omnibus competit

tit jus in omnia. Secunda, mutua anticipatio sola est securitatis via. Tertia, antecedenter ad legem positivam & civilem omnes actiones sunt æquales & indifferentes. Quarta, Principibus etiam contra propriam conscientiam est obediendum. Atqui quatuor illæ assertiones contradictionem involvunt. Prima quidem, scilicet jus omnium in omnia. Illud enim contradictionem involvit quo semel posito, existit jus in rem eandem & simul non existit: atqui posito illo jure omnium in omnia, existit simul & non existit jus in rem eandem. Nam idem sit judicium de omnibus ad quæ jus illud universale extenditur ac de propriæ vitæ conservatione & rerum portione huic conservationi necessaria; atqui circa rem in exemplo allatam jus omnium existit simul & non existit. 1. existit, ut supponitur. 2. non existit jus omnium in illam vitam aut rerum portionem huic conservandæ necessariam. Nam eo ipso quo mihi incumbit jus in meæ vitæ conservationem & rerum portionem huic conservationi necessariam, eo ipso jus alteri competere non potest in eandem rerum portionem, aut ad vitam eripiendam, quin destruatur jus meum, & ponatur jus alteri juri contradictorie oppositum. Jus enim plenum & completum unius involvit in suo conceptu negationem juris in quolibet alio; adeo ut in exemplo allato vita ad quam jus habeo mihi sine injustitia eripi non possit. Ergo existeret simul & non existeret jus illud. Ergo contradictionem involvit. Et sane si impossibile sit singulis omnes & omnia sibi subjicere, ratio quæ hunc finem proponit singulis, qui uni tantum contingere potest, sæpius quam millies proponeret impossibile & semel tantum possibile. Ergo repugnat naturale esse illud jus omnium in omnia. Ergo prima Hobbii assertio sibi contradicit. Quin sic habet ipse Hobbius de Cive, c. 1., §. 10., 11. „ ex quo etiam intelligitur „ in statu naturæ mensuram juris esse „ utilitatem. Minime autem utile ho„ minibus fuit quod hujusmodi habuerit „ in omnia jus commune. Nam effectus „ hujus juris idem pene est ac si nul„ lum omnino jus existeret; quamquam „ enim quis de re omni poterat dice„ re: hoc meum est; frui tamen ea non „ poterat propter vicinum qui æquali „ jure & æquali vi prætendebat esse „ suum. „ Præterea totum Hobbii systema supponit unumquenque hominem judicare necessarium esse ad sui conservationem ut omnia possideat; atqui tamen idem Hobbius & eodem l. de Cive, c. 1., §. 4., sic habet: „ alius ... secun„ dum æqualitatem naturalem permittit „ ceteris eadem omnia quæ sibi, quod „ modesti hominis est & vires suas re„ cte æstimantis. „ Quod est mera contradictio. Si enim qui aliis eadem permittit quæ sibi, agat secundum æqualitatem naturalem & secundum rectam rationem judicet, jam a recta ratione deviat, nec ullum jus legitimum sibi arrogare potest qui omnia ad se trahit & revocat; eo ipso enim quo aliquis omnia ad se trahit & revocat, jam negat ceteris eadem quæ sibi permittit; quod procul dubio evertit naturalem æqualitatem quam modo profitebatur Hobbius. Nec sane sola hæc occurrit in his Hobbii principiis contradictio; hanc etiam præ se fert; nempe nihil sæpius inculcat Philosophus ille nisi necessitatem juris omnium in omnia; dixerat mensuram juris esse utilitatem: atqui tamen hic fatetur jus illud esse inutile, & idem pene esse ac si nullum omnino jus existeret. Deinde utraque juris definitio ab eo allata usum libertatis complectitur; sed inutilitas juris nullum libertatis usui locum permittit: ergo.

Secunda assertio contradictionem involvit, nempe mutua anticipatio est unica securitatis via. Repugnat enim & contradictorium est illud securitatis & conservationis viam esse quod huic conservationi & saluti per se opponitur: atqui res ita est, ut evidens est; quin immo adeo status ille belli securitati contrariatur, omnium judicio, ut, fatente Hobbio, ad fovendam communem salutem & arcenda status hujus mala homines in mutua fœdera convenire debuerint. Ergo contradictoria est hæc secunda Hobbii assertio. Deinde juxta Hobbium principium ex illa anticipatione eo conatur & tendit unusquisque, ut cete-

ceteros omnes suæ ditioni subjiciat; atqui illa uniuscujusque ditio pugnat cum æquali possessione quam omnes & singuli quicunque alii eodem jure & eodem fundamento affectant. Ergo tam repugnat plures hujuscemodi ditiones existere quam repugnat corpus duplici motu simul moveri; & æque absurdum est omnes homines velle impossibile, cognitum ut impossibile, ac illud exequi. Deinde timor præsertim mortis violentæ & cupiditas rerum ad vitam necessariarum homines ad pacem alliciunt, ex Hobbio Leviath. cap. 13.: atqui ex eodem Hobbio, leg. de Cive, cap. 3., passiones illæ homines ad bellum contra omnes accendunt; quæ quidem duo turpiter sibi adhuc contradicunt.

Tertia assertio sibi etiam contradicit, nempe ante omnem legem positivam & civilem omnes actiones sunt æquales & indifferentes. Illud enim contradictorium est quo semel admisso, esset simul & non esset lex: atqui admissa semel tertia illa Hobbii assertione, lex esset simul & non esset. Esset quidem, ex hypothesi. Non esset vero: nam ibi non est lex, ubi tollitur legis materia, & legitimæ auctoritatis fundamentum. Atqui tertia hæc Hobbiana assertio tollit legis materiam & legitimæ auctoritatis fundamentum. Nam cum inter res illas indifferentes quasdam elegerant principes potius quam alias, eas sic elegerunt vel quia majorem cum scopo legis, id est, cum bono societatis relationem & proportionem habebant, vel omnes illæ res æqualem habebant cum bono societatis proportionem, & independenter a majori vel minori proportione eas elegerunt principes ad legis materiam. Atqui neutrum dici potest ab Hobbio sine contradictione. Non primum; si enim res illæ eliguntur a principibus ad legis materiam, quia proportionem habent cum bono publico; ergo illam proportionem habent antecedenter ad legem illam positivam, antecedenter ad pactum & conventionem: ergo res illæ, saltem ex hac parte, bonæ sunt antecedenter ad illud pactum. Ergo sibi tunc contradicit Hobbius. Si vero res illæ æqualem habeant antecedenter ad legem pro portionem cum bono publico jam tollitur legis materia aut legitimæ auctoritatis fundamentum. Legis quidem materia: nam tunc nulla reddi potest ratio cur una lex altera sit melior, aut cur hæc potius quam illa præscribat, v. gr. si furtum, si homicidium indifferens sit antecedenter ad pactum, & æqualem habeat cum bono publico proportionem, ac justitia & caritas, nulla reddi potest ratio cur melior sit lex furtum prohibens, quam lex furtum permittens aut jubens; nulla reddi potest ratio cur lex homicidium prohibeat potius quam jubeat. Ergo destruitur tunc legis materia. Destruitur etiam legitimæ auctoritatis fundamentum. Tunc enim destruitur legitimæ auctoritatis fundamentum, ubi leges sunt inutiles & tyrannicæ: atqui in præsenti hypothesi leges sunt inutiles & tyrannicæ. Inutiles quidem. Legis enim utilitas in eo consistit quod ejus ope homines discernant inter ea quæ revera bono publico conducant; & inter ea quæ huic noceant: atqui in Hobbiana hypothesi lex res jubet aut vetat independenter ab eo quod revera bono publico conducant & noceant. Ergo ope legis non discernitur quid bono publico revera prosit vel noceat; ac proinde lex tunc est inutilis. Est etiam tyrannica. Illæ enim leges sunt tyrannicæ quæ nulla de causa, nullo jure innatam hominis libertatem restringunt, & peccantes tanquam malos perdunt: atqui in præsenti systemate nullo jure restringitur innata hominis libertas, & peccantes tanquam mali perduntur: nam antecedenter ad legem illam nulla mala sunt, res quæ imperantur & ad legis materiam eliguntur bono publico æqualiter conducunt ac res quæ prohibentur. Ergo humana libertas æquale ad utranque rem & actionem jus habet. Ergo nullo jure restringitur innata hominis libertas; ac consequenter nullo etiam jure peccantes tanquam mali perduntur. Ergo sibi contradicit tertia hæc Hobbii assertio.

Quarta denique Hobbii assertio secum etiam evidenter pugnat. Hæc est enim illa assertio: Principibus etiam contra propriam conscientiam obediendum est: atqui talis assertio sibi evidenter contradicit:

cit: tunc enim adest contradictio ubi supponuntur quædam bona & mala antecedenter ad legem positivam & simul nulla supponuntur nisi consequenter ad illam legem: atqui res ita se habet juxta Hobbiana principia. 1. Supponuntur, &c. Nam hic Hobbius supponit aliquem agere contra conscientiam: sed agere contra conscientiam supponit quædam bona & mala antecedenter ad legem positivam: nam supponit conscientiam quædam dictare vel jubendo, vel vetando antecedenter ad legem positivam; alias legi positivæ nunquam obediretur contra conscientiam. Ergo supponuntur quædam bona, quædam mala antecedenter ad legem positivam. 2. Supponitur simul nulla esse bona vel mala nisi consequenter ad legem positivam; est enim ipsummet primarium Hobbii principium. Deinde ibi nulla sunt bona, nullaque mala antecedenter ad legem positivam ubi nulla est actionis honestas, nulla obligatio nisi consequenter ad legem positivam. Atqui in illa Hobbii assertione nulla est honestas actionis, nulla obligatio nisi consequenter ad legem positivam. Si qua enim esset honestas actionis aut obligatio antecedenter ad legem positivam, maxime sane ea quam dictaret & imponeret conscientia: sed ex præsenti Hobbii assertione contra conscientiam Principibus est obediendum. Ergo tota actionis honestas & obligatio oritur a lege Principum. Ergo in systemate Hobbii nulla est actionis honestas, nulla obligatio nisi consequenter ad legem positivam. Ergo secum pugnat hæc quarta Hobbii assertio. Ergo 1. sententia Hobbii sibi contradicit.

CONCLUSIO IV.

Systema Hobbii circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis falsis nititur suppositionibus.

PRob. Tria supponit Hobbius 1. in statu naturæ, id est, ante inita pacta, omnibus a primis unguiculis innatam esse lædendi voluntatem, seu bellum omnium esse in omnes. 2. Homines avidius ferri naturaliter in dominationem quam ad societatem. 3. In tanto hominum metu securitatis viam meliorem nullam esse anticipatione, id est, nihil melius cuique præstandum esse quam ut proximum suum palam vel ex insidiis præoccupet. Atqui tria hæc gratis & falso supponuntur, nec ab Hobbio probari possunt. Primum quidem, nempe innatam esse lædendi voluntatem. Si enim innata esset lædendi volantas, hæc voluntas esset a natura sana & a recta ratione; de hac enim sola hic agi potest: atqui falso supponitur nec ab Hobbio probari potest hanc voluntatem inesse omnibus a natura sana & recta ratione. Nam gratis & falso supponitur, nec probari potest homines a natura sana & recta ratione ferociores esse lupis, ursis & serpentibus: atqui tamen in systemate Hobbii homines a natura sana & recta ratione his brutis ferociores essent: nam ea est animantium illorum natura, ut animal simile sibi diligat, nec unquam adversus propriam & consanguineam speciem desæviat. Ergo gratis & falso supponitur omnibus innatam esse lædendi voluntatem. Et sane in systemate Hobbii omnes homines sunt æquales quantum ad potentias naturales. Hinc in omnibus & singulis hominibus æqualis est lædendi & benefaciendi potestas; hinc in pluribus & a fortiori in omnibus hominibus collective sumptis major est illa potestas, quam in singulis distributive sumptis. Unde ut probaretur illam lædendi voluntatem esse homini innatam & a natura inditam, probari deberet illam eandem lædendi potestatem, licet compensatam, alia potestate æquali aut etiam majori in aliis hominibus lædendi & malum reddendi esse viro sapienti & prudenti motivum alios infeqnendi; deberet etiam probari potestatem benefaciendi, licet compensatam, alia potestate æquali aut etiam majori in aliis hominibus beneficium retribuendi non esse motivum sufficiens aliis benefaciendi: porro neutrum unquam evincetur. Constat enim majorem illam in aliis hominibus lædendi & benefaciendi potestatem esse juxta dictamen rectæ rationis motivum sufficiens viro sapienti abstinendi a malo inferendo & bonum præstandi.

2. Falso etiam supponitur homines avi-

avidius ferri naturaliter in dominationem quam in societatem. Ad hoc enim satis est quod nunquam probari possit dominationis cupidinem esse homini naturalem, e contra vero amorem societatis naturalem esse homini solidis constet rationibus. Atqui hæc duo certa sunt. 1. Probari non potest dominationis cupidinem esse homini naturalem. Nam ideo ex Hobbio dominationis illa cupido esset naturalis, quia imperii & dominationis idea prima homini occurreret: atqui falso supponit imperii & dominationis ideam primam homini occursuram esse. Nam idea illa nimium complexa est, & nimium multas alias importat & supponit ideas, ut prima homini occurrat. Quin immo hanc sane dominationis ideam præcederet propriæ existentiæ & proprii corporis cognitio, quam statim exciperet propriæ miseriæ, infirmitatis ac indigentiæ cognitio: ergo imperii & dominationis idea non prima homini occurrit. Ergo nec eam homini naturalem esse probat Hobbius. Et certe juxta Hobbium, prima & fundamentalis lex naturæ est quærendam esse pacem ubi haberi potest: ergo dominationis cupido, utpote paci inimica, naturalis esse non potest. Præterea fatente iterum Hobbio, in bello est mortis violentæ periculum præsens & perpetuum, vita solitaria indiga, brevis & bruta: atqui absurdum est vitam indigam & brutam, plenam mortis violentæ evidenti periculo, & hujus vitæ amorem esse homini naturalem. Ergò 1. probare non potest Hobbius dominandi cupiditatem esse homini naturalem. 2. Solidis constat argumentis amorem societatis huic naturalem esse. Ut enim naturalis sit homini societatis amor, satis est quod naturalia sint ipsi principia quæ ad societatem per se & sponte ducunt. Atqui homini naturalia sunt talia principia. Ad hoc enim satis est quod 1. amor erga alios homines naturalis sit homini. 2. Quod amor ille ad societatem per se & sponte ducat: atqui hæc duo vera sunt. 1. Amor erga alios homines homini naturalis est. Duo sunt enim præcepta naturæ alte impressa & rectæ rationi consanguinea, negativum unum, nempe: Quod tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias. Positivum alterum, scilicet: omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Hæc duo principia nobiscum sine nobis nascuntur & vivunt. Immo unumquodque animal diligit simile sibi nativa propensione. Ergo vi creationis & nativitatis in mutuum amorem propendemus. Ergo amor erga alios homines homini naturalis est. 2. Amor ille ad societatem per se & suapte ducit. Nam ex hoc amoris pondere homines ad mutuam communicationem feruntur; ex illa vero communicatione nascitur amicitia, & ex amicitia fœdus seu societas. Ergo mutuus ille erga alios amor per se & suapte ducit ad societatem. Ergo falso supponit, nec probare potest Hobbius, homines avidius ferri ad dominationem quam ad societatem. Hinc optime Cicero de Officiis, l. 1. „ Natura, inquit, vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem. „ 3. Male inde concludit & falso supponit, nec probare potest Hobbius nullam meliorem esse securitatis viam anticipatione. Nam, ex probatis, via anticipationis securitati & saluti hominum est opposita. Ergo etiam, si homines ad dominationem avidius ferrentur quam ad societatem, non sequitur eos ad eam dominationem ferri per tale medium, nempe via anticipationis. Tunc enim natura sui inimica propriam quasi ambiret destructionem. Ergo 2. sententia Hobbii falsis nititur suppositionibus.

CONCLUSIO V.

Systema Hobbii circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis mera est petitio principii, & perpetuo supponit id quod est in quæstione.

PRob. Sic enim decernit Hobbius: in statu naturæ unicuique licebat facere quæcunque lubebat; injuria nemini fieri potest nisi ei cum quo pactum initum est; prima & fundamentalis naturæ lex, quærendam esse pacem ubi haberi potest; Principibus universaliter & in omnibus, ac etiam contra conscientiam obe-

obediendum est : atqui in his omnibus perpetua est petitio principii. Vel enim hæc omnia vigent officia quia bona sunt & legitima ex natura sua & antecedenter ad pactum & conventionem, vel quia debentur & bona fiunt ex pacto & conventione: atqui neutrum dici potest quin supponatur id quod est in quæstione, ac proinde fiat petitio principii. Nam quantum ad primum, Hobbius definit jus libertatem utendi potentia sua ad suæ naturæ conservationem, & ex illa definitione concludit unicuique licuisse in statu naturæ quæcunque & in quoscunque facere. Jam vero 1. gratis supponit Hobbius jus nihil aliud esse quam libertatem utendi potentia & viribus suis; in hac juris notione ab aliis omnibus dissonat & discedit. 2. Gratis etiam supponit vigere aut unquam viguisse talem libertatem in statu naturæ. Dato enim, nec concesso, jus nihil aliud esse quam libertatem utendi potentia sua ad suæ naturæ conservationem, non inde sequitur, nec probat Hobbius libertatem illam viguisse in statu naturæ. Unicum enim quod hujus libertatis proferat argumentum, inde desumit, quod juxta eum ex necessitate naturali teneamur nobis cavere & aliis occurrere vi, dolo, &c. nec aliter velle facere possimus: atqui hoc illud ipsum est mera petitio principii & gratis supponitur: nedum enim ab Hobbio istud legitime astruatur, immo contrarium validis jam probavimus argumentis. Deinde inde supponit Hobbius, quod tamen negat, nempe existere aliquid justum ante quamlibet conventionem. Quantum vero ad secundum adhuc supponit id quod est in quæstione. Si enim ab Hobbio quæratur cur pactis standum sit, obligationem illam repetere non poterit ex pacto & conventione: nam nulla adhuc supponitur conventio; agitur enim de prima omnium conventione, de statu naturæ, qui quidem statûs omnem conventionem antecedit. Præterea rursus ab Hobbio quæreretur undenam teneamur ad servandam illam conventionem quæ ad pacta servanda nos obligat, & eo usque urgebitur quo usque reddat rationem ab omni conventione distinctam, quæ alia esse non poterit nisi rerum natura & essentia. Tolle enim omnem obligationem pacto & conventioni anteriorem, jam non magis a jure anticipationis desistere teneor, quam pacta inire; sublata omni obligatione quæ pactum & conventionem præcedat, jam probari non potest infidelitatem in promissis scelus esse potius quam furtum aut homicidium. Sicut enim libere in fœdera venio, sic libere ab iis recedere possum; & voluntas qua pactis sto juris ac dominii mei est, sicut voluntas qua pacta inivi. Unde sic breviter: vel pactis standum est ex conventione facta qua sancitum est pactis standum esse, vel pactis standum est independenter ab ulla conventione: atqui in utroque casu supponit Hobbius quod est in quæstione. Si enim pactis standum sit, ex conventione facta qua sancitum est pactis standum esse, jam aut nulla est obligatio pacta servandi, aut supponitur id quod est in quæstione. Ibi enim nulla est obligatio ubi nulla est obligatio firma & immobilis: atqui in præsenti Hobbii sententia nulla est obligatio firma & immobilis. Nam obligatio tunc unice oritur ex voluntate qua pactis standum esse promissum est; atqui talis voluntas non potest facere obligationem firmam & immobilem. Nam voluntas illa est libera tum ante, tum post initum contractum. Ergo in utraque temporum circumstantia idem & æquale remanet contrahendi jus in illam voluntatem. Ergo revocari & deponi potest illa voluntas. Ergo obligatio quæ nititur illa voluntate, & ab ea est indistincta, abdicari potest, libera est, nec firma & immobilis. Ergo ex hac parte supponit id quod est in quæstione. Si vero pactis standum esse contendat Hobbius independenter ab ulla conventione, ergo supponit per se bonum esse fœdera inire, & inita servare. Et certe fœdera illa ideo tantopere suadet Hobbius ut anticipationis ac belli universalis incommoda declinentur: ergo ipso fatente Hobbio, totius generis humani destructio, quæ nativus est ac germanus hujus fœtus, summum malum omnium judicio æstimata est, etiam ante inita pacta. Ergo rectæ rationi consentaneam societa-

rem omnes homines judicarunt. Societatem enim illam & contractus illos inire non potuerunt homines nisi quia perspectum omnes habuerunt contractus illos rationem habere medii, proportionis ac convenientiæ cum illis devitandis incommodis. Ergo proportionem illam habebant prædicti contractus antequam inirentur. Homines enim res supponunt non faciunt; eam contractibus quam antea non habebant proportionem conferre non potuerunt. Unde sic resumo. Ideo ex Hobbio homines pacta illa inire debuerunt, quia erant media humano generi conservando idonea & proportionata: atqui tales esse debebant illi contractus antecedenter ad pacta. Nam proportio illa iis inseri non potest ab hominibus, immo est ratio formalis & motiva qua inducti sunt homines ad illos eligendos contractus, ac proinde est anterior hominum electioni. Ergo legitimitas, ut ita dicam, illorum contractuum existere supponitur ante inita pacta; nam legitimitas illa nititur in prædicta contractuum illorum proportione cum generis humani conservatione. Ergo iterum supponit Hobbius quædam bona, quædam mala ex natura sua. Quod adhuc clarius patebit si ipsum audiamus sic statuentem: „ An „ Deus sit amandus, inquit, timendus „ & colendus, an de eo honorifice sen„ tiendum sit dubitari non potest; lex „ est naturalis pactis standum esse, le„ ges civiles esse observandas, modo non „ sint latæ in contumeliam Dei. „

CONCLUSIO VI.

Systema Hobbii circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis est omnino insufficiens.

PRob. Illud Systema est omnino insufficiens quod non plene & absolute continet omnia juris naturalis officia: atqui tale est systema Hobbii circa originem & distinctionem boni & mali moralis. Nam jus naturale potest spectari ex parte objecti, ex parte finis & ex parte mediorum quæ fini obtinendo conducunt: atqui nulla horum plene & absolute continet systema Hobbii. 1. Ex parte objecti. Objectum juris naturalis sunt officia erga Deum, nos ipsos & alios homines: atqui triplicis hujus generis officia non plene nec sufficienter exhibet Hobbianum systema. 1. Quantum ad officia erga nos. Ut enim quæ nobis debemus ad pactum & conventionem revocaremus, deberet pactum intercedere vel nobiscum, vel cum aliis hominibus: atqui absurdum est vel nos nobiscum, vel cum aliis hominibus pactum iniisse, quo nobis ipsis debita redderemus. Risu digna esset illa conventio qua consentiremus animi corporisque bono providere; a pacto enim recedere pro nutu possumus sicut illa inire; a certis quibusdam erga nos officiis temperare penes nos non est. 2. Quantum ad alios homines; sensus enim intimi benevolentiæ, gratitudinis & amoris non possunt adjudicari mero pacto. Nulla enim conventio aut lex eos imperavit, immo imperare potest. 3. Quoad Deum; tum quia multa sunt erga Deum officia quæ illo pacto fundari non possunt, tum quia pactum illud locum non habet ubi agitur de supremo ente; tum quia illud systema omnia nostra erga Deum officia non plene & absolute complectitur, & legitimum ac genuinum officiorum illorum fundamentum non exhibet: atqui tale est systema Hobbii circa officia nostra erga Deum. Vel enim officia illa fundarentur irresistibili Dei potentia, vel communi juris naturalis principio ab Hobbio assignato, nempe fœdere & conventione: atqui nihil horum dici potest. Non primum. Ut enim tunc adesset legitimum officiorum nostrorum fundamentum, potentia Dei irresistibilis deberet esse legitimum fundamentum obligationis in nobis & juris in Deo: atqui potentia irresistibilis talis non est. Obligatio enim innotescit & oritur ex motivis quibus mota voluntas judicat malum esse imperanti resistere. Porro recta ratio non proponit potentiam irresistibilem præcise ut tale motivum; ut patet in casu in quo ageretur de ente malo & malevolo. Tunc enim dictat ratio omnes nervos intendendos esse ut excutiatur jugum. Ergo nulla est tunc nobis obligatio proprie dicta ex potentia irresistibili præ-

cisse, ac consequenter nullum est jus in Deo. Nam obligatio & jus sunt duo correllata; & quemadmodum ex eo quod satis virium non habeam ad resistendum, non sequitur alterum jus habere me occidendi, sic nec sequitur me proprie obligari ad obedientiam & propriam perniciem; sicut enim jus nihil aliud est quam id quod recta ratio approbat, sic obligatio niti debet motivis a recta ratione approbatis. Ergo non potentia irresistibilis præcise, sed potentia a recta ratione approbata est legitimum juris & obligationis fundamentum. 2. Fœdus seu conventio non est legitimum fundamentum officiorum nostrorum erga Deum. Nam juxta Hobbium Leviath. cap. 13., „ passiones hominum peccata non sunt, neque quæ inde oriuntur actiones, quandiu, quæ illas prohibeat, potestatem nullam, qui faciunt, vident: neque enim lex cognosci potest, quæ non sit lata; neque ferri, quandiu in Legislatorem consensum non est. „ Atqui ex eodem Hobbio, lib. de Cive, cap. 2., §. 12., „ neque pacta cum Deo inire quisquam cum divina majestate potest, neque illi voto obligari, nisi quatenus visum illi est per scripturas S. substituere sibi aliquos homines qui auctoritatem habeant vota & pacta ejusmodi expendendi & acceptandi. „ Et cap. 15., eod. lib. §. 1. „ Neque etiam Atheos pro subditis Dei habemus, quia Deum esse non credunt, neque eos qui Deum esse credentes, eum tamen inferiora hæc regere non credunt. „ Ex his sic arguere licet. Passiones & earum actiones non sunt peccata quandiu ignoratur potestas quæ hæc prohibeat & in illam consensum sit per pactum; sed pactum illud iniri non potest, quin Deus & homines velint illud inire; sed antecedenter ad revelationem homines & præsertim Athei non cognoscunt Deum: ergo pactum cum eo inire non possunt.

2. Systema Hobbii non plene & absolute complectitur finem juris naturalis. Nam finis juris naturalis est felicitas vitæ: atqui hunc finem non plene assequitur systema Hobbii. Nam finem proponit vitæ & membrorum conservationem: jam vero potest quis miserrimus esse, & tamen vitam & membra sana ac integra habere.

3. Systema illud non plene complectitur media juris naturalis fini assequendo necessaria. Media enim illa sunt ex una parte via anticipationis, seu bellum omnium in omnes & deinde pactum seu conventio; ex altera vero sunt bona quæ Hobbius huic fini assignat; sunt res victui necessariæ. Porro media illa non sufficiunt. 1. Non sufficere viam anticipationis fatetur vel ipse Hobbius, & recurrit ad pactum. 2. Nec ipsum pactum sufficiens est, tum quia ad pactum cogi non possunt homines, tum quia posito illo pacto multa deesse possunt necessaria. Denique bona de quibus agit Hobbius non sufficiunt. Nam præter res illas victui necessarias, mundus in quo nascimur innumera alia nobis offert quibus ornatur & melius conformatur corpus nostrum; anima nostra excolitur, vividiorque gratitudinis sensus erga eorum auctorem procreatur: sed ideo adeo angustos juri naturali cancellos præfixit Philosophus ille, quod animam ultra viles & angustos hujus vitæ terminos excurrere non putaret.

COROLLARIUM ET CONCLUS. VII.

Distinctio Boni & Mali moralis non oritur ex pacto & conventione ad sensum Hobbii.

PRob. Illud systema est omnino rejiciendum quod sibi contradicit, quod falsis nititur suppositionibus, quod est mera ubique petitio principii, quod denique insufficiens est: atqui ex præcedentibus mox conclusionibus tale est systema Hobbii circa distinctionem boni & mali moralis. Ergo.

CONCLUSIO VIII.

Falsæ sunt notiones systematis Spinosæ circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis.

PRob. Notiones enim quibus nititur hæc Spinosæ sententia sunt potissimum notiones juris & potentiæ: atqui

falsæ sunt notiones illæ, tum juris, tum potentiæ. 1. Falsa est notio juris. Nam juris nomine intelligit Spinosa regulas seu vires & facultates secundum quas unumquodque individuum naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum: atqui hæc definitio falsa est. Nam allata definitio confundit jus cum potentia physica: atqui tamen hæc duo sunt valde diversa: nam illa sunt diversa quæ diversimode concipiuntur, diversæ sunt auctoritatis, ac diversa habent officia, denique diversæ sunt naturæ: atqui sic se habent jus & potentia. 1. Diversimode concipiuntur. Nam ex omnium conceptu, in communi sermone potentia ab omnibus concipitur ut qualitas physica, jus vero est qualitas moralis; potentia relationem dicit ad physicam corporis constitutionem & partium dipositionem. Jus vero ordinem dicit ad legem aliquam. Ergo diversimode concipiuntur. 2. Diversæ sunt auctoritatis ac diversa habent officia. Illa enim diversam habent auctoritatem, diversaque officia quorum unum alterum regere debet, alterum vero alterius imperio subjici debet: atqui ratio vires naturæ, id est, in sensu Spinosæ, appetitum seu cupiditatem regere, appetitus vero rationis imperio subjici debet. Nam appetitus naturam omnem pervertit, ubi imperium affectat, illius commotiones cæci sunt impetus; ergo appetitus dirigi & coerceri debet per aliquam legem quæ alia esse non potest nisi ratio. Ergo diversa sunt officia juris & potestatis. 3. Diversæ sunt naturæ. Nam per jus institutum naturæ humanæ, non intelliguntur præcise regulæ secundum quas homines ad agendum determinantur, sed regulæ secundum quas inviti agnoscunt se agere debere; non intelliguntur motiva electionis, seu motiva omnia voluntatem ad agendum excitantia, quæ sæpe militant adversus rationem; sed motiva approbationis. Hæc pertinent ad intellectum, sunt judicia rationis & dictamina conscientiæ, quæ ita sancta sunt ut nullis possint corrumpi præmiis, quorum tanta vis est, ut eam vel inviti experiamur. Hæc omnia exemplo illustrari possunt. Si brutum aliquod animal illecebra inescatum in apertam ruat perniciem, juxta naturam suam agit, quia sine ulla reflexione & providentia naturalem secutum est propensionem. At vero si animal sagax & providum, ut est homo, in prævisam ruinam rapi se patiatur, humano jam non aget modo: atqui tamen utrunque animal illud sive rationale, sive irrationale æquales habet vires, nec æquale jus habet. Ergo jus & potentia distinguuntur. Ergo falsa est notio juris. Et certe supponit hæc definitio homines ad unum determinatos esse a natura & jus cadere in entia sic determinata: atqui utrunque falsum est. Hominis enim libertas unicuique constat tum sensu intimo, tum evidentia. Deinde evidens est jus cadere tantum in actus liberos, quia, ex dictis, relationem dicit ad aliquam legem, & lex cadit tantum in actus liberos. Ergo iterum falsa est notio juris. 2. Falsa est notio potestatis. Nam potestas naturæ, juxta Spinosam, est ipsamet Dei potestas: atqui falsa est notio ista: in tantum enim vera esset ista notio in quantum vel Deus esset natura ipsa, vel in quantum Deus totam potentiam suam naturæ communicasset. Atqui neutrum dici potest. Non primum. Ideo enim juxta Spinosam, Deus esset natura ipsa, quia natura hic esset collectio omnium entium, & Deus esset eadem illa collectio: atqui falsum est Deum esse omnium entium collectionem. Ut evidens est & probant alibi Theologi. Ergo Deus non est natura ipsa. 2. Suam potentiam totam non communicavit naturæ. Nam ex mox dictis, natura, id est juxta Spinosam, omnium entium collectio, distincta est a Deo: ergo vel duo admittenda essent entia summa, ac consequenter duæ substantiæ, quod negat Spinosa: vel Deus partem tantum potentiæ suæ naturæ communicavit, & tunc potestas naturæ nullo sensu est aut dici potest Dei ipsiusmet potestas. Ergo falsa est notio potestatis in systemate Spinosæ. Ergo 1. falsæ sunt notiones ab eo allatæ.

CON-

CONCLUSIO IX.

Falsa sunt principia systematis Spinosæ circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis.

PRob. Hæc sunt enim Spinosæ systematis principia. I. Natura ex se jus habet in omnia quæ potest. II. Ex lege naturæ invariabili unumquodque individuum omni ope atque opera eniti debet ut in eodem statu permaneat, nullo ad alios habito respectu. Atqui hæc duo principia falsa sunt. I. Quidem. Jus enim absolutum omnium in omnia repugnat, ex dictis ubi Hobbium confutabamus. Et certe ex illo Spinosæ principio sequitur absurdum, nempe, minores & viribus inferiores vere & proprie loquendo obligari ad majorum & potentiorum patiendam violentiam; quod absurdum est. Nam minores illi jus habent, saltem aliquod, etiam in principiis Spinosæ, in propriam vitam; habent enim cupiditates, habent aliquam potestatem; quin immo in systemate Spinosæ potestas cujuslibet individui est Dei ipsius potestas. Ergo quodlibet jus habet absolutum in propriam vitam, &c. Ergo non potest supponi vere & proprie loquendo obligatus ad patiendum vitæ exitium. Ergo falsum est primum istud Spinosæ principium. Falsum est etiam secundum, nempe ex lege naturæ unumquemque omni ope atque opera eniti debere ut in eodem statu permaneat nullo ad alios habito respectu. Nam legem naturæ & naturam ipsam intelligit Spinosa vel suo, vel nostro sensu: atqui utroque sensu falsum est istud principium. I. Sensu Spinosæ. Nam juxta Spinosam lex, seu jus est potestas, seu facultas naturalis; natura autem est omnium entium collectio. Unde Spinosæ sensu eo reducitur hoc principium: ex potestate omnium individuorum collective sumptorum, unumquodque individuum eniti debet ut in eodem statu permaneat nullo ad alios habito respectu: atqui principium istud sic expositum falsum est. Vel enim per illud principium vult Spinosa potestatem totius collectionis totam & integram esse in quolibet individuo, vel intelligit potestatem cujuslibet individui partem & portionem esse potestatis quæ est tota in collectione & ab ea derivari. Si primum, jam potestas cujuslibet individui æqualis est potestati totius collectionis; quod ita absurdum est ac si diceretur unumquodque individuum esse ipsammet collectionem; aut ipsi æquivalere & partem esse toti suo æqualem. Si secundum. Jam collectio majorem debet potestatem quam quodlibet individuum; ac proinde quodlibet individuum prospicere debet ne potestatis suæ limites excedat, ne tantam usurpet vel quantam habet tota ipsa collectio, vel quantam habet aliud individuum. Ergo respectum debet habere sive ad collectionem ipsam, sive ad alia individua: alias propriæ destructionis periculo evidenter se exponeret. Ergo etiam in sensu Spinosæ falsum est istud secundum ejus principium. 2. Falsum est nostro sensu. Tunc enim eo devolvitur hoc Spinosæ principium: ex recta ratione unusquisque eniti debet ut in eodem statu permaneat nullo ad alios habito respectu: atqui hoc sensu intellectum istud principium evidenter falsum est. Nam ex lege naturæ sic intellecta homo ad societatem destinatus est; ex lege naturæ homo similes sibi diligere debet. Supponamus itaque aliquem in eo statu esse qui bono publico opponatur: atqui in ista hypothesi falsum est unumquemque in eodem statu permanere posse nullo ad alios habito respectu: tam certum est enim bonum privatum publico cedere debere, quam certum est partem toti prævalere non posse. Ergo homo ille saltem ad societatem respectum habere debet. Ergo falsa sunt Spinosæ principia.

CONCLUSIO X.

Falsa sunt consectaria systematis Spinosæ circa originem & distinctionem Boni & Mali moralis.

PRob. Duo enim ex principiis a se positis concludit Spinosa. I. Ex eo quod jus, id est, potestas naturæ sit potestas, id est, jus omnium individuorum colle-

ctive sumptorum, concludit unumquodque individuum jus habere absolutum in omnia. 2. Ex illa inviolabili lege qua unusquisque eniti debet ut in eodem statu permaneat nulla aliorum habita ratione, concludit Spinosa unumquodque individuum jus absolutum habere operandi eo modo quo a natura determinatum est: atqui falsa sunt ista consectaria. 1. Ex eo quod potestas, seu jus naturæ sit potestas omnium individuorum collective sumptorum, non sequitur jus omnium & singulorum individuorum in omnia. Nam potestas naturæ est potestas individuorum sub eo respectu sub quo natura unum & idem est cum illis individuis: atqui natura est quidem ipsa individuorum collectio, & cum ea collectione unum & idem est: at in systemate Spinosæ natura non est unumquodque individuum, nec unum & idem cum singulis individuis. Ergo nec potestas seu jus naturæ sit potestas seu jus uniuscujusque individui. Ergo dato etiam, non tamen concesso, quod potestas naturæ sit potestas individuorum collective sumptorum, non sequitur jus illud omnium in omnia. Et certe illa consequentia falsa est, quæ dato etiam principio absurditatem involvit: atqui dato quod potestas naturæ sit potestas individuorum collective sumptorum, absurdum est singulis individuis competere jus absolutum in omnia. Absurdum est enim unumquodque individuum toti collectioni æquale esse, immo aliquo sensu ei præstare, sicut absurdum est partem toti æqualem, aut ipso majorem esse: atqui dato etiam quod potestas naturæ sit potestas omnium individuorum collective sumptorum, jam jus omnium singulorum in omnia admitti non potest quin unumquodque individuum toti collectioni par & æquale fiat, immo ipsi aliquo sensu præstet. Nam ex eo quod potestas naturæ sit potestas omnium individuorum collective sumptorum, nihil majus habet tota collectio quam jus absolutum in omnia: at pariter juxta Spinosam ex eo quod potestas naturæ sit potestas omnium individuorum collective sumptorum, singula individua jus habent absolutum in omnia. Ergo tantum habet unumquodque individuum quantum habet tota ipsa collectio: ergo unumquodque individuum toti collectioni æquivalet: immo hinc ipsimet collectioni præstat. Ergo absurdum involvit Spinosæ consequentia. Ergo falsa est prima ista consequentia.

2. Falsa est altera consequentia, nempe ex inviolabili lege qua unumquodque individuum statum suum servare debet nullo ad alios habito respectu, falsum est individuum illud jus summum habere agendi eo modo quo a natura determinatum est. Illa enim consequentia falsa est quæ aut identica est cum principio suo, aut cum eo nullam habet connexionem: atqui talis est præsens hæc consequentia. Dum enim dicit Spinosa unumquodque individuum determinatum esse a natura, vel intelligit naturam particularem hujus individui, vel ut fert ejus systema & primaria ejus notio, intelligit omnium entium collectionem: atqui utrovis sensu intelligatur consequentia, aut cum principio suo identica est, aut nullam cum eo dicit connexionem. Si enim per naturam intelligatur omnium entium collectio, jam eo recidit hæc propositio: unumquodque individuum jus absolutum habet agendi eo modo quo a collectione omnium entium determinatum est, quia ex potestate omnium entium collective sumptorum eniti debet ut in eodem statu maneat, id est, ut determinationem suam exequatur nullo ad alios habito respectu: atqui manifestum est consequentiam illam cum principio identicam esse. Nam status ille nihil aliud esse potest apud Spinosam nisi inclinatio seu potestas & instinctus quo, v. gr. majores pisces minores comedunt. Nisus ille est desiderium, cupiditas & inclinatio; & cum natura sit omnium entium collectio, potestas vero naturæ sit potestas totius hujus collectionis, jam a tota collectione unumquodque individuum ponitur in suo statu, id est, in sua determinatione. Unde sic Spinosa concludit unumquodque individuum habere jus absolutum agendi eo modo quo a natura determinatum est, ex eo quod eniti debeat permanere, id est, ex eo quod jus ha-

habeat permanendi in suo statu nullo ad alios habito respectu: atqui si per naturam intelligatur collectio omnium entium, jam consequentia principio est identica. Nam jus quod exercetur, nullo ad alios habito respectu & jus absolutum, sunt quid unum & idem: sed nisus ad permanendum in suo statu, idem prorsus est ac jus agendi eo modo quo a natura determinatum est. Nam permanere in suo statu nihil aliud esse potest in principiis Spinosæ quam sequi determinationem a natura, id est, a tota entium collectione inditam: sed nisus ad permanendum in suo statu, idem est ac jus apud Spinosam; nam juxta Auctorem illum, jus oritur ex cupiditate & potentia; nam nisus ille & cupiditas sunt quid unum & idem: ergo consequentia est principio identica. Si vero intelligatur natura particularis uniuscujusque individui, jam consequentia nullam cum principio habet connexionem. Ut enim unumquodque individuum jus absolutum habeat operandi eo modo quo a natura determinatum est, eo ipso quo ex potestate naturæ eniti debet ut in eodem statu permaneat nullo ad alios habito respectu, potestas naturæ, id est, totius omnium entium collectionis, deberet esse potestas cujuslibet individui, eo ipso quo ex potestate naturæ unumquodque individuum eniti debet ut in eodem statu permaneat: atqui dato, non concesso, unumquodque individuum ex potestate naturæ eniti debere ut in eodem statu permaneat, &c. non inde potestas totius collectionis est potestas cujuslibet individui; sequitur tantum unumquodque individuum habere partem potestatis, quæ est tota in collectione, proportionatam statui servando. Ergo conclusio latius patet quam principium. Ergo nullam cum eo habet connexionem. Et certe conclusio illa etiam hoc sensu sumpta adhuc videtur cum suo principio identica. Nam manifestum est quod unum & idem sit jus absolutum agendi juxta modum a natura particulari determinatum, & jus permanendi in suo statu, id est, in determinatione particulari nullo ad alios habito respectu. Evidens est enim quod jus absolutum, & jus nullo ad alios habito respectu sint quid unum & idem. Præterea determinatio illa de qua hic habet Spinosa, est determinatio necessaria, est determinatio ad unum: jam vero, ut optime notat Grotius, juris proprie capax non est nisi natura rationalis & libera. Ergo falsæ sunt Spinosæ consequentiæ; aliunde falsa sunt ejus principia, falsæ sunt ejus notiones; ergo Spinosæ sententia non est admittenda.

CONCLUSIO XI.

Justi & injusti origo reperi non potest ex cupiditatibus & potestate ad sensum Spinosæ.

PRob. Illa sententia non est admittenda cujus falsæ sunt notiones, falsa principia, falsa denique consectaria: atqui talis sententia Spinosæ ex præcedentibus modo conclusionibus. Ergo.

CONCLUSIO XII.

Antecedenter ad quodlibet Decretum Dei positivum & liberum distinguitur Bonum & Malum morale.

PRob. 1. Bonum & malum morale differunt ante arbitrarium quodlibet Dei decretum, vel omnes actiones antecedenter ad illud decretum sunt indifferentes. Jam vero posterius repugnat. Antecedenter enim ad quodlibet positivum Dei decretum existit recta ratio; vel ergo actiones huic rectæ rationi conformes sunt, vel sunt difformes. Si posterius: jam malæ sunt. Tunc enim homo agit contra propriam naturam, seipsum dehonestat, ac infra belluarum conditionem deprimit; quæ omnia sane mala esse nemo negaverit. Si rectæ rationi conformes sunt, jam bonæ sunt; tunc enim homo agit juxta naturam suam. Ergo omnes hominis actiones non possunt esse indifferentes antecedenter ad decretum Dei positivum. Et sane conformitas & difformitas actionis alicujus cum recta ratione non magis pendet a Deo libere volente quam ipsiusmet rectæ rationis constitutio: atqui rectæ rationis constitutio non pendet a Deo libere volente. Ergo nec bonum aut malum morale.

Prob. 2. Independenter a revelatione nullus est qui prima morum principia non detegat : ergo independenter a libera & positiva Dei voluntate eadem vigent principia . Namque sicut necessaria est revelatio ut libera Dei decreta detegantur, sic quæ independenter ab illa revelatione cognosci possunt , independenter a positiva Dei voluntate existunt. Ergo.

Prob. 3. Ex opposita sententia sequerentur absurda . Sequeretur enim Deum ex æquo sui amorem & odium , blasphemiam & sui nominis reverentiam , cultum suum & idolorum prohibere aut jubere potuisse: quæ omnia absurda sunt . Seipsum enim negare non potest Deus. Præterea Deus ex una parte in ista hypothesi odio haberetur ; hoc enim supponitur . Ex altera vero diligeretur : nam odium illud ex Dei præcepto & reverentia præstaretur. Quod iterum absurdum est. Ergo.

Denique essentiæ rerum sunt immutabiles ; tales sunt antecedenter ad quodlibet decretum Dei liberum : jam vero ex dicendis conclus. seq. bonum inter & malum distinctio in ipsismet rerum essentiis fundatur ; nimirum in relationibus ac proportionibus Dei & hominis naturæ ac constitutioni intrinsecis . Ergo.

CONCLUSIO XIII.

Bonum & Malum morale ex natura sua differunt.

PRob. Vel discrimen illud oritur ab utilitate, aut ab opinione ; vel ex pacto juxta Hobbium, vel a cupiditatibus junctis cum potestate , ad sensum Spinosæ , vel ex libera Dei voluntate , vel denique ex rerum natura : atqui quinque priora jam repulimus : ergo solum posterius est admittendum.

Prob. 2. Certum est inter varias quantitates physicas variosque numeros dari ex rei natura quasdam relationes ac proportiones quibus fit ut æquales sint vel inæquales , majores vel minores . Jam vero tam certum est rebus ipsis inesse quasdam diversas proportiones, differentias & relationes, quam certum est datam aliquam magnitudinem aut minorem aut majorem esse assignata aliqua alia magnitudine . v. gr. Tam certum est Deum homini præcellere, quam certum est numerum binarium unitate, aut tabulam decupedalem exapedali majorem esse . Porro ex illa relationum diversitate inter res ipsas aliqua necessario oritur convenientia vel disconvenientia , ex qua sequitur magnitudines alias aliis convenire, alias aliis disconvenire. Jam vero sicut inter res variæ exurgunt proportiones, sic inter personas , seu entia intelligentia & eorum facta , seu actiones nascuntur quædam relationes morales ; & quemadmodum ex diversitate relationis inter res nascitur in illis convenientia , vel disconvenientia ipsis intrinseca , ita etiam ex diversitate relationis inter personas oritur diversa convenientia, varia circumstantiarum applicatio , & quidem rebus ipsis intima ac essentialis . Ergo & quædam officia ex natura rerum ipsarum . Sic ex. gr. tam clarum est Deum esse homine infinite superiorem , quam clarum est infinitum puncto majus esse. Tam clarum est autem hominem pendere a Deo & ipsi inferiorem esse , quam clarum est Deum homini infinite præcellere. Denique hominem aliqua Deo debere æque evidens ac certum est, ac constat ipsum a Deo pendere : ergo officia illa hominis erga Deum in ipsismet rerum essentiis nituntur . Ex illa enim Dei infinitudine nascitur diversa relatio : ergo relatio illa est Deo intrinseca sicut relatio inter numerum binarium & unitatem ipsis intrinseca est, & sicut Deus ex natura sua infinitus est & hominem superat, nec illa superioritas aut infinitudo pendet a conventione, v. g. aut a divina voluntate libera ; sic officia quæ ex illa superioritate ac infinitudine homini incumbunt, nituntur tum Dei, tum hominis natura.

Prob. 3. Dantur judicia speculativa vera ex natura sua: ergo dantur & judicia practica vera ex natura sua. Ideo enim speculativa vera sunt ex natura sua, quia fiunt juxta regulas in ipsamet rerum natura positas , eorumque cum suis objectis convenientia in rerum essentiis ac idearum intuitu fundatur: atqui

qui pariter regulæ ad quas componuntur judicia practica in ipsisinet rerum essentiis fundantur. Sicut enim in idearum intuitu hæc fundantur judicia: Deus homini, mens corpori, homo belluis præcellit; sic eodem idearum intuitu innituntur & ista practica: Deus homini, homo belluis, mens corpori, anteponi debet; ita ut si Deum minus homine, corpus magis quam mentem diligamus, ita absurda judicia practica agimus, ac si Deum homini, mentem corpori non præstare aperte assereremus. Uno verbo; tam verum est Deum esse præ ceteris amandum, v. gr. quam verum est Deum esse summe bonum, vel totum esse sua parte majus: ergo vera sunt ex natura sua. Sed veritas illorum principiorum est eorum distinctio: ergo distinguuntur ex natura sua.

COROLLARIUM.

Principia moralia vim Legis habent per se, id est, hominem obligant etiam non habita ratione arbitraria Dei voluntatis.

PRob. 1. Ex probatis, antecedenter ad liberam Dei voluntatem datur disconvenientia, vel convenientia in rerum essentiis fundata: atqui convenientia illa qua talis & per se obligat. Nam convenientia illa eo ipso quo est rebus intrinseca, jam actus humanos per se afficit, eos determinat & ad certum finem dirigit; eo ipso quo actus humanos ad certum finem dirigit, & libertatem ad hos potius quam ad alios actus eligendos & exercendos determinat, jam humanam libertatem restringit: ergo cum convenientia illa sit per se, jam per se determinat, per se restringit, per se obligat.

Prob. 2. Ex probatis veritas principiorum moralium eadem est, eodemque nititur fundamento ac veritas principiorum speculativorum: ergo eodem jure tenemur ad agendum juxta morum regulas, quam juxta Logicæ leges ratiocinari tenemur. Ergo sicut independenter ab arbitrari Dei voluntate vera ac ineluctabilis urget obligatio juxta primi generis principia ratiocinandi, sic independenter ab eadem Dei voluntate positiva, vera adest nobis obligatio actus nostros componendi ad normam principiorum secundi generis.

Prob. 3. Vera nobis incumbit obligatio agendi cognita Dei voluntate, fatente Puffendorfio: ergo & ante eam cognitam. Non enim in prima hypothesi ad obedientiam tenemur, nisi quia ratio dictat voluntati divinæ parendum esse. Nulla enim alia tunc obedientiæ ratio afferri potest. Ex his omnibus sic concludo. Ultima ratio quæ reddatur cur talis propositio sit vera, non est Dei voluntas libera & positiva. Nec etiam a pari positiva Dei voluntas est ultima ratio cur talis actio sit bona; cur denique obligationem inducat. Nec in hoc magis divina restringitur potestas, quam ex hoc quod ad impossibilia non extendatur.

Obj. 1. Discrimen bonum inter & malum morale stabilitur ex affectibus qui nobis intimi sunt, qui virtutem nobis exigunt, & vitio adversantur a quorumque domini non sumus: atqui pariter in nobis reperiuntur alii affectus oppositi, nobis pariter intimi, qui ad vitium impellunt, virtuti contrariantur, quorum denique domini non sumus, v. gr. affectus dominationis, gloriæ, iræ, divitiarum; quantumvis enim enitamur tales propensiones e corde nostro avellere, ab illis desistere penes nos non est. Ergo concludere esset ex illa probatione hominem tam ad vitium quam ad virtutem a natura inclinari: ergo inde non evincitur discrimen illud esse a natura.

R. dist. min. Affectus illi sunt naturales quantum ad substantiam: c. Quantum ad gradus, subd. quantum ad certum quemdam gradum: c. Omni gradu: n. Itaque propensiones quæ ad vitium alliciunt, sub duplici respectu attendi possunt, quantum ad substantiam nempe, & quantum ad gradum. Quantum ad substantiam, sunt affectus in se considerati, id est, præcise quatenus sunt inclinatio & propensio versus bonum sensibile. Quantum ad gradum vero sunt iidem affectus considerati quatenus vigent tali, vel tali gradu; ver. gr. cum deordinatione; vel quatenus vividum sui sensum faciunt. Equidem

dem affectus illi sunt naturales quantum ad substantiam, id est, quatenus sunt propensio ad bonum sensibile, immo quantum ad certum quendam gradum, nempe quantum ad vividum quem sui faciunt sensum; non tamen naturales sunt omni gradu considerati, & etiam ubi vigent cum deordinatione. Nam affectus illi nobis a natura dati sunt ut propriæ conservationi invigilemus, & in bonum publicum ardentius exardescamus. His affectibus certos quosdam limites præfixit recta ratio huic fini obtinendo non incompossibiles; quibus si limitibus contineantur illi affectus, immo si ultra gradum intento huic fini debitum non excurrant, naturales dici possunt & debent. Qua parte naturales sunt, eos omnino abolere non possumus. Sic, v. gr. nullam cibi famem habere penes nos non est. At vero si præscriptos illos sibi limites perrumpant illi affectus, naturales non sunt, comprimi & corrigi possunt & debent. Ex probatis enim virtutem inter & mentem nostram adest proportio naturalis, id est, in virtutis & mentis natura fundata; ergo affectus qui ad vitium alliciunt, naturales esse non possunt; ergo sunt corrigendi.

Obj. 2. Quod naturale est, ab omnibus cognoscitur, universale est & idem apud omnes, ab ipsa mentis origine nobis concretum, in omni ætate, loco & tempore constans est ac uniforme: porro talis non est notio ac distinctio boni & mali moralis: sunt enim gentes integræ quæ easdem ac nos non habuerunt notiones; immo contrarias tenuerunt. Sic, v.g. legimus apud Herodotum Scythas sanxisse de advenis trucidandis, Massagetas vero legem tulisse de mactandis senioribus, ac ætate confectis parentibus. Idem circa ægrotos parentes præstabant Padæi. Ergo.

R. 1. n. maj. Non omnino enim verum est, id quod naturale est, actu semper & de facto a prima sui origine cognosci, aut esse universale, ac omnino constans & uniforme. Sunt enim plura a natura indita quæ non nisi post certas temporum periodos explicantur ac manifesta fiunt. Sic arbores non statim folia, flores, & fructus producunt; attamen fructus illos arbori proprios ac naturales esse quis neget? Item naturale est malo aureo mala aurea ferre; at si plantetur in Septentrionalibus Europæ partibus non germinabit, folia non induet, fructus nullos, nullos flores dabit. Obstat scilicet aeris temperies, loci disproportio. Ita a pari principia moralia naturalia sunt; etiam si daretur omnimodam universitatem illa non obtinere duplici de causa. 1. Quidem quia principiorum illorum germen non quidem radicitus tollunt, sed aliquatenus præfocant & adurunt vel sophismata, vel cupiditates. Hic ergo maxime distinguenda est natura sana a corrupta; seu potius status homini naturalis a statu cujusdam stupiditatis aut corruptionis in quem incidit vel vitiorum ac cupiditatum æstu abreptus, vel sophismatum ac præjudiciorum fuco delusus, vel horum omnium impedimentorum concatenatione irretitus. Quid altiori natura infixum magis quam vel paternus erga filios, vel filiorum erga parentes, vel etiam sui ipsius amor. Attamen nonnullos reperire erit qui jura ista temerarunt, vel iniqua cupiditate, vel pravo animi motu perciti, vel stulta ac inani spe delusi. 2. Notiones justi & injusti naturales eo sensu non dicimus quasi actu & proprie loquendo a natura imprimerentur insculperenturque ad eum fere modum quo sigilla ceræ, vel characteres chartæ imprimuntur: sed hoc unum nobis inde volumus, homines nempe ita a natura factos ac comparatos esse, ut, si modo ratione recte utantur, debitamque adhibeant attentionem, vel sine ullo prævio discursu, vel saltem cum facillimo, notiones illas deprehendere valeant. Natura quidem earum semina nobis inseruit, his colligendis nos composuit; ea tamen lege ut non aliter quam observatione, meditatione ac studio in actualem earum cognitionem deveniremus. Naturalis utique visus, sed ad quid utilis si clausi perseverent oculi?

R. 2. dist. maj. Quod naturale est, est universale quantum ad prima principia: c. Quantum ad conclusiones remotas, & principiorum ad omnes casus particulares applicationem: n. Diversi-

tas quæ hic objicitur est tantum quoad conclusiones remotas, aut potius quoad principiorum determinationem & applicationem ad certos casus particulares, quam applicationem non ita firmiter, aut universaliter docet natura. In exemplis allatis manifestum est integra stetisse apud illos Populos prima principia, quantum ad eorum substantiam, sed erraffe in eorum applicatione. Sic, v. g. Scythæ putabant, quod verum est, hostes & insidiosos exploratores Patriæ licite occidi posse, sed simul etiam omnes advenas ut inimicos & hostes habebant. In hoc eorum error; in hoc perperam principium applicabant. Sic etiam ratiocinabantur tum Padæi, tum Massagetæ: illud omne bonum parentibus procurandum est quod possumus: sed parentibus aut ægrotis, aut senio confectis mors est bonum, est enim dolorum finis; ergo mortem iis procurare debemus. Iterum dico; sanum principium, insana ejus applicatio.

R. 3. n. min. Ad probationem dico non semper jurandum in verba viatorum; multa enim a veritate aliena sæpe sæpius referunt itinerum scriptores. Nimiæ credulitatis suspicionem non fugit apud omnes vel ipse Herodotus. Quid non de Judæis, quid non de Christianis mentiti sunt Romani Historici!

Hinc R. 4. Esto totum. n. alter. conseq. Principia enim moralia sunt totidem regulæ quarum veritatem quilibet detegere potest, modo ratione sua utatur. Dato ergo, non concesso, quod illud solum sit naturale quod actu est universale; dato etiam principia illa non esse universalia, sed plurimos homines, immo gentes integras iis non attendisse, nihil inde. Sequitur enim tantum notiones illas cupiditatibus præfocari posse, non vero falsas esse. Etiam si natio integra ignoraret tres angulos trianguli duobus rectangulis æquales esse; staret nihilominus hujus axiomatis veritas. Ergo a pari etiam si gens integra ignoret promissis standum esse, istud non minus & verum & certum esse & manere debet. Præterea supponit hæc objectio nullum esse legis naturalis principium quod impugnatum non fuerit non solum ab aliquibus privatis, sed etiam ab integris populis, quod falsum esse evincit Cicero, l. 1. de Leg. „ Quæ natio in„ quit, non comitatem, non benigni„ tatem, non gratum animum & be„ neficii memorem diligit? Quæ super„ bos, quæ maleficos, quæ crudeles, „ quæ ingratos, non aspernatur, non „ odit? „

Ceterum rara sunt admodum & paucissimo numero illa in moralibus portenta, nec majoris sunt ponderis quam in physicis monstra. Fuerunt olim populi qui non nisi ad numerum denarium calculos ducere poterant; quod sane non contigisset si ingenium vel non tam hebes a natura accepissent, vel propria industria acuissent. Non ergo decet ex illis efferatis gentibus, quæ vix humani aliquid referunt, nisi formam, totum humanum genus æstimare.

Inst. Ex concessis errarunt illi populi circa primorum principiorum applicationem. Ergo erra:unt circa ipsamet principia. Nam in casu præsenti ubi agitur de occidendo aliquo, applicatio primorum principiorum est bonum & malum physicum. Ergo errarunt circa distinctionem inter bonum & malum physicum: sed inter bonum & malum morale non est major distinctio quam inter bonum & malum physicum. Ergo eo ipso quo errarunt circa bonum & malum physicum, errarunt etiam, aut saltem errare potuerunt circa bonum & malum morale.

R. n. ad prob. dist. errarunt circa bonum & malum physicum relative: c. absolute: n. quando Scythæ senio confectos parentes morti devovebant, non judicabant mortem esse bonum physicum absolute, sed relative ad statum quorundam hominum quibus vita doloribus plena malum putabatur, mors vero, utpote miseriarum privatio, bonum judicabatur.

Inst. Non solum apud barbaras gentes, sed etiam apud nationes & inter viros excultioris ingenii hujuscemodi viguere opiniones, scilicet Athenis, Romæ, &c. Nec apud vulgus, sed inter tot tantosque viros, inter Philosophos in rerum divinarum investigatione & requirendis moralis doctrinæ fontibus assiduos ac versatissimos, quos varias in

partes oppositæ diviserunt sententiæ. Sic Carthaginenses liberos suos Diis immolabant; Athenis vigebat Ostracismus quo vel justiores exilio exponebantur. Apud Lacædemonios furtum Lex industriæ exercendæ causa permittebat, adulterium vero ut elegantes pueros haberet societas.

R. Juxta distinctionem & responsionem jam allatam illam opinionum varietatem vel non versari directe ac immediate circa prima principia nude spectata, vel oriri ex insufficienti consideratione. In exemplis modo prolatis adsuut ex una parte primaria quædam principia servata, quædam vero violata. Undenam orta fuerit illa confusio assignare haud operosum. Oritur nempe ex difficultate principia inter se conciliandi & ad particulares casus applicandi. Non astruunt Lacædemoniani adulterium esse per se licitum, aut indifferens; sed cum ex una parte elegantes ac robustos numerososque cives publicæ utilitati multum conducere perciperent, ex altera vero publicæ utilitati impense consulendum esse scirent, illudque amplectendum quod in publicam utilitatem cedit; hinc concludebant legitimum esse adulterium in tali circumstantia. Mutatam scilicet putabant tunc adulterii materiam, sicut in gravi necessitate mutatur materia furti, sicut etiam mutatur in homicidio publica auctoritate facto. Et sic de ceteris allegatis. Deinde hoc oriri potest ex insufficienti attentione. Gentes illæ sese excoluerant circa artes & scientias, non satis fortasse circa moralia. Quantum vero ad Philosophos plerunque inter se non disceptabant inter se nisi de rebus abstrusioribus & difficillimis.

Inst. Atqui etiam circa prima principia disceptarunt Philosophi. Nam v. g. Pyrrho cum numerosa Scepticorum turma nihil ratum, nihil fixum esse statuebat. Epicurus ad utilitatem omnia jura revocabat. Alii omnia ferrea necessitate constricta volebant. Ergo.

R. Hæc nihil evincere. In graves quidem, in putidos errores impegit Pagana Philosophia, eoque lubentius illud fatemur quod legis naturalis insufficientiam hæc Philosophorum inscitia in propatulo ponat. Certum nihilominus est unumquenque quo magis probus, quo in investiganda morali magis sedulus fuit, eo oculatiorem fuisse in detegendis principiis, eoque promptiorem in iisdem amplectendis. Hinc pro ingenii sagacitate, pro studii exercitio, denique pro temporum successu plurima recognita sunt; statimque intellectis argumentis prior rejectus est error. Manifestum hoc sane indicium est homines non tales nasci, nec tales opiniones ex usu rectæ rationis provenire. Et sane illa Philosophos inter opinionum varietas non ex scientia aut studiosa veri inquisitione emanabat, sed ex quadam aut singularitatis ac contrarietatis affectatione, aut novitatis insana prurigine, aut improba ac effrænata cordis perversitate, aut ex nimia denique ingenii levitate ac inconstantia. Sic, v. g. Lucretius suum opus conscripsisse se fatetur, eo consilio ut homines ab omni metu liberos faceret. Denique argumentum illud, quantum ad Pyrrhonianos, nimium probaret, scilicet nihil esse certi etiam in speculativis.

Obj. 3. Illa distinctio non est admittenda quæ temere præconceptæ opinionis fœtus est: atqui talis est distinctio inter bonum & malum morale: ergo non est admittenda.

R. n. min. Conscientia enim ex tribus illis judiciis quasi coalescit quæ errori aut præjudicatæ infantiæ vel educationi dari non possunt. 1. Deum actiones hominum, ut in se sunt, videre. 2. Quasdam actiones esse malas. 3. His aliquam deberi pœnam. Naturale enim nobis est Deum credere actionum nostrarum ac cordis nostri oculatum testem. Admissa enim semel ejus existentia, ejus scientia negari non potest. Ergo si semel actiones illas cognoscat, certe eas quales in se sunt attingit. Ergo cum sint inter se oppositæ, inter eas discernit. Ergo malas ut malas cognoscit & improbat. Naturale etiam nobis est quasdam actiones malas concedere, v. gr. blasphemiam, homicidium, &c. Unusquisque enim natura duce admittit principia quæ his actionibus violantur. His sceleribus perpetratis, homo timet, seipsum incusat & reprehendit. Timor ille non potest dici temere præ-

præconceptus; nam nativa consequentia ex duobus aliis judiciis evidentibus sequitur. Naturaliter denique fatemur his vindictam deberi. Naturaliter enim sententiam ferimus in eos qui talia admittunt scelera. Et certe ex probatis distinctio inter bonum & malum morale, saltem quantum ad prima principia unanimi populorum consensu firmatur: atqui consensus unanimis non potest esse opinio temere præconcepta. Ergo.

Inst. Principiorum illorum notio vel innata est, vel acquisita. Non primum; est enim aut absurdum, aut incertum, aut inintelligibile. Si enim sunt innati illi sensus, cur saltem in aliquibus desiderantur? Si secundum, ergo ab educatione.

R. Et dico notiones illas innatas simul esse & acquisitas; innatas, inquam, sive stricto, sive lato sensu. Non negamus enim sedulam ac prudentem institutionem multum valere ad explicandas & fovendas illas notiones quas natura nobis inseruit. Verum qui educatio has promovere potuit, si nulla in iis seminandis vis est naturæ? Undenam tanta mentes nostras inter & notiones illas proportio? Quis proprio marte leges fabricare potuit quæ talem proportionem nos inter & illas haberent? Cur ejus sunt naturæ illa præjudicia, cur tam aliis dissimilia, ut tam antiqua simul, tamque universalia sint, nec temporum lapsu, nec scientiæ excellentia, nec cupiditatis conatibus aut deponi, aut ita falsa demonstrari potuerint, ut saltem sapientiores ad ea ejuranda principia non adduxerint? an vero notiones illæ innatæ sint proprie, nec ne, nihil ad rem præsentem. Qui pro ideis innatis militant; ii notiones illas quasi sopitas dicent donec puriores suos actus libere exerceat animus; respondebunt præterea notiones illas non actu semper etiam non attendentibus, aut negligentibus, aut impugnantibus semper fulgere. Qui vero pro opposita stant sententia, ii naturales illas notiones non negabunt. Libenter enim concedunt & maximam hominem inter & illas adesse proportionem, & summam ad eas detegendas facilitatem vel levissima data attentione. Ceterum missa omni verborum altercatione aut ambiguitate idem de illis notionibus nobis ferendum est judicium ac de paterno erga filios, & filiorum erga parentes amore, quos non amare non possumus, quorum tamen amorem multum excolit institutio.

Obj. 4. Discrimen intrinsecum inter bonum & malum morale supponit axiomata vera in Ethicis quemadmodum in Theoreticis: jam vero in Ethicis non sunt hujuscemodi axiomata. Ideo enim axiomata in Theoreticis sua obtinent evidentia, quia negari non possunt, quin in contradictionem incidatur; v. gr. si negetur circulum esse rotundum, aut triangulum tres angulos habere, natura circuli aut trianguli destruitur. At non idem in moralibus. Axiomata enimvero in moralibus hæc sunt: promissis est standum; unicuique quod suum est tribui debet; alteri nihil, nisi quod sibi ipsi optatur faciendum est; gratum ac memorem pro beneficiis sese præstare oportet. Atqui his negatis non inciditur in contradictionem. Ergo.

R. n. min. Æqualis enim incurritur contradictio sive in Ethicis sive in Theoreticis. Qui negat, v. gr. circulum esse rotundum, ideo in contradictionem incidit, quia idem est ac si negaret in circulo aut omnia puncta non æqualiter distare a centro, aut centrum æqualiter recedere a singulis punctis circumferentiæ, aut ubi hæc adsunt, adesse tamen circulum, seu figuram rotundam. Ita pariter in Ethicis qui negat Deum v. gr. esse colendum, idem asserit ac si negaret aut Deum homini præcellere, aut licet præcellat, aliquid ipsi ab homine deberi. Sicut enim ex eo quod centrum ab omnibus circumferentiæ punctis discedat, necessario sequitur figura rotunda, quæ dicitur circulus; ita ex eo quod Deus homini præcellat, jam eadem necessitate sequitur ipsum homini anteponendum esse & ab homine colendum. Ita, ipso fatente Hobbio, quemadmodum is, qui argumentis cogitur ad negationem assertionis, quam prius asseruerat, dicitur redigi ad absurdum; eodem modo is, qui præ animi impotentia facit vel omittit id quod se non facturum, vel non omissurum pacto suo ante promi-

miserat, non minus in contradictionem incidit, quam qui in Scholis reducitur ad absurdum. Et sane qui pactis standum negat, idem est ac si diceret vel quod factum est, infectum esse, vel quod dictum est non dictum esse posse. Uno verbo, qui negat virtutem amandam, vitium vero fugiendum, idem absurditatis vitium incurrit ac si negaret utriusque proprietates, ac proinde, idem est ac si utrunque destrueret, v. g. homines amandos esse negari non magis potest, quam aut eos esse natura similes & æquales, aut ex illa æqualitate ac similitudine eadem ipsis ac nobis impendenda esse. Ita demum unicuique quod suum est reddendum; si enim ipsius est, ergo jus in illud habet; ergo jus idem alteri non competit. Alias res eadem & tibi simul & alteri esset. Sicque contradictio incurreretur; nam jus oppositum & contradictorium competeret in unam eandemque rem. Quod ita contradictionem involvit ac si idem esse simul & non esse assereretur.

Inst. Illa axiomata non sunt certa ac immobilia quæ exceptionem patiuntur: atqui axiomata theoretica exceptionem aliquam patiuntur, nullam vero speculativa. v. gr. Nullus datur casus in quo triangulum tres non habeat angulos.

R. 1. dist. maj. Illa axiomata non sunt ..... quæ exceptionem patiuntur quæ non sit in rerum natura fundata: c. Si in rerum natura fundetur & ipsa exceptio: n. Aut aliter distingui potest. Illa axiomata non sunt certa quæ patiuntur exceptionem manente eadem principii substantia & materia: c. Mutata & quasi sublata ac destructa hac materia: n. Itaque exceptiones quas præ se ferunt ethices principia tam fundantur in rerum natura, quam ipsamet axiomata. Ex uno exemplo omnia alia perpende. Pactis ac promissis standum est. Exceptionem admittit, hanc nempe præsertim: nisi illud sit contra bonum Reipublicæ. Exceptio ista in rerum natura, in lege eadem immutabili itidem fundatur; nempe bono privato publicum esse anteponendum. Ergo cum æqua sit & principii & exceptionis certitudo, ex exceptione non nutat principii firmitas; salva & illæsa remanet principiorum efficatia, etiam posita exceptione. Ergo.

Ad minorem. Dico 1. exceptionem illam in ethicis non tam esse exceptionem, quam rei ipsius & circumstantiarum diversitatem. In exemplo allato immoremur. Promissa illa quæ sunt axiomatis hujus materia, sunt promissa justa, honesta & impletu possibilia. Porro manente hac promissorum natura & hujus eadem axiomatis materia, jam omnino impossibilis exceptio. At ubi, v. g. pacta Reipublicæ sunt nociva, jam destruitur materia promissorum quibus ex lege naturæ standum est; fit enim injusta res promissa. Porro axiomata & principia illa ut certo teneantur, debent attendi non solum in se nude & præcise, sed quoad omnes suas circumstantias, relationes, &c. Nec ratio jubet unum aut alterum tantum tenendum esse axioma, sed omnia simul inter se concilianda præcipit. 2. Suæ sunt etiam legibus theoreticis exceptiones. Una ex his talis est. Corpus quiescens ab alio propulsum moveri debet. At si obstet corpus aliud gravius, aut quævis alia causa, tunc excipiendum est. 3. Hoc discrimen intercedit principia metaphysica inter & principia tum physica, tum moralia, quod prima fundentur in essentia rerum absolute spectata, posteriora vero in eadem rerum natura relative considerata. Prima in se, absolute, seorsim a loco, tempore & personis attenduntur. Posteriora ad loci, temporis, &c. circumstantias ordinem dicunt. Hinc hæc, non illa exceptionem suscipiunt, quæ nihil aliud est quam varia eorum applicatio.

Obj. 5. Deus potuit alia & contraria nobis præscribere officia. Nam potuit alium ordinem seligere: atqui in illo ordine alia fuissent officia immo contraria esse potuissent. Ergo.

R. 1. dist. min. Alia nobis fuissent officia erga alios homines: esto. Erga Deum: n. Erga Deum, erga parentes, erga benefactores eadem fuissent semper debita. At si Deus ad statum socialem hominem non composuisset, nobis tunc non fuissent officia quæ ex illo statu dimanant: media enim fini assequendo proportionata semper assumit Deus; ac conso-

ſequenter ſi finem diverſum ab eo qui nunc eſt, ſibi propoſuiſſet naturæ auctor, media diverſa ab iis quæ noſtræ conditioni ſunt relativa, non potuiſſet non eligere. At vero inde non ſequitur media fini noſtro proportionata hanc proportionem habere ex ſola libera Dei voluntate. Quanquam nullo modo, aut ſaltem vix concipi poteſt creaturas rationales ad mutuum amorem, ac proinde ad ſocietatem non fore per ſe deſtinatas, ut alias jam obſervavi. Hinc dixi eſto ad primum diſtinctionis membrum.

R. 2. Aliter diſt. Alia fuiſſent nobis officia ex defectu ſubjecti & materiæ: c. Simpliciter: & abſolute: n. Principium legis ab ejus ſubjecto, immo legem ipſam ab ejus promulgatione hic ſedulo diſtinguamus. Lex naturalis nihil aliud eſt quam legis æternæ participatio. Lex autem æterna eſt ſumma ratio rerum æternarum in Deo ſecundum quod omnia dirigit in debitum finem. Uno verbo lex æterna ſunt divini intellectus dictamina. Itaque ex hypotheſi quod Deus alium ordinem inſtituat, tunc legem æternam non promulgabit quantum ad eam partem officiorum quæ præſentem ſtatum ſocialem ſpectant; tunc non aderunt aut ſubjectum quod legis hujus officia impleat, aut materia circa quam actus illi exerceri poſſint, quia non aderunt homines ſociales; at nihilominus exiſtit lex, vim habet obligandi radicalem & in actu primo, quam exeret ubi aderunt hujus ſubjectum, & materia circa quam verſari poſſit. Antequam Deus ad mundum creandum ſe accingeret, certe ejus formam ad ſapientiæ ſuæ normam diſponere debuit; contra ſapientiam ſuam agere, & ſe ipſum negare non potuit. Et ſapientiam ſuam conſulere, & ipſi morem gerere debuit Deus. Ergo ſaltem illud, nempe reſpectu Dei, ſapientiæ ſuæ obſecundari, illud, inquam, non eſt indifferens, nec pendet a libera Dei voluntate. Idem dictum ſit de homine erga legem naturalem quæ eſt ipſa participatio legis æternæ, & ei conceſſa eſt ut modo naturæ ſuæ convenienti ſe gerat. Bonum inter & malum morale diſtinctio quæ innoteſcit per legem naturalem tam eſt independens a libera Dei voluntate, quam eadem diſtinctio innixa legi æternæ, una enim & eadem eſt diſtinctio, nec una lex ab altera differt niſi ut lex a promulgatione ſua; at quemadmodum Deus in præſentis hujus mundi creatione ſapientiam ſuam actu ſequi non tenebatur, niſi ex hypotheſi quod ad eum creandum ſeſe determinaret, licet vera eſſet vis obligandi in illa lege, ita homo eandem legem ſequi non tenetur niſi ubi promulgata erit & aderunt tum illius ſubjectum, tum materia, licet vera & proprie dicta ſit in ea vis obligandi.

Inſt. Tam Deus liber fuit in condenda lege naturali, quam in danda ei natura humana & rationali: ergo.

R. Hæc duo creare hominem rationalem & homini intimare legem æternam, eſſe quid unum & idem. Itaque creare vel non creare potuit Deus hominem natura rationali; ſed ipſo ſic creato, jam temperare non poteſt a promulganda ipſi lege æterna qua parte ſtatum ejus ſpectat. Quemadmodum enim Deus ſeipſum eximere non poteſt ab onere propriæ ſapientiæ obtemperandi, ſic nec diſpenſare poteſt hominem ab obligatione vivendi juxta naturam ſuam rationalem.

Inſt. Ex iis quæ huc uſque dicta ſunt, ſequeretur legem naturalem valituram independenter ab exiſtentia & voluntate Dei: atqui abſurdum eſt legem quamcunque, etiam naturalem, valere poſſe independenter ab exiſtentia & voluntate Dei. Ergo.

R. n. maj. Quoad unam partem & diſt. Quoad alteram diſt. Sequeretur legem naturalem valituram independenter a voluntate Dei libera: c. neceſſaria: n. Ex iis quæ ſupra ſtabilivimus, ſequitur legem naturalem validam fore independenter a libera & poſitiva Dei voluntate; & iſtud nullam abſurditatem involvit. At abſurdum eſſet ſupponere legem immutabilem, naturalem nempe, Deo non exiſtente, & independenter ab ejus voluntate neceſſaria; nec iſtud ſequitur ex noſtris principiis. Quod ut pateat, principia ſuperius a nobis poſita relegamus. Ex dictis 1. Lex æterna eſt neceſſaria; conſtans & immutabilis ordi-

ordinatio orta simul cum mente divina, posita in incommutabilibus rerum relationibus; uno verbo est ipsamet Dei sapientia. 2. Lex naturalis est legis hujus æternæ participatio & emanatio quædam, seu ejus manifestatio & promulgatio per dictamen rationis cuilibet homini facta. 3. Manifestatio illa participat simul ex voluntate Dei necessaria & ex ejus voluntate libera ac positiva. Et 1. quidem legis æternæ manifestatio, seu lex naturalis participat ex voluntate Dei necessaria. Nam ex dictis conclus. 5., 6. & Corollar. ex iis conclusionibus deducto, legis naturalis essentia & obligandi vis non pendet a libera Dei voluntate; nec legem æternam promulgando potest eam mutare. At legis æternæ promulgatio pendet a voluntate Dei libera eo sensu quod libere eam promulget & voluntate positiva velit eam executioni demandari. Deus enim auctor naturæ nostræ voluntate libera & positiva tales nos finxit & configuravit quales sumus. Cum ergo consequenter ad naturam & constitutionem nostram determinati simus ad talem vel talem judicandi & agendi modum, Deus naturam nostram sic ordinando nobis significavit se velle ut prædictum judicandi & agendi modum sequamur, eadem voluntate qua voluit nos tali constitutione conformatos esse. Ex his manifestum est. 1. Legem naturalem non magis pendere a libera Dei voluntate quam legem æternam. Lex enim naturalis principiative sumpta, est ipsamet lex æterna, nec ab ea differt nisi quia est hujus participatio, emanatio & expressio. 2. Sublata Dei existentia, non magis existere posse legem naturalem quam legem æternam. Cum enim lex naturalis sit legis æternæ, id est, idearum & sapientiæ Dei expressio ac manifestatio, si semel supponatur Deus non existere, jam non existit ejus sapientia, ac consequenter nec existit sapientiæ hujus manifestatio, nec proinde lex naturalis. Porro ex eo quod lex naturalis non pendeat a voluntate Dei libera, nedum sequatur legem illam independentem esse ab existentia & voluntate Dei necessaria, immo cum incommutabiles relationes ex quibus conflatur lex æterna & naturalis sint ipsamet sapientiæ Dei dictamina, sequitur sapientiam illam divinam esse radicem primariam obligationis in lege naturali. 3. Licet lex naturalis non pendeat a positiva voluntate Dei sive ut existat, sive ut obliget, voluntatem tamen illam positivam hic revera intercedere, nec ab obligatione legis naturalis esse omnino excludendam. Dum enim vult Deus voluntate necessaria legem naturalem vigere, id etiam decernit voluntate positiva. Positive enim hac de re suam voluntatem nobis manifestavit, sensu antea exposito; adeo ut ad legis naturalis observationem teneamur, tum quia per se & ex necessaria Dei voluntate obligat, tum quia Deus positive declaravit se velle eam legem executioni demandari.

Obj. 6. cum Hobbio. Vera sunt principia juxta quæ origo & distinctio boni & mali moralis desumuntur ex pacto & conventione. Hæc sunt enim illa principia: primum; natura dedit unicuique jus absolutum in omnia. Secundum; nulla est hujus juris restrictio, seu nulla est lex nisi ex pacto & conventione: atqui hæc duo principia simplicissima sunt & vera, ex quibus necessario sequitur nihil esse bonum, nihil esse malum ante pactum & conventionem. Ergo origo & distinctio boni & mali moralis debet desumi ex pacto & conventione ad sensum Hobbii.

R. n. min. Quoad utranque partem, & dico duplex prolatum principium esse falsum. 1. Quidem falsum est naturam dedisse unicuique jus absolutum in omnia. Nam, ex probatis, jus illud contradictionem involvit; deinde jus illud ab Hobbio gratis supponitur, nulloque legitimo argumento probatur; quin immo jus illud contradictionem involvit in systemate Hobbii; nam fatetur ipse Hobbius lib. de Cive, cap. 1. jus commune minime fuisse utile hominibus, quia ejus effectus est idem ac si nullum esset jus: atqui falsum est naturam jus dedisse omnibus quod omnibus est inutile & idem ac si nullum esset. Ergo falsum est primum Hobbii principium. 2. Falsum est nullam esse juris hujus restrictionem, nisi ex pacto

& con-

& conventione. Nam multa admittit antecedenter ad conventionem bona, ut pactis fidelitatem; mala, ut crimen læsæ majestatis. Obligatio ad obedientiam civilem omni lege civili prior est, juxta ipsum. Ita etiam leges naturales obligant semper in foro interno, id est, obligant ad animum eas observandi. Leges autem illæ sunt gratitudo, misericordia, modestia, &c. Deinde ex dictis, & ut constat experientia, sunt bona & mala quædam quæ talia sunt universaliter & apud omnes populos: atqui bona aut mala illa non possunt esse talia ex pacto & conventione. Ut enim bona & mala illa talia forent ex pacto & conventione, deberet supponi ex parte omnium omnino populorum unanimis conventio vel expressa vel tacita: atqui 1. supponi non potest talis conventio expressa. Nam nullus assignari potest omnium populorum congressus generalis in quo hujusmodi fœdus pepigerint; immo hodie cognoscuntur populi qui easdem ac nos circa quædam bona & mala notiones habent, qui tamen omnibus aliis populis ignoti fuerant. Uno verbo repugnat ut omnes omnino populi adeo numerosi, adeo locorum spatio inter se dissiti, multo magis studiorum diversitate oppositi in unum locum convenerint & in unam descenderint sententiam privatæ utilitati non improbabiliter quandoque nociturам. 2. Nullius momenti esset conventio tacita; veram enim & proprie dictam obligationem parere non potest. Conventio enim tacita in hoc consisteret, quod varii populi hoc vel illo modo inter se egerint certo quodam temporis spatio: atqui ex eo quod varii populi certo quodam temporis spatio hoc vel illo modo inter se egerint, minime sequitur eos æterna nec unquam solvenda obligatione sese devinxisse ad eodem modo semper agendum.

Inst. Contra hanc responsionem, & dices conventionem expressam esse possibilem. Nam fieri potuit totius generis humani congressus & conventio primis mundi creati initiis, v. g. ante dispersionem ad campum Sennaar, cum homines pauci adhuc numero essent, necdum adeo, aut locorum spatio, aut studiorum diversitate a se invicem dissiti, aut inter se oppositi.

R. n. ant. 1. Talis conventio gratis supponitur. 2. Demus vere factum esse hujusmodi congressum, & talem initam esse conventionem, si mera est hominum conventio, nulla ratione, nec rerum natura innixa, quærere liceat ab Hobbio & ceteris ejus sequacibus qui fieri potuerit ut ideæ illæ ex mera conventione efformatæ, ex omnium animis immenso sæculorum spatio non fuerint deletæ? Undenam hæc principia in alteram quasi naturam transierunt, dum ceteræ confœderationes & ideæ aut humano cerebro fabricatæ, aut temere præconcepta opinione formatæ, uno aut altero ad majus sæculo evanuerint? 3. Populi illi recenter a mundo creato in unum coacti in practica & moralia principia consenserunt, vel aliqua ducti legitima ratione, vel sine ulla ratione. Si primum vincimus. Ratio enim illa nulla alia esse potest, nisi vel principiorum illorum proportio cum bono publico, vel eorum conformitas cum nostra natura & ratione. Si secundum; ergo stultorum fuit cœtus. Immo longe ad rationem magis accedit populos, si unquam hujus rei gratia convenerint, in quædam principia consensisse, quia recta ratio & rerum natura ea dictabat, quam principia illa talia fuisse, quia populi in hæc consentiebant.

Inst. Atqui saltem conventio implicita obligationem parit. Nam consuetudo vim legis habet: sed conventio tacita est ipsamet consuetudo. Ergo conventio tacita vim legis habet & consequenter veram obligationem parit.

R. dist. maj. Consuetudo vim legis habet ex voluntate superioris: c. Per se. n. Consuetudo vim legis non habet in præsenti rerum ordine, nisi quia in illo ordine adest superior istud decernens: at in præsenti casu nullus adest superior; omnes enim nationes sunt naturaliter æquales. Unde etiamsi omnes populi, uno tantum excepto, in hujusmodi fœdus venirent, unicus ille populus consensum & obsequium posset denegare. Deinde si consuetudo legitimis sit innixa rationibus, obligat non tam

præcise quia consuetudo est, sed quia legitime consonat rationi, & hinc semper ex recta ratione potius quam ex pacto & conventione obligat.

Inst. Atqui valet primum Hobbii principium, seu verum est naturam dedisse unicuique jus in omnia. Quidquid enim Judex competens & idoneus decernit necessarium esse unicuique ad vitam, illud unusquisque jure possidet & facit contra omnes: atqui quidquid unusquisque putat sibi ad vitam necessarium esse, illud tale esse decernit ut Judex competens & idoneus. Ergo natura dedit unicuique jus in omnia.

R. 1. n. maj. In sensu Hobb. non semper unusquisque jure possidet aut agit contra omnes id omne quod ad uniuscujusque vitam necessarium esse decrevit Judex competens & idoneus. Aliquando enim ipsa etiam vita profundi debet pro patria, pro animæ salute, pro gloria Dei, pro utilitate publica: atqui in hoc casu non unusquisque jure possidet aut agit contra omnes id omne quod ipsi ad vitam necessarium esse decrevit Judex ille, nec gloriam Dei, aut publicam utilitatem spernere licet, etiamsi istud ad propriam conservationem necessarium esset. Sicut enim bonum totius melius est bono partis, sic pars tenetur ad negligendam vitam propriam & ea quæ ad hujus conservationem requirerentur: ergo tunc non jure possidet vitam contra omnes quidquid edicat judex ille. Deinde in statu naturæ de quo hic agitur juxta Hobbium, Judex competens est ille qui rectam rationem, id est, rationem propriam sequitur: porro Judex hoc sensu, quantumvis capax & idoneus facile errare potest; quis enim inerrantiæ prærogativam ei asserat? ergo quantumvis competens sit & idoneus, quantumvis suprema auctoritate decernat hoc vel illud esse necessarium ad propriam vitam, non semper unusquisque jure illud possidet aut agit contra omnes.

R. 2. n. min. Falsum est unumquenque esse Judicem de rebus ad vitam necessariis; hoc enim vergeret in detrimentum & destructionem totius generis humani, præsertim in Hobbii principiis. Nam in Hobbii principiis omnes homines nascuntur naturaliter sibi invicem infensi, & cum animo lædendi, adeo ut status belli sit naturalis eorum status: atqui hominem talem esse judicem de rebus sibi ad vitam necessariis, hoc in humani generis destructionem vergeret.

R. 3. n. conseq. Dato enim, non concesso unicuique jus esse possidendi contra omnes id omne quod Judex idoneus decrevit necessarium esse ad ejus vitam; dato etiam, non concesso, unumquenque esse illum judicem, non inde sequitur unicuique competere jus in omnia. Nam in illud tantum jus habebit quod Judex competens & idoneus ejus vitæ necessarium esse decreverit: atqui Judex ille nec decernit, nec decernere poterit omnia esse necessaria ad uniuscujusque vitam; decernet tantum & decernere poterit bonorum portionem propriæ uniuscujusque necessitati proportionatam. Jus enim illud naturæ ad omnia, ex Hobb. fluit ex proportione bonorum cum propria conservatione seu ex jure se conservandi: atqui omnia simul bona in unum collecta non sunt ad ejus conservationem necessaria, ipso fatente Hobbio. Fatetur enim eod. l. de Cive modestum hominem omnia aliis permittere quæ sibi; id est, ut ipse evolvit, ex necessitate res suas defendere.

Inst. Atqui unusquisque jure possidet & agit contra omnes id omne quod ad ejus vitam necessarium esse decrevit Judex competens & idoneus. Nam Judex eo ipso quo competens est & idoneus, eo ipso summo jure discernit ac separat ea quæ sunt alicujus ab iis quæ sunt alterius: atqui unusquisque jure possidet & agit contra omnes quæ sua sunt & quæ secreta ac separata sunt ab iis quæ sunt alterius. Ergo unusquisque jure possidet & agit, &c.

R. n. min. Judex ille cujus arbitrio unicuique res sua decernitur, quantumvis competens sit & idoneus, res non attendit nisi sub hoc respectu quod sint ad vitam necessariæ: atqui, ex dictis, sunt certi quidam casus in quibus jus suum unusquisque deperdit in res suas, licet ad vitam sint necessariæ. v.g. Ubi rerum illarum possessio bono publico vel Dei gloriæ officit: ergo tunc res suas unus-

unusquisque jure non possidet contra omnes, quidquid decernat Judex competens licet & idoneus, & quantumvis res uniuscujusque separet ab iis quæ sunt alterius.

Inst. Vel unusquisque jure possidet & agit contra omnes id omne quod ad ejus vitam necessarium esse decrevit Judex competens & idoneus, vel illud possidet & agit independenter a competentis Judicis sententia; absurdum consequens, ergo & antecedens.

R. Et dico unumquenque jure possidere contra omnes id omne quod decreverit & ipsi assignaverit Judex competens & idoneus, modo Judex ille res non attendat præcise in quantum sunt ad vitam necessariæ, sed sub omni respectu & secundum eam præcipue relationem quam habent cum utilitate publica, aut cum gloria Dei. Supponamus rem aliquam penes aliquem devenisse, v g. titulo primi occupantis, industriæ, &c. surgat alius & rem illam captet; Judex quantumvis competens non semper recte litem dirimet, si rem illam tantum attendat quatenus est ad vitam necessaria; potest enim esse necessaria ad rectam liberorum educationem & ad multa alia legitima. Ergo.

Inst. Atqui saltem vera est minor præcedentis syllogismi; seu quidquid unusquisque putat sibi ad vitam necessarium esse, illud tale esse decernit ut Judex competens & idoneus. Judex enim competens & idoneus est ille 1. qui legitima gaudet auctoritate. 2. Qui certam veritatis & rei discutiendæ scientiam habet: atqui in statu naturæ his duabus dotibus unusquisque gaudet. 1. Legitima pollet auctoritate; nam in statu naturæ nulla adhuc conventio, ac proinde nulla determinatio subjecti in quo exclusive ad omnes alios homines summa resideat auctoritas. Deinde in illo statu omnes homines vi suæ conditionis sunt æquales. 2. Unusquisque suæ indigentiæ ac necessitatis solus conscius est. Ergo quidquid unusquisque putat sibi ad vitam esse necessarium, illud, &c.

R. n. min. Quoad primam part. n. scilicet in statu naturæ unumquenque sufficienti ac legitima auctoritate edicere ac decernere hanc vel illam rem sibi esse ad victum necessariam. Hoc falsum est 1. in se. Si enim unusquisque sufficienti ac legitima auctoritate decerneret hæc vel illa sibi esse ad vitam necessaria; cum, fatente Hobbio, multi unam eandemque rem simul appetant quæ nec dividi, nec a multis in solidum possideri potest, darentur ergo simul multæ legitimæ auctoritates sibi invicem e recto oppositæ; ac consequenter auctoritas uniuscujusque esset simul legitima & non esset. 2. Hoc falsum est in sententia Hobbii. Nam juxta illum auctorem, jus, seu auctoritas oritur vel ex vi, seu potestate irresistibili; vel ex pacto & conventione; jam vero ex neutro fonte assignato scaturire potest prædicta in unoquoque auctoritas. 1. Non ex pacto aut conventione; nullum enim adhuc supponitur pactum. Deinde posita illa auctoritate, cito dissolveretur pactum & societas, ipso fatente Hobbio, & juxta ejus principia. Nec etiam assignari potest potestas irresistibilis, hujus auctoritatis fundamentum & origo. Nam potestas fit irresistibilis, juxta Hobbium, ex alterius virium imbecillitate; sed virium imbecillitas nullam veram obligationem imponit, nullam legitimam auctoritatem confert. Aliud profecto potestas, aliud jus. Ex nuda potestate nullum oritur jus in Hobbianis principiis; ergo nec ullum enasci potest ex potestate irresistibili. Irresistibilitas enim potestatis, si ita loqui licet, est aliquid potestati accidentale & extrinsecum, utpote quæ, ut jam notavi, oritur ex oppositarum virium imbecillitate; ergo irresistibilitas illa nihil mutat intrinsece in potestate, nec ullum jus fundare potest. Præterea juxta Hobbium potestas irresistibilis, sicut jus omnium in omnia, vergit in totius orbis detrimentum. Hinc concludit inter tot pericula nullam esse securitatis viam nisi pacem mutuam; hinc, eodem auctore, prima lex naturæ est, quærendam esse pacem, si haberi potest, & unumquenque decedere debere de jure suo. His positis, manifestum est quod legitima auctoritas non possit, natura duce, attribui potestati quæ ipsa eadem natura docente, in totius orbis ruinam vertit. Deinde obligatio quærendæ pacis, etiam sub condi-

ditione quod haberi possit, sit primaria ac præcipua; transit in obligationem absolutam cum nitatur tum propriæ, tum totius orbis conservationis obligatione positis rebus ut sunt: ergo auctoritas illa legitima dici non debet quæ primariæ legi naturæ opponitur: ergo potestas irresistibilis non potest, etiam apud Hobb. esse legitimus titulus, utpote quæ sit contra primam legem naturæ.

Inst. Saltem vera est prioris syllogismi consequentia; id est, eo ipso quo unusquisque jure possidet id omne quod decrevit Judex competens, & eo ipso quo quidquid unusquisque putat sibi ad vitam necessarium esse, illud decernit ut Judex competens & idoneus, jam unusquisque jus absolutum habet in omnia. Nam ad hoc requiritur & sufficit, ut quilibet judicare possit omnia sibi ad vitam esse necessaria: atqui quilibet id judicare potest: nam ex una parte omnia bona hujus mundi proportionem habent cum vitæ conservatione; ergo quilibet judicare potest ea omnia quæ proportionem habent cum vitæ suæ conservatione esse sibi necessaria; undenam enim in statu naturæ fieret aliqua exceptio, cum nulla adhuc facta fuerit bonorum divisio? Ergo nulla juris restrictio ex conventione. Omnes homines sunt natura æquales; ergo nulla bonorum divisio jure naturæ. Deus toti humano generi, nulli vero particulari terram & ejus bona concessit; ergo nulla bonorum divisio jure divino positivo. Ergo quilibet potest tuto judicare omnia sibi ad vitam esse necessaria; ergo jus habet in omnia. Nam, ex probatis, quidquid judex competens & idoneus decernit necessarium esse unicuique ad vitam, illud unusquisque jure possidet, & quidquid unusquisque putat sibi esse necessarium ad vitam, illud decernit ut Judex competens & idoneus. Unde sic in forma resumo. Ut jus uniuscujusque in omnia sequatur ex allatis propositionibus, sufficit ut ex illis propositionibus sequatur unumquenque judicare posse omnia sibi esse ad vitam necessaria: atqui ex allatis propositionibus quilibet judicare potest omnia sibi esse ad vitam necessaria. Ergo jus uniuscujusque in omnia sequitur ex allatis propositionibus.

R. n. min. Nam ut ex allatis propositionibus jus illud sequeretur, necesse foret 1. ut Judex posset res considerare sub eo tantum respectu quod sint ad vitam necessariæ; 2. ut unusquisque posset judicare res omnes sub hoc respectu consideratas sui juris esset: atqui hæc duo falsa sunt. Primum quidem ut constat ex dictis. Secundum vero. Nam ut unusquisque posset judicare res omnes sic consideratas sui juris esse, deberet sibi esse conscius res omnes simul esse sibi ad vitam necessarias: atqui de hoc unusquisque conscius sibi esse non potest. Natura enim non potest dictare rem chimæricam & executione impossibilem: porro natura tunc rem talem dictaret; dictaret Petro, v. g. omnia simul esse ad ejus vitam necessaria, dum tamen Paulo idem dictaret; quæ duo simul juncta sunt executione impossibilia. Ergo. Et vero fatetur ipse Hobb. l. de Civ. c. 1. n. 6. Multos sæpe simul unam eandemque rem appetere qua tamen sæpissime neque frui communiter nec quam dividere possunt: ergo natura dare non potest unicuique sensum intimum quo conscii sint rem illam ad ejus vitam esse necessariam & jus in illam habere.

Inst. Atqui verum est secundum Hobbii principium, scilicet nullam esse juris absoluti restrictionem, seu nullam legem esse & concipi posse nisi ex pacto & conventione. Justitia enim sicut & injustitia reperiri non potest in homine qui solus & unicus esset in mundo; nam justitia semper est ad alterum. Justitia ergo sicut injustitia sunt dotes hominis, non præcise ut homo est, sed ut est homo civilis & in societate positus. Porro homo in societatem non venit nisi ex propriæ voluntatis arbitrio & electione; id est, nisi ex pacto & conventione. Ergo justitia sicut injustitia non oritur nisi ex pacto & conventione. Sic itaque pressius urgere licet. Justitia sicut injustitia non cadit in hominem nisi quatenus societate confœderatur: sed homo societate non confœderatur nisi ex voluntatis arbitrio, id est, ex pacto & conventione; ergo justitia sicut injustitia non oritur nisi ex pacto.

R. 1. dist. maj. Justitia sicut injustitia adæquate, quoad omnes partes & omni sensu.

sensu sumpta non cadit nisi in hominem societate confœderatum: n. Justitia sicut injustitia aliqua ex parte, aliquo sensu sumpta: subdist. Justitia late sumpta: n. stricte sumpta: iterum dist. quoad exercitium: c. in se & ratione sui præcise: n. Itaque 1. Falsum est justitiam adæquate, quoad omnes suas partes ac species & omni sensu sumptam non cadere in hominem nisi societate aliqua conjunctum; statim enim videbimus quandam esse justitiæ speciem quæ cadit in hominem quatenus homo est & independenter a quacunque societate inita. 2. Hæc major confundit justitiam in se & ratione sui sumptam cum ejus exercitio, quæ tamen duo valde distinguenda sunt. Virtus enim qualibet potest esse realis, licet nullus ejus exercitio detur locus. 3. Justitia duplici modo accipi potest, late & stricte. Justitia late sumpta est quædam virtus generalis ac veluti omnium virtutum collectio; justitia vero stricte sumpta plerunque definitur voluntas constans unicuique reddendi quod suum est. In hoc fallitur Hobbius quod nullam aliam justitiam agnoscat nisi stricte quoad exercitium sumptam. At vero ut cognoscantur omnia hominis officia & eorum fons genuinus aperiatur, debet ejus evolvi natura, nec attendi tantum qualis est respectu aliorum hominum, sed ut in se est & quoad omnes ejus relationes. Itaque justitia stricte sumpta & quoad exercitium considerata, cum semper sit ad alterum, supponit quidem plerunque saltem quantum ad exercitium, supponit, inquam, hominem aliquo tandem modo cum aliis hominibus conjunctum, at non semper aut necessario supponit hominem sic conjunctum, licet spectet præcipue hominem in societate positum. Etiamsi enim homines nulla societate inter se devincti fuissent, debuisset quicunque reddere res quam alter suam antea fecisset qua volueris legitima via. Immo justitia stricte sumpta, seu voluntas illa reddendi unicuique quod suum est, in se spectata cadit in hominem quatenus homo est, eo sensu quod deberet velle reddere & esse paratus ad reddendum alteri quod ejus est, si occurreret casus & adessent alii homines qui suum aliquid dicere possent. Non negabit sane Hobbius naturalem fuisse in Adamo propensionem ad propagationem, etiam dum solus adhuc esset; ita a pari, justitia stricte sumpta ratione sui, aliquo saltem sensu, cadit in hominem etiam dum nullus est ejus exercitio locus.

Quantum vero ad justitiam late sumptam, cadit profecto in hominem quatenus homo est. Sub triplici enim respectu considerari potest homo. 1. Ratione sui principii & Auctoris, in quantum scilicet est Dei creatura; 2. relative ad se, prout constat anima & corpore; denique relative ad alios homines. Jam vero licet justitia late sumpta in quantum spectat alios homines sæpe sæpius & ut plurimum cadat in hominem societate conjunctum, eadem nihilominus justitia sumpta pro collectione officiorum sive erga Deum, sive hominis ad seipsum cadit in hominem quatenus homo est.

R. 2. dist. min. Homo societate non jungitur nisi ex voluntate, societate, inquam, particulari: c. id est, non fertur ad societatem in genere nisi ex voluntate, id est, nisi ex voluntatis propensione, sed necessaria: c. nisi ex voluntate deliberata, reflexa & libera: n. Equidem homo in talem vel talem societatem in particulari descendit ex voluntatis electione & arbitrio, ex pacto ac conventione; at motus animi quo propendet in societatem in genere non est ab ejus voluntatis electione; nullum est pactum præcedens vi cujus feratur in amorem similium, in mutuam cum ipsis communicationem, in quærendam pacem.

R. 3. n. conseq. Etiamsi enim daretur justitiam omni sensu sumptam non cadere nisi in hominem societate aliqua devincitum; etiamsi daretur hominem in societatem in genere ferri ex voluntatis electione, minime sequitur justitiam sicut injustitiam non oriri nisi ex libera hominis voluntate, seu ex pacto & conventione; sequeretur tantum justitiam suam applicationem non sortiri nisi ubi homines per pacta inter se devinciuntur, & ex hypothesi quod societatem ineant. Justitia suam habet vim & energiam ex se, sed vim illam non exe-

rit nisi ubi adest materia proportionata circa quam versetur: hoc liceat uti exemplo. Ex voluntatis electione ferimur ad tale vel tale bonum in particulari: non ferimur autem nisi quia vel adest revera, vel putatur adesse bonum. Jam vero motus ille versus bonum in genere non oritur ex sensu quo judicamus adesse tale, vel tale bonum, nec ex voluntatis propensione libera qua tale vel tale eligimus bonum; ita de justitia quæ ex se vim suam habet, licet applicetur ad circumstantias quas prona voluntate nobis fecimus.

Inst. Atqui justitia omni sensu cadit in solum hominem aliqua devincitum societate ac confœderatione. Nulla enim justitia aut injustitia sine lege; nulla lex sine Legislatore; nullus Legislator, quin cognoscatur; nam Legislator incognitus, idem est ac si nullus esset; porro maxima pars hominum utpote terrenis rebus occupati, item qui ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant, Deum non cognoscunt. Deinde ut verbis utar ejusdem Hobb. l. de Civ. cap. 14., n. 12., cognitio Legislatoris pendet ab ipso Cive, quia jus Legislationis in neminem conferri potest sine consensu & pacto civis proprio inter regentem & eum qui regitur. Porro juxta eundem Auctorem, c. 2., n. 12., nemo potest pacta inire cum divina majestate, sine revelatione; ergo cum nullum sit tunc pactum neque inter homines, neque cum Deo, nulla potest esse injustitia aut justitia. Nec recurri potest ad potestatem Dei irresistibilem ut aliqua supponatur lex ac consequenter aliqua justitia & injustitia. Nam ex eodem Auctore, c. 15. n. 2.. licet Deus universos homines regat per potentiam, velint, nolint; non est tamen hoc proprie & accurate loquendo regnare. Regnare enim dicitur, non qui agendo, sed qui loquendo, id est, præceptis & minis regit. Sed præcepta illa non valent respectu eorum qui Deum non agnoscunt; v. gr. Atheorum. Ergo. Hæc sic paucis resumo & probo justitiam non cadere nisi in hominem aliqua societate conjunctum. Nulla justitia sicut nulla injustitia, ubi nulla est lex nullusque Legislator: atqui ubi nullum est pactum, ubi nulla societas, ibi nulla lex nullusque Legislator. Ergo nulla liceat justitia aut injustitia.

R. n. min. Et dico antecedenter ad quamlibet societatem adesse tum legem, tum Legislatorem. Adest quidem lex naturalis, non sensu Hobbii, omnium animis præsens, a quocunque pacto independens sive quoad obligationem, sive quoad cognitionem. Scitu & cognitu facilis est ex ejus natura, tum ex hominis constitutione, tum ex universali omnium consensu & promulgatione. Adest etiam Legislator, nempe Deus, non per potestatem irresistibilem, aut pactum auctoritatem suam exercens, sed verioribus titulis.

Obj. 7. Huc usque perpetuo supponitur hominem natum esse ad societatem, id est, homini insitam esse a natura propensionem ad societatem: atqui istud fictitium est & gratis omnino supponitur. Equidem homo capax est jucundæ societatis, & ad eam informari potest disciplina & educatione; at eum a natura ipsa ad societatem esse compositum, eumque natura duce appetere societatem, nedum istud probari possit, immo validissima confutant argumenta. Allatæ enim probationes hoc ratiocinio veluti quodam cardine volvuntur: naturalis est hominibus mutuus in se invicem amor; sed ex illo amore nascitur societas: ergo naturalis est homini ad societatem propensio. Jam vero gratis supponitur & mutuum amorem hominibus a natura insitum esse; & ex illo amore ad societatem ferri. 1. Quidem falsum est amorem mutuum omnibus a natura insitum esse. Si enim amor ille esset a natura, omnis homo hominem amaret naturaliter, id est, ut hominem; jam vero si omnis homo hominem amaret naturaliter, id est, ut hominem, tunc nulla ratio reddi posset cur unusquisque unumquemque non æqualiter amaret, ut æqualiter hominem; aut cur eos frequentaret potius in quorum societate ipsi potius quam aliis defertur honor & utilitas; constat enim experientia rem ita fieri. Hinc patet non socios, sed honorem & commodum a sociis quæri; honorem quidem & commodum, primario, socios vero secundario appeti: hinc nullus cum furiosis & ad lites obstina-

ſtinatis vivere vult; at ſponte delabimur ad viros excultos ingenio & candidos moribus. Tunc patet dotes illas non vero homines præciſe quæri. Ergo amor ille naturalis non eſt, quia objectum non attingit ut a natura proponitur. 2. Amor ille naturalis non eſt a quo abſtinere poſſumus, & a quo quotidie abſtinemus. Sic, v. g. ſi aliquid ſerio meditanti occurrat aliquis, moleſtus fit hominis illius adventus; ſic etiam quotidie oriuntur bella, lites, odia & homicidia. Jam vero ſi amor ille mutuus eſſet a natura, nequidem uno vel leviſſimo momento ab eo ceſſare poſſemus, ſicut ab amore noſtri ne breviſſimo quidem temporis intervallo temperare nobis licet. Ergo 1. amor ille naturalis non eſt. 2. Gratis confictum eſt homines ex amore mutuo in ſocietatem devenire. Et quidem ex ſolis definitionibus voluntatis, boni, honoris, utilis, manifeſtum eſt congreſſus omnes ſpontaneos vel egeſtate mutua, vel captanda gloria conciliari. Enim vero cum ſocietas omnis voluntario contrahatur, in omni ſocietate quæritur voluntatis objectum, hoc eſt, id quod videtur unicuique congredientium bonum ſibi. Quidquid autem videtur bonum, jucundum eſt, pertinetque ad organa vel ad animum. Animi voluptas, vel gloria eſt, vel ad gloriam refertur; cetera ſenſualia ſunt vel ad ſenſualia conducunt. Omnis ergo ſocietas vel commodi, vel gloriæ cauſa, hoc eſt, ſui, non ſociorum amore contrahitur. Idem patet ex iis quæ faciunt homines ubi ſunt congregati: ſi enim conveniant commercii cauſa, unuſquiſque non ſocium, ſed rem ſuam colit; ſi animi & hilaritatis cauſa conveniant, ſolet maxime unuſquiſque perplacere ſibi in iis rebus quæ riſum excitant, nec dubium eſt delectari eos non prius ſocietate quam gloria qua quilibet conatur ex comparatione infirmitatis vel turpitudinis alienæ commendatior evadere. Rem exemplo illuſtrare juvat. Supponatur in Indis occurrere ſibi invicem Anglum, Batavum & Gallum; mutuum fœdus ineunt, ſed non alia ratione & motivo niſi quia ſeſe mutuo attendunt ut Europeæ incolas, & ſic mutua ope in alieno ſolo indigent; nam Londini nullam ineunt inter ſe ſocietatem. Immo perſpectis vel leviſſima attentione variis ſocietatibus, ne una quidem occurret quæ ex illo amore mutuo conflata fuerit; adeoque parum in illum amorem ſubditos a natura inclinatos perſpexere variarum ſocietatum Legiſlatores & Principes ut eo præſertim omnes nervos ſuos intenderint ut dominandi cupidinem coercerent. Deinde ſunt qui ſoli eſſe amant; at ſi ex mutuo & naturali amore flueret in ſocietatem propenſio, ne uno quidem inſtanti ſoli eſſe vellemus. Denique infantes quid ſit ſocietas & vim illius non intelligunt; pariter qui damna ex defectu ſocietatis non ſunt experti, ejus utilitatem ignorant; ergo eam non appetunt; attamen homines ſunt. Ergo homo ad ſocietatem naturaliter non fertur. Hæc omnia per partes reſumo. Mutuus amor naturalis ſemper & conſtanter inclinat in hominem quatenus homo eſt: atqui nullus datur talis amor; poſito enim illo amore, jam omnes æqualiter amarentur, utpote æqualiter homines, nec ulla poſſet reddi ratio cur hos potius quam illos amaremus; ergo non datur amor mutuus naturalis hominum inter ſe.

R. 1. n. maj. Poteſt ſupponi amor mutuus a natura inſitus qui non ſemper feratur in hominem quatenus homo eſt. Poſſunt enim occurrere ab extrinſeco impedimenta quæ amorem illum retardent, immo præfocent. Sit in exemplum amor parentum aut etiam amor ſui ipſius quo certe nullus magis mutuus & naturalis eſt. Aliquando tamen reperire eſt parentes erga liberos, & liberos erga parentes ſine ullo, aut ſaltem cum debiliſſimo amoris ſenſu. Retardatur enim aut penitus præfocatur propter rationes quaſdam extrinſecas titulis vel parentum, vel filiorum. Cujus quidem hæc ratio eſt, quod voluntas non propendeat in aliquod objectum, niſi quatenus bonum, vel realiter, vel apparenter. Quod ſi bono reali præponderare videatur aliquod malum vel reale, vel apparens, jam voluntas objectum attingit ut ſibi injucundum, & inde ab eo avertitur: at manet ſemper propenſio ejus in bonum ubi deprehenditur.

R. 2. n. min. Datur hominis ad hominem, quatenus homo est, amor naturalis, etiam semper & constanter, quoties homo quatenus homo attenditur. Quoties enim homo hominem attendit ut hominem, nec impediunt rationes extrinsecæ, toties eum diligit; amat enim in illo ea quæ in se ipso non amare non potest, & ex ipsa similitudine in eum propendet. Ideo juxta Hobbium homines naturaliter sibi infensi nascuntur, quia æquales viribus æqualia appetunt, & inde innatam lædendi voluntatem habent. Sed hæc omnia sunt homini, quatenus homo est, extrinseca, quibus remotis, homo ut homo diligeretur; vitia illa odio habentur, homo diligitur. Ergo nulla ratione evinci potest non esse mutuum amorem hominis ad hominem. Quod autem homines inæqualiter amemus, illud oritur ex variis dotibus humanæ naturæ superadditis, quæ cum aliæ minorem, aliæ majorem boni rationem habeant, minus vel magis voluntatem alliciunt. Quod vero cum furiosis & vitiosis hominibus manere nolimus inde est quod in illis quædam naturæ nostræ injucunda aut nociva inspiciamus. Hinc avertitur insitus in hominem quatenus homo est amor. Furorem & vitia odio habemus, non hominem quatenus homo est aversamur. Uno verbo de amore erga alios homines, quatenus homines sunt, eodem modo ratiocinari possumus ac de amore boni quatenus bonum est, seu boni in genere. Licet enim innato pondere versus bonum in genere feramur, non tamen omnia realia bona amamus; ita a pari, licet a natura insitus sit nobis erga homines, quatenus homines sunt, amor, non tamen omnes amamus homines. Amor ab ejus determinatione distinguendus est.

Inst. Atqui nullus est amor omnibus a natura insitus erga homines quatenus homines. Ille enim amor non est a natura a quo abstinere possumus & quotidie abstinemus: atqui ab amore erga homines, quatenus homines sunt, abstinere possumus & quotidie abstinemus. Ergo.

R. 1. n. maj. Falsum est illud non esse naturale quod actu non exercetur & non erumpit in actum. Exemplo sit amor mutuus parentum & liberorum, quod confirmari potest ex multis arboribus & plantis quæ in alieno collocatæ solo genuinum fructum non afferunt. Sicut enim in physicis virtuti a natura inditæ obstant quædam impedimenta extrinseca; sic naturales hominis propensiones retardant aut præfocant iniqua cupiditas, pravus animi motus, mentis cæcitas. Nihil magis homini innatum quam sui amor; non paucos tamen reperire est qui sibi mortem inferant.

R. 2. dist. min. Ab amore mutuo abstinere possumus, & quotidie abstinemus qua parte naturalis non est & quoad exercitium & applicationem: c. qua parte naturalis est & quoad ipsum amorem & ejus substantiam: n. Hic sedulo distingui debet amor in se & quoad substantiam ab ejus exercitio, applicatione seu determinatione. Dicimus amorem mutuum esse homini a natura, modo amor ille spectetur quoad substantiam; determinatio vero amoris illius, seu ejus ad talem potius quam ad talem personam applicatio non est a natura. Sæpe numero enim accidit ut mutuæ similitudinis fulgorem obnubilent quidam defectus sive animi, sive corporis. Hinc sensus haud satis ferit illa similitudo qua fovetur & nascitur mutua in invicem propensio.

Inst. Saltem falsum est & gratis supponitur ex illo amore mutuo nasci societatem. Ex illo enim amore non nascitur societas sine quo societatem amplectuntur homines: atqui homines societatem amplectuntur sine prædicto amore & independenter ab illo; uno verbo motivum quo in amplectendâ societate ducuntur homines est omnino diversum & distinctum ab illo amore. Ergo.

R. dist. min. Sine illo amore homines societatem amplectuntur, id est, societatem in particulari, talem vel talem: esto; id est in societatem in genere feruntur: n. totum hoc argumentum ludit in æquivoco & confundit propensionem hominis versus societatem in se & generice sumptam cum electione societatis talis in particulari præ tali so-

societate: Illa a natura, hæc a variis personalibus motivis. Prima omnibus hominibus communis est, altera singulis hominibus specialis est & propria. Illa est veluti principium generale a quo fluit secunda propensio in talem vel talem societatem; hæc vero est primi principii determinatio & applicatio ad talem vel talem societatem. Dixi esto, ad primum dist. membr. nullo enim efficaci argumento istud probari potest. Melius & honorabilius de humano genere sentiendum videtur.

Inst. Atqui in societatem etiam in genere feruntur homines motivo omnino distincto & diverso ab amore mutuo. Ex concessis enim homines feruntur in societatem in particulari motivo ab illo amore diverso; ergo nec illo amore feruntur in societatem in se & in genere. Nam, ex concessis, propensio in societatem in particulari fluit a propensione in societatem in genere, & est illius determinatio & applicatio. Ergo, ex concedendis, propensio versus societatem in genere non fluit ab amore mutuo & naturali. Si enim ferrentur homines in bonum in particulari motivo distincto ab amore boni, falsum esset dicere eos ferri in bonum in particulari, ex amore boni; ergo a pari, eo ipso quo feruntur homines in societatem in particulari motivo diverso ab amore mutuo, falsum est eos propendere versus societatem in genere ex illo mutuo amore. Sic ergo pressius urgere licet: ex concessis, homines non feruntur in societatem in particulari ex amore mutuo; ergo nec societatem in genere amplectuntur ex illo amore.

R. dist. ant. Homines non feruntur in societatem in particulari ex amore positive: c. exclusive: n. concessi & iterum concedo homines in amplectenda societate tali, vel tali non semper duci amore illo mutuo eorum cum quibus contrahunt; non ducuntur inquam positive illo amore, seu amor ille mutuus non est semper motivum formale quo ad illam societatem determinantur. At nego ad societatem particularem ex illo amore determinari exclusive, id est determinari aliis motivis diversis quæ excludant prædictum amorem. In ineunda societate particulari multa concurrunt motiva innato amori superaddita & ab eo distincta aut etiam diversa; at motiva illa amorem mutuum minime excludunt.

Ad prob. n. parit. Disparitatis ratio est, quod voluntas nihil possit appetere nisi sub ratione boni vel realis, vel apparentis; ergo si aliquod appeteret bonum particulare motivo ab amore boni diverso, tunc nequidem in bonum in genere ferri posset ex solo amore boni; at amor mutuus non est respectu societatis sicut ratio boni respectu objectorum. Amori enim boni nullum potest superaddi motivum ab illo amore boni diversum; e contra amori mutuo in amplectenda aliqua societate superaddi possunt multa alia momenta aut ex amore sui aut aliunde desumpta.

Inst. Atqui homines feruntur in societatem etiam in genere motivo ab amore mutuo distincto & diverso. Societas enim etiam in genere voluntate appetitur & quæritur; ergo in omni societate quæritur voluntatis objectum, nempe bonum, quod quidem pertinet vel ad animum, ut gloria, vel ad organa, ut sensuale & commodum; unde omnis societas contrahitur vel gloriæ, vel commodi causa; ergo contrahitur amore sui, non amore sociorum. Sic itaque argumentor. Illi feruntur in societatem etiam in genere, motivo ab amore mutuo diverso, qui illam amplectuntur tantum amore sui: atqui homines societatem, etiam in genere, amplectuntur tantum amore sui, id est, amore sui boni. Nam voluntas non potest appetere societatem etiam in genere, nisi in quantum societas illa potest esse objectum sibi proportionatum: sed societas etiam in genere non potest esse objectum voluntati proportionatum nisi in quantum societas illa est bonum hominis. Ergo.

R. n. m n. Scilicet homines in societatem etiam in genere non ferri nisi ex amore sui, seu boni proprii. Quamvis enim hoc verum esset de societate in particulari, falsum omnino est de societate in genere. Ex concessis enim ab Hobb. homo capax & aptus fit ad societatem disciplina seu educatione. Jam vero homo non potest esse ad so-

cie-

cietatem aptus disciplina, seu educatione, quin jam sit naturaliter ad societatem dispositus. Educatio enim non facit, sed supponit, explicat, non dat inclinationem; propensionem adhuc rudem, vagam & informem determinat, perficit & ad actum applicat in circumstantiis quas respicit eo fere modo, quo, Reges divitiarum & honoris amorem hominum animis non inseruerunt, sed jam innato amore ad fines intentos usi sunt. Deinde ut homines, natura duce, nec ex solo privati boni cupidine ferantur, satis est quod in homine reperiantur quædam principia ipsi intima, cum eo nata & a proprii boni amore distincta: atqui res ita est. Velit enim, nolit Hobbius, altas mentes insedit amor erga similes, etiam independenter ab amore proprii boni. Fictitius est status belli & odii qui sit homini congenitus. Præterea hominem inter & societatem adest mira & ab ipsa natura indita proportio; soli enim homini ea omnia dedit Auctor naturæ quæ ad informandam societatem requiruntur, intellectum nempe & voluntatem, uno verbo ratiocinandi vim, ac loquelam. Porro non temere nec alia de causa hæc omnia simul homini concessit Deus, nisi quia eum ad societatem fecit & composuit.

Ad probationem dico voluntatem non ferri in societatem nisi in quantum societas potest esse objectum voluntatis, ac consequenter nisi habeat rationem boni; at necesse non est ut unice habeat rationem boni proprii. Voluit quidem naturæ Auctor nos singulos infirmos esse & multarum rerum ad vitam recte ducendam egentes ut inde ad societatem colendam exstimularemur; egestas etiam ac utilitas illa aut præcipuum aut unicum quandoque est motivum hujus vel illius ineundæ societatis in particulari. At falsum est, nec inde probari potest egestatem aut utilitatem esse motiva quibus ad societatem in genere anhelemus. Recole quæ huc usque diximus.

Inst. Atqui nec in invicem, nec in societatem naturaliter propendent homines. Ut enim res ita sit, satis est quod homines nascantur æquales ac sibi mutuo infensi & hoc ipso nec in invicem, nec in societatem nativo amore propendere possint: atqui hæc omnia vera sunt. 1. Homines nascuntur æquales. Æquales enim habent vires & facultates; nam æqualia in se possunt, nam robustiorem occidere facile potest infirmior. 2. Innatam lædendi habet voluntatem, seu mutuo infensi nascuntur. Nam constat quodlibet societatis membrum omnem ac totam utilitatem publicam velle in se convertere. Necessitate enim naturæ fertur unusquisque ad appetitionem ejus quod sibi bonum, & ad fugam ejus quod sibi malum est. Multi simul eandem rem appetunt qua tamen sæpissime frui communiter, sicut nec eam dividere possunt. Unde naturalis oritur pugna & dissensio. Ergo 3. societas nascitur ex metu, seu quilibet socios quærit ex eo quod metuat alios potentia æquales & in malignitatem æqualiter propensos. Nam ex eo quod homines æqualem habeant lædendi potentiam & voluntatem, sequitur ineundam cum aliquibus societatem, non ex talium hominum amore, sed quia societas fit tunc auxilium contra illam lædendi potentiam & voluntatem. Unde sic urgere licet. Ut amor mutuus & propensio in societatem non sint homini naturales, sufficit quod naturalia sint in homine principia huic tum amori, tum propensioni adversa: atqui res ita est. Nam homines naturaliter & æquales vires & æqualia desideria habent: atqui hæc principia sunt huic tum mutuo amori, tum propensioni in societatem adversa; hoc enim posito, homines naturaliter infensi & hostes nascuntur. Ergo.

R. n. min. Et dico homines, licet æquales viribus & desideriis, naturaliter propendere posse tum in mutuum amorem, tum in societatem. Ex Hobb. enim posita illa æqualitate tum virium, tum desideriorum, homo nativa propensione, debet ingredi viam securiorem & certiorem ad propriam conservationem: sed ex eodem Hobb. pax & renuntiatio juri in omnia, ac proinde societas est via securior & certior ad propriam conservationem, seu est sola ad securitatem via. Ergo etiam, posita illa æqualitate, homo naturaliter propendet in so-

societatem. Quod etiam possit homo in societatem propendere ex amore posita licet æqualitate tum virium, tum desideriorum, ex eo patet quod etiam in illa hypothesi vigeat ratio similitudinis & vim suam exercere possit. Denique supponamus homines vires non exerere & desideria non explere, non negabit Hobbius nativam fore utranque propensionem. Ergo æqualitas virium & desideriorum est impedimentum tantum extrinsecum. Sed jam confessi sumus per impedimenta extrinseca retardari quidem propensiones naturales, sed propensiones illas esse nihilominus naturales. Ergo.

Inst. Atqui nulla est in homine naturalis ad societatem propensio; talis enim propensio si esset a natura insita, sensum sui faceret, essetque in nobis sine nobis. Porro talis non est in societatem propensio. Nam, v. g. infantes, indocti & qui nullum damnum ex defectu societatis sunt experti, societatis vim & utilitatem ignorant: ergo eam appetere non possunt. Pariter sunt qui soli esse ament; jam vero si amor societatis naturalis esset, nequidem uno momento soli esse possemus. Unde sic argumentor. Non datur propensio in illud quod nec naturaliter appetitur, nec naturaliter appeti potest: atqui societas nec naturaliter appetitur ab iis qui soli esse amant, naturaliter appeti non potest ab infantibus & indoctis. Ergo.

R. n. min. quoad utranque partem. 1. Naturaliter appetitur, ut jam probatum est. Contrarium non evincit exemplum eorum qui soli esse amant. Nam ille solitudinis amor oriri potest ex eo quod nullam in particulari societatem sibi convenientem reperiant, vel ex speciali corporis constitutione ac morbo, quales sunt qui flava omnia vident. Uno verbo hoc enasci potest ex quibusdam impedimentis quæ nativam propensionem retardant aut præfocant; nec ex rarioribus exemplis quicquam contra naturam concludi potest. 2. Quantum ad secundam partem, dico societatem appeti posse. Infantes quidem & indocti non possunt habere propensionem reflexam & deliberatam in societatem cujus non solum vim & utilitatem, sed ipsum fortasse nomen ignorant, sed possunt habere propensionem directam & naturalem quæ tamen non explicatur nisi disciplina & educatione, nec in actum erumpit, nisi data occasione præsente, aut determinato objecto & cognita causa eo ferme modo quo amor filiorum erga parentes sopitus quasi jacet ante usum rationis & educatione perpolitur. At ut iterum dicam, educatio non dat, sed supponit propensionem.

Obj. 8. Lex naturalis non obligat per se. Nam ideo inter alia allata argumenta, principia moralia obligant per se, quia per se distinguuntur: atqui hæc ratio nulla est. Nam distinctio quidem rerum, non vero obligatio concipitur sine voluntate Legislatoris. Ergo.

R. n. min. ad prob. dico ex principiorum illorum distinctione per se, nasci vim per se obligandi. 1. Enim veritatis & falsitatis respectus qui in speculativis reperiuntur, per se sufficiunt ut circa illa judicia libertatem nostram restrictam habeamus, nosque ad judicandum hoc potius quam illo modo astringamus, ita respectus convenientiæ, vel disconvenientiæ, seu boni & mali per se sufficiunt ut ad certo modo agendum obligemur. Principia enim practica id præstant in moralibus quod theoretica in speculativis. Antecedenter enim ad voluntatem Dei liberam paris sunt & æqualis evidentiæ. Uno verbo, fatente Puffendorfio, vera est & in rerum natura fundata ante liberum Dei decretum obligatio acquiescendi ei quod verum esse cognoscitur: sed eodem fatente Puffendorfio, eadem est boni & mali moralis quæ veri & falsi distinctio: ergo parem utrobique fatetur vim obligandi. Aut distinctionis identitatem tollat, aut unum eundemque ejus effectum permittat. 2. Distinctio bonum inter & malum morale essentialis esse non potest, quin convenientia vel disconvenientia sit etiam ex natura rei. Convenientia autem illa non potest talis esse, quin exercitium libertatis dirigat, & ad hoc potius quam ad aliud moraliter determinet: ergo etiam convenientia illa talis esse non potest quin liget exercitium illud, ac proinde, quin revera obliget. 3. Innume-

numeros reperire est Paganos qui pessime de Divinitate sentiebant; attamen probitatis & honestatis sensus puros servabant. Atheus ipse sibi, dum male agit, displicet. Ergo ex ipsa principiorum illorum distinctione vera oritur eorum obligandi vis.

Inst. Honestas & turpitudo sunt actionis affectiones quæ oriuntur ex convenientia vel disconvenientia cum aliqua lege: sed lex omnis ac obligatio supponit superiorem aliquem voluntate positiva decernentem: ergo ubi nulla intercedit positiva superioris voluntas, ibi nulla est obligatio.

R. dist. maj. Ex convenientia cum lege vel necessaria, vel positiva & arbitraria: c. Arbitraria: n. In hoc vitium est hujus argumenti quod nullam aliam legem supponat nisi positivam, quod est status quæstionis, & quod jam multis argumentis inter probationes confutatum est. Ostendimus enim necessario admittendam esse aliquam rebus ipsis intrinsecam bonitatem vel malitiam: ergo & conformitatem vel difformitatem cum aliqua lege: ergo etiam legem aliquam, quæ tam sit immutabilis ac bonitas & malitia ipsa. Enim vero hominem esse ratione præditum & inde legis ac directionis capacem, nemo negat. Ipsum etiam finem habere beatitudinem, ac proinde directionem & legem esse ipsi necessariam, non minus certum est, Suam enim beatitudinem & perfectionem necessario appetit. At vero inter varia extra illum posita objecta alia huic beatitudini ac perfectioni conveniunt: alia vero disconveniunt & contrariantur. Hocque sæpe sæpius spectat rerum usum & usus modum, potius quam earum substantiam. Quæ inter illa objecta & finem hominis intercedit convenientia & proportio, ea objectis illis est intrinseca & innotescit per lumen naturale. Hæc omnia astruit vel ipse Puffendorfius. Porro convenientia illa dirigit sane hominem in delectu vel contemptu objectorum; sicut ægrotum determinat cibi alicujus cum sanitate proportio vel disproportio. Alias frustra & inutilis esset illa objectis indita convenientia vel disconvenientia cum fine hominis. Jam vero convenientia illa eodem modo hominem dirigit, quo est convenientia; dirigit enim per relationem proportionis vel oppositionis cum beatitudine & perfectione hominis. Ergo cum, fatente Puffendorfio, relatio illa sit objectis intrinseca & a libera Dei voluntate independens; jam per se & independenter ab eadem libera Dei voluntate determinat hominem ad hoc potius quam aliud eligendum objectum. Ergo per se restringit libertatis exercitium. Ac proinde per se obligat.

Inst. Atqui antecedenter ad positivam Legislatoris voluntatem nulla esse aut concipi potest obligatio. Omnis enim obligatio in suo conceptu supponit & importat obligantem ab obligato distinctum; jam vero antecedenter ad positivam Legislatoris alicujus voluntatem obligans ab obligato non distinguitur. Si qua enim esset obligatio antecedenter ad positivam Legislatoris alicujus voluntatem, ea sane oriretur ex recta ratione: atqui tunc obligans ab obligato non distingueretur. Ratio enim ab homine & ejus mente non distinguitur. Ergo.

R. 1. Retorq. Si qua esset obligatio antecedenter ad positivam Legislatoris voluntatem principia speculativa sequendi, ea oriretur ex recta ratione: atqui recta ratio ab homine non distinguitur: ergo antecedenter ad positivam Dei voluntatem nulla est obligatio sequendi principia speculativa; quod tamen falsum fatetur ipse Puffendorfius.

R. 2. distinguo majorem. Obligatio externa & positiva importat obligantem ab obligato distinctum: c. obligatio interna & in obligati natura fundata: n. duplex itaque distingui debet obligatio; externa una, interna altera. Illa ex libera, positiva & arbitraria Dei seu Legislatoris alicujus voluntate oritur; supponitque obligantem ab obligato distinctum. Interna vero obligatio, ipsamet obligati natura & principiis naturæ congenitis fundatur, ex obligati conformatione & constitutione exurgit, veraque & veri nominis obligatio dici debet. Etenim Deo sane vera incumbit obligatio vera & propria se ad inania & suis attributis contraria non applicandi. Est itaque naturalis quædam obligatio in Dei natura fundata, qua devinctum

ctum cogitamus Deum ipsum, quaque sublata, jam nullam in ejus actionibus honestatem concipere possumus. Idem dic de homine ex ipsa ratione ad agendum juxta rationem obligato. Quod ut pateat observ. 1. non frustra, nec sine causa hominem rationalem esse constitutum. 2. Nullo alio fine ratio homini concedi potuit, nisi ut ei proponeretur velut quædam regula qua in suis operationibus dirigeretur & ad cujus normam se componere deberet. 3. Hinc vera & proprie dicta exurgit obligatio. Nam obligationis nomine nihil aliud intelligitur nisi vinculum morale quo restringitur libertas. Porro regula omnis est illud vinculum morale. Regula enim nihil aliud est quam medium certo & infallibiliter perveniendi ad finem intentum; ergo voluntas ejus qui vult assequi finem illum restringitur & quodammodo cogitur ad usurpandum illud medium, seu regulam propositam. Qui enim finem intendit, tenetur usurpare medium fini proposito proportionatum, nisi sibi ipsi contradicere & a fine excidere velit. Ligatur ergo tunc voluntas, libertas restringitur & ad tale potius quam tale applicatur. Ergo vera est & veri nominis obligatio.

R. 3. Ad prob. dist. Ratio formaliter sumpta ab homine non distinguitur: c. ratio principiative: n. Duplici sub respectu attendi & considerari potest ratio naturalis in se ac formaliter, deinde principiative, seu ratione principii. Ratio in se, quatenus est in nobis & abstrahendo a principio a quo oritur, nihil aliud est quam emanatio quædam, communicatio ac participatio legis æternæ, seu est promulgatio & applicatio legis æternæ menti humanæ facta. Hoc sensu sumpta, non distinguitur ab homine aut ab ejus mente. Ratio principiative sumpta est ratio Dei æterna ac immutabilis a qua derivatur, prorsus distincta a voluntate Dei libera & positiva. Sic intellecta ratio prorsus ab humana mente distinguitur; hinc etiam obligans ab obligato sufficienter distinguitur.

Inst. Atqui obligatio quæcunque supponit obligantem ab obligato distinctum. Obligatio enim quælibet est debitum: sed debitum supponit obligantem ab obligato distinctum; debitum enim semper est ad alterum. Ergo.

R. dist. maj. Obligatio est debitum late: c. stricte: n. In moralibus sæpe vox eadem latius extenditur, sæpe etiam specialiori sensu restringitur; ita omnes linguæ terminos aut extendunt, aut restringunt. Nihil obstat ergo quin voce debiti utamur lato sensu ad designandam obligationem componendi actiones ad normam rectæ rationi. Debitum hoc sensu non est semper ad alterum.

Inst. Nulla admitti potest obligatio interna. Hic quæritur obligatio vere & stricte; jam vero, Deo non existente, nulla potest esse obligatio vere & stricte. Deo enim non existente, nullus est sceleris vindex, nullus virtutis remunerator, nullus est qui coactiva auctoritate polleat. Sed ubi hæc desunt, jam nulla est obligatio vere & stricte sumpta. Unde sic urgere licet: Nulla est obligatio vere & stricte, ubi nullum est ens intelligens quod coactiva gaudeat auctoritate: sed in obligatione interna nullum est ens quod coactiva gaudeat auctoritate. Ergo obligatio interna non est vere & proprie dicta.

R. 1. n. maj. Obligatio non fit vera & stricta ex pœnarum vel præmiorum sanctione; est enim illa huic anterior, sed ex reali libertatis restrictione. Nec enim vere & proprie obligamur, quia aut timenda pœna, aut speranda merces, sed quia restringitur libertas. Porro ex pœnis ac præmiis excitatur quidem voluntas, non vero proprie loquendo restringitur. Supponamus enim legitimum aliquem Principem legitima aliqua præcipere, sed sufficientem non habere potestatem ut pœnas aut præmia vel decernat, vel distribuat, illæsa manebit & solida obligatio. Quin immo poterit ens quodlibet viribus præpollens præmiis ac suppliciis ad obedientiam cogere, licet non legitimam, sed si nulla supponatur anterior obsequii obligatio, erit potius utilitatis propriæ quam officii sensus. Legis itaque sanctio præcepti majestatem munit, cogit ad obsequium, at non est obligationis seu legis ratio constitutiva. Uno verbo sanctio firma legem & obligationem

nem est potius obligationis observandæ motivum quam ipsa obligatio aut ejus fundamentum.

R. 2. n. min. Hoc sensu intellectam quod in obligatione interna nulla sit sanctio; est enim, ex probatis, internæ obligationi interna correspondens sanctio quæ in ipsamet rerum natura fundatur; approbatur quidem a Deo, sed voluntate necessaria, nec magis pendet a Deo, aut eam supponit ut causam quam rerum essentiæ.

Inst. Atqui in obligatione interna nulla est sanctio. In eo consisteret illa sanctio quod homo, incognita Dei existentia, obligationem a lege naturali impositam violare non posset quin stimulis agitaretur & seipsum condemnaret: porro hæc tantum vera sunt quoad obligationem quam imponit ratio naturalis, id est, quam ratio naturalis manifestat ipsi ab ente superiori & intelligente esse impositam, sed spectare non possunt obligationem independenter a superiore. Obligatio enim necessarium dicit ordinem ad legem, lex ad Legislatorem; lex enim nihil aliud est quam Legislatoris voluntas. Ergo nulla supponi potest obligatio a sola ratione, naturæ principiis fundata, uno verbo nulla supponi potest obligatio, ac consequenter sanctio interna. Ex his sic concludo. Sanctio quæ dicitur interna in eo consistit quod homo legem naturalem violare non possit quin seipsum condemnet ac reprehendat: sed illa sanctio sequitur tantum obligationem quam ratio manifestat ab intelligenti superiore impositam. Ergo.

R. n. min. Sanctio enim illa sequitur ex hominis natura, in hoc posita est quod homo violando legem naturalem dissonet principiis naturalibus & sibi intrinsecis; porro sanctio illa non sequitur obligationem quam ratio manifestat a superiore intelligenti impositam. Vel enim sanctio, vel obligatio penderet a positiva intelligentis superioris voluntate; jam vero 1. sanctio non pendet a voluntate positiva cujuscunque superioris. Nam sanctio interna tria complectitur: 1. principia quibus nititur; 2. connexio principiorum illorum cum suo effectu; denique effectus ipse, seu remorsus & tacita reprehensio. Porro nihil horum pendent a voluntate positiva Legislatoris cujuscunque, etiam Dei. Principia illa sunt homini intrinseca; & hoc ipso non magis pendent a positiva Dei voluntate quam ipsa hominis natura cujus sunt pars. Non etiam eorum connexio cum suo effectu, seu cum interno mœrore. Nam connexio illa & nostra & principiorum illorum natura fundatur. Non denique ipse effectus seu remorsus; eo ipso enim quo principia illa sunt homini intrinseca, homo non potest se eodem modo habere ubi illa violavit, ac ubi illa servavit; non potest non contristari de illa violatione & sibi deliberatum delictum non objicere. Nec etiam obligatio pendet a libera Dei voluntate. 1. Enim veritas principiorum practicorum non pendet ab illa voluntate; nec homo non potest illa principia cognoscere. Deinde proportio illorum principiorum cum natura nostra non pendet etiam ab illa voluntate; sed illa proportio est præsentis obligationis fundamentum. 3. Denique violatis illis principiis destruitur illa eorum cum nostra natura proportio, & quidem independenter a voluntate Dei libera; ergo independenter a voluntate Dei libera homo a proposito fine excidit, nec potest non sibi displicere.

Inst. Obligatio illa in rerum natura fundata semper supponit superiorem aliquem intelligentem, aut ut obliget, aut saltem ut manifestetur.

R. n. ant. Vel enim obligatio interna supponeret intelligentem superiorem vel quoad obligationem ipsam, vel quoad ejus promulgationem & manifestationem: porro neutrum dici potest. Non quoad obligationem. Tunc enim nullum posset afferri discrimen inter naturalem & positivam obligationem; seu nulla esset obligatio nisi positiva. Undenam enim desumeretur illud discrimen? An ex eo quod obligatio interna, non item positiva, lumine naturali innotescat? Sed fatentibus adversariis, obligatio legis naturalis, licet non interna, lumine naturali innotescit. Deinde discrimen illud non est nisi extrinsecum; nec enim se tenet nisi ex parte modi manifesta-

festationis; quod non ponit discrimen intrinsecum. Religio enim christiana a naturali non differt intrinsece ex modo quo utraque manifestata est. Ergo obligatio interna ab externa essentialiter inde non differret. An discrimen illud reponetur in proportione immediata & essentiali quam habet nostra cum natura obligatio interna, id est, in eo quod essentialiter fundetur in natura nostra? Jam obligatio non magis supponit Legislatorem intelligentem positiva voluntate decernentem quam ipsamet natura nostra. Quantum ad promulgationem, non constituit obligationem, est tantum conditio ad observandam legem prærequisita. Promulgatio illa, etiamsi esset obligationis constitutiva, supponit tantum existentiam Legislatoris, Dei, v. gr. non vero exigit ut Legislator voluntate positiva obligationem decernat. Denique obligatio interna sufficienter manifestatur per internam hominis constitutionem, per principia ipsi intrinseca, &c.

Inst. Esto quod obligatio interna dici possit obligatio aliquo sensu, non est tamen obligatio vero, proprio & stricto sensu. Sola obligatio externa est obligatio stricte.

R. n. ant. Ex concessis obligatio externa est obligatio stricte; ergo obligatio interna a fortiori est obligatio stricte. Tota enim vis extrinsecæ obligationis oritur ab obligatione interna. Si quis enim quærat cur Deo vel Legislatori cuicunque voluntate libera & positiva præcipienti morem gerere debeamus, nulla ratio reddi, nec aliud responderi potest nisi quod Deo & legitimo superiori obediendum esse dictet ratio. Ergo rationis dictamen est ratio ultima cur valeat obligatio externa. Vel enim rationis dictamen, seu obligatio interna est ultima externæ ac positivæ obligationis ratio, vel superioris conditio est illa ratio ultima; sed superioris conditio non potest esse ultima obligationis ratio, quin vel describatur circulus vitiosus, vel Hobbii erroris labes contrahatur: si enim dicatur obediendum esse superiori quia superior est, vel est superior ex potestate irresistibili, vel ex consensu & pacto tantum, & tunc Hobbianum obtinet systema; vel est superior, quia auctoritate legitima gaudet, & tunc fit circulus vitiosus. Tunc enim superiori obediendum est, quia superiori obediendum est. Deus enim obedientiam exigere non potest nisi legitimo titulo: sed titulus ille legitimus non potest esse superioritas sine circulo vitioso: ut enim vitetur circulus vitiosus, debet proferri motivum ab ipsa superioritate distinctum; sed ut proferatur tale motivum, recurrendum est ad rerum naturam & essentiam. Sola enim rerum natura & essentia a libera voluntate & arbitraria superioritate distinguitur. Ergo nisi obligatio interna sit externæ obligationis ultima ratio & radix, revolvitur circulus vitiosus. Ergo eo ipso quo obligatio externa est vera & stricta, eo ipso vera est & stricta obligatio quæ dicitur interna, utpote quæ sola sit externæ obligationis radix & fundamentum.

Inst. Deo non existente vera quidem forent principia practica, sed speculative tantum: atqui tunc vere & stricte non obligarent. Non magis enim obligarent quam principia speculativa: sed principia speculativa non obligant vere & stricte; ergo nec vere & stricte obligant principia practica licet sint speculative vera.

R. 1. Argumentum istud extra disputationis orbem excurrere. Aliud est enim obligationem internam pendere a Deo existente, & aliud eam pendere a Deo libere volente. Primum propugnari posset, neutiquam secundum.



R. 2. n. maj. Principia practica non tantum speculative, sed etiam practice vera sunt: ergo non tantum speculative, sed & practice obligant. Vellem scire quid sit ista obligatio mere speculativa. Quælibet enim obligatio directe praxim spectat. Eo ipso quo ratio dictat hoc aut illud esse agendum, aut fugiendum, eo ipso homo ad id obligatur. Nihil magis rectæ rationi congruit quam ut actiones nostræ naturæ consonent.

R. 3. n. min. Ex concessis principia practica non magis obligarent quam speculativa; sed fatente Puffendorfio, principia

cipia

cipia speculativa vere & stricte obligans. Ergo & sic obligarent principia practica.

Inst. Culpam aut reatum non incurrit qui violat principia speculativa; ergo nec qui prætergreditur practica. Ergo veram & strictam obligationem non important principia practica.

R. dist. ant. Culpam aut reatum moralem non incurrit qui principia speculativa violat: c. culpam nullam, reatum nullum incurrit: n. qui principia speculativa violat, insanus dicendus est, male ratiocinatur, nec contra mores hoc ipso peccat; principia enim illa non sunt in ordine ad mores. Principia autem practica cum mores & praxim spectent, eorum transgressio fit in ordine moralis & praxeos; ergo fit practica & moralis. Uno verbo talis est obligatio qualis est lex ex qua oritur: utraque principia sunt homini interna; ergo utraque eorum obligatio est interna. Principia speculativa mores non spectant; ergo eorum appendix obligatio non est in ordine ad mores. Principia practica ordinem dicunt ad mores; ergo & obligatio quæ illa principia consequitur est in ordine ad mores & practica.

Inst. Atqui Deo non existente, principia practica veram & strictam obligationem non inducerent. Deo enim non existente, mens quidem perciperet essentiales rerum differentias; at perceptio seu cognitio illa esset omnino sterilis, otiosa & speculativa. Illa enim perceptio esset sterilis, otiosa & speculativa quæ homines non posset continere in officio: atqui Deo non existente, perceptio de qua agitur non posset homines in officio continere. Ergo Deo non existente, principia practica veram & strictam obligationem non inducunt.

R. 1. n. prim. min. Illa enim perceptio non est sterilis & otiosa quæ ex una parte libertatis exercitium per se restringit, ex altera vero ad sui observationem cogit, saltem suo modo. Atqui hæc duo vera sunt. Ex dictis enim principiorum practicorum observatio, seu lex naturalis est medium certum, immo absolute necessarium ad perveniendum ad finem naturæ nostræ proportionatum; ergo ex hoc restringitur libertatis exercitium. Deinde per sanctionem internam sufficienter cogit ad sui observationem, saltem suo modo. Huc recurrunt mox datæ responsiones.

R. 2. n. ult. maj. Ex eo quod enim perceptio allata homines non possit in officio continere, sequitur quidem legem aut potius ejus sanctionem esse imperfectam, non vero sequitur utranque nullam esse. Posita etiam existentia Dei, obligatio & sanctio legis naturalis non potest homines in officio continere; & tamen adest vera & stricta obligatio. Ante cognitam enim Dei existentiam homo teneretur perceptæ rerum differentiæ acquiescere & ad ejus normam se componere; ergo licet id non exequeretur, non minus vera premeretur obligatione. Ergo ex eo quod perceptio illa homines in officio continere non possit, non sequitur nullam ipsi annexam esse obligationem.

Inst. Atqui ante cognitam Dei existentiam, seu Deo non existente, perceptio differentiæ rerum est sterilis & otiosa. Intellectus enim ante cognitam Dei existentiam perceptæ rerum differentiæ acquiescere quidem tenetur speculative, immo teneretur practive, nisi alio motivo fortiori & in natura fundato in adversam partem impelleretur; sed revera tali motivo ad inobedientiam impellitur. Licet enim speculative loquendo homo teneatur actiones suas externas perceptæ rerum distinctioni & differentiæ conformare, dum tamen non agnoscitur Deus, jam nulla adest practica obligatio. Tunc enim nulla adest talis obligatio quando ex adversa parte urget obligatio fortior, id est fortiori motivo fundata: porro dum nullus agnoscitur Deus, adversus primam obligationem urget altera & quidem fortior, nempe propria utilitas, quæ quidem fortiori premit obligatione. Namque obligatio legis naturalis, si Deo incognito, vel non existente, vigeret, fundaretur semper in mera libertate; utilitas vero in necessitate ineluctabili fundatur: ergo posterior hæc obligatio est fortior: hæc sic resumo: Illa obligatio nulla est quæ alia fortiori opposita destruitur: atqui legis naturalis obligatio, Deo non existente, aut incogni-

gnito; destruitur alia obligatione fortiori opposita, nempe propria utilitate. Ergo legis naturalis obligatio, Deo non existente, aut incognito, nulla est.

Resp. 1. n. maj. Nec enim omnino verum est obligationem quæ ab alia destruitur nullam esse in se. Fit quidem nulla, quia in tali casu nullam habet applicationem, sed lex vim obligandi semper servat, & sublata oppositione, effectum suum sortietur. In exemplo allato ubi utilitas non opponetur cum lege naturali, hæc jura sua resumet, eodem fere modo quo stat istud principium: suum unicuique reddendum est, licet suam applicationem non habeat ubi agitur de ense furiosis reddendo.

Resp. 2. n. min. Scilicet legis naturalis obligationem, Deo non existente, aut incognito, destrui alia obligatione fortiori, nempe utilitate. Nam utilitas illa ad cujus lancem æstimanda foret obligatio, vel foret utilitas quælibet & quocunque sensu intellecta, & per quæcunque media procuranda, vel foret utilitas rectæ rationi conformis: atqui 1. Utilitas illa quælibet non potest dici fortior obligatio, Deo non existente, aut incognito. Utilitas illa tunc foret unica obligatio: sed utilitas quælibet & quocunque sensu intellecta non potest esse unica obligatio; tunc enim recurrerent modo recensita tum Carneadis, tum Hobbii, tum Spinosæ systematum incommoda. Deinde obligatio illa vigeret vel ex se & ex natura sua, vel non; si primum, ergo Deo etiam non existente, aut incognito, existere & concipi potest vera & stricta obligatio; utilitas enim non potest esse obligatio, aut obligationis principium, nisi quia naturali lumine innotescit, ac proinde sit obligatio interna: atqui tamen objectio negat Deo non existente, aut incognito ullam posse supponi obligationem veram. Ergo. Deinde si utilitas illa per se obligat, si fundatur in necessitate naturæ, Deo non existente, ergo talis est Deo etiam existente & cognito. Ex Dei enim existentia & cognitione non mutantur essentiæ rerum. Si secundum; ergo ad rem non venit. Ergo utilitas quælibet & quomodo accepta non potest esse obligatio fortior lege naturali, etiam Deo non existente, aut incognito. 2. Utilitas rite intellecta est pars legis naturalis, ac consequenter non potest oppositam & fortiorem lege naturali obligationem inducere.

R. 3. transf. totum arg. Nimis probat, ergo nihil. Fortior enim illa obligatio oritur ex eo quod utilitas fundetur in necessitate ineluctabili; sed utilitas nec minori, nec minus ineluctabili necessitate fundatur Deo etiam existente & cognito: ergo Deo etiam existente & cognito, fortior esset obligatio quam lex naturalis. Deo enim licet existente & cognito, lex naturalis æque fundatur in mera libertate. Idem dic de lege divina Evangelica sub qua utilitas juxta propositum argumentum, utpote semper in necessitate naturæ fundata, semper debet esse quacunque alia obligatione in libertate fundata fortior. Unde ex illo argumento sequeretur legem etiam Evangelicam destrui per utilitatem. Hinc Atheus, ut in placitis Hobbii, nulla teneretur obligatione. Deinde undenam Deo existente, utilitas non foret fortior obligatio? Certe ex accedente Dei voluntate, seu quia Deus moderandam utilitatem imperaret. Nova illa obligatio tunc oriretur vel ex voluntate Dei sola & nude spectata, vel ex superaddita sanctione externa & positiva. Jam vero primum dici non potest. Nam quæritur ratio ultima cur illa Dei voluntas sit justa, non tyrannica. Non secundum. Nam sanctio præcise non facit obligationem, sed eam supponit & munit: deinde additur illa sanctio, quia alias homines in suo officio contineri non possent. At inde non sequitur nullam fore obligationem, sed tantum fore imperfectam. Nec desinit esse imperfecta illa obligatio posita etiam sanctione divina externa; ut postea videbitur ubi de insufficientia legis naturalis. Uno verbo Deo non existente, aut incognito, imperfecta foret legis naturalis obligatio, non vero nulla.

R. 4. Totum istud argumentum supponit quæstionem. Tum quia supponit, ut jam observavi, aliquam esse veram & stri-

& strictam obligationem Deo non existente, utilitatem nempe; tum quia negare non possunt adversarii, & supponere videtur objectio, veram & strictam obligationem in foro interno; urgetur enim hic quantum ad actiones externas. Obligationem in foro interno fatetur ipse Hobbius; jam vero hoc ipso supponitur vera & stricta obligatio Deo non existente nec cognito; nulla afferri potest legitima disparitatis ratio pro actionibus externis. Ergo.

Inst. Atqui utilitas est obligatio fortior. Obligatio enim quæ fundatur in naturali necessitate fortior est quam ea quæ fundatur in mera libertate: atqui obligatio quam parit utilitas fundatur in naturæ necessitate; quæ vero oritur ex lege naturali, fundatur in mera libertate: ergo prima est fortior.

R. 1. n. maj. Obligationem, scilicet quæ fundatur in necessitate naturæ fortiorem esse alia quæ libertate naturæ nititur: veritas enim obligationis non magis oritur ex necessitate quam infert, quam certa vis certitudinis ex eadem necessitate. Certitudo enim rationalis & vera oritur ex firmitate connexionis motivum inter & rem cognoscendam; minime vero ex vivida impressione qua nos afficit ac necessario determinat. Sic certitudo metaphysica non est major ex eo quod vel invitis rapiat assensum, sed ex eo quod tam firma sit ejus cum veritate connexio, ut ne divinitus quidem moveri possit. Evidentia rapit necessario assensum, fides neutiquam; nec tamen evidentia fide certior est. Evidentia non ideo est certa veritatis regula quia necessario rapit assensum, sed ideo rapit assensum quia est certa veritatis regula. Pariter veritas obligationis non oritur præcise ex necessitate qua nos determinat, sed ex firmitate proportionis cum natura nostra, seu ex eo quod possit lex aut regula proposita nos ducere ad finem nobis destinatum. Nedum autem utilitas sit obligatio fortior, immo nullatenus est lex aut obligatio. Est propensio, inclinatio; sed propensio non est lex, immo exigit legem qua dirigatur. Propensio naturalis semper necessitatem importat, saltem quoad motus primo-primos; obligatio semper necessitatem excludit.

R. 2. dist. maj. Obligatio quæ fundatur in necessitate absoluta major est ea quæ fundatur in libertate: n. Obligatio quæ fundatur in necessitate morali major est ea quæ fundatur in libertate: subd. in libertate, id est, in libera electione & acceptatione: c. quæ fundatur in libertate, id est, quæ libertatis usum & exercitium prærequirit: n. Pariter dist. min. obligatio quam parit utilitas fundatur necessitate absoluta & ineluctabili: c. morali: subd. ratione determinationis: c. ratione sui & propensionis ad utilitatem: n. Pariter obligatio legis naturalis nititur libertate, id est, nititur necessitate morali quæ compatitur libertati: c. nititur libertate, id est, totam suam vim desumit a libera & propria electione & determinatione: n. Itaque duplex 1. distinguenda venit necessitas absoluta & ineluctabilis una, moralis altera. Hæc necessitas moralis est affectio legis simul & voluntatis, in eoque consistit quod libertas restringatur per legem in electione mediorum ad assequendum finem propositum. Moralis dicitur quia est in ordine morum. Duplici deinde sub respectu considerari potest utilitas vel ratione sui, seu in quantum est propensio ad bonum & utile in genere, vel ratione suæ determinationis & applicationis, seu in quantum propensio generalis determinatur & applicatur ad tale vel tale bonum aut utile in particulari. 1. Sensu utilitas necessitatem infert; posteriori vero libertatem importat: denique duplici modo aliqua obligatio dici potest nixa libertate eo nimirum sensu, vel quod libertatem prærequirat ad executionem, vel quod totam vim suam hauriat ex libertate, seu ex libera acceptatione.

His præeuntibus dico 1. utilitatem ratione propensionis ad utile in genere niti necessitate absoluta & ineluctabili; & hoc ipso non posse esse obligationem aut obligationis principium. In tantum enim esset vera & stricta obligatio, aut veræ & strictæ obligationis principium, in quantum fortius restringeret libertatis exercitium: atqui hoc falsum est. Nam ut sit vera & stricta obligatio debet

bet quidem ex una parte restringi moraliter libertatis exercitium, at ex altera debet manere illud libertatis exercitium in adimplenda obligatione; ideo enim solus homo obligationis & legis alicujus est capax, quia solus & ratione & libertate præditus est; sed utilitas quatenus est propensio in utile in genere & necessitate nititur; infert necessitatem ineluctabilem & absolutam. Deinde propensio illa spectat bonum & utile in genere, lex vero & obligatio tota est in applicatione, & versatur circa particularia. Dico 2. utilitatem quoad determinationem, seu propensionem generalem quatenus determinatur ad tale vel tale utile in particulari legis & obligationis nomine gloriari non posse, nam inde sequeretur id omne tunc justum esse quod est utile; aut nullum esse peccatum morale, aut illud incurri ex propriæ utilitatis neglectu; quæ omnia falsa sunt. Nemo enim dixerit, Deo etiam non existente, nullum esse bonum aut malum morale; nemo etiam peccatum morale constituerit in propriæ utilitatis neglectu. Dico 3. obligationem legis naturalis, Deo etiam non existente, ea in necessitate fundari quæ ad veram & strictam obligationem requiritur. Ex una enim parte nititur essentia & natura nostra, & necessariam cum nostra natura dicit proportionem, ex altera vero eam homini imponit necessitatem, ut si obligationem illam excutiat, jam a suo deficiat fine & internum experiatur cruciatum.

Inst. Atqui sola obligatio quam parit utilitas ea nititur necessitate morali quæ ad veram obligationem prærequiritur. Legis enim cujuscunque principia inter se nunquam pugnare possunt; porro secum pugnarent aliquando si, Deo non existente, obligaret, non pugnabunt si obliget utilitas. Nam supponamus aliquem desperatæ miseriæ addictum fore nisi proprium patrem occidat, & patris conservationem cum filii felicitate & conservatione pugnare. Deo non existente, aut incognito, seu antecedenter ad voluntatem Dei positivam non potest vi legis naturalis teneri ad parendum patri, nisi lex naturalis sibi contradicat. Propensio enim in propriam felicitatem, seu obligatio propriæ invigilandi conservationi & utilitati est a natura, est pars legis naturalis; ergo tunc lex naturalis cogeret simul ad abdicandam propriam utilitatem & felicitatem, & simul ad eam quærendam cogeret. Ergo tunc sibi contradiceret. Ergo tunc sola viget utilitatis obligatio. Unde sic strictius urgere licet. Illud solum, Deo non existente, aut incognito, parit veram & strictam obligationem cui nullum aliud opponitur rationale veræ & strictæ obligationis fundamentum: atqui, Deo non existente, aut incognito, obligationi quam parit utilitas nullum aliud opponitur veræ & strictæ obligationis rationale fundamentum. Illud enim fundamentum foret lex naturalis: sed lex naturalis sibi contradicit, saltem in aliquo casu. Ergo non est fundamentum, &c.

Resp. 1. n. maj. Juxta objectionem, fundamentum veræ & strictæ obligationis legi naturali oppositum, uno tantum in casu legi naturali opponitur, nempe in hypothesi: quod huic privata opponeretur utilitas; jam vero inde non sequitur legem naturalem & utilitatem secum pugnare, sequeretur tantum, & quidem ad majus, legem naturalem exceptionem aliquam pati, seu quædam ejus præcepta, concurrentibus aliis præceptis, suam applicationem non habere; ut contingit circa ensem furioso reddendum.

R. 2. Argumentum allatum eodem vitio laborat ac præcedentia, & supponit quæstionem. Supponit enim argumentum illud, Deo non existente, aut incognito, existere obligationem per se a lege naturali distinctam. Supponit enim legem, seu obligationem veram & strictam, Deo non existente, aut incognito, nempe propriæ conservationis & felicitatis obligationem. Etenim, Deo non existente, aut incognito, seu antecedenter ad voluntatem ejus positivam, homo in prædicta hypothesi potest & debet occidere patrem; ergo in data hypothesi adest lex vere obligans. Vel enim jus habet occidendi patris, vel non. Si primum, ergo adest jussum, ac proinde lex antecedens Dei exi-

existentiam & voluntatem saltem cognitam. Si secundum, ergo restringitur hominis libertas antecedenter ad eandem Dei existentiam & voluntatem cognitam.

R. 3. Non nos premit hæc difficultas, sed eos potius qui vim & energiam obligationis repetunt ex felicitate. Si enim omnis obligatio ad felicitatem assequendam revocetur, manifestum est quod in data hypothesi ex una parte urgeat propria utilitas, seu felicitas genuinum veræ obligationis fundamentum; ex altera vero premat lex naturalis cujus æquitatem & robur declinare aperte nemo audeat. At statuendo legem naturalem supremam felicitatis aibitram, nulla unquam potest esse oppositio. Item hæc difficultas non nos solos spectat, sed & eos qui ad voluntatem Dei positivam stare faciunt jus & rectum, nobisque & illis communis est. Deus enim etiam existens voluntate positiva jubet propriæ felicitatis curam, & tamen eadem voluntate patris occisionem prohibet, nec profecto sibi contradicit: ergo nec sibi adversatur lex naturalis in utroque præcepto. Denique in quocunque systemate saltem lex naturalis est directiva, docet quid agendum, quid fugiendum. Ergo dirigeret simul ad obtinendam felicitatem per occisionem patris & ad non occidendum patrem; nemini enim dubium est quin etiam, Deo non existente aut incognito, ratio prohibeat parricidium. Ergo dirigeret ad duo contradictoria: sed non magis potest dirigere ad duo contradictoria, quam ad ea obligare. Ergo.

R. 4. dist. prob. Vi legis naturalis tenetur propriæ felicitati invigilare per media legi ac rationi naturali proportionata: c. per quæcunque media etiam legi ac rationi naturali improbata: n. Solutio facilis est, nec ulla fere expositione indiget. Etiam, Deo existente, manet eadem in propriam felicitatem propensio; per se cogit, si volueris ad sui obsequium, at non per quæcunque media, sed ratio dirigit hanc propensionem quam inseruit, decernitque media sibi convenientia, nec sane omnia absque delectu proponit. Idem dic de eadem recta ratione, seu lege naturali antecedenter ad Deum existentem aut cognitum; & ut exemplo proposito insistam, in casu allato, desiderium, seu lex propriæ felicitatis non intimat patris occisionem. Deo enim non existente, naturalis vigeret amor & propensio in parentes; homo ergo occidendo patrem, ageret contra naturalem propensionem qua arcetur ab occidendo patre. Jus ergo occidendi patris contradiceret huic propensioni. Immo ex occiso patre felicitas non sequeretur; nam occidendo patrem filius ageret contra naturam; sed ex actione contra naturam, sequitur bellum intestinum, homo reperitur in statu violento, ergo sequitur miseria.

Duo hic annotanda remanent. 1. Licet boni & mali moralis determinatio a voluntate Dei non pendeat, maximum tamen legi naturali robur accedere ex illa voluntate Dei positiva, præsertim quoad sanctionem externam quam internæ decreto positivo superaddidit. 2. Ex hac philosophica & theologica lite nihil emolumenti decerpere possunt impii legis naturalis contemptores, cum constet Deum expresse legis naturalis obligationem & sanctionem obfirmasse ac suo sigillo muniisse. Nunc legis naturalis sanctionem aggrediamur.

QUÆSTIO V.

De Sanctione Legis & Religionis naturalis.

Legis cujuscunque duæ partes distinguuntur, directiva una, coactiva altera. Pars directiva, quid agendum sit docet & determinat; pars vero coactiva pœnam & mercedem legis violationi, aut observationi debitam decernit. Hæc ultima pars legis dicitur sanctio. Sanctionis itaque nomine intelligitur pars illa legis quæ vel bonum aliquod ex observata lege promittit; vel malum aliquod ex ea violata minatur; promittit, inquam, vel minatur ex intentione & voluntate Legislatoris, ac vi legis observatæ. Legislativæ sanctionis generatim sumptæ ratio ultima est voluntas Legislatoris, materia vero bonum & malum. Ut autem innotescat quod-

nam

tam bonum vel malum fit materia sanctionis legis alicujus, observandum est, 1. Bona quædam esse quæ ab unica Creatoris liberalitate, aut a gratuita hominum benevolentia succedunt, aut propria industria acquiruntur. Hæc cum ex lege observata non proveniant, sanctionis nomen proprie non possunt sibi vindicare. 2. Alia sunt bona quæ necessaria consequentia ex virtutum exercitio sequuntur juxta necessariam, certam ac determinatam quandam Creatoris legem ac ordinationem, qua quibusdam actibus certum quendam effectum physicum & constantem alligavit. Sic v. gr. gaudium ex pacata conscientia oritur; angor vero ex turbata conscientia torquet. Bona illa dicuntur mercedes naturales. 3. Denique alia proveniunt ex libera & positiva Legislatoris voluntate hæc vel illa emolumenta operibus decernente, & dicuntur mercedes arbitrariæ. Quantum autem ad mala, alia sunt quæ naturæ nostræ sunt appendices, & possunt dici necessaria, ut mors, morbi generatim, &c. Alia sunt quæ parit peccatum physico influxu, & pœnæ naturales dici possunt; ut morbi quidam ex voluptatibus quibusdam contracti. Denique alia sunt quæ peccatum consequuntur vi determinationis & ordinationis positivæ Legislatoris. Hinc pro duplici bonorum vel malorum specie, quorum alia naturalia, seu necessaria; alia vero libera & accidentalia; duplex quoque distingui debet sanctio, una naturalis & interna ex rerum natura proveniens, altera positiva & externa a libera & positiva Legislatoris voluntate stabilita. Ad sanctionem positivam proprie dictam tria requiruntur. 1. Ut sit aliquod bonum vel malum verum & reale ac positivum. 2. Ut non sit naturalis, id est, physicus actionis effectus & a lege observata, vel violata independens; bonum vel malum illud debet esse quasi legi accidentale. 3. Denique ut vi legis observatæ vel violatæ, & ex intentione positiva Legislatoris, ac vi intentionis ejus ex actione sequantur in ejus pœnam ac vindictam. Bona autem quæ hic nominamus, non ea intelligimus quæ plenam omnimodamque felicitatem præstant, sed eam tantum cujus capax fit homo his in terris. Deinde monemus legem naturalem eo sensu esse felicitatis obtinendæ vim homini propositam; quod generatim loquendo legum naturalium observatio fit aptius ac certius medium perveniendi ad felicitatem & perfectionem sibi proportionatam. Deinde sub duplici respectu attendi potest homo, nempe vel ut ens physicum vel ut ens morale; legislativæ ergo sanctionis materia bonum vel malum duplex, scilicet physicum aut spirituale.

Ex his omnibus quæ diximus ubi de principiis legis naturalis, duplici titulo obligat lex illa. 1. Per se & ex natura sua. 2. Ex libera & positiva Dei voluntate qua positive decrevit & jussit hujus legis observationem. Duplici consequenter titulo viget ac premit legis naturalis sanctio. 1. Quia lex naturalis sicut per se obligat, sic per se plectit aut remunerat. 2. Quia sicut Deus vult libere & positive hujus legis observationem, sic libere & positive vult nativam legis hujus mercedem aut pœnam, immo multa sive bona, sive mala extraordinaria propria voluntate superaddit. Duplex itaque sanctionis species distingui debet. Scilicet sanctio alia interna, alia externa. Interna spectat quædam bona aut mala naturæ nostræ veluti intima, ut gaudium ex bona conscientia, dolores ex perversa. De his modo agebamus. Sanctio externa spectat extrinseca quædam bona & mala, quæ libera & extraordinaria voluntate legis naturalis observatoribus vel violatoribus irrogat aut patitur Deus. Bona autem illa aut mala alia huic vitæ præsentia sunt, alia vero in alteram vitam reservantur.

Eo itaque nunc tota hæc præsens devolvitur quæstio, nempe 1. An lex naturalis sanctionem sibi annexam habeat per se & vi sibi propria. Deinde utrum sanctionem illam confirmaverit, immo an aliquam addiderit Deus libera & positiva voluntate. Nostram de hac quæstione sententiam sequentes aperient Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Etiam in hac vita Lex & Religio naturalis pœnarum & præmiorum sanctione sibi intima & essentiali, per se firmata est.

PRob. 1. Ex natura legis & Religionis naturalis. Illa lex & Religio etiam in hac vita essentiali & sibi intima sanctione firmata est, & quidem per se, quæ pœnam & mercedem vi propria annexam sibi habet. Atqui talis est lex & Religio naturalis. Ad hoc enim satis est quod vi legis & Religionis naturalis observatæ vel violatæ bona vel mala quædam succedant: atqui res ita se habet. Ad hoc enim sufficit 1. quod lex & Religio naturalis sit regula homini data ad adipiscendam propriam felicitatem. 2. Quod hoc ipso bonum vel malum vi legis & Religionis hujus observatæ, vel violatæ, succedat: atqui hæc duo vera sunt. 1. Lex & Religio naturalis regula est homini data, &c. Ad hoc enim satis est quod homo indigeat aliqua regula cujus ope felicitatem suam acquirat, & deinde quod lex & Religio naturalis sit illa regula: atqui 1. homo indiget aliqua regula. Nam ut homo perveniat ad felicitatem sibi proportionatam, debet eligere media & objecta huic felicitati procurandæ idonea & proportionata: atqui nisi aliquam regulam habeat homo, hæc media & objecta eligere non poterit. Nam inter objecta quæ hominem ambiunt, alia ipsi ejusque felicitati conveniunt, alia vero ipsi repugnant; habent enim relationes inter se oppositas: atqui felicitas hominis in pluribus oppositis nequit consistere: ergo omnia objecta non æqualiter felicitati hominis conducunt. Ergo indiget aliqua regula cujus ope & discernat & eligat media & objecta suæ felicitati proportionata. 2. Lex & Religio naturalis est illa regula. Nam ex antea probatis, ratio finem hominis constituit, aut potius data est ipsi ut perveniat ad finem sibi destinatum. Ergo 1. Lex & Religio naturalis est regula homini data ad adipiscendam propriam felicitatem. 2. Hoc ipso vi legis & Religionis hujus observatæ vel violatæ quædam bona vel mala succedunt: Nam hoc ipso quod lex & Religio illa est regula, hoc ipso homo eam observando, bonum, ab ea vero deficiendo, malum sibi accerset. Repugnat enim hominem felicem esse ac fieri contemnendo rectam rationem quoad objectorum discretionem, seipsum dehonestando & agendo contra naturam suam. Ergo hoc ipso quod lex & Religio naturalis est regula, jam vi hujus observatæ vel violatæ bona quædam vel mala succedunt. Ergo sanctione sibi intima & essentiali per se firmatur illa lex & Religio etiam in hac vita.

Et certe ex probatis lex & Religio naturalis per se obligat. Ergo per se annexam sibi habet aliquam sanctionem. Nam non potest obligare lex nisi habeat sanctionem, & eodem modo sanctionem habet quo obligat: ergo cum per se & ex natura sua obliget, per se & ex natura sua sanctionem aliquam annexam sibi habet.

Præterea virtus nihil aliud est quam constans voluntas rationi & dictaminibus conscientiæ obtemperandi; vitium vero nihil aliud est quam contra rationem & conscientiam agere: atqui hoc posito, virtus bonum aliquod, vitium vero malum per se & vi sibi propria ac intima producit. Nam, ex probatis, hominem inter & principia moralia, ac proinde hominem inter & virtutem adest proportio naturalis: atqui posita illa proportione, jam homo principia illa ac virtutem sectando agit juxta naturalem inclinationem, propensionem ac destinationem suam; ea vero violando, contra illam destinationem & propensionem agit. Ergo principia illa servando sibi constat homo & pace perfruitur; ea vero violando, secum pugnat, secum divisus est. Ergo virtus bonum aliquod, vitium vero malum producit, &c.

Prob. 2. Ex effectibus legis & Religionis naturalis. Illa lex & Religio suam etiam in præsenti vita sanctionem sibi annexam habet per se & vi propria cujus observatio per se totius boni nostri naturalis aut immediate est effectrix, aut illius ab aliis meritoria est: e contra vero ejus violatio: atqui res ita se habet. Nam omne bonum nostrum

natu-

naturale, ex quo oritur felicitas nostra; nascitur vel ex conscientia ægritudinis experti, gratisque animi affectionibus, vel ex jucundis sensationibus propria aut aliena opera excitatis; mala e contra ad angores mentis revocantur, & ingratas molestasque sensationes quas nostra imprudentia, aut aliorum malevolentia excitat: atqui legis & Religionis naturalis observantia quantum ad nos pacem conciliat, quantum vero alios respicit naturali efficacia nostra promovet commoda, & hæc præstat per se & vi propria. 1. Pacem conciliat, ut modo supra probavimus. Et vero illa observantia pacem per se conciliat quæ per se angoris causas arcet, veros solidæ pacis fontes aperit, denique summa voluptate mentem perfundit. Atqui talis est per se & vi propria legis & Religionis naturalis observantia. 1. Angoris causas arcet. Angoris enim causæ ad duas potissimum revocari possunt, ad dubium nempe aut animi incertitudinem, & conscientiæ remorsus: atqui utrunque arcet per se lex & Religio naturalis. Dubium quidem. Quantumvis enim conetur Atheus Religionis principia excutere, & Divinitatis ac alterius vitæ sensum deponere, nullo huc usque solido saltem ac evidenti argumento hos sensus falsos esse sibi persuadere potuit, quia scilicet sensus illi naturales sunt & veri. Semper itaque versatur in ancipiti dubio circa sensuum illorum veritatem. Ac proinde semper torqueri debet mens illius: tum quia homo veritatem certam naturaliter quærit & amat, tum quia si veri sint sensus illi, multa inde timenda, multa speranda habet, tum quia ut sensus illos a se evellat & amoliatur contra naturam pugnare debet. Unde: ille necessario miser est qui pugnat contra naturam ac universalem totius humani generis sensum; ille e contra necessario felix est qui naturam & unanimem totius humani generis sensum sequitur atqui talis est legis & Religionis naturalis violator, e contra vero hujus observator. Nam ille naturam sequitur qui obtemperat naturali quam habet erga veritatem propensioni, qui timet & cavet mala quibus cavendis naturaliter determinatur, denique qui sensus naturales ac sibi congenitos fovet: atqui talis est legis & Religionis affecla; e contra vero Atheus. Ergo legis & Religionis naturalis observantia excludit per se primam angoris causam. Et certe lex & Religio naturalis hominem docet Divinitatis existentiam, alterius vitæ expectationem; porro si hæc vera sint, summum felicitatis apicem attigit legis naturalis observator; etiamsi vero hæc falsa forent, saltem lætari potest quod tutiorem & sapientiorem partem amplexus fuerit; nullum inde malum sibi timere potest. Ergo legis & Religionis naturalis observantia dubium arcet & tollit. Tollit etiam conscientiæ remorsus. Remorsus enim illi ex violata lege naturali nascuntur: atqui legis & Religionis naturalis observantia remorsus illos tollit vel ipsos præcavendo, vel nobis subministrando media quibus sedari possint. Remorsus quidem illos præcavet dum nos in innocentia ac integritate vitæ servat; sedat vero, cum poenitentiam & recursum ad Deum nobis inspirat. Ergo 1. angoris causas arcet & tollit per se Religio; 2. vero solidæ pacis fontes aperit. Duo sunt præcipui veræ & solidæ pacis fontes, nempe cum constat nobis nos partem amplecti magis rationi consentaneam, nosque amicitia cum Deo conjungi. Atqui hæc duo nobis constant ex Religionis observantia. 1. Certum est nos tunc amplecti partem rationi magis consentaneam. Nam certum est, ex dictis, Religionis observantiam esse rationi maxime consentaneam; constat enim Religionis naturalis præcepta ita naturæ nostræ, congenitisque nobis propensionibus attemperata esse, ut nobis composita ac ordinata esse evidenter videantur: atqui hic est fons veræ & solidæ pacis. Nam tunc certi sumus nos id esse quod esse debemus, nos id agere quod nos nostramque naturalem destinationem decet: atqui certitudo illa est fons veræ & solidæ pacis; quidquid enim naturale est, jucundum est. Sic ubi res aliqua in eo statu manet in quo esse debet juxta naturalem suam destinationem, quiescit & delectatur; e contra vero ubi violenta aliqua impressione ab illo statu dimovetur, turbatur & agitatur. Atqui Religionis naturalis obser-

vantia est naturalis nostra destinatio, nosterque status. Ergo per Religionis naturalis observantiam certi sumus nos esse in statu in quo esse debemus. Ergo certi sumus nos amplecti partem rationi magis consentaneam. Ergo certi sumus pacem nos assecuturos esse. Ergo Religionis naturalis observantia est fons veræ & solidæ pacis. 2. Ex Religionis naturalis observantia constat nos amicitia cum Deo conjungi. Nam ex probatis, constat Deum propensum esse maxima benevolentia erga justos ac fideles legis naturalis asseclas: atqui hæc certitudo maximam pacem conciliare debet. Nam tunc certi sumus nos Deo placere; illum amamus, nosque amat; sed æqualis est jucunditas & amare Deum & ab eo amari; dum enim amamus Deum, eum diligimus cum quo maximam proportionem & relationem habemus; dum ab eo amamur, ab eo diligimur a quo pendet omnis sors & conditio nostra. Ergo ex legis & Religionis naturalis observantia certi sumus nos amicitia cum Deo conjungi. Ergo legis hujus observantia veræ pacis fontes aperit.

3. Summa voluptate mentem perfundit. Legis enim & Religionis naturalis rigidos custodes videmus summo perfundi gaudio, pace suavissima perfrui, nec fine summo voluptatis sensu sua facta in memoriam revocare. Quo magis legis & Religionis naturalis principia scrutantur, quo magis iis insistunt, eo majorem inter se & illa principia proportionem agnoscunt, eo magis juxta naturalem propensionem duci se sentiunt. Ergo eo magis etiam lætari debent. Ergo legis & Religionis naturalis observantia quantum ad nos pacem conciliat.

2. Quantum ad alios, eadem observantia nostra promovet commoda. Vel enim agitur de privatis hominibus, vel de tota societate: atqui quantum ad utrunque lex & Religio naturalis nostra promovet commoda. 1. Quantum ad societatem. Ad hoc enim satis est quod in Religionis naturalis observantiam refundenda sint omnia societatis bona: atqui res ita est. Ut enim stet societas, requiritur justitia in Principibus, obedientia in subditis, fidelitas in contractibus: atqui hæc omnia in Religionis naturalis observantiam sunt refundenda. Ergo 1. Quantum ad societatem, &c. 2. Quantum ad privatos homines. Bona enim & commoda quæ ex aliorum & privatorum hominum commercio nobis provocare possumus, ad amorem & existimationem reduci possunt: atqui legis & Religionis naturalis observantia hæc duo nobis conciliat. 1. Amorem. Ex virtutis enim opinione nascitur in aliis quædam naturalis propensio ad eos amandos honorandosque qui fideliter in virtute sese exercent. Benefica voluntate aliorum movetur benevolentia. Ingenii candor, morum integritas, animi mansuetudo omnibus placent, omnium corda demulcent ac vinculo quodam sibi devinciunt. Ergo 1. amorem. 2. Existimationem. Nam illis solummodo nos nostraque omnia læti committimus in quibus nulla fraudis aut injustitiæ suspicio; illos laudare solemus in quibus quasdam virtutes eminere putamus. Longe diversa sortitur vitium. Ergo legis & Religionis naturalis observantia nostra apud alios promovet commoda, nobis vero pacem conciliat & quidem per se. Ergo sanctionem sibi intimam & essentialem habet etiam in hac vita. Habemus hic fatentem reum. Sic enim ipse Hobbius leviat. c. 31. „ Addam de pœnis naturalibus hoc tantum, quod peccata non „ constitutione consequantur, sed natura. Nulla fere est humana actio quæ „ initium non sit catenæ cujusdam consequentiarum adeo longæ ut ad finem „ ejus prospicere providentia humana „ nulla possit. Concatenantur autem accidentia jucunda & molesta adeo in„ solubiliter, ut qui jucundum sumit, „ molestum quod adhæret, quanquam „ improvisum, necessario etiam accipiat: quemadmodum vim inferentes „ punit vis aliena, intemperantiam puniunt morbi, &c. Et tales sunt quas „ voco pœnas naturales. „

CONCLUSIO II.

Lex & Religio naturalis Sanctionem externam annexam sibi habet etiam in hac vita.

PRob. Illa lex sanctionem externam sibi annexam habet etiam in hac vita

ta quæ bona vel mala sibi externa suæ observationi vel violationi annexa habet: atqui talis est lex & Religio naturalis. Nam sanitas corporis, bonorum hujus vitæ diuturna fruitio, opes multiplicatæ hæc sunt quædam bona externa & ab interno illo gaudio supra proposito distincta; sicut effectus his oppositi sunt mala externa ab internis penis distincti. Atqui hæc omnia bona exterius dat & confert legis & Religionis naturalis observatio, contraria inducit legis hujus violatio. Nam v. gr. vitam fovet ac tuetur temperantia, animæ facultates explicat, corpus in optimo statu ponit ac servat, dies nostros in longum producit, labori & ceteris omnibus vitæ civilis ac domesticæ muneribus nos disponit. Labor & industria bonum publicum & privatum promovent, opes multiplicant. Legis & Religionis naturalis observantia, ex dictis, apud omnes homines nostra promovet commoda; quod & internus & externus legis hujus effectus dici potest; innumera mala aut a nobis propellit, aut in nobis demulcet. Ergo.

CONCLUSIO III.

Sanctionem Legi & Religioni naturali in præsenti vita propriam, etiam in præsenti vita confirmavit & auxit Deus voluntate libera & positiva.

PRob. Ex dictis lex & Religio naturalis obligat per se & ex natura sua; at simul vult Deus positiva & libera voluntate ut servetur. Ergo eadem voluntate libera & positiva vult ut vigeat legis hujus sanctio. Lex enim quælibet eodem modo obligat quo sanctionem habet; languet enim obligatio nulla sanctione firmata, & lex caret tunc una parte sibi necessaria. Ergo Deus legis naturalis obligationem voluntate positiva velle non potest quin eadem voluntate decernat ejus sanctionem. Sicut enim iners esset obligatio, id est vis obligandi quam per se habet lex & Religio naturalis, nisi etiam per se haberet sanctionem huic obligationi correspondentem; sic sterilis esset Dei voluntas libera quæ hanc obligationem sancivit, nisi eadem voluntate sanctionem approbaret & confirmaret.

Immo auxisse videtur, dum bona quædam & mala arbitraria pro nutu aliquando distribuit ex servata vel violata lege naturæ. Quod facile esset probare innumeris argumentis & factis quæ deduci possent præsertim ex libris veteris testamenti; si quis enim eorum qui nobiscum hic non consentiunt, vellet eos libros eo auctoritatis gradu habere quo ceteras historias suscipit, occurrerent diluvium, ignis in Sodomam exardescens, &c. Et hanc sanctionis speciem ac ejus fidem omnes Populi alto defixam animo habuere, ut patet in historia Jonæ & exemplo S. Pauli in Actibus Apostolorum; uterque enim visus est talem scelerum pœnam sustinere, etiam Infidelium judicio. Sic quantum ad bona, constat ex Annalibus & Historiis Populorum Ægyptios, Persas, Græcos & præsertim Romanos, eo lætiori fortuna potitos fuisse quo magis legis naturalis observationi addicti erant, eo vero magis ab illa sorte excidisse, quo magis ab eadem observatione discedebant. Hinc exurgit probabile istud argumentum: Ille sanctionem legis naturalis auxit, qui quandoque etiam in præsenti vita quædam bona vel mala etiam in præsenti vita distribuit legi naturali & ejus observationi omnino extrinseca. Atqui res ita est. Ergo.

CONCLUSIO IV.

Lex & Religio naturalis suam habet Sanctionem etiam pro altera vita.

PRob. Ex probatis anima est immortalis ab extrinseco: atqui nullo alio fine anima hac immortalitate donatur, nisi ut virtuti aut vitio debitum præmium vel supplicium percipiat: nam certum est præsentem vitam esse tempus probationis & explorationis. Frustra Deus alteram vitam decrevisset, nisi hæc illius fuisset compensatio. Debuisset aut illam immortalitatem non decernere, aut hominem perpetuo relinquere in præsenti vita. Ergo nullo alio fine anima est immortalis ab extrinseco, nisi ut justo præmio vel supplicio donetur. Ergo lex & Religio naturalis suam habent sanctionem in futura vita.

Et

Et certe ex probatis eadem attributa quæ legis alicujus positionem probant, evincunt etiam & important sanctionem aliquam huic appositam: sed in præsenti vita lex & Religio naturalis non plenam, non sibi convenientem sortitur sanctionem; ergo attributa quæ hujus legis sanctionem stabiliunt, exigunt ut in altera vita exerceatur. Ergo.

Obj. 1. contra primam conclusionem. Duplex distingui potest legis naturalis sanctio: alia interna, alia externa; porro nulla legis naturalis assignari potest sanctio sive interna, sive externa. Ac 1. quidem de interna facile constare potest. Sanctio enim illa rerum essentiis nititur; jam vero nulla talis sanctio legi naturali adscribi potest. Talis enim est sanctio rerum essentiis fundata quales sunt ipsæmet rerum essentiæ, nullam exceptionem aut interruptionem pati potest, semper obtinere debet. Sicut ne uno quidem in casu dari potest homo sine intellectu aut voluntate, quia sic ejus configurationem regia manu ordinant & imperant rerum essentiæ, ita dari non potest, nequidem in uno casu, sanctio rerum essentiis fundata quæ suo frustretur effectu. Et vero sanctio legis naturalis semel tantum inter mille obtinet. Ergo quod effectu suo careat, non est tantum imperfectio, sed nullitas omnimoda, seu nulla omnino sanctio. Si enim semel tantum inter mille cessaret, nihil inde contra ejus vim & activitatem moralem. Ergo cum semel tantum inter mille effectum suum consequatur, nequidem moraliter dici potest habere lex naturalis sanctionem internam. Idem fit judicium de integra & totali legis naturalis sanctione ac de una ejus parte, nempe conscientiæ remorsu. Certe remorsus ille inter mille semel tantum debet pungere. Constat enim experientia & scripturæ sacræ auctoritate eo peccatorem devenire ut nulla stimuletur facti conscientia. Eadem docet experientia quemlibet hominem, quoties vehementiori passione absorbetur, aliorum objectorum vim non experiri. Ergo quoties peccator objectorum sensibilium affectu vehementi abripitur conscientiæ amaritudinem non experitur. Porro istud posterius sæpe sæpius & millies contingere debet. Quo magis enim exardescit objecti alicujus amor, eo debilius est oppositi desiderium; quo magis peccatum iteratur, eo decrescit ejus horror & odium. Ergo pro rata distributione semel tantum inter mille obtinet sanctio interna. Quin immo supponamus remorsum illum semper & constanter vim suam exercere, nihil inde concludi potest. Remordet enim facti conscientia, non præcise quia agit peccator contra naturalem & a natura primitus inditam inclinationem, sed quia agit contra actualem voluntatis propensionem, sicut quotidie cruciatur animus ex negotio contra vota succedente in quo nulla ex parte nostri moralis culpa intercessit. Ergo 1. sanctio legis interna naturalis nulla est: idem data proportione urgeri posset contra sanctionem externam. Ergo. Hæc sic paucis resumo. Sanctio interna est sanctio rerum essentiis fundata: atqui nulla talis datur sanctio. Ergo.

R. n. min. Datur enim sanctio fundata tum Dei attributis, scientia, nimirum, sanctitate & justitia, tum hominis constitutione, nempe sensu intimo ac facti conscientia & naturali propensione ad facti laudem vel vituperium.

Inst. Sanctio rerum essentiis fundata ne semel quidem exceptionem patitur, aut sua executione fraudari potest: atqui sanctio legis naturalis semper sua executione fraudatur: ergo rerum essentiis non fundatur.

R. 1. n. maj. Ex eo quod sanctio exceptionem patiatur, non sequitur eam rerum essentiis non fundari. Multæ sunt enim veritates metaphysicæ & rerum essentiis innixæ quæ tamen exceptionem aliquam experiantur. Sicut enim arbores germanum & essentialem sibi fructum non semper edunt, propter scilicet impedimenta quædam externa, sic sanctio rerum essentiis fundata aliqua impedimenta externa incurrere potest quibus a suo effectu arceatur. v. g. Defectus attentionis, ignorantia crassa & supina voluntatis corruptio.

R. 2. n. min. Aliquando, non semper suo frustratur effectu sanctio legis naturalis.

Inst. & prob. maj. scilicet sanctionem rerum essentiis fundatam nequidem semel

mel exceptionem pati. Essentiæ rerum nequidem semel variare possunt: ergo sanctio iis fundata nequidem semel suo possunt frustrari effectu.

R. dist. ant. Essentiæ rerum nequidem semel variare possunt in se: c. In suis effectibus: n. Essentiæ rerum in se sumptæ nihil aliud sunt quam consensio attributorum; hoc sensu variare non possunt. Fieri enim non potest ut attributa quæ sibi consentiunt, postea dissentiant: hinc fieri non potest ut detur homo sine intellectu aut voluntate. At quando agitur de effectibus rerum essentiis fundatis, effectus illi variare possunt propter impedimenta quædam externa.

Inst. & prob. min. Illa sanctio semper suo frustratur effectu quæ semel tantum inter mille eum obtinet: atqui talis est sanctio legis naturalis, præsertim quoad remorsus conscientiæ. Ergo.

R. n. min. Sanctionem illam vim suam exerere debere, præsertim quoad remorsus conscientiæ constat tum ex attributis Dei, tum ex hominis constitutione. Porro Dei attributa & hominis constitutio semper suo effectu frustrari non possunt. Jam vero remorsus illos suam vim non exercere nullo constat fere argumento nisi simplici hominum quorundam testimonio qui nullam fidem merentur. Ergo.

Inst. Eo decrescere debet conscientiæ remorsus quo vehementior est ad peccatum affectus, seu quo vividior est objecti peccaminosi impressio & frequentior sceleris actus: atqui hoc posito semel tantum inter mille suum effectum obtinere debet sanctio legis naturalis. Ergo.

R. n. min. Licet enim reperiri possint qui callo quodam suam obducant conscientiam, vel invitos tamen insequitur male acti conscientia.. Hæc sunt enim quæ contra eorum conatus nituntur. 1. Fieri non potest ut quandoque suorum actuum non reminiscantur.. 2. Fieri vix aut etiam nullatenus potest ut actus illos, ut in se sunt non æstiment. 3. Fieri non potest ut actus illos malos esse, ac consequenter pœna dignos non pronuntient. 4. Fieri non potest ut Dei vindicis notitiam ita penitus abradant. Atqui notiones illæ non tantum semel inter mille obtinent. Ergo.

Inst. Si semel tantum inter mille suo fraudaretur effectu sanctio legis naturalis, semper suum effectum sortiri censeretur. Ergo eo ipso quo semel tantum inter mille suum sortitur effectum eo semper privari censenda est.

R. 1. n. conseq. Si inter causam & effectum deprehendatur naturalis relatio & analogia, causa censeri hoc ipso debet: quod autem vel semel, vel millies suo defraudetur effectu, hoc externis casibus adscribi debet. Ita pariter inter factum male perpetratum & ejus conscientiam adest connexio naturalis contra quam præjudicare non possunt effectus sæpe frustrati, modo frustratio illa possit oriri ab aliquo legis naturalis sanctioni externo.

R. 2. Transeat totum argumentum. Supponit enim sanctionem naturalem semel tantum inter mille suum habere effectum; quod non concedimus, immo quod falsum aut saltem dubium esse pronuntiamus.

Inst. Etiamsi constans esset sanctio interna legis naturalis, nihil inde moveretur. Ideo enim sanctio illa suum sortiretur effectum, quia quoties contra eam agit impius secum dividitur, & contra naturalem inclinationem ac destinationem agit: atqui hæc ratio nulla est. Nam bellum illud intestinum quod experitur qui legem naturalem abdicat, non inde præcise oritur quod agat contra naturalem inclinationem, sed quod agat contra inclinationem actualem; unde ut homo sibi opponatur, sufficit quod agat contra actualem inclinationem præcise: ergo ex eo quod impius sibi opponatur, non sequitur eum agere contra inclinationem naturalem.

R. n. cons. Inclinatio enim actualis non titillat nisi quia est actualis determinatio propensionis quam natura indidit. Ideo v. gr. talem honorem, cibum vel voluptatem actu appetimus, quia naturali propensione ad honorem, cibum vel voluptatem generatim tendimus. Nos vero probavimus naturalem hominem inter & principia moralia inter-

tercedere proportionem ; inde , ficut alias ipfa teftatur experientia , angorem , triftitiam ac bellum inteftinum impiorum effe fortem deduximus . Ergo inclinatio contra quam agit impius eft naturalis , & inde fibi opponitur . Et fane undenam bellum illud omnes ubique experiuntur? Undenam tam conftans , tam uniformis apud omnes illa oppofitio ? Sane quia conftans & uniformis apud omnes eft propenfio in principia moralia . Undenam vero talis hæcce propenfio nifi quia eft naturalis ? Ergo naturalis eft etiam oppofitio de qua egimus.

Inft. In hoc pofita eft præcipue legis naturalis fanctio externa, quod majora fint virtutis quam vitii in hoc mundo emolumenta: atqui nulla ratio hæc eft. Nam ex tali fanctione boni femper deliciis affluere , mali e contra ærumnis abfumi deberent : atqui tamen contrarium conftans & uniformis teftatur experientia: ergo.

R. dift. maj. Boni femper deliciis affluere , mali ærumnis abfumi deberent , deliciis inquam , & ærumnis virtuti & vitio germanis & propriis : c. Virtuti & vitio extraneis & peregrinis: n. Itaque 1. jam obfervavimus in legislativæ fanctionis partes non venire bona quæ legis obfervatæ non funt appendices & ab ea non dependent, v. g. quæ ex mera ac generali in omnes Dei benevolentia, aut aliorum aut noftra induftria oriuntur . Non mirum ergo fi, etiam pofita legis naturalis fanctione , hujufmodi emolumentis careant juftiores, potiantur e contra fceleratiores . 2. Sedulo perpendi debent malorum & bonorum natura & proprietates , fuumque rei unicuique pretium & pondus tribuendum . Homines enim utpote anima & corpore conftantes, alia animæ, alia corporis, alia fpiritualia, alia fenfibilia bona infectantur . Immo inter bona, alia realia, apparentia alia. Hæc falfa, caduca, illa vera & permanentia funt. 3. Vera felicitas in iis confiftere non poteft quæ naturæ ac conftitutioni hominum contrariantur , eamque elevant ac deprimunt; unde cum ratio hominis fit præcipua ac nobilior hominis pars, quidquid rationem dedecet , hominis beatitudinem conftituere non poteft . Ex his fic concludo & difficultatem folvo . Bona vel mala quæ urget objectio , aut non vera , aut non vi legis obfervatæ vel violatæ fuccedunt ; ergo licet boni non femper his deliciis affluant , nec mali ærumnis premantur, ftat nihilominus legi naturali fua fanctio . Et vero quam exiftimationem fibi habet virtus , eam jure proprio ac innato fibi comparat ; fi odium in fe aliquorum quandoque concitet, id vel ex ignorantia, vel ex ementita vitii imputatione accidit . Ignominiam vero fugere non poffunt impii, nifi virtutum quas non habent fucata fimulatione. Neutri vero hac accidunt per fe , fed ex falfo fuppofita utrique utriufque fpecie ; ergo nedum hinc infirmetur immo & hinc magis ac magis confirmatur noftra propofitio.

Inft. Atqui licet mala vel bona juftis & injuftis provenientia non fint virtuti aut vitio propria, nihil inde: nihilominus certum eft bona vel mala five naturalia, five libera & accidentalia effe vera bona veraque mala. v.g. Reale malum eft angufta pauperies. Conftat etiam ea bona vel mala inæqualiter, nec pro meritorum gradu diftribui. Ergo lex naturalis fuæ & Legislatoris dignitati correfpondentem non habet fanctionem.

R. dift. confeq. Lex naturalis non habet . . . . . plene & perfecte correfpondentem: c. Imperfecte & inadæquate correfpondentem : n. Legis naturalis fanctio duplici modo perfecta vel imperfecta dici poteft, vel quoad conftantiam vel quoad extenfionem ; id eft , vel quia femper fuum fortitur effectum , vel quia eum in omnigenis bonis affequitur. Utroque fenfu imperfectam dicimus legem naturalem & ejus fanctionem ; nullam vero omnino inde ipfi fanctionem effe , pernegamus . Unde: ex una parte lex naturalis & ejus fanctio fuum aliquando fortitur effectum, hinc veram fanctionem huic legi adfcribimus ; ex altera vero non femper, non in omnibus fua gaudet fanctione lex naturalis , hinc & ejus infufficientiam & alterius vitæ dogma deducimus.

Obj. 2. Contra fecundam conclufionem. Inutilis eft fanctio legis naturalis pro altera vita. Nam, ex probatis, in pri-

prima conclusione virtus sibi ipsi præmium est, vitium vero supplicium, etiam in hac vita. Ergo præsens sanctio sufficit.

R. n. conseq. Etsi enim Deus suæ justitiæ signa aliquando edat, non eo tamen splendore ea profert ut plena sit legum ejus majestas. 1. Enim quantum ad bonos & justos, propter varia fortunæ tormenta & hominum malitiam sanctio naturalis impeditur. Dat quidem virtus conscientiæ pacem, sed acerbos corporis dolores non sedat; immo pacis illius suavitas ex illis doloribus non minimum labefactatur. Inter virtutes aliæ sunt quæ quandoque aut non advertuntur, aut debitis non donantur honoribus, aliæ sunt quæ sive ut acquirantur, sive ut serventur laborem & molestiam afferunt quibus suavitas quam in illis virtutibus degustant, quasi compensatur. Homo enim ex eo quod virtutem colat, humanitatis sensum omnem non exuit; dolori semper obnoxius perseverat; inde multum aut constringitur, aut retardatur. 2. Quantum ad impios, propter rerum humanarum conditionem sæpe sæpius sceleratissimi fucato virtutis colore illiti virtutis præmia sibi arrogant. Immo etiam horrendis licet facinoribus cruentati per illa scelera ad optatæ felicitatis fastigium pervenere. Hoc apud Paganos, Judæos, immo etiam Christianos contigisse testes sunt omnium populorum annales. Immo, si adversariis fides, si scelerum portenta illa audiamus, eo impietatis devenerunt ut callo veluti obducta conscientia nullum sui, nullum pudoris sensum experiatur. Ergo vel ipsum scelus cavendo & avertendo supplicio sufficeret; & quo quis sceleratior esset, eo & beatior; ergo nisi lex & Religio naturalis suam in altera vita sanctionem habeat, jam Deus sufficienter legum suarum observationi non invigilasset.

Inst. Eo reducuntur argumenta quæ sanctionem stabiliunt legis naturalis in altera vita, ut probent sanctionem illam Deum ejusque attributa maxime decere, maximamque attributa illa inter & sanctionem illam intercedere convenientiam: atqui hæc argumenta nihil probant; evincunt enim tantum verisimilitudinem & probabilitatem quæ in re tanti momenti non sufficit.

R. 1. n. min. Pondus enim maximum obtinet illa convenientiæ ratio si bene intelligatur. Convenientiæ nomine hic intelligimus relationem conformitatis inter plures res quarum una alteri fovendæ ac conservandæ idonea est ac destinata. Ratio illa fundamentum suum habet in necessitate hoc vel illud admittendi sine quo principia, alias recte inter se connexa & stabilita, stare non possent, dum tamen in hiis principiis nulla, ne levissima quidem suboriri potest vitii alicujus suspicio. Rem sic exemplo illustramus: Sit ampla ac superba domus, mira omnium partium dispositione, elegantique admodum architectura decorata. Fundamenta in quæ recumbit domus illa nemo videt; ea tamen solida esse ac domus altitudini & structuræ proportionata, quis inficias ibit? Quis, nisi positiva adsit ratio, in dubium revocabit? At vero qua ratione ducti omnes fundamentorum illorum cum tota domo accuratam proportionem pronuntiabunt? Nulla sane alia, nisi quod omnino improbabile sit sapientem Architectum ac adeo peritum sui oblitum hic esse, ac artem ejus & attentionem, in aliis rebus adeo sedulam, hic sibi defuisse. Sicut enim inter fundamentorum soliditatem & firmitatem domus ea intercedit convenientia ac proportio qua illa huic fovendæ destinata est, sic sapientem Architectum hanc proportionem servasse, omnino necesse est. Ratio vero convenientiæ eo validior est, quo major est necessitas qua innititur. Unde quo magis mens & consilium auctoris perspecta sunt, quo de ejus potentia ac sapientia certiores sumus, quo etiam eminentiores sunt illius virtutes, quo denique graviora ex opposita parte sequerentur incommoda, eo major incumbit necessitas illud admittendi; eo major proinde fit ac validior ratio convenientiæ. Hæc ad rem accommodemus. Summam in mundo physico & morali dominari ac relucere sapientiam dissimulare nobis non possumus. Hanc ergo sapientiam sibi hic non defuisse, singulasque partes sibi mutuo destinatas, sibi etiam cohærere pro-

num

num est concludere. Jam vero eadem Dei sapientia quæ sanctionem legis naturalis in præsenti vita legum & Legislatoris majestati condignam exigebat, sanctionem quoque in altera vita postulat. Alias nec Dei sapientiam in condendis legibus concipere nobis esset, nec gravissima quæ inde emergunt incommoda avertere possemus. Ergo sanctio legi & Religioni naturali debetur in altera vita ad vindicandam Dei sapientiam, & varia ejus secum concilianda attributa. Et hac necessitate innititur ratio convenientiæ a nobis allata.

R. 2. Ad probationem dico optandam quidem fore eam in omnibus evidentiam quæ ita assensum rapiat ut nulla dubii caligo mentem obnubilet; at multa sunt quæ talem evidentiam non suscipiunt, & tunc verisimilibus argumentis insistendum. Actum sane esset de plerisque negotiis, si soli evidentiæ standum esset. Talem agendi rationem vel ipsa docet natura, confirmatque generalis omnium sensus. Sic v. g. factum aliquod parum ex Historia notum, ex connexione cum alio facto inconcusse veritatis certum fit & ratum; ita vero ducuntur homines, quia veritas ex umbroso veluti loco sublucescens, immobilem certitudinis gradum adipiscitur ubi cum aliis veritatibus aperta ac meridiana luce notis fit consentanea.

Inst. Ut ex illo convenientiæ argumento certi aliquid concludere esset, natura Dei, ejus perfectiones, quid ipsius exigant attributa, hæc omnia perspecta habere deberemus; alias de ejus mente & operum ipsius serie non nisi timide & incerto pronuntiare possumus. Porro hæc omnia nos latent ac fugiunt. Ergo.

R. n. maj. Ut legitime de Deo aliquid pronuntiemus, necesse non est ut ejus naturam & totum ipsum quantus est, intus extraque comprehendamus; sufficit ut perfectiones Dei nobis notæ & relationes quas in eis deprehendimus talem vel talem veritatem postulent & ratam faciant. Omnibus Dei attributis, omnibus ejus consiliis quæ cognoscimus germana ac consanguinea est sanctio legis naturalis in altera vita: hinc ex recta rationis dictamine concludere pronum est talem vigere sanctionem. Ceterum sacram Deistarum timiditatem, aut potius versipellem animum hic satis mirari non possumus, utpote qui ea malint astruere & credere quorum nulla est ratio, quam ea ad quæ impellant valida omnis generis momenta, universa Dei attributa, ipsaque naturalis hominis conformatio. Hæc de sanctione sufficiant. An sufficiat lex & Religio naturalis sola, nunc discutiamus.

QUÆSTIO VI.

De Religionis naturalis insufficientia & de Revelationis generatim necessitate & existentia.

JAm monuimus Religionem naturalem eam esse quæ naturali lumine, absque ullo extraordinario auxilio innotescit. Hanc hucusque vindicavimus. Deistæ vero arreptis quæ modo deposuimus armis, nostrisque triumphis quasi superbientes, nostra in nos tela contorquent, legisque ac Religionis jura ambitiose nimium protendunt. Volunt itaque 1. legem naturalem ita completam & absolutam esse, ut omnia plene tradat moralis Doctrinæ principia ad bene beateque vivendum necessaria. 2. Legem eandem ita claram ac omnibus etiam rudioribus obviam contendunt, ut eam intus extraque callere valeat qui eam primoribus labiis degustaverit. 3. Inde concludunt nihil huic addi posse, neque quantum ad rerum substantiam, neque quantum ad modum ea præcepta tradendi; hinc concludunt inutilem immo & impossibilem esse revelationem. Ut rite procedat hæc præsens disputatio, plurima veniunt observanda.

1. Duplex veritatum ordo distingui debet, aliæ enim naturales, aliæ supernaturales. Veritates hujus secundi generis eæ sunt quæ superant captum & intelligentiam humanam, nullamque cum ea dicunt nativam proportionem.

2. Veritates naturales sumi possunt vel collective, vel distributive; immo inter veritates naturales distributive sumptas aliæ faciles & omnibus primo intuitu obviæ, aliæ vero difficiliores & abstrusæ.

3. Re-

3. Revelatio nihil aliud est quam Dei dicentis auctoritas; seu est signum exterius quo Deus creaturis rationalibus sublimes quasdam veritates, aut suum de re aliqua beneplacitum manifestat.

4. Ratio potest considerari vel in se & in suo naturali puritatis ac sanctitatis statu, vel in statu ægritudinis; debilitatis ac corruptionis. Debilitas porro illa vel essentialis vel accidentalis. Essentialis, seu naturalis ea intelligitur quæ naturalem hominis conditionem sequitur; seu quæ naturam ejus afficit in se & præcisam ab omni casu fortuito, aut causa extrinseca. Accidentalis vero quæ præter naturam advenit, estque veluti quædam ægritudo. Hæc ex peccato originali oritur juxta Fidei Catholicæ analogiam.

5. Per legem & Religionem naturalem intelligi potest vel ratio cujusque hominis propria, seu ea officiorum collectio quam sibi conficere unusquisque potest proprio marte & privato judicio; & hæc est vera & propria notio legis. Vel intelligitur ratio quasi communis generis humani & ea præceptorum collectio quæ variis ætatibus a variis Philosophis edita est & promulgata.

6. Insufficientia alia absoluta, alia relativa, idem dic de necessitate revelationis; alia absoluta & simplex, alia relativa & secundum quid. Quid de his omnibus sentiendum mox aperiemus. Interim duo adhuc in antecessum monenda supersunt. 1. Nec nimium extollendam, nec nimium elevandam esse ac deprimendam rationem. Sua sunt ipsi jura sacra, quæ ipsi manere debent intemerata. 2. Nec omittendum unum e præcipuis ac rectæ rationi congruis erga supremum numen officiis, illud esse, ut si quid Deus voluerit extraordinarie manifestare vel quoad sua attributa, vel quoad suum cultum, ipsum omnino esse audiendum. His positis, cum lex quæcunque duplici constet parte directiva una, coactiva altera, legis naturalis duplici sensu exposito sumptæ sufficientiam exploremus.

CONCLUSIO I.

Lex & Religio naturalis sumpta pro privata cujuscunque hominis ratione non est sufficienter directiva ad detegendas veritates omnes naturales sive collective, sive etiam distributive sumptas, sed præsertim difficiliores.

PRob. Ex inductione. Illa lex non est sufficienter directiva, quæ non omnia tradit necessaria ad rectæ vitæ institutionem, aut non ea satis clare & dilucide evolvit: atqui talis est lex & Religio naturalis. Cum enim Religio sit quoddam hominem inter & Deum commercium in quo Deus homini manifestum se præbet, & homo Deum cognitum reveretur & inquirit, Religio debet docere ea quæ Deum, ea quæ hominem spectant eo modo qui sufficiat & ad Dei cultum, & ad hominis finem: atqui nihil horum sufficienter docet Religio naturalis. 1. Non quæ Deum. Hæc sunt enim ex parte Dei quæ requiruntur ad rectam vitæ institutionem, nempe Dei natura & attributa, volitiones ejus liberæ quæ hominem & ejus sortem spectare possunt, forma denique & ratio cultus ipsi debiti. Atqui hæc aut nullo modo, aut non satis clare tradit ratio & Religio naturalis, id est ratio cujusque hominis propria. 1. Non Dei naturam. Ad rectam enim vitæ institutionem debet homo perspectam habere, saltem ut humana fert conditio, Dei sapientiam, bonitatem, justitiam: porro in his cæcutit ratio & Religio naturalis. Quantum ad sapientiam quidem. Relucent enim vero in nostro orbe mira divinæ sapientiæ signa, erumpunt undequaque divinæ providentiæ argumenta; inde jure ac merito concludit Rationalista summam hæc omnia condidisse ac moderari sapientiam, quia videt rem unamquanque ad certum finem sibi proportionatum destinatam ordinatamque; at etiam hinc & inde non rara apparent quæ ad nullum finem destinata esse & tendere videntur. Sic v. g. quod quædam orbis partes sole nimio exurantur, dum aliæ gelido torpent frigore. Ita etiam immen-

mensam Creatoris bonitatem ex innumeris quibus cumulamur bonis facile deprehendet, meritoque agnoscet Rationalista; at contradictionem solvere non poterit ex immensa pene quo obruti jacemus malorum & miseriarum mole. Hærebit sane anxius & anceps, dum quæcunque prosunt, nocere simul etiam perspiciet, nec magis ex uno quam ex altero bonitatem Dei ipsi inferre licebit. Denique justitiam Dei enodare non poterit, dum impios florere, justos vero sordescere deprehendet, vitia honore, virtutes dedecore affici. Uno verbo apparentes in hisce attributis occurrentes contradictiones conciliare non poterit. Unde sic resumo; ille Dei naturam & attributa non sufficienter cognoscit ex lege & Religione naturali, qui attributa illa, aut eorum relationes, ut requiritur, ad rectam vitæ institutionem non sufficienter cognoscit: atqui homo ex sola Religione naturali sic se habet. Ille enim attributa illa non sufficienter cognoscit ad rectam vitæ institutionem qui quantum ad hoc attributa illa inter se conciliare non potest: atqui res ita est. Ergo lex & Religio naturalis non sufficienter evolvit Dei naturam.

Non docet etiam Religio naturalis volitiones liberas, inter quas tamen multæ hominem spectare possunt; nam volitiones illæ triplici tantum via attingi possunt, vel conjecturis, vel in Dei essentia & natura, vel extraordinaria Dei manifestatione. Duplici priori via patere non possunt volitiones illæ. Conjecturis enim nihil certi habetur; in Dei essentia nihil nisi essentiale & necessarium detegitur: ergo Religio naturalis non explicat volitiones Dei liberas. Denique formam cultus Deo debiti non tradit Religio naturalis. Signa enim determinare quibus coli velit Deus pendet a solo Deo, & a voluntate ac electione ejus libera. Ergo lex & Religio naturalis non sufficienter docet quæ spectant Deum. Et sane ex dictis, & ut objiciunt ipsimet adversarii, ubi de distinctione boni & mali moralis agitur, constat omnium sæculorum experientia, gentes integras turpiter errasse circa applicationes & remotiores primorum principiorum conclusiones. Ergo ratio cujusque hominis propria non sufficientem tradit officiorum collectionem.

2. Non etiam quæ spectant hominem. Hæc sunt enim quæ hominem spectant, ejus natura, duratio, miseriarum principium ac remedium. Atqui nihil horum sufficienter evolvit Religio naturalis. Non hominis naturam. In hoc enim stat illa natura, quod ex duplici constet substantia, spirituali una, materiali altera; jam vero hæret Rationalista dum ipsi evolvenda veniunt utriusque substantiæ distinctio simul & unio, commercium simul & diversitas, animæque perceptionum origo, nulla ex his plana facere ac evolvere potest eo modo qui ad rectam vitæ institutionem par sit ac idoneus. Quantum vero ad animæ durationem, qua parte pendet a principio extrinseco, id est a Deo, hanc certo ac tuto determinare non potest, cum pendeat a positivo ac libero Dei decreto. Utrum enim existat decretum istud, quousque se extendat, & in quibus præmiis vel suppliciis sancitum sit, definire non poterit Rationalista. Ergo. Deinde ratio non sufficienter & miseriarum hominis principium evolvit. Vivit enim homo in statu cujusdam belli intestini; decertat in ipso cum recta ratione male constans quædam oppositio, cujus fontem & originem ac causam reddere non potest sibi soli relicta ratio. Vel enim Deum ipsum, vel naturam hominis, vel hominem ipsum libere hanc oppositionem ponentem assignaret. Atqui nihil horum assignare potest Rationalista. Non Deum. Neque permittentem, neque positive decernentem. Non permittentem. Vix enim ac ne vix sola ratio sibi relicta mali moralis existentiam & permissionem intelligit. Non Deum positive volentem. Tunc enim ratio docere videretur Deum ex æquo velle & principia rectæ rationis quæ cupiditatem damnant, & cupiditatem quæ rectæ rationis jura temerat; tunc auctorem naturæ cum auctore rectæ rationis conciliare deberet, auctorem legis cum auctore principiorum quæ legem violant. Ergo non potest assignare Deum, &c. Non etiam hominem ipsum. Homo enim hujus miseriæ causa esse non potest nisi per

actum

actum proprium aliquem ac positivum. Actus vero ille vel esset virtuosus, vel vitiosus. Virtutis actus miseriæ principium esse non potest. Vitiosus, vel esset omnibus communis & in voluntate unius tanquam in capite, vel esset singulis quibusque specialis. Porro ratio sola non tradit quomodo unius actus possit in omnium sortem influere, nec etiam ullum revelat actum ita singulis ne uno quidem excepto specialem, ut omnibus miseriæ sit principium. Non denique hominis naturam hic assignare est. In natura enim hominis nuda ejus essentia & nihil amplius detegitur. Ergo Rationalista principium miseriarum hominis non sufficienter aut etiam nullo modo evolvit. Denique non miseriarum remedium & sceleris expiandi modum nobis propinat Religio naturalis. Ut enim ratio remedium illud nobis traderet, deberet vel manifestare signum quo expietur iniquitas, vel certo docere Deum loco plenæ & perfectæ obedientiæ hominum pœnitentiam acceptaturum: atqui neutrum. Non primum. Nam signum illud habere debet ex se illam vim & efficaciam ac proportionem cum offensa. Jam vero sola ratio nec talem vim tribuit, nec ullam ponit proportionem inter Deum infinitum & hominem finitum. Non docet etiam Deum pœnitentiam acceptaturum; illa enim acceptatio pendet a positiva & libera Dei voluntate: ergo sola ratione non potest cognosci ut certo futura.

Et certe ut ratio sola hanc acceptationem ut certo ac infallibiliter futuram cognosceret, deberet illa acceptatio, ut certo futura, infallibilem dicere connexionem cum aliquo Dei attributo; v. g. deberet cognosci, cognita Dei bonitate infinita: jam vero cognita Dei bonitate etiam ut infinita, non cognoscitur illa acceptatio ut certo & infallibiliter futura. Namque cognita Dei bonitate, etiam ut infinita, cognoscitur acceptatio illa ut possibilis tantum & probabiliter futura. Justitiæ enim sicut & bonitatis sua sunt jura. Parcit hæc, illa plectit; una peccata condonat condigna satisfactione recompensata, saltem ut fert humana conditio; altera vero castigat ac vindicat peccata, nulla, aut non sufficienti satisfactione deleta. Porro ratio sola non magis dicit justitiam suis cessuram juribus, quam bonitatem; ratio enim docet tantum bonitatem posse parcere, justitiam posse punire. Sed non docet fore ut aut misericordia actu parcat, aut justitia actu plectat. Ergo non docet certo Deum loco plenæ ac perfectæ obedientiæ pœnitentiam ac satisfactionem acceptaturum. Et certe acceptatio illa & ejus, ut ita dicam, futuritio certa pendet ab expressa ex parte Dei offensi promissione; sed illa promissio, utpote libera, per solam Religionem naturalem certo & infallibiliter non innotescit. Ergo nec miseriarum nostrarum remedium sufficienter tradit Religio naturalis. Ergo lex & Religio naturalis 1. non est sufficienter directiva. Dixi in conclusione, præsertim difficiliores. Sunt enim quædam veritates quæ humano intellectui & ejus viribus magis imperviæ esse videntur, utpote quæ a primis principiis magis remotæ sunt; unde minus obvia est earum cum primis illis principiis connexio.

CONCLUSIO II.

Lex & Religio naturalis, eodem sensu mox exposito sumpta, non est sufficienter coactiva.

PRob. Cogit lex per pœnarum & præmiorum sanctionem: atqui lex & Religio naturalis non sufficientem habet sanctionem. Nam ex jam supra dictis, duplex est legis naturalis sanctio alia ipsi essentialis & propria, alia ipsi addita ex libera & positiva Dei voluntate. Atqui utraque sanctio est insufficiens, 1. insufficiens est sanctio legi naturali essentialis & propria. Nam sanctio illa interna est, vel externa: atqui utraque sanctio est insufficiens. Interna quidem. Nam ex probatis, nec diffitentibus Deistis, hæc sanctio non plenum semper in hac vita sortitur effectum. Etenim quidam vel tarditate vel levitate ingenii, vel obcæcati cupiditatibus omnem fere præfocarunt aut præfocasse se dicunt conscientiæ sensum. Et certe sanctio interna legis & Religionis naturalis in tribus potissimum consistit. Nempe in

in sensu morali quo percipitur virtutis pulchritudo & fœditas vitii, in conscientia, vel delicti quæ angit malos, vel innocentiæ quæ pios & bonos remunerat, & ratione qua percipitur virtutis efficientia ad promovenda nostra commoda, & contraria vitii natura; his enim ad servandam legem naturalem inclinamur & cogimur: atqui nulla ex his sufficiunt ad plenam sanctionem. Non sensus moralis. Nam ille sensus in iis tantum plene viget qui ingenuæ & optimæ indolis nati sunt; in aliis vix sensum sui facit ac omnino præfocatus aut obliteratus videtur, ut in barbaris gentibus quæ nihil humani præter formam præ se ferunt. Non conscientia delicti aut innocentiæ. Hujus enim conscientiæ terroribus, nescio quo modo, quasi impune, immo male feliciter obsurdescimus & pœnas potius luimus propter admissa facinora, quam a patrandis criminibus cohibemur. Conscientiam vero innocentiæ, causæ quibus ad vitia sollicitamur, continuis assultibus fatigant. Sic, ut ait Seneca, *Ep. 59.*, vitia de mercede sollicitant, avaritia pecuniam promittit, luxuria multas & varias voluptates, ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam & quidquid potentia ponit. Denique non sufficit ratio. Nam sæpe accidit ut virtus debita sibi careat mercede; sæpe contingit ut ipsa simplicitas atque candor bonis sint causæ ærumnarum & infelicis fortunæ; dum ex altera parte ex scelere commisso expectata emolumenta impii accipiunt. Hinc rationi imbecillæ apparent incerta & remota virtutis præmia; certa & proxima vitii emolumenta. Ergo nihil horum sufficit ad plenam sanctionem. Ergo 1. lex & Religio naturalis non habet sanctionem internam sufficientem. 2. Non habet etiam externam. Nam sanctionem illam externam ex dictis constituunt quædam bona vel mala externa, nempe sanitas corporis, bonorum temporalium diuturna fruitio, &c. atqui non plena est nec perfecta in hac vita hæc sanctio. Nam propter varia fortunæ tormenta sua sæpe virtus amittit præmia; dat quidem conscientiæ pacem, sed acerbos corporis dolores non sedat; virtutes aut ab aliis non advertuntur, aut debitis non donantur honoribus; Vitium e contra naturales non semper habet effectus. Intemperantia, v. g. licet soleat corpus effætum senectuti tradere; tamen ex fortuita corporis firmitate ab his immunes sunt plurimi impii: sæpe etiam sceleratissimi sine ulla fide aut æquitate scelerum pœnas quotidie effugiunt. Immo propter potentiam & divitias hominum obsequia sibi conciliant. Deinde multi improbi virtutis pallio operti debita virtuti præmia sibi arrogant, famam, nempe atque existimationem; dum probi multi falsis impetiti criminum accusationibus immeritas pœnas luunt. Talis Socrates, tales primi Christiani. Ergo insufficiens sanctio externa. Ergo 1. insufficiens est sanctio legi naturali propria & essentialis.

2. Insufficiens est sanctio legi & Religioni naturali addita ex libera Dei voluntate. Sanctio enim illa triplici sensu, ex dictis, dici potest legi & Religioni naturali addita ex libera Dei voluntate, vel quia nempe Deus libere approbavit sanctionem legi naturali propriam; vel quia huic aliam addidit in præsenti vita, vel quia hanc decreto positivo in alteram vitam extendit: atqui sanctio illa quocunque sensu sumpta non sufficit. Non 1. Nam etiamsi Deus libera & positiva voluntate obfirmaverit sanctionem legi naturali propriam, constat tamen certa experientia eam suo effectu sæpe privari: & quidem istud fit juxta ordinarias & supra expositas divinæ providentiæ leges, ubi de providentia & de permissione mali egimus. Non 2. sensu. Eadem ratione Deus non semper non assiduo suæ approbationis aut improbationis signa dat, & id fit ex eadem providentiæ lege. Non 3. sensu. Nam ex probatis: lex & Religio naturalis non ita certo docet animæ immortalitatem ab extrinseco, nec ita clare exhibet decretum Dei positivum de servanda anima post mortem, ut ne quidem remaneat dubitandi facultas. Ergo nullo sensu lex naturalis est sufficienter coactiva. Ergo est insufficiens.

CON-

CONCLUSIO III.

Lex & Religio naturalis eodem illo sensu iterum sumpta non habet promulgationis medium sibi sufficiens, nec hominum naturæ proportionatum, seu non est sufficienter promulgata.

PRob. 1. Religio omnes spectat. *Bene dicere ad paucos pertinet*, inquit Lactantius, *bene autem vivere ad omnes*. 2. Quam primum fieri potest, edisci & sciri debet. Omnium enim rerum maxime necessaria est Religio; ac proinde cognitu facilis esse debet. 3. Firmam ac immobilem requirit persuasionem. Medium ergo quo transmittitur Religio debet esse 1. simplex & omnibus accommodatum. 2. Breve & facile. 3. Aptum ac proportionatum immobili efficiendæ certitudini: ac proinde infallibile sit, decretorie ac cum sufficienti auctoritate pronuntiet necesse est. Jam vero lex & Religio naturalis sumpta pro ratione propria cujuscunque hominis & pro ea collectione quam sibi quisque privatus conficere potest, hisce non gaudet caracteribus. 1. Non est omnium captui accommodata, immo majori hominum parti est impervia. Illa enim collectio non est omnium captui accommodata, immo majori hominum parti est impervia quæ annexa habet impedimenta majori hominum parti insuperabilia, & multas prærequirit notiones majori hominum parti impervias: atqui talis est illa collectio. 1. Annexa habet impedimenta, &c. Nam complexionis indispositio multos a studio retardat, immo, arcet omnino; rei familiaris necessitas & domestica cura quæ maximæ hominum parti incumbit, tantum temporis otio contemplativæ inquisitionis non concedit; aliis obstat vel innata pigritia, vel ingenii tarditas. Fervent in juvenili ætate cupiditates huic inquisitioni adversæ, & languent in senectute vires huic necessariæ. Ergo collectio illa annexa habet impedimenta, &c. 2. Collectio illa prærequirit notiones majori hominum parti impervias. Ad talem enim conflandam collectionem, officiorum suorum regulas & rationes quisque callere deberet & ordine deducere: ipsos altiores juris naturalis fontes rimari ac sollicitare quilibet deberet ad recognoscendam evincendamque præcepti cujusque justitiam & æquitatem. Ut hanc collectionem quisque privato labore exequatur, ipsi opus est meditatione & attentione. Scrutetur necesse est quæ sit Dei natura, quæ hominis conditio; quæ Deum inter & homines, & inter homines ipsos variæ intercedant relationes; quibus assecutis quæ, ex his relationibus sequantur ac dimanent conclusiones indagandum est.

Præterea legum naturalium erudito investigatori necessariæ sunt ac prærequiruntur justæ rerum notiones & ideæ, sanum rectumque judicium, non præjudiciis præoccupatum, non cupiditatibus præfocatum, quæ sane omnia vix ac ne vix etiam in paucissimis hominibus concurrunt. Atqui hæc omnia majori hominum parti sunt impervia. Nam ad hæc assequenda opus est meditatione & attentione cui impar est major hominum pars ex impedimentis modo assignatis. Ergo lex naturalis sumpta pro privata collectione non est omnium captui accommodata. 2. Nimis longa est & diuturna hæc privatæ discussionis via. Tot sunt enim tamque varia hominum officia ut quas habeat sive cum Deo, sive cum seipso, sive cum aliis hominibus relationes homo vix per totam vitam ediscere possit; ad ea omnia colligenda doctiori & acutissimo ingenio longiores etiam anni nunquam sufficient. Ergo a fortiori crassiori ac plumbeo non sufficiet vita. Juvenilis ætas hisce comparandis destinata levitate ac inconstantia abripitur, cupiditatibus torquetur & laborat. Denique non certæ auctoritatis est hæc methodus. Nam undecunque tandem veniat præsens hominum infirmitas, certum est quod se teneat tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Sic in gravissimos putidissimosque errores insana impegit Paganorum Philosophia; sic alios præceps abripit judicium, alios emollit voluptas modum habere nescia; alios etiam ab infantia temere præconceptæ deludunt opiniones. Præterea hominum ingenia ad modum diversa sunt;

N 2 immo

immo res divinæ a sensibus quam maxime remotæ, & supra hominem positæ magnas præ se ferunt difficultates. Atqui privata cujuslibet ratio hæc certo cognoscere non potest. Ergo nec certam habet auctoritatem. Ergo & pro humani ingenii imbecillitate, & pro rerum investigandarum excellentia, & pro ingeniorum varietate ratio sola, seu privata officiorum collectio certam non potest facere auctoritatem.

CONCLUSIO IV. ET COROLLARIUM I.

Lex & Religio naturalis sumpta pro privata cujuscunque hominis ratione est omnino insufficiens.

PRob. Illa lex est omnino insufficiens quæ nec sufficienter directiva est, nec coactiva, nec etiam promulgata: atqui talis est lex & Religio naturalis sensu modo exposito intellecta. Ergo. Hinc legis naturalis sic intellectæ insufficientia patet tum ex notione & natura legis, tum ex natura Religionis, & medii quo transmitti debet.

CONCLUSIO V.

Lex & Religio naturalis sumpta pro collectione officiorum quæ a diversis Philosophis variis ætatibus prodiit est omnino imperfecta & insufficiens, seu non est sufficienter directiva sensu antea exposito.

PRob. Illa collectio est imperfecta & insufficiens quæ nec omnia etiam communia ac generaliora Religionis præcepta tradit, nec ea certo docet: atqui talis est collectio a Philosophis variis ætatibus adornata. 1. Non omnia tradit etiam communia ac generaliora Religionis præcepta & principia. Nam ut omnia & communia legis & Religionis principia traderent Philosophi, debuissent totam veritatum & principiorum illorum seriem adæquatam tenere: atqui nulla schola totam veritatum & principiorum seriem adæquatam tenuit. Nam in absurdissimas opiniones & gravissimos errores abierunt omnes Philosophi. Sic Dei naturam aut ignorabant, aut adulterabant; nam Divinitatem, quæ ex se unica est, multiplicabant, ac in plura quasi frangebant ac dividebant. Plato, v. g. Deum animam mundi dicebat; Aristoteles tam obscure de Deo scripsit ut a multis Atheus sit creditus; turpes & lascivas Deorum imagines approbat. Stoicis Deus igneus erat; plerique fatalem rerum concatenationem defendebant; sapientem Deo æqualem esse contendebant. Ergo. Quantum vero ad hominem. "Nam hæc est summa, inquit Lactantius, quam qui non „ tenuerit, veritas illi omnis elabi„ tur, a qua si aberraverit, omnis ra„ tio intereat & ad nihilum devolvan„ tur omnia necesse est. Scilicet ideo „ mundus factus est, ut nascamur; ideo „ nascimur ut agnoscamus factorem mun„ di & nostri Deum; ideo agnoscimus „ ut colamus; ideo colimus, ut immor„ talitatem pro laborum nostrorum mer„ cede capiamus. Atqui hanc summam non tenuerunt Philosophi. Plato mundi æternitatem asserebat; uxorum communitatem commendabat; infantium expositionem approbabat. Aristoteles cum Platone circa mundi æternitatem & infantium expositionem consentiebat, nec partuum abactiones condemnabat. Stoici fornicationem & incestum approbabant; immo a patris & filiæ, matris & filii concubitu non abhorrebant. Innumeræ apud Philosophos vigebant opiniones circa summum hominis bonum; quænam esset virtutem inter & vitium differentia nusquam attigerunt; verum ejus obligationis fontem non prodebant; probabant quidem vitio laudabiliorem esse virtutem, hancque illi anteponendam esse, sed homines vere teneri & obligari ad virtutem colendam non evincebant. Ergo Philosophi non tradiderunt omnia Religionis principia sive ea quæ spectant Deum, sive ea quæ spectant hominem. Ergo nulla Philosophorum schola omnem veritatum & principiorum seriem adæquate tenuit. Hinc Lactantius, *l. 7. Div. Inst.* "Facile est docere pene universam verita„ tem per Philosophos & Sectam esse „ divisam... Nullamque Sectam fuisse...

„ quæ non viderit aliquid ex vero. „ Sed dum contradicendi studio insa„ niunt, dum sua etiam falsa defendunt, „ aliorum etiam vera subvertunt, non „ tantum elapsa illis veritas est ... sed „ ipsi eam suo vitio perdiderunt. Quod „ si extitisset aliquis qui veritatem spar„ sam per singulos, per Sectasque diffu„ sam colligeret in unum ac redigeret „ in corpus, is profecto non dissentiret „ a nobis. Sed hoc nemo facere nisi „ veri peritus ac sciens potest.

2. Philosophi non certo tradebant ea quæ docebant. Philosophi enim clarissimi plerunque anxii & ancipites pronuntiarunt circa ipsa Religionis fundamenta. Sic Tullius, Tusc. *quæst. l. 1.* Immortalitatem animæ primo astruit, deinde sua relegens principia in dubium relabitur, & se ea dubitanter tantum ponere declarat. Seneca fatetur Philosophos potius promittere quam probare hanc immortalitatem. Socrates hora mortis dubius circa alteram vitam amicos allocutus est: atqui tamen fatente ipso Cicerone, nisi hæc pro certis habeantur, necesse est homines in maximarum rerum ignorantia versari. Ergo Philosophi non certo tradebant, &c. Et vero ex probatis modo, in gravissimos errores ruerunt olim Philosophi, secum divisi ne uno quidem de articulo inter se consentiebant, aut una voce ac unanimi consensu pronuntiabant; ergo non ita certo Religionis principia tradebant ut firmam persuasionem in aliis facerent. Ergo 1. collectio ab iis adornata est omnino imperfecta.

CONCLUSIO VI.

Lex & Religio naturalis eodem modo intellecta non sufficienti auctoritate gaudet, ac proinde non est sufficienter coactiva.

PRob. Ibi enim non adest sufficiens auctoritas ubi deest legitimæ auctoritatis subjectum & fundamentum; atqui Philosophis illis utrunque deerat. 1. Nullum erat legitimæ auctoritatis subjectum, id est, inter Philosophos illos nullus erat qui legitimam auctoritatem sibi jure ac merito vindicare posset. Nam ut ratiocinatur Lactantius, ibi nullus est qui legitimam auctoritatem sibi vindicare possit, cum, cui credendum sit, omnino ignoratur. Atqui cui ex Philosophis credendum sit, omnino ignoratur. Nam inter varias Philosophorum Sectas unaquæque alteram evertebat, ut se suaque principia stabiliret, & sicut alias Sectas falsi arguebat & evincebat, sic ab aliis Sectis & ipsa arguebatur ac evincebatur: atqui hoc posito, ignoratur cui ex illis Philosophis credendum sit. Vel enim fides adhiberetur uni Sectæ omnes alias damnanti & revincenti, vel fides adhiberetur omnibus sectis unam illam reprobantibus cum convictione: atqui nihil horum dici potest. Non potest fides adhiberi uni sectæ. Hoc enim rationi & prudentiæ dissonat. Non debet etiam fides adhiberi omnibus aliis sectis unam illam sectam erroris arguentibus: cum enim æqualiter inter se opponantur, jam aut omnibus, aut nulli credendum: atqui omnibus fides adhiberi non potest quin contradictoria eo ipso admittantur. Ergo nullus ex philosophis legitimam auctoritatem sibi jure ac merito vindicat. Ergo nullum est hujus auctoritatis subjectum. 2. Nullum est legitimæ auctoritatis fundamentum. Ex sola enim ingenii sagacitate & ratione humana Philosophi suam hauriebant auctoritatem, sed ubi agitur de ingenii sagacitate & sapientia nulla est certa & irrefragabilis auctoritas: nam tunc qui audit tam hominem se esse & ratione ac ingenio pollere putat, quam qui docet. Ergo nullum legitimæ auctoritatis fundamentum. Ergo collectio a variis Philosophis adornata & digesta non potuit promulgari. Ergo est insufficiens. Ex his omnibus sequitur, ut concludit Lactantius, sapientes & insipientes errasse, ac consequenter rationem, seu legem & Religionem naturalem omni sensu sumptam insufficientem fuisse. Quod si etiam in Philosophis & præstantissimis ingeniis iners ac sterilis fuerit ratio, a fortiori nec plebeiis ac ignobili plebi sufficiet. Ex tam constanti experientia concludit Cotta apud Ciceronem *l. 3. de nat. Deor.* Rationem homines ducere non posse ad sapientiam. „ Nam si consensu omnium „ Philosophorum sapientiam nemo asse- „ quitur „

„ quitur in summis malis omnes sumus...
„ Nam ut nihil interest utrum nemo
„ valeat, an nemo possit valere, sic non
„ intelligo quid intersit utrum nemo sit
„ sapiens, an nemo esse possit. „

CONCLUSIO VII.

Lex & Religio hoc iterum sensu accepta non potuit promulgari ac proinde non habet sufficientem promulgationem.

PRob. Ut enim promulgaretur illa collectio deberent 1. omnes homines Philosophiæ ediscendæ idonei esse. Deberent 2. sufficienti numero esse Philosophi & Magistri Populis edocendis idonei. Deberent 3. Philosophi illi sufficienti apud Populos auctoritate gaudere. Atqui nullam ex his conditionibus sibi vindicat collectio a variis Philosophis variis ætatibus edita. 1. Omnes homines Philosophiæ ediscendæ idonei non sunt. Auditores enim Philosophiæ veritatis studiosos esse oportet; nam doceri non possunt qui nolunt discere, oportet quoque eos esse attentos, & alicujus attentionis capaces ac in prosequenda veritate constantes; denique oportet eos esse præditos acuto satis ingenio rectoque judicio, ut una cum præceptoribus Religionis & vitæ moralis principia ac officia evolvere valeant. Atqui experientia constat longe aliter se habere homines. 1. Enim tædet eos discere, laborem fugiunt, superbia inflati, aut desidia torpentes nolunt edoceri. 2. Leves sunt vixque attendunt rebus clarissimis & quæ quodam modo ante pedes & ob oculos versantur. 3. Denique, modo non satis otii, modo non satis ingenii aut judicii habent ut res philosophicas ediscant. Ergo 1. omnes homines non sunt idonei, &c.

2. Non adsunt sufficienti numero Philosophi & Magistri Populis edocendis idonei. Namque ex proximo argumento sequitur paucos homines philosophicis institutionibus recipiendis idoneos esse; ergo plures non possunt esse Magistri; & certe ut adessent illi Magistri idonei, debuissent esse plures Philosophi generis humani vere amantes, qui ceteros ea docere studerent quæ Philosophia duce cognovissent; pauci enim tanto operi pares non extitissent: atqui paucissimi semper fuere Philosophi generis humani amantes, qui ceteros docere studerent. Sapientissimis enim quos novit Ethnica Antiquitas nusquam cordi fuit humani generis ad veritatem institutio. Socrates, Plato, Cicero publice Deos illos colebant quos privatim irridebant. Uno ore docebant in iis quæ de Religione constituta sunt nihil esse immutandum. Immo juxta eorum axioma expedit falli in Religione civitates. Licet cognoscerent vana esse Simulacra & Numina quæ plebs colebat, plebi tamen semper auctores fuerunt ut iisdem Numinibus eundem cultum semper rependerent. Dum generis humani errores melius perspectos haberent, illos detegere nolebant. Ergo non adsunt sufficienti numero Magistri.

CONCLUSIO VIII.

ET COROLLARIUM II.

Lex & Religio naturalis sumpta pro collectione officiorum quæ a diversis Philosophis variis ætatibus prodiit est omnino insufficiens.

PRob. Non enim est sufficienter directiva, nec coactiva, nec promulgata.

CONCLUSIO IX.

ET COROLLARIUM III.

Lex & Religio naturalis quocumque sensu sumpta est omnino insufficiens ad bene beateque vivendum.

PRob. Ad bene beateque vivendum requiritur lex quæ omnia ad id necessaria doceat, quæ ea gaudeat auctoritate qua ad sui obsequium impellat, quæ denique sit sufficienter nota; uno verbo requiritur lex sufficienter directiva, coactiva & promulgata: atqui talis non est lex & Religio naturalis quocunque sensu accepta. Lex enim & Religio naturalis potest accipi vel pro ea collectione quam quisque sibi privatim conficere potest, seu

pro

pro privata hominis cujuscunque ratione, vel pro ea collectione quam varii variis ætatibus adornarunt Philosophi: atqui lex & Religio naturalis utroque sensu accepta non est sufficienter directiva, coactiva & promulgata. Ergo.

CONCLUSIO X.

Ratio quaecumque sensu sumpta est insufficiens omnino ad veritates supernaturales attingendas.

PRob. Iis veritatibus assequendis impar est ratio & Religio naturalis cum quibus nullam habet ex se proportionem. Atqui. Nam veritates illæ omnem humanam facultatem superant. Ergo, &c.

CONCLUSIO XI.

ET COROLLARIUM IV.

Necessaria est Revelatio.

PRob. Duplex est tantum via perveniendi ad veritatem, vel ratio, vel auctoritas. Porro ex probatis nec ratio, nec auctoritas humana sufficiunt. Ergo requiritur auctoritas, seu revelatio divina.

Et certe ipsa ratio dictat, vel abjiciendum omnino, vel corrigendum esse medium quod fini suo assequendo impar effectum est: porro rationem minime sufficere probavimus; plurima momenta ducta tum ex natura rerum, tum ex constanti experientia modo probarunt rationem solam & per se sumptam esse medium inefficax. Sola revelatio hanc insufficientiam supplere potest, sola enim eos sibi vindicat characteres medio Religionis tradendæ debitos. Sola v. g. debita gaudet auctoritate, sola omnium indoli ac conditioni attemperata, &c. Ergo. Et sane argumenta quibus supra Religionis alicujus generatim necessitatem evicimus, eadem ejus reficiendæ & resarciendæ necessitatem stabiliunt. Sed resarciri non potest nisi per extraordinariam Dei manifestationem & revelationem; ergo. Denique ut hominum indigentiæ supra expositæ modo proportionato subveniretur, necessarium erat aliquod Ministerium publicum quod eo invigilaret ut homines attenti ac diligentes in exequendis Religionis officiis redderentur, quod etiam nolentes ad sui obsequium cogeret; nullum enim aliud medium & Religioni & hominum indoli proportionatum est. Porro tale Ministerium absque auctoritate divina stabiliri non potest. Ergo necessaria est revelatio. Cujus autem necessitatis sit illa revelatio quantum ad veritates naturalis ordinis, determinare haud facile est. Ut enim jam observavimus, quantum ad veritates naturales collective sumptas, aut quantum ad easdem distributive sumptas, sed magis abstrusas & difficiles, alii impotentiam physicam in homine supponunt & consequenter revelationis absolutam necessitatem decernunt; alii e contra impotentiam moralem & extrinsecam tantum volunt, & sic relativam tantum, moralem & secundum quid revelationis necessitatem agnoscunt.

Obj. 1. Illa argumenta nihil probant quæ nimis probant. Jam vero pleraque argumenta inter probationes allata nimis probant: evincunt enim rationem etiam sanam & in omni statu insufficientem esse. v. gr. Argumenta deducta ex volitionibus liberis, ex cultus divini forma & ratione, &c. Quod sane a statu Theseos exorbitat. Agitur enim tantum de ratione nostri status, corrupta nempe & viciata. Ergo.

R. n. min. Ad prob. dico hinc evinci rationem sanam quibusdam detegendis non sufficere, iis scilicet quæ a positiva ac libera Dei voluntate pendent. Nec in hoc aut absurdum quid, aut extra propositæ Theseos orbem excurrens. Sanam enim rationem homini Deus non concessit eo fine ut omnia divina creaturæ paterent. Volitiones illæ liberæ, non sunt rationis etiam sanæ objectum proportionatum, nec rationis sanæ eminentia exigit ut ad omnia sese extendat. Consequenter ergo rationi etiam integræ necessaria fuisset quoad illas veritates revelatio extraordinaria vel naturalis, vel supernaturalis ordinis. Unde sequitur rationem corruptam & læsam ad has veritates detegendas fuisse a fortiori insufficientem.

Inst. Nihil probat ratio deducta ex impossibilitate cognoscendi quænam sit hominis duratio. Nam sola ratio docet adesse connexionem immortalitatis animæ ab extrinseco cum variis Dei attributis. Ergo.

R. dist. ant. Connexionem convenientiæ: c. Essentialem: n. In hoc stat legis naturalis declaratio, multa nempe manifesta nobis Dei attributa maximam dicere relationem cum decreto animam perpetuò conservandi, sed non dicit talem esse illam relationem, ut ea sublata immortalite, jam ruant & funditus pessumdent illa attributa. Docente ratione, hæc quidem immortalitas & decretum illud maxime decent Dei plurimas perfectiones, conservatio animæ est opus dignum Dei sapientia, bonitate, &c. Ideo autem hic gradum sistit ratio, quia licet cum attributis illis conveniat animæ illa immortalitas, ignorat tamen utrum alia non sint attributa ipsi ignota quæ alium ordinem postulent & animæ mortem exigant. Posita animæ mortalitate, non videt equidem ratio cui fini & bono tot & tam eximiæ animæ dotes; quomodo salvetur Dei justitia, legumque ejus majestas. At inde non sequitur nulli omnino fini posse inservire animæ dotes; repugnantiam hic positive non videt. Uno verbo momenta hic ex ratione desumpta excludunt quidem actualem dubitationem, sed non omnem dubii, & erroris formidinem. Sit homo qui solam Dei justitiam attendat aut cognitam habeat. Tunc omnia peccata justo donanda supplicio concludit, ita tamen quod an ita actu & de facto id eventurum sit, non sine dubitandi facultate pronuntiet. Veniam peccatorum non includi quidem in justitia, sed nec etiam cum ea essentialem dicere repugnantiam positive percipit. Detegat deinde homo ille Dei bonitatem & clementiam; qua proportione hæc duo penetrabit attributa, hac etiam tuto de peccatorum venia vel pœna pronuntiabit. Ita a pari, ut ratio perfecte & plene evincat immortalitatem animæ ab extrinseco, deberet vel omnia attributa divina cognoscere, vel attributa quædam inter & immortalitatem illam essentialem & metaphysicam connexionem ostendere.

Inst. Licet omnes omnino materiæ proprietates non cognoscamus, eam cogitare non posse tuto asserimus; ergo à pari, licet omnes Dei perfectiones non cognoscamus, possumus tamen ex iis quæ nobis notæ sunt immortalitatem animæ concludere.

R. n. conseq. & parit. Disparitas est, quod attributa materiæ nobis cognita essentialem dicant cum cogitatione repugnantiam, at Dei attributa nobis nota non habent metaphysicam & essentialem connexionem cum immortalitate de qua agitur.

Inst. Ideo insufficiens est ratio & revelatio necessaria, quia ratione abusus est homo: jam vero abusus rei alicujus non semper ejus insufficientiam probat. Ergo ex rationis abusu non sequitur ejus insufficientia, aut revelationis necessitas.

R. dist. min. Abusus rei non semper probat ab intrinseco ejus insufficientiam absolutam: c. nullam probat insufficientiam nequidem relativam: n. In hoc stat totum illud argumentum ex abusu rectæ rationis desumptum; nempe experientia didicimus rationem humanam etiam in Philosophis, in quibus purior erat, minime suffecisse; hinc concludimus a fortiori idiotis & hominum vulgo non sufficere; concludimus non ab intrinseco, sed ab extrinseco, ab effectu, non absolutam insufficientiam, sed relativam, relative scilicet ad præsentem hominis conditionem & infirmitatem.

Inst. Atqui abusus rei alicujus non semper probat ejus insufficientiam etiam relativam. Ipsa enim revelatione homo male utitur; eadem enim apud Christianos ac apud Paganos vigent vitia: atqui tamen ex perverso revelationis usu non sequitur ejus insufficientia aut alterius auxilii necessitas. Ergo etiam ex perverso rationis & Religionis usu non sequitur ejus insufficientia, aut revelationis necessitas.

R. dist. maj. Sed ille revelationis abusus est ipsi extrinsecus: c. est intrinsecus: n. Abusum legi intrinsecum hic voco eum quem lex aliqua sua essentia, natura & conditione secum importat: Legem itaque naturalem inter & revelationem

nem hoc intercedit discrimen, quòd abusus sit illi essentialis, intimus & intrinsecus, huic vero sit omnino extrinsecus. 1. Lex naturalis est intrinsece insufficienter tum directiva, tum coactiva; utrunque per se præstat revelatio, eo modo qui ad rectam vitam plene sufficiat. 2. Lex naturalis auxilium aut motivum sufficiens non suppeditat; auxilium quidem; resarciendæ enim intellectus & voluntatis debilitati nullum per se subministrat auxilium; illud vero sibi jure innato annexum habet revelatio. Motivum vero deficit qua parte deficit ipsa sanctio. 3. Lex naturalis nullum habuit ministerium publicum sibi annexum quo delinquentes ad officium cogeret, & cujus ope nascentes hinc & inde abusus posset corrigere. Tale vero ministerium sibi vindicat revelatio. Hæc porro legis naturalis vitia eo ex natura sua tendunt ut lex inutilis evadat. Hæc ergo vitia cum sint legi naturali intrinseca, pariunt abusum huic legi etiam intrinsecum.

Inst. Atqui legis & Religionis naturalis abusus non est ipsi intrinsecus. Nam hodierni Deistæ qui legem naturalem accuratius evolvunt, recensita non experiuntur incommoda, nec prædictis subjacent vitiis. Ergo legis naturalis abusus non in ipsam legem naturalem refundi debet, nec ipsi est intrinsecus.

R. transf. ant. n. conseq. Non agitur hic de lege naturali respectu paucorum quorundam hominum, sed respectu totius generis humani & quoad majorem hominum partem. Quæritur utrum lex illa hominum necessitatibus ita sit proportionata ut errores eorum corrigere, pervicaciam frangere & eorum damna resarcire possit. Contrarium constat ex allatis argumentis. Enim vero ratio illa data erat homini sano ut eam ad finem propositum & connaturalem dirigeret; hinc sufficiebat; non est autem data homini corrupto ut ejus vulnera curet; non mirum si huic muneri impar sit.

Dixi ad ant. transf. tum quia non satis constat utrum Deistæ rectius vivant vel veteribus Paganis vel Christianis; tum quia incertum est an Deistæ legis naturalis principia accuratius calleant; tum denique quia observ. cum Lactantio facilem esse veritatem scientibus. Retectis scilicet semel a Christo veritatis fontibus, intima sanæ pietatis arcana patere cœperunt ex quibus valida hausere argumenta ad stabiliendam nutantem rationem. At ponamus eos iis in temporum articulis quæ claram illam ac manifestam præcessere revelationem, cum aliis & forsan pejus aliis desipuissent.

Inst. Ex concessis, aut saltem ex datis, hodierni Deistæ legem naturalem longe accuratius callent & observant quam veteres. Porro legis hujus accuratior observatio in nostris Deistis non potest oriri nisi ex majori studio in evolvenda & executioni demandanda lege illa. Sed ideo illi Deistæ ex illa lege diligentius discussa & clarius cognita rectius vivunt, quia lex naturalis apud attentos & dociles animos totam sese explicat, omnem suam auctoritatem obtinet. Hinc illis ad naturalem honestatem sufficit. Ea omnia præstitisset eadem lex erga veteres si recentiorum curam & docilitatem attulissent. Recentiorum ergo Deistarum exemplum probat vitia veterum non in ipsam legem naturalem, sed in eorum incutiam & obstinationem refundi debere. Ex quibus sio in forma concludo. Lex naturalis sufficit ut hodierni Deistæ vitam ad rectitudinem & honestatem naturalem componant: ergo veteribus sufficiebat ante revelationem.

R. n. ant. Lex naturalis recentiores Deistas certiores non facit circa ea quæ pendent a libero Dei decreto; novam erga eos non habet sanctionem, &c. Recole quæ supra desumpsimus argumenta ex natura legis. Quidquid habent recentiores Deistæ præ veteribus illud ex revelatione mutuantur; non vero ex lege naturali per se & independenter a revelatione. Hinc majorem vim apud ipsos non obtinet saltem per se.

Inst. Insufficientia legis naturalis evincitur ex erroribus in quos impegerunt veteres Philosophi; sed argumentum illud est omnino insufficiens: certum est enim errasse veteres Philosophos etiam circa prima principia, tum ea male applicando, tum ea ad pravos sensus detorquendo, adeo ut non penitus quidem

dem deleta, sed tamen valde obliterata fuerint. Jam vero nemo inde concludat legis naturalis insufficientiam quantum ad illa principia. Ergo errores Philosophorum nihil probant; errores enim illi in ipsos Philosophos, non in legem naturalem refundi debent. Sic itaque; errores veterum Philosophorum circa primaria legis naturalis principia non probant hujus legis insufficientiam circa illa principia. Ergo errores illorum Philosophorum nihil omnino probant.

R. 1. n. ant. Etiamsi enim veteres illi Philosophi tenuerint primaria legis naturalis principia, tamen ex concessis, ea modo male exponebant, vel intelligebant, vel applicabant. Ergo maximum inde oritur argumentum legem naturalem insufficientem fuisse quoad illam applicationem. Sed prima legis naturalis principia vix ac ne vix distingui aut separari possunt a sua applicatione, saltem in praxi quam principaliter spectat lex & Religio.

R. 2. n. conseq. Tum quia errare poterant veteres Philosophi circa secundaria principia, licet non errarent circa primaria, tum quia lex naturalis potest sufficere circa primaria principia, licet non sufficiat circa secundaria. Ratio utriusque est, quod major fit difficultas in evolvendis secundariis illis principiis; minus enim vivida & proxima est eorum evidentia. Sic senes, ægroti, infantes ad minorem distantiam facilius perveniunt.

Inst. Innumeræ a recentioribus Philosophis detectæ sunt proprietates in materia antea incognitæ. v. g. Electricitas, colorum natura & dispositio; pessime omnino argueret qui ex eo quod pluribus sæculis ignotæ fuerint illæ proprietates, concluderet luminis naturalis ad eas detegendas insufficientiam. Ergo a pari, ex eo quod multa legis naturalis principia ignota manserint, frustra prætenditur legis hujus insufficientia circa eorum principiorum cognitionem. Quin immo supponamus Deum nobis revelasse illas proprietates antequam a Nevvtone detegerentur, immerito concluderetur Nevvtonem eas cognitiones revelationi illi debere. Ita a pari, immerito supponitur recentiores Deistas suas cognitiones ex revelatione ita hausisse, ut ea absente, in perpetua jacuissent ignorantia. Uno verbo sic probo errores veterum Philosophorum legis naturalis insufficientiam non evincere. Errores veterum Philosophorum circa plurimas materiæ proprietates non probant luminis naturalis insufficientiam ad eas detegendas. Ergo errores veterum Philosophorum circa plurima legis naturalis principia non probant illius insufficientiam ad illa principia detegenda.

R. n. conseq. & parit. Disparitas 1. se tenet ex parte naturæ illorum principiorum. Ex dictis enim sunt plurima legis naturalis principia quæ non solum tardius, sed etiam quæ nullatenus colligi possunt per solam legem naturalem & independenter a revelatione. Tales sunt omnes veritates quæ pendent a libero & positivo Dei decreto. Disparitas altera se tenet ex parte necessitatis illorum principiorum: nam proprietates illæ a celeberrimo Nevvtone deprehensæ non sunt necessariæ ad recte honesteque vivendum. Hinc serius, ocyusve apprehendantur, parvi interest. E contra vero legis naturalis principiorum cognitio omnino prærequiritur ad rectam & beatam vitam. Cum enim beatitudo hominis in Dei cognitione & amore consistat, & principia illa illam cognitionem amoremque illum pariant & foveant, quo angustior & tardior est illa principiorum illorum cognitio, eo angustior & tardior est hominis beatitudo. Ergo nimium præceps esse non potest principiorum adeptio. Ergo etiamsi absque revelatione longissimam post sæculorum seriem detegi potuissent illa principia sicut proprietates materiæ, non inde sequitur plene sufficere legem naturalem.

Inst. Ideo ex allata modo responsione non sufficiebat lex naturalis, quia nullum sufficiens motivum præ se ferebat. Atqui hæc ratio nulla est: Philosophi enim primaria saltem principia legis hujus callebant. Principia illa per se obligant, ex dictis. Innatam sibi habent honestatem ac pulchritudinem quandam quæ suapte placet. Honestas & pulchritudo illa vim omnem suam obtinent independenter a revelatione & ex natura legis ipsius,

ipsius; sicut evidentia vim suam exercet independenter a revelatione. Ergo principia evidentia in practicis sibi ad suam observantiam sufficiunt sicut evidentia in speculativis. Non minus enim ad bonum quam ad verum a natura facti sumus & compositi: uno verbo placet per se evidentia primorum principiorum speculativorum; placet etiam per se honestas primorum principiorum practicorum. Ergo lex naturalis habet per se motivum suæ observationis sufficiens, quod sic in forma evinco. Evidentia principiorum speculativorum est per se motivum sufficiens ad assensum: Ergo honestas principiorum practicorum est motivum sufficiens ad ea amplectenda.

R. n. conseq. 1. Evidentia primorum principiorum speculativorum necessario rapit assensum; honestas & pulchritudo principiorum practicorum, licet suapte placeat, non rapit necessario ad actum. 2. Si quis pertinaciter & ex industria negaret prima principia sive speculativa, sive practica, ad sanam mentem reduci non posset per ipsam rationem; si quis honestati & pulchritudini principiorum practicorum perfrictam frontem opponat, ad officium cogi non potest per solam rationem, ergo saltem ex parte sanctionis remaneret imperfecta lex naturalis. 3. Assensus speculativus his utriusque generis principiis opposita impedimenta facile vincit per eorum evidentiam; honestas vero & pulchritudo principiorum practicorum non sufficit removendis impedimentis quæ retardare possunt assensum practicum. Majora scilicet & graviora obstacula premunt voluntatem quam intellectum, ut constat experientia. Ergo licet evidentia, &c.

Inst. Atqui æqualia sunt ex utraque parte impedimenta tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Impedimentum enim ex parte intellectus est ignorantia; impedimentum vero ex parte voluntatis est concupiscentia, seu nimia & inordinata boni sensibilis cupiditas. Jam vero ignorantia & concupiscentia illa sunt æqualia impedimenta. Ergo eo ipso quo evidentia est motivum sufficiens respectu principiorum speculativorum, jam honestas debet esse motivum sufficiens respectu principiorum practicorum. Honestas enim illa 1. se habet respectu voluntatis, sicut evidentia respectu intellectus; utraque enim cum utraque facultate æqualem habet proportionem. 2. Proportio illa ex omni parte fundatur rerum natura, nempe tum evidentiæ & honestatis, tum intellectus & voluntatis, tum denique principiorum qua speculativorum qua practicorum. Nam 3. sicut adest relatio & connexio necessaria & essentialis inter evidentiam & principia speculativa, sic eadem est connexio inter honestatem & principia practica. Denique intellectui sagacitati non magis adversatur ignorantia quam concupiscentia voluntatis activitati. Hæc sic resumere licet: & sic probo honestatem esse motivum sufficiens pro principiis practicis eo ipso quo evidentia sufficit pro principiis speculativis. Evidentia enim principiorum speculativorum est motivum sufficiens respectu intellectus ac consequenter respectu ignorantiæ: atqui honestas principiorum practicorum se habet respectu voluntatis & concupiscentiæ, sicut evidentia principiorum speculativorum respectu intellectus & ignorantiæ: ergo eo ipso quo evidentia principiorum speculativorum est motivum sufficiens, jam honestas principiorum practicorum est motivum sufficiens.

R. n. min. 1. Enim evidentia per se rapit assensum, necessitat intellectum; honestas vero non necessitat voluntatem, ut patet experientia. Deinde ubi affulget evidentia, incompossibilis est ignorantia, non tantum simul, ut manifestum est, sed etiam successive respectu principiorum quæ a mente primum percepta sunt ut evidentia. Nam repugnat ut quæ jam percepta sunt evidentia, evidentia reali, postea percipiantur ut non evidentia; sed fieri potest ut principium practicum placeat quidem præsente concupiscentia, sed non efficaciter, ut exemplo Medeæ constat.

Video meliora, proboque; deteriora sequor.

Immo fieri potest ut principium practicum

cum placeat & quidem efficaciter ; sed succedente concupiscentia , honestas illius principii omnem suam amœnitatem deperdat.

Obj. 2. Lex omnibus communis ac innata sufficere debet ; atqui lex & Religio naturalis omnibus communis est & innata . Ergo sufficere debet.

R. n. maj. Lex enim inde sufficiens non est quod sit communis & innata, sed ex eo quod & omnia tradat quæ informant rectam vitæ institutionem, & ea proponat modo hominum infirmitati & necessitatibus proportionato . Hæc non præstat lex & Religio naturalis; ergo.

Inst. Lex omnibus communis & innata medium est hominibus concessum ad informandos eorum mores ; porro medium illud debet sufficere. Proportionem enim debet habere a Deo a quo datur , cum fine , id est cum morum informatione.

R. n. min. ad prob. dist. Debet habere proportionem aliquam & quo gradu voluerit ejus auctor; c. Omnem omnino & omni gradu ; n. Deus potest medium usurpare quale voluerit , & ipsi quam etiam voluerit perfectionem communicare. Talem vero vel talem , tali vel tali gradu perfectionem huic medio communicare , non magis tenetur , quam tale medium præ omni alio usurpare .

Inst. Saltem debet habere proportionem cum fine hominis naturali . Alias insufficientia illa in Deum refundetur ; stultum enim vero & Deo indecens est medium homini proponere quod finem assequi non possit.

R. juxta datam modo distinctionem . Nempe legi naturali deberi proportionem aliquam cum recta morum institutione, non inde vero ipsi deberi omnem omnino ac numeris omnibus absolutam proportionem . Nec ex illa insufficientia Deus in reatum venit , id solum in culpam verti posset si medium illud esset unicum , & absoluta ac omnimoda esset ejus insufficientia.

Inst. Saltem ratio sufficienter tradere debet ea quæ spectant justitiam, sapientiam Dei, hominis primaria officia primariasque conclusiones . Namque data est homini ad investigandas rerum naturas earumque relationes relative ad sortem & conditionem naturalem; ergo nisi hæc omnia tradat ratio & Religio naturalis , jam vane concessa est , jam scopo excidit Deus ; ergo debet esse sufficiens quantum ad hæc naturalis Religio.

R. dist. Data est homini in natura integra & in statu puritatis; c. ad omnem statum etiam præsentem, subdist. sed viciata est ac labefactata, c. Eo est in statu quo a Deo nobis emanavit; n. Itaque ratio equidem sana data est homini in finem propositum; non tam agitur hic de ratione sana quam de ratione qualis nunc est in hominibus . Non quæritur quid possit ratio integra, robusta & sui compos, sed quid valeat ratio læsa, depravata & infirma. Porro læsam ac vitiatam esse illam rationem manifestum est. Nam imbecillem & ad multa imparem esse rationem certa docet experientia ; vel ergo Deum legem imperfectam hominibus dedisse concludendum est , vel fatendum legem olim perfectam , graves passam mutationes , & a primæva nobilitate degenerem nunc esse , hominesque a statu primævæ dignitatis decidisse. Primum sane dici nolunt Deistæ; remanet ergo legem illam olim sanam maximis mutationibus obnoxiam esse sicut quotidie cernimus. Cui enim varias terræ gentes mente perlustranti non mirari contigit tantum intercedere discriminis inter eos quos natura pares & æquales efformavit ? Quis non stupeat gentes integras humani vix quidquam præter formam habere ? rudem & agrestem illam rationem prioris ac puræ tristes esse reliquias nemo sanus negabit.

Inst. Deus prospicere debuit legum suarum integritati, ergo rationis corruptionem præcavere debuit . Ergo semper insufficientia illa debet in Deum refundi , licet puram & sufficientem primitus dederit.

R. n. conseq. Debet Deus legum suarum dignitati invigilare , vel earum depravationem præcavendo , vel eam resarciendo. Porro illud posterius præstat per revelationem .

Inst. Ut rationis ruinas sufficienter resarciret Deus per revelationem, deberet revelatio & tanta comitari evidentia,

tia, & tam late protendi ac evidentia ipsa: atqui contrarium evenit. Nam obscura & intricata est mirum in modum, ac intra angustissimos limites conclusa revelatio. Ergo.

R. dist. Debet esse cum tanta evidentia extrinseca: c. Intrinseca; n. Item debet tam late patere vel actu, vel saltem successione temporum: c. Actu semper; n. Itaque duo urget hæc difficultas contra revelationem, ejus nempe obscuritatem & angustos limites quibus constringitur. Quantum ad primum; eam omnem evidentiam habere debet revelatio quam potest & cujus capax est. At non suscipit evidentiam intrinsecam; habet vero extrinsecam qua major desiderari non potest. Immo per principia quæ revelat, veritatum naturalium evidentiam, mirum in modum defœcat. Quantum vero ad extensionem revelationis, revelatio ex intentione Dei per omnes orbis partes ramos suos protendere debet, sed temporum successione. Paulatim ut lux diei succrescit, & eorum captui quibus affulget sese accommodat. Rudibus debilior per naturale lumen collustravit radius; robustioribus deinde auctum est lumen, cum jam data revelatione Mosaica, successit Christiana. Sic eam pluris facere ac multum revereri discunt homines, sic paulatim assuescunt eam rite & cum debito honore excipere.

Inst. Hinc sequitur veritatum naturalium cognitionem impossibilem fuisse dum abfuit revelatio; ac proinde reos non fuisse illius ætatis peccatores. Falsum conseq. ergo & ant.

R. dist. ant. Sequitur impossibilem fuisse cognitionem veritatum naturalium si collective sumantur; c. Si sumantur distributive, subdist. Quantum ad remotiores juris naturalis conclusiones; c. Quantum ad primaria legis illius principia; n. Itaque dum legem naturalem diximus insufficientem ad detegendas veritates naturales, loquuti sumus de cognitione perfecta & quæ sufficeret ad rectam vitæ institutionem; ac consequenter de cognitione quæ attingeret collectionem veritatum naturalium. Jam vero probavimus huic attingendæ collectioni imparem esse rationem & legem naturalem. Immo id diximus de certis quibusdam veritatibus, v. g. de difficilioribus ac remotioribus quibusdam conclusionibus. Eædem enim pro illis conclusionibus vigent rationes, eadem pugnant incommoda, eadem denique astat experientia. Rei sane, immo inexcusabiles fuere quicunque ante revelationem violaverunt primaria legis naturalis aut principia, aut consectaria; hæc enim in nostra sententia cognosci potuerunt per solam rationem. At ubi remotiores conclusiones invincibiliter ignorarunt, in reatum venire non possunt ex earum violatione. Ceterum observandum est controversiam esse de re facti; quæritur nempe quænam sint vires humanæ rationis in præsenti statu. Idcirco non sunt petenda argumenta ex divinis attributis ad elucidandam aut evertendam rem experientia notam, & ex eadem experientia dijudicandam. Non hic etiam quæritur utrum homo reus sit & divinæ iræ obnoxius si secundum dictamina imperfectæ & cæcutientis conscientiæ suæ agat. Nam potuit Deus excusatum habere illum qui propter ignorantiam male egit. Lex enim ad perfectam vitæ institutionem insufficiens, potest sufficere ad innocentiam & excusationem.

Obj. 3. Sufficiebat collectio a Philosophis redacta. Nam proponebant prima principia moralia, sed illa principia, ex probatis antea, vim obligandi habent per se, ergo.

R. dist. maj. Proponebant imperfecte; c. perfecte; n. Similiter dist. min. Principia illa obligant imperfecte: c. perfecte; n. Jam vidimus rationem sumptam pro sensu illo qui omnibus communis est, esse imperfecte directivam & coactivam, vidimus etiam multa esse quæ sive in primis principiis, sive in eorum applicatione aut ignorabant omnino, aut timide asserebant Philosophi: ergo.

Inst. Vox rationis est vox Dei ipsius; ergo sufficienter obligativa.

R. n. conseq. 1. Enim licet verum sit antecedens, multæ poterunt tamen moveri difficultates & cavillationes circa illius veritatem. Deinde ubi multi vocem illam Dei, rationem nempe, suam esse

esse & sibi militare asserent; quidem contradictorie, quis litem dirimet? Quis inter litigantes gaudebit? Quis discernet? Non vulgus ignobile; non etiam maxima hominum pars, hujus discussionis incapax. Immo sententia cupiditatibus magis consona, magis etiam placebit. At vero revelationis signa ita sunt certa, ita indubitata, ut nemo sanæ mentis, data sufficienti attentione, vocem Dei audire se sibi dissimulare possit.

Obj. 4. Ideo insufficiens dicitur Religio naturalis, quia plurima non sufficienter evolvit; v. g. animæ immortalitatem ab extrinseco, Dei in mundi hujus gubernatione sapientiam, &c. Jam vero hæc omnia non felicius evolvit & enodat revelatio. Ex natura enim sua obscuritatem semper aliquam adjunctam & comitem habet.

R. dist. min. Non felicius evolvit quantum ad speculativas disputationes: c. Quantum ad rectam vitæ institutionem: n. revelatio spectat præcipue praxim; docet quo ordine prosequenda sint objecta. Docet v. g. in unoquoque homine duplicem esse quasi hominem, materialem unum, spiritualem alterum; illum huic servire ac famulari debere. Quo ordine uterque amandus sit tradit, & quidem clare ac recte. Porro ut homines ad rectam vitæ institutionem informentur, necesse non est ut speculativis notionibus pleni sint, sufficit ipsis ratio solida & principium generale quo difficultates illas excutiant; istud habent per revelationem. Præterea observandum quod, ubi sola viget Religio naturalis, tunc sola veritatis habendæ via sit ratio & scientia propria. Porro ubi occurrunt vel difficultates privatæ rationi insolubiles, vel principia inter se aut cum conclusione, sive in se, sive quantum ad applicationem dissona, jam nutat scientia. v. g. Attributis Dei maxime consonat immortalitas animæ ab extrinseco. At ubi eam infallibiliter certam asserere est, tunc hæret ratio. Ubi autem agitur de fide, id est, ubi datur assensus propter auctoritatem Dei loquentis, si certa semel constet illa auctoritas, certa & immobilis erit fides, licet quædam occurrant quæ solvi non possunt. Sic immortalitatem prædictam cum ex revelatione astruitur, non ex eo præcise deducimus quod Dei attributis maxime conveniat, sed ex eo quod Deus expresse asserat se æternam illius conservationem positive decrevisse.

Inst. Atqui pariter ratio generale nobis proponit principium quo in tutam veritatis possessionem deveniamus. v. g. Non ideo sunt neganda clara, quia non percipiuntur obscura.

R. Principium illud generale a ratione propositum verum quidem esse & sufficere ubi 1. jam præcedit aliquid clare & sufficienter propositum. 2. Ubi sufficienter docetur adhuc ipsa principiorum illorum praxis & applicatio ad casus occurrentes. 3. Ubi motivum quo stat hoc principium nempe evidentia, omnem vim suam apud omnes obtinet. Hæc non recurrunt in ratione sola: ergo.

Obj. 5. Status naturæ puræ est ille in quo homo talis nasceretur qualis nunc nascitur, id est obnoxius ignorantiæ, concupiscentiæ & ceteris hujus vitæ miseriis; hoc solo discrimine quod in statu naturæ puræ, hæc omnia fuissent primordia & appendices naturæ, nullumque præcessisset peccatum, in nostro vero hæc sint pœna peccati. Possibilis est ille status, & in eo sola fuisset lex & Religio naturalis. Unde sic: Lex & Religio naturalis fuisset sufficiens in statu naturæ puræ: ergo nunc sufficere debet.

R. n. conseq. & parit. Disparitas se tenet ex diversitate finis & conditionis hominum in utroque statu. Scilicet in statu naturæ puræ finis & conditio hominis fuisset mere naturalis; hoc fatentur omnes; hoc supponunt etiam hujusce difficultatis patroni. At in præsenti rerum statu, finis & conditio hominum est supernaturalis; hoc quidem negat Deista, sed facile revinci potest. Ex dicendis enim in posterum, certum est plurima edita esse tum oracula, tum miracula, quæ quidem non magis dissimulare sibi possunt Deistæ quam solis lucem, aut Romæ existentiam. Certum est pariter miracula & oracula illa intimam habere connexionem cum aliqua revelatione extraordinaria quæ sit legi natu-

naturali superaddita. Ut quid enim Deus signa extraordinaria usurparet nisi ad manifestandam voluntatem extraordinariam? Deinde miracula & oracula illa eodem certitudinis gradu constant ac ipsamet revelatio in cujus confirmationem edita fuere. Ergo certum est existere revelationem extraordinariam. Sed existere non potest revelatio extraordinaria, quin homines ad finem supernaturalem sint destinati. Nam revelatio extraordinaria est manifestatio divinæ voluntatis erga homines qua eos ad aliquid supra vulgarem ipsorum conditionem evehit. Ergo certum est hominem in præsenti rerum statu actu & de facto ordinatum esse ad finem a fine legis naturalis distinctum; ad finem ipsi superiorem; uno verbo ad finem supernaturalem. Ergo denique certum est legem naturalem non esse medium homini sufficiens, licet fortasse talis fuisset in statu naturæ puræ.

Inst. Saltem in statu naturæ puræ lex naturalis fuisset sufficiens ad detegendas veritates naturales. In illa enim rerum dispositione veritates illæ finem hominis constituissent, ac consequenter nisi lex naturalis par & idonea fuisset his veritatibus attingendis, jam homo finem sibi destinatum non potuisset assequi. Ergo lex & ratio naturalis sufficere debuit in statu naturæ puræ. Porro si lex illa sufficiens sit in hypothetica illa rerum positione ad assequendas veritates illas naturales, eidem muneri par & proportionata debet esse in præsenti rerum conditione. In primo etenim statu eadem ac in præsenti fuisset lex, eadem occurrissent impedimenta, concupiscentia nempe, & ignorantia. Unde sic concludo. In statu naturæ puræ sufficiens fuisset lex & ratio naturalis quoad veritates naturales, ergo etiam nunc sufficere debet quoad easdem veritates.

Respondent quidam neg. conseq. Quia scilicet concupiscentia quæ nostri status est appendix, duplici titulo nobis inhæret, titulo scilicet naturalis conditionis & peccati; in statu vero naturæ puræ, unico titulo, nempe naturalis conditionis, adhæsisset. Hinc concludunt concupiscentiam eandem esse quidem in utroque rerum ordine, quoad substantiam, disparem vero quoad gradum, adeo ut remissior futura fuisset in hypothetico illo statu, vividior vero sit in actuali. Non mirum ergo, inquiunt, si dispar sit legis naturalis efficacia in utroque statu. Idem dic de ignorantia. Prima fronte nodum feliciter solvere videtur hæc responsio. At fortasse non ita inconcussa sunt principia in quæ recumbit, ut veritatem in aprico ponat. Supponit enim hæc responsio gradu remissiorem fore concupiscentiam in statu naturæ puræ; hac scilicet ratione, quod in illo statu unico titulo titillasset concupiscentia, dum duplici de causa nos torquet in præsenti ordine. Sed titulorum multiplicitas rei possessæ est omnium extrinseca, rem illam non auget aut mutat ullo modo. Sic v. g. ex eo quod Petrus decem nummos duplici titulo possideat, quos unico habet Paulus, non sequitur illum posteriori aut plus habere, aut ditiorem aut inde feliciorem esse. Ita etiam ex duobus hominibus suspendio damnatis quorum unus huic supplicio ex duplici scelere deputatus est, alter vero ex unico crimine, respectu utriusque dolor est idem. Ita in præsenti casu; licet concupiscentia duplici titulo nobis inhæreat, non sequitur inde major boni difficultas, quam si unico titulo in nobis desæviret. Eadem est, fatentibus hujus responsionis auctoribus, eadem est quoad substantiam ac in statu naturæ puræ. Porro vis agendi ejus & efficacia non videtur recte repetenda ex titulorum multitudine quibus habetur. Immo certum est Deum in pœnam primi peccati nihil aliud fecisse quam hominem nativæ conditioni reddere. In primæva enim hominis creatione, eum immunem fecit a concupiscentia quæ erat naturæ appendix, in pœnam inobedientiæ hanc ipsam abrogavit immunitatem, & ipsum huic eidem subjecit concupiscentiæ a qua liberum antea eum fecerat. Ergo concupiscentia quæ modo nos premit, est illa ipsa concupiscentia quæ in statu innocentiæ viguisset, nisi Dei benevolentia nos ab ea immunes fecisset; sed illa concupiscentia a qua immunes sic facti eramus,

mus, erat naturæ appendix & omnino eadem ac quæ viguisset in statu naturæ puræ. Ergo concupiscentia nostri status est eadem omnino ac concupiscentia status naturæ puræ. Quidquid sit de hac responsione.

Respondent alii distinguendo, sed varie, pro varia sententia. Alii enim sic distinguunt ant. In statu naturæ puræ lex & ratio naturalis fuisset sufficiens quoad veritates naturales collective sumptas: n. Quoad veritates easdem distributive sumptas: subdist. Quoad faciliores: c. Quoad difficiliores n. Alii vero sic dist. Fuisset sufficiens absolute quantum ad veritates naturales collective sumptas, aut etiam distributive & absolute: c. Moraliter: n. Quod ut intelligatur observandum 1. veritates naturales sumi posse vel collective, vel distributive; immo in distributione alias occurrere faciles & obvias, ut sunt prima principia ac immediatæ eorum conclusiones; alias vero difficiles & abstrusas, quales sunt remotæ quædam juris naturalis conclusiones. Hic agitur tantum de veritatibus naturalibus collective sumptis & difficilioribus. 2. Lex naturalis potest considerari in se & absolute, vel relative, ad præsentem hominis conditionem; non tam quæritur quid valeat lex & ratio naturalis in se, quam quid præstare possit relative ad præsentem hominis infirmitatem. Itaque sufficientia vel insufficientia legis naturalis repetenda potissimum est ex proportione quam dicit cum hominis infirmitate quam ex primo peccato & immoderata concupiscentia contraxit. Talis ergo erit insufficientia legis naturalis ad veritates naturales detegendas, qualis erit hominis impotentia assequendi easdem veritates. Porro 3. impotentia alia physica & absoluta, alia moralis; consequenter aliquid necessarium dicitur duplici sensu absolute, nimirum & moraliter.

His positis, sunt qui velint hominem ex peccato originali contraxisse impotentiam physicam & absolutam ad cognoscendas veritates naturales collective sumptas & etiam distributive, sed difficiliores. Consequenter asserunt legem naturalem nullo sensu sufficere iis adipiscendis veritatibus. Ac denique absolute necessariam esse contendunt revelationem. Omni sensu ergo negant prætensam illam legis naturalis sufficientiam in statu naturæ puræ. Hinc juxta eorum principia homo in illo statu non nisi imperfecte finem suum assecutus fuisset. Cum enim ex una parte finis ille in naturali Dei cognitione & amore tunc positus fuisset, ex altera vero ab illa cognitione impeditus fuisset ex ignorantia quæ veritatum naturalium collectionem, rerumque summam ac concatenatam seriem attingere neutiquam potuisset, cum impotentia illa sit physica, jam homo nusquam ad eam pervenisset Dei cognitionem perfectam & completam quæ destinata erat ipsi felicitas. Alii vero dicunt impotentiam illam esse tantum moralem. Hinc legem naturalem sufficere volunt absolute quantum ad veritates naturales sensu mox exposito. Hinc legem illam contendunt esse insufficientem tantum moraliter, & consequenter moraliter etiam tantum necessariam revelationem. Ea ergo, juxta ipsos, fuisset difficultas adipiscendi veritates illas quæ licet absolute vinci potuisset, vix ac ne vix, immo forsan, nunquam actu & de facto superata fuisset. Hinc in eorum principiis homo non nisi cum summa difficultate veritatum naturalium collectionem, & etiam veritates naturales difficiliores attigisset. Hinc non nisi cum summa difficultate finem sibi destinatum attigisset. Hinc denique veritates illas in præsenti statu non nisi maxima cum difficultate assequitur, hisque assequendis moraliter necessaria est, & utilissima revelatio. Brevius fortasse ac tutius esset admittere pro illo statu auxilium naturæ & conditioni ejus proportionatum, cujus ope homo sese excolere, & ab ignorantia simul & difficultate, seu concupiscentia se expedire potuisset. Auxilium istud fuisset naturale & naturalis ordinis, sicque homo eas cognitiones sibi comparasset quæ suo statui congruentes fuissent. Nihil vetat quominus auxilium istud revelationis nomine donetur, modo hæc revelatio dicatur tantum naturalis. De hoc auxilio iterum dicemus. Ceterum nihil emolumenti ex illa secunda sententia percipe-

re possunt Deistæ. Si enim fateantur eam difficultatem quæ nos hic & nunc in præsenti statu urget & arcet a veritatibus naturalibus talem esse quæ a nullo fuerit superata, jam rationis jura tam ambitiose protendere, & revelationis inutilitatem jactare non poterunt. Nec ulla inde vitii labes in Deum respergitur. Hic enim non agitur nisi de collectione veritatum naturalium, aut de remotioribus ac difficilioribus quibusdam veritatibus, ac proinde quæstio est tantum de finis assecutione magis vel minus perfecta; impossibilitas enim illa, vel summa illa difficultas non cadit nisi in collectionem veritatum illarum, aut in quasdam veritates distributive sumptas, quæ cum fiant a primariis principiis remotæ, felicitati hominis etiam remote conducunt. Porro Deus potuit, illæsis suis attributis, eam legem homini dare quæ ipsum imperfecte tantum duceret ad destinatam felicitatem. Non tenetur enim hominem perducere ad propriam beatitudinem per medium quo perfectius dari non possit. Bonitatis sane vices implet Deus per donum rationis quod tamen est imperfectum; ita auxilium statui naturæ puræ proprium tale fuisset quo potuisset homo sese excolere & expedire tum ab ignorantia cæcante, tum a difficultate cruciante. Abundantius etiam homini consulit Deus dum rationis infirmitatem & & insufficientiam per revelationem compensat.

Inst. Juxta Catholicorum principia in statu naturæ puræ fuisset donum naturale quo mens sese excolere potuisset & liberare ab ignorantia cæcante & a difficultate cruciante. Ergo etiam sufficere debet ratio ad veritates naturales, modo simili dono adjuvetur.

R. dist. ant. Sic fuisset donum naturale distinctum a ratione c. ab ea indistinctum n. itaque certum est 1. donum illud tunc sufficiens fuisse futurum ad felicitatem naturalem obtinendam; nam ab ignorantia cæcitante, a difficultate cruciante hominem liberasset, & ejus ope mens sese excolere potuisset. 2. Sufficeret profecto in præsenti statu, hoc posito, & in eorum sententia, qui contendant eandem futuram fuisse concupiscentiam in illo statu, ac in præsenti. 3. Donum illud licet naturale, & naturalis ordinis, futurum fuisse a ratione distinctum, & ipsi superadditum. Antecedenter enim ad illud donum S. Augustinus supponit hominem jam in ratione hominis existentem; ac proinde ratione præditum. Ergo supponit donum illud a ratione distinctum. 4. Hinc semper certum manet, rationem per se solum, & sibi relictam absque ullo alio dono superaddito non sufficere. 5. Nisi evincant Deistæ, Deum in præsenti rerum statu tale donum nobis largitum fuisse, legis naturalis insufficientiam fateantur. Ceterum mirum est, Deistas tantopere immorari hypothesi mere possibili, cujus appendices tam parum novimus.

Inst. Nec ipsa revelatio prætensam illam impotentiam perfecte tollit: nam in Catholicorum principiis remanet concupiscentia. Non etiam tradit adæquate collectionem veritatum naturalium; non alias Fideles omnes, etiam tardioris ac hebetioris ingenii, hanc collectionem integram callerent. Ergo non inde insufficiens dici debet ratio, aut saltem inde non sufficit revelatio.

R. n. conseq. Revelatio quidem non omnino, non radicitus tollit concupiscentiam, sed eam moderatur ac intra debitos fines coercet. Auxilium huic implendo muneri proportionatum annexum sibi habet. Simile quid sibi non vindicat ratio, & inde insufficiens. Revelatio eas omnes tradit veritates quæ hominis felicitati conducunt. Difficultates in quibus cæcutiebat ratio, eas opportune explanat ac solvit revelatio. Tribunal sibi proprium habet quo veritates illæ rudibus ac idiotis certo & pro eorum modulo ac necessitate innotescant. Hoc tribunali caret ratio, & inde insufficiens.

Inst. Saltem homo sibi relictus ac propriis viribus poterit cognoscere possibilitatem status naturæ puræ. Ergo poterit detegere fontem & principium miseriarum quibus urgetur.

R. Transf. ant. n. conseq. Ad detegendum enim principium miseriarum quæ

actu nos exagitant, non sufficit detegere Deum potuisse nos creare quales nunc sumus, sed debet constare eum revera actu & de facto nos ita condidisse. Non enim quæritur undenam absolute possit oriri miseria actualis, sed undenam revera oriatur. Porro nedum doceat ratio nos creatos fuisse in puris naturalibus, immo plurimis constat argumentis mox depromendis, Deum extraordinarie nobis sese manifestasse, ac proinde nos in illo statu non fuisse conditos.

Dixi esto ad ant. quod potuisset negari. Ratio enim nec possibilitatem nec impossibilitatem status naturæ puræ positive astruit. Ergo sola ratione duce, non potest homo cognoscere miseriarum suarum fontem & originem.

Obj. 6. Ex insufficientia rationis sequitur admittendum esse Pyrrhonismum universalem, ac generale & effectivum de omnibus dubium. Frustra enim tanto opere sistuntur homines ad tribunal quod non potest firmum de Divinitate ferre judicium. Immo ex legis naturalis insufficientia concludere cuique licet pessime sibi se consulturum ac ratione usurum si ad tribunal errori obnoxium staret; unum ergo ipsi remanet, nempe dubium generale & effectivum de omnibus, ac præcipue de iis quæ Religionem spectant. Unde. Ut dubium generale præcaveatur aut excutiatur, debet in antecessum audiri ratio: sed ratio est insufficiens, est tribunal errori obnoxium. Ergo homini nullum superest medium emergendi ex illo dubio, vel illud præcavendi. Ergo dubium illud est amplectendum. Et certe ut dubium illud excuteretur, audienda esset vel ratio privata, vel ratio per aliorum expositiones & institutiones evoluta & explicata. Sed juxta probationes allatas utraque est insufficiens. Utraque ergo respuenda.

R. dist. min. Ratio est insufficiens in aliquibus, & etiam in multis: c. In omnibus: n. Itaque rationi sua est vis & auctoritas quam non infringimus; sua est ipsi certitudo & perspicuitas quam non negamus. At etiam, ut constat ex probatis, sua est infirmitas & insufficientia. Sunt scilicet ex una parte primaria quædam principia in quibus certa & evidens est ratio; talia sunt: suum unicuique reddendum est. Honorandi sunt parentes. Existit supremum aliquod Numen, &c. In his absoluta est ratio, in his audienda, & sic dubium generale aut præcavetur aut exuitur. At vero quantum ad remotiores quasdam primorum principiorum conclusiones, quantum ad eorundem principiorum determinationem & eorum ad certos casus applicationem, immo quantum ad principiorum illorum inter se conciliationem, nedum semper certa & absoluta sit ratio, sæpe sæpius e contra cæcutit & hæret ambigua. Viros etenim scientia & ingenio commendandos quotidie videmus in hisce quæstionibus tum speculativis, tum practicis hærere & in varias abire sententias. Veteres Philosophos ad tales scopulos allisos vidit & obstupuit tota retro Antiquitas. In his non ita audienda est ratio ut nullum aliud desideretur tribunal, nulla alia quæratur veritatis via. Porro ex eo quod sint quædam in quibus incerta sit ratio, non sequitur incertam esse in omnibus, ac proinde nec sequitur in omnibus respuendam ac contemnendam esse.

Obj. 7. Revelatio non est necessaria, sed omnino inutilis. Deus enim impossibilia non jubet; vetant bonitatis sapientiæ & æquitatis leges. Supremo Numini quælibet actio, qualiscunque tandem sit, placet ex intentione operantis. Porro hoc posito, duplici principio ruit revelationis necessitas. Equidem eo usque aliquando cæcutit obscurata ratio, ut veri & falsi limites certo non dignoscat, & dogmata Religionis vix ac ne vix assequatur. At nulla est necessitas depellendæ hujus ignorantiæ, & consequenter nulla necessitas revelationis. Ex principio enim supra mox posito Deus ex æquo honoratum se habet per animi sensus, qualescunque tandem fiat, modo ex sincero ipsi placendi desiderio eliciantur. Ac proinde si homines in aliquo errore versentur circa modum quo sensus illos exerunt & eorum actus exercent, inde plecti non possunt, nec minus Deo placent ac grati sunt.

Quod

Quod ut pateat observan. 1. Omne judicium falsum, esse physice malum, sicut judicium verum, est physice bonum. 2. Judicium verum aut falsum nullam per se moralitatem habet. Hæc moralitas ex motivis, intentione & dispositionibus judicantium unice oritur. Sic v. g. pictori malum est physicum hominem ita pingere ut vultum humanum non exhibeat, sicut perfectio est physica Pictori prototypum suum ad vivum reddere. Primus itaque pictor secundo est physice perfectior, sed uterque æqualis esse potest quantum ad moralitatem. Hæc enim moralitas ex eorum consilio & mente æstimanda est. Cum ergo uterque ex animo voluerit hominem depingere, uterque ex æquo moraliter bonus est. Idem dicendum de iis qui Religionem inquirunt. Qui subtilius veriusque de Religione judicant, peritiores ac physice meliores sunt. At qui bona fide & ex sincero Deo placendi desiderio errant, mali suut physice, sed nihilominus æque Deo grati & accepti esse possunt ac ii qui recta sapiunt. 3. Omnis error est voluntarius eo sensu quod fit cum propensione voluntatis; at non semper est eo sensu voluntarius quod voluntas errorem quatenus errorem amplectatur, & in eo sibi complaceat. Immo sola veritas voluntati arridet; & solo veritatis amore errori inhæret. Error ille est tantum vitium physicum. Errat enim vero tunc homo, sed veritatem quærit. Similis est nuntio qui in adimplendo munere sibi commisso sedulam ac fidelem navat operam, sed cum viarum ambages non calleat, deviante itineris duce ad propositum non pervenit locum. Ita homo Religionis indagator, errore deluditur, sed veritatem colit, qualecunque tandem de ea enunciet judicium, securus est. 4. Non omnis error crimen est. Sunt qui Homerum Virgilio, sunt qui Virgilium Homero præponant. Alter ex aliis certo certius errat, sed innoxie. Sic etiam alius aliena apud se retinet sua esse putans bona fide; errat quoque sed innoxie. Sunt denique qui talem cultum, qui tamen spurius est, Deo placere putent, errant sane sed innoxie. Unde sic resumo. Si necessaria esset revelatio quantum ad veritates naturales, sane ad depellendam hominis ignorantiam. Jam vero hanc ignorantiam depellere, omnino inutile est. Ideo enim expellenda esset illa ignorantia, quia sub illa ignorantia homo non posset Deo placere, nec consequenter pœnam declinare debitam violatæ legi quam ignorat. Porro utrunque falsum est. 1. Enim omnem actionem æstimat Deus ex intentione operantis: sed hominis intentio potest esse æque bona ac Deo grata sub illa ignorantia. Posita enim illa ignorantia, potest actiones suas elicere ex intimo Deo placendi desiderio. Ergo necesse non est hanc ignorantiam propellere. 2. Sub illa ignorantia nullam violatæ legis pœnam incurrere potest. Sub illa enim legis & veritatis inscitia veritatem amat & insequitur. Ergo etiam manente eadem ignorantia plecti non potest. Sic itaque resumo. Si necessaria foret revelatio quantum ad veritates naturales, sane ad depellendam veritatum illarum ignorantiam: atqui ignorantiam illam depellere omnino inutile est. Ergo revelatio non est necessaria.

R. n. min. Necesse est enim depellere ignorantiam quæ hominem arcet a recta & beata vita; porro certarum quarundam veritatum naturalium & præsertim earum collectionis ignorantia talis est. Hominis enim justitia & beatitudo in Dei cognitione & amore consistit, jam vero veritatum illarum ignorantia hominem arcet a Dei cognitione & amore. Ergo earundem veritatum ignorantia hominem arcet a recta & beata vita

Inst. Ideo depellenda foret illa ignorantia, quia homo sub illa ignorantia Deo placere non posset: atqui homo sub illa ignorantia Deo placere potest. Absente enim revelatione, ignorantia illa esset omnino invincibilis, ac proinde omnino inculpabilis. Ergo inutile est prædictam ignorantiam depellere.

R. n. maj. Et dico non ideo præcise excutiendam fore præfatam ignorantiam quia homo sub illa Deo placere non posset; sed, ut jam diximus, ad adipiscendam beatam & justam vitam. Itaque ut rem a prima origine desumamus, in memoriam revocandum est unicam

hominis felicitatem in Dei cognitione & amore reponendam esse. Absque revelatione hunc finem aut nullo modo, aut non nisi cum maxima difficultate assequitur homo. Inde ergo proprie loquendo necessaria est homini revelatio, nempe ut ad hanc Dei cognitionem perveniat. Unde absente revelatione, homo nec vituperio, nec pœna dignus ob violatas leges quas invincibiliter ignorabat, nec sane ideo Deo displicuisset quod leges illas non servasset; sed tamen a fine suo excidisset homo. Et ut exemplis allatis insistam. Nuntius ille de quo habet objectio in reatum quidem non venit quod propositum itineris terminum non attigerit, cum a duce suo deceptus fuerit inter ignotas vias; attamen certum nihilominus est nuntium illum ad metam non pervenisse, & feliciorem futurum fuisse si peritum ac fidelem itineris ductorem habuisset. Jucundam ergo ac utilem nuntio illi navasset operam qui pro cæco duce oculatum ac tutum ducem ei dedisset. Ita nobis est ratiocinandum de homine erga debilitatam rationem cujus ruinas & defectus resarcit revelatio.

Inst. Ideo depellenda foret illa ignorantia, quia sub illa ignorantia homo veritates easdem ignoraret; ergo ideo tollenda esset illa ignorantia quia sub illa homo Deo placere non posset.

R. n. min. Homo qui veritates illas ignorat ex illa præcise ignorantia Deo nec placet nec displicet moraliter; ignorantia enim illa est invincibilis. Sed cum veritates illæ sint absolute necessariæ ad rectam & beatam vitam, deficiente earum cognitione, hoc damnum nullatenus resarciri potest.

Inst. Ideo depellenda foret illa ignorantia, quia alias error involuntarius a Deo justo puniri posse conciperetur: sed hic non agitur ut explicetur quomodo error ille a Deo puniri possit, cum sit involuntarius. Ergo minime necessaria est revelatio.

R. n. maj. Et dico non ideo præcise depellendam fore prædictam ignorantiam & revelationem, non ideo præcise necessariam dicimus ut explicetur quomodo error sit voluntarius & a Deo puniri possit, sed ut innatus homini erga veritatem amor expleatur, & præcipue erga veritatem tanti momenti qualis est Religio. Judex qui innocentem pro reo damnat falsis testibus delusus, gauderet sane si quis veritatem ei revelaret, quamvis ex involuntario illo errore nullum ipsi damnum emergat. Avarus qui auricalcum pro auro recondit, summa procul dubio perfundetur voluptate ex errore detecto. Pictor de quo habet objectio multa lucrabitur ex arte melius edocta. Homo, ut fatetur objectio, veritatem quærit, etiam dum errore pascitur, ad veritatem anhelat, etiam dum in mendacio quiescit; gratum ergo ac jucundum ipsi erit plena ac pura sinceræ veritatis manifestatio. Aliud est itaque pictorem ex arte ignorata & male applicata mulctari, & aliud ipsi inutile esse medium quo ad absolutam artis suæ cognitionem perveniat. Hic porro non tam agitur an homo, absente revelatione, pœnaʼ aliqua affici potuisset ob neglectas veritates quas ex sola revelatione discere poterat, quam an deficiente eadem illa revelatione finem sibi proportionatum & veritates naturales sensu exposito sumptas tenere potuisset.

Inst. Eum tantum errorem Deus plectere potest qui est peccatum: atqui error ille, utpote necessarius non foret peccatum; ergo puniri non posset. Ergo ideo expellenda foret illa ignorantia ut error & voluntarius & a Deo plecti conciperetur.

R. c. tot. arg. & n. ult. conseq. Fatemur 1. solum errorem peccaminosum a Deo puniri posse. Fatemur 2. prædictum errorem nullatenus peccatis accenseri posse; sed negamus inde sequi ideo repellendam fore illam ignorantiam ut error ille & voluntarius & a Deo justo plecti posse concipiatur; evolvendum enim non habemus an error ille sit voluntarius, quomodo a Deo plecti possit, sed an error ille hominem arceat a beata vita; si enim res ita sit, jam adest legitima ratio necessitatis revelationis. Porro iterum dicimus tollenda erat hominis ignorantia ut homo veritates cognosceret ad veram beatitudinem prorsus necessarias. His ignoratis homo quidem nihil inde præcise timendum habuisset a Deo,

sed

sed propriam beatitudinem non fuisset adeptus. Scilicet inter veritates ad hominis beatitudinem necessarias, occurrebant aliæ cognitu difficiles, aliæ etiam impossibiles, omnes tamen scitu necessariæ. Cum ergo ex una parte omnium nostra interesset veritates illas cognoscere; ex altera vero revelatio sola esset medium Deo promptum ac facile, & his veritatibus manifestandis idoneum, hinc eam dicimus homini necessariam.

Inst. Atqui homo ex illa ignorantia a propria beatitudine non excidisset. Beatus est enim homo cum veritatem amat: sed homo sub illa ignorantia veritatem amat; ideo enim errrorem amat quia veritatem esse putat. Ergo homo ille veritatem amat. Ergo beatus est. Ergo non ideo necessaria foret illa revelatio ut homo beate viveret, sed ut error & voluntarius & a Deo puniri posse concipiatur.

R. dist. min. Veritatem amat putativam & errore facti: c. Realem & eam assequitur: n. Itaque homo ille mendacium pro veritate accipit errore facti, quia putat esse veritatem, sed ex eo quod putet adesse veritatem, non inde sequitur eum eam habere realiter: porro beatitudo hominis consistit in sola reali veritatis possessione; requirit veram Dei cognitionem. Ergo.

CONCLUSIO XII.

Revelatio est possibilis.

PRob. Illa revelatio est possibilis quæ non repugnat sive ex parte Dei, sive ex parte hominis. Atqui revelatio non repugnat 1. ex parte Dei. Si enim repugnaret ex parte Dei, vel quia non posset excogitare signa extraordinaria quibus suam manifestaret voluntatem, vel quia non posset ea applicare, vel quia nollet. Atqui non primum, nec secundum. Est enim summe sapiens & summe potens. Non tertium. Pro summa enim qua afficitur bonitate & benignitate erga creaturas in re tam utili & necessaria deesse non potest. Non repugnat etiam ex parte hominis. Nam homo est creatura intelligens; poterit ergo intelligere & loquelam Dei & signa quibus exprimitur. ergo.

COROLLARIUM V. ET CONCLUSIO XIII.

Religio quæcumque hac Revelatione destituta, hoc ipso falsa est & falsi arguitur, ac insufficientiæ.

PRob. Religio revelatione destituta, solo lumine & ratione naturali nititur. Sed ex probatis ratio & Religio naturalis insufficiens est: ergo est insufficiens. Falsa est etiam. Tunc enim nec omnia tradit de Deo, nec condignam latentibus attributis habet existimationem cultumque Deo exhibet diversum ab eo quem exigit Deus. Denique caret medio necessario, revelatione, scilicet, cujus necessitatem supra vindicavimus. Uno verbo Religio revelatione destituta nititur tantum humanis conjecturis, nec potest docere quænam sint Dei consilia, quid decreverit aut quid promittat. Eo ergo deinceps tota devolvetur quæstio, an hæc vel illa Religio & societas tali gaudeat revelatione, purosque ac illimes hujus fontes nobis aperiat. Ubi sit, quibus commissa, quid doceat illa revelatio nobis deinceps erit inquirendum. Divina illa ac extraordinaria revelatio erit jam lapis lydius ad quam veritatem cujusque Religionis experiemur.

CONCLUSIO XIV.

Existit alicubi Revelatio divina.

PRob. Ex probatis enim insufficiens est ratio & Religio naturalis; necessaria est revelatio: ergo alicubi existit revelatio illa. Deus enim sicut non abundat in superfluis, sic non deest in necessariis. Et certe ex omnibus Religionibus nulla est quæ aliquam revelationem non sibi prætendat; ex ea revelatione omnes suam divinitatem suspensam manere arbitrantur. Hinc non leve oritur præjudicium alicubi factam olim esse veram ac divinam revelationem, ac proinde eam alicubi existere.

Obj. 1. Illud non est admittendum quod est contra rationem: atqui revelatio est

est contra rationem: nam est supra rationem: sed quod est supra rationem est eo ipso contra rationem.

R. n. utramque min. Quæ supra rationem, ea sunt quæ inter attributum & subjectum enuntiant habitudinem quam humana ratio non percipit. Quæ autem contra rationem, ea sunt quæ inter attributum & subjectum enuntiant habitudinem omnino contrariam habitudini quam percipit humana ratio. Unde esse contra rationem, dicit oppositionem cum principiis rationis lumine notis; sed ex eo quod Deus nobis aliqua manifestet quæ extra rationis nostræ sphæram excurrunt, non sequitur ea principiis jam lumine naturali notis adversari. De infinito infinitæ possunt enunciari propositiones veræ: porro humana ratio, utpote finita, non potest attingere veritatem infinitarum numero propositionum. Deinde ex rebus quas novit divina mens, profecto plurimæ sunt humanæ menti imperviæ; tantum enim distare debent divinæ cogitationes ab humanis, quantum ens divinum distat ab ente humano. Porro infinita est Entis divini ab ente humano distantia: ergo infinito pariter intervallo divinæ cogitationes ab humanis distant. Ergo plurimæ sunt, immo infinitæ numero veritates quæ sunt supra rationem. Ergo quod est supra, non ideo est contra rationem.

Inst. Atqui quæ sunt supra rationem eo ipso sunt contra rationem: quæ sunt supra rationem ipsi non sunt conformia: sed quæ rationi non sunt conformia, jam sunt contra rationem. Ergo mysteria eo quo sunt supra, jam sunt contra rationem.

R. 1. n. maj. Et dico mysteria posse esse & dici simul & supra rationem & ipsi conformia. Sub duplici enim respectu considerari possunt mysteria, vel scilicet antecedenter ad revelationem, vel consequenter ad illam revelationem. Cum dicuntur supra rationem, attenduntur antecedenter ad revelationem. Tunc enim ratio non potest ea cognoscere, nullumque suppetit medium judicandi ea esse conformia vel difformia cum ratione. Sunt enim ordinis superioris cum quo nullam habet ratio proportionem. At si supponatur revelatio, tunc mysteria possunt dici rationi conformia, licet semper maneant in se supra rationem. Quidquid enim Dei intellectui & rationi consonat, humanæ rationi conforme dici debet. Sed quidquid revelatum est, modo constet de revelatione, illud conforme est rationi divinæ. Ergo quidquid revelatum est, rationi humanæ est conforme. Ergo aliquid potest esse supra rationem & tamen ipsi conforme. Sit in exemplum mysterium SS. Trinitatis revelatum esse certo scimus; ergo divinæ rationi & essentiæ, in qua includitur, contrarium esse non potest. At ratio quæ nobis essentiam Dei non nisi ex aliquibus ejus attributis aperit, nobis non manifestat connexionem inter mysterium illud & illa Dei attributa, quia mysterium SS. Trinitatis est ordinis superioris. Unitas scilicet naturæ & trinitas personarum sunt veluti duo annuli cujusdam catenæ quorum primum exhibet ratio, secundum vero ignorat; manifestat autem revelatio, ut habet S. Paulus 1. Cor. 2. *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit .... nobis autem revelavit Deus*. Connexionem tamen seu medios annulos inter utrumque annulum non manifestat revelatio, sed tantum mysterii existentiam revelat. Hinc ratio pronuntiat mysterium illud esse conforme rationi, conformitatem tamen ipsam non vidit.

R. 2. n. min. Ea nempe quæ non sunt conformia rationi ipsi esse contraria. Aut dist. quæ non sunt conformia positive: c. negative: n. Quæ non sunt rationi conformia positive, sunt ea quæ oppositionem habent cum ratione: consequenter sunt contra rationem. Quæ vero non sunt conformia negative, sunt ea quæ nec conformitatem nec difformitatem dicunt cum ratione; quia scilicet nullam habent rationem aut proportionem cum ratione, ac proinde cum ea comparari non possunt. Ex modo dictis patet ea quæ nullam habent cum ratione proportionem non eo ipso esse contra rationem.

Inst. & prob. maj. Nempe ea quæ sunt supra rationem non esse ipsi conformia. Quæ sunt supra rationem sunt incom-

incomprehensibilia: sed quæ sunt incomprehensibilia sunt contra rationem. Ergo quæ sunt supra rationem, sunt etiam contra.

R. n. min. Contradictionem enim involvit. Namque si affirmetur aliquam propositionem esse evidenter veram aut falsam, debet evidenter cognosci. Nemo, v. g. potest asserere omnes radios circuli a centro æqualiter distare, nisi istud evidenter perspiciat. Sed quæ sunt incomprehensibilia non percipiuntur evidenter, immo nullatenus percipiuntur. Ergo asseri non potest ea quæ sunt incomprehensibilia evidentem dicere oppositionem cum ratione. Hinc sic ipse habet Baylius, *Oper. T. I.*, *pag. 133.*, loquendo de Dei æternitate: (a) " Quoniam ratio vobis rei incomprehensibilis (æternitatem Dei) existentiam necessario demonstrat, requiritur, quasdam res esse verissimas, realesque quas ratio nullo modo potest comprehendere ". In his & sibi contradicit Baylius & nobis favet. Cæterum esse aliquid incomprehensibile & esse supra rationem sunt quid unum & idem. Res est incomprehensibilis ex rationis nostræ limitibus & imperfectione, non ex attributorum dissonantia:

Inst. Atqui quæ sunt incomprehensibilia sunt contra rationem. Circulus triangularis est incomprehensibilis: sed hoc ipso est simul incompossibilis & contra rationem. Ergo quæ sunt incomprehensibilia sunt simul incompossibilia & contra rationem.

R. 1. n. min. Non idcirco repugnat circulus triangularis, quia est incomprehensibilis, sed quia pugnat in terminis & a priori sibi contradicit: immo est incomprehensibilis, quia repugnat.

R. 2. dist. Circulus triangularis est incomprehensibilis ut verus & possibilis: c. ut chimericus & impossibilis. n. min. & parit. Concipi non potest circulum triangularem esse possibilem aut verum & existere. Nam concipitur circulus ut figura cujus omnia circumferentiæ puncta æqualiter distant a centro; ergo concipitur circulus triangularis ut impossibilis. Ergo incomprehensibilis est ut possibilis, non ut impossibilis. At vero mysteria, & quæ sunt supra rationem sunt incomprehensibilia tum ut possibilia, tum ut impossibilia. Ut impossibilia quidem: nam a parte rei possibilia sunt & existunt: ut possibilia vero, quia antecedenter ad revelationem nullum est medium quo eorum possibilitatem cognoscamus.

Inst. & prob. min. supra negatam, nempe quæ non sunt rationi conformia ea esse ipsi contraria. Ea sunt contra rationem quæ talia percipiuntur: sed quæ non sunt conformia rationi percipiuntur esse contra. Nam non percipiuntur, nec possunt percipi conformia rationi; ergo percipiuntur contra.

R. n. min. Et 1. quidem sua habet natura mysteria seu suos effectus quorum cum ratione non percipitur conformitas. Quis, v. g., concipere aut evolvere possit quomodo granum in terræ sinu putrefactum fructus germinet? Quomodo alimenta in stomacho digerantur? Atqui tamen hæc non sunt contra rationem. Deinde mysteria possunt esse rationi conformia, licet ratio hanc conformitatem non percipiat. Jam diximus mysteria esse superioris ordinis & extra rationis sphæram. Non mirum ergo si ratio eo non intime perspiciat. Mens humana proportionatam sibi habet intelligendi vim supra quam assurgere non potest, sicut dentes triturandis alimentis, non corrodendo ferro destinati sunt & proportionati. Facultas quælibet finem & destinationem suam tantum explere potest. Auris non videt, sicut nec oculus audit. Myopes objecta ad certam distantiam posita perspicere possunt. At millia eos fugient objecta in horisonte infinito. Sic ratio accurate distinguit & percipit objecta suæ sphæræ ambitu inclusa, licet mysteria supra illam sphæram posita perspicere non possit. Denique aliud est non perci-

(a) „ Puisque la raison nous prouve nécessairement l' existence d' une chose incompréhensible, „ (l' eternite de Dieu) il s' ensuit qu' il y a des choses très-vraies & très-réelles qui sont in„ compréhensibles à la raison.

cipere aliquam propositionem esse conformem rationi; & aliud percipere eam non esse conformem. Qui secundum non qui primum percipit, detegit propositionem contra rationem. Ergo quæ non sunt conformia rationi possunt non esse rationi contraria.

Inst. Non valet comparatio instituta inter naturæ & revelationis mysteria. Nam naturæ mysteria propria sua evidentia sibi fidem faciunt; rationis deinde aciem non fugiunt quantumvis obscura sint. Non ita revelationis mysteria.

R. n. sequel. Et dico parem esse hic tum naturæ tum Religionis revelatæ mysteriorum conditionem. 1. In natura idem objectum evidens est simul & incomprehensibile. Quomodo enim videam, quomodo audiam, non intelligo; id unum scio, me audire & videre. Obscuritatem non tollit certitudo, nec vicissim; ita a pari, certum mihi constat existere & revelatum esse mysterium; ex eo quod illud comprehendere non possim, non nutat ejus certitudo. 2. In ipsa mysteriorum incomprehensibilitate varii sunt gradus; at non inde mutatur eorum genus. Sol magis distat a nobis quam apex turris, utrunque digito tangere æqualiter impossibile est. Etiamsi Religionis mysteria mentis nostræ aciem magis quam naturæ obscura fugiant, utrunque attingere æque repugnat; neutrum altero minus ideo possibile est.

Inst. Religionis mysteria vivendi normam nobis præscribunt: ergo non possunt esse incomprehensibilia simul & vera, seu rationi conformia.

R. n. adhuc hanc sequel. Barbarus abnormis & homo inculti ingenii suis æque utitur oculis ac Nevvto; sapores non minus degustat & discernit quam Carthesius. Ut serventur leges Dei omnino inutile est earum theoriam inspectum habere, aut earum difficultates tollere; sufficit ut earum auctoritas & sensus apprime discernatur. Porro hæc omnia cognosci posunt posita ac remanente mysteriorum obscuritate. Insaniæ profecto jure ac merito incusaretur qui nec seminare nec metere vellet quoadusque arcana germinationis penetrasset. Ceterum in tota hac quæstione habemus fatentem reum. Sic enim ipse Baylius *Oper. Tom. 3. p. 833.* (a) " mea quidem „ sententia hic consensus in hoc consi- „ stit, quod revelatio nihil veritatibus „ æternis adversum dicit; sed non in- „ telligo, infirmam rationem, qua dum „ vivimus, utimur, tanto pollere acu- „ mine, ut hunc consensum veritatum, „ quas hæc eadem ratio videt, cum iis, „ quæ illi occultæ sunt, detegat. Tri- „ nitas non est essentiæ Divinæ contra- „ ria; sed ratio, quæ nobis Divinam „ essentiam per aliquot ejus attributa „ ostendit, ejus naturale, necessarium- „ que cum Trinitate vinculum non osten- „ dit „.

Obj. 2. Medium Religionis debet esse homini proportionatum: atqui revelatio talis non est. Ergo.

R. dist. min. Non est proportionata per se, esto. Per argumenta quibus nititur: n. Esto itaque quod revelationis dogmata non sint per se homini proportionata; sed motiva quibus credibilis fit revelatio sunt homini proportionata; sunt enim apta & proportionata ad efformandam certitudinem omnimodam. Dixi esto; quia licet homo dogmata revelata comprehendere non possit, potest tamen ea intelligere.

Inst. Atqui revelatio non est homini proportionata etiam per argumenta quibus nititur. Nam signa & argumenta quibus innotescit revelatio, tam sunt supernaturalia quam ipsamet revelatio, v. g. Miracula, oracula, &c. Ergo.

R. dist.

(a) „ Selon moi cet accord ne consiste qu'en ce que la revelation ne dit rien de contraire aux „ vèritès èternelles; mais je n'entends pas que la foible raison que nous avons en partage du- „ rant cette vie soit assez pènètrante pour dècouvrier cette conformitè entre les vèritès que cet- „ te meme raison envisage, & celles qui luit sont cachèes. La Trinitè n'est pas contraire à l'Es- „ sence divine; mais la raison qui nous fait connoitre l'Essence divine par quel-ques-uns de ses at- „ tributs, ne nous en fait pas voir la liaison naturelle & nècessaire avec la Trinitè „. Hæc Bay- „ lius quæ in rem nostram decretorie pronuntiat.

R. dist. Tam sunt supernaturalia quantum ad causam efficientem. c. secus: n. Miracula sunt supernaturalia quoad causam efficientem, non quod talia sint respectu Dei, sed quod superent nativas creaturæ vires, & causam homini superiorem exigant. Sed non sunt supernaturalia eo sensu quod homo ea dignoscere, vel veritatem ex eis concludere non possit.

Inst. Ut homo possit revelationem aut ejus signa intelligere debet posse objectiones contra eam propositas solvere sed non potest illas difficultates solvere quin ipsam revelationem ejusque dogmata comprehendat. Ergo.

R. 1. n. maj. Aliud est veritatem aliquam attingere, & aliud omnes ejus quas habet relationes cognoscere, ac consequenter omnes objectiones solvere.

R. 2. n. min. Ut solvantur objectiones contra mysteria propositæ, satis est quod probetur eas nihil evincere. Tunc enim stat integra veritas, cum ex una parte nulla vera difficultate impugnatur, ex altera vero motivo solido nititur: tunc objectio ita est ac si nunquam fuisset. Atqui istud intimam non importat dogmatum penetrationem. Ergo.

Inst. Non potest solvi difficultas quin percipiatur attributi hujus difficultatis cum suo subjecto dissonantia: sed illud percipi non potest quin ex opposito percipiatur attributi revelati cum subjecto revelato connexio & consonantia. Ergo.

R. n. maj. Ut solvatur difficultas contra mysteria proposita, sufficit ut probetur non percipi, aut probari disconvenientiam. Immo etiam perciperetur positive dissonantia attributi cum subjecto difficultatis, non semper ideo perciperetur connexio attributi revelati cum subjecto revelato, v. g. Si quis probare insumat Deum non posse carnem assumere, quia Deus inde mutaretur, nec tamen mutari potest; percipitur quidem positive Deum esse immutabilem, sed cum non demonstretur mutari carnem assumendo, non percipitur positive Deum posse vel non posse carnem assumere. Cujus ratio est, quia aliud est percipere tale attributum cum subjecto proposito disconvenire, & aliud est percipere tale alterum attributum eidem subjecto convenire. Etiamsi clare videamus mutabilitatem Deo repugnare, non inde percipimus hypostaticam carnis assumptionem ipsi etiam repugnare. Hinc falsa est minor.

Inst. Atqui eo ipso quo non videtur consensio attributi cum subjecto, jam nihil potest percipi in objecto revelationis ac consequenter nihil debet asseri de eo. Mens enim non debet assentiri ei quod non videt. Ad assensum requiritur judicium mentis de objecto proposito; ad judicium vero requiritur objecti cognitio; judicare enim de objecto quod non videtur, est judicare de nihilo; de nihilo judicare & non judicare sunt quid unum & idem: sed, ex concessis, mens nihil videt in objecto revelato; non videt enim quæ sunt supra rationem. Ergo.

R. dist. maj. Mens non debet assentiri ei quod non videt neque evidentia intrinseca, seu objecti, neque evidentia extrinseca, seu testimonii: c. Quod non videt evidentia objecti, seu intrinseca; n. Evidentia objecti est ea quæ clare ac distincte evolvit & explicat convenientiam vel disconvenientiam attributi cum subjecto. v. g. Hæc propositio, totum est sua parte majus, est evidens evidentia objecti, quia clare & evidenter percipitur relatio inæqualitatis inter partem & totum. Evidentia testimonii ea est qua rem aliquam admittimus ex alicujus authoritate & testimonio irrefragabili. v. g. Existit urbs Roma. Alterutra porro sufficit evidentia, præsertim evidentia testimonii divini; hæc enim sufficit ad prudentem mentis assensum. Vel ipsa enim ratio nos docet nihil sapientiæ magis congruere, quam conquiescere in authoritate infallibili. Porro sic se habent ea quæ supra rationem proponit revelatio; ergo.

Obj. 3. Illa revelatio non debet admitti quæ proponit absurda & contradictoria; atqui revelatio proponit absurda & contradictoria; ergo.

R. dist. maj. Quæ proponit absurda & contradictoria realiter; c. Apparenter; subdist. Nisi adsit legitimum assensus fun-

da-

damentum falsitati dogmatum apparenti praeponderans : c. Etiamsi adsit : n. Solutio est aperta.

Inst. Atqui revelatio proponit absurda & contradictoria realiter. Idem fit judicium de omnibus Religionis revelatae mysteriis ac de mysterio SS. Trinitatis : porro mysterium illud contradicit evidenter rationi, nempe axiomati, quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Ergo.

R. n. min. Sensus enim axiomatis est; quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sub eo respectu sub quo sunt idem cum uno tertio ; jam verò axioma illud sic intellectum non contradicit SS. Trinitatis mysterio, in quo tres personae sunt distinctae ratione personalitatis & sunt quid idem cum Deo ratione essentiae. Nec axioma illud omnem fugit exceptionem etiam in Physicis, nam, v. g. longitudo, latitudo & profunditas hexapedae, unam eandemque hexapedam cubicam constituunt ; neque tamen sunt eadem dimensio formaliter.

Inst. Ubi adest opposita hinc & inde evidentia, tunc majori & vividiori evidentiae standum est : jam vero longe evidentius est dogmata revelata esse absurda, quam ea esse revelata ; constat enim metaphysice dogmata illa esse absurda, nec constat nisi moraliter ea esse revelata. Facta enim quibus astruitur revelatio, non habent nisi evidentiam historicam. Ergo.

R. 1. dist. maj. Evidentia major minori praeponderare debet, ubi objecta sunt ejusdem ordinis : esto. Ubi sunt diversi ordinis : n. Porro hic objecta utriusque certitudinis & evidentiae, nempe mysteria & facta, ordinis sunt diversi. Evidentia facti consistit in continua ac perpetua testimoniorum serie ; evidentia vero speculativa independens est a testimonio, nititur mutua idearum relatione & consensione. Ergo hic & objectorum & evidentiae diversus est ordo. . .

Dixi ad maj. esto. Circa hanc responsionem observandum est, evdentiam moralem suscipere majus, & minus saltem quoad gradum accidentalem. Quando ergo dicitur evidentiam non dari alia majorem, non agitur de evidentia morali erga seipsum, sed de evidentia relative ad aliam evidentiam diversi ordinis, & speciei. Evidentia itaque intrinseca non potest dici major evidentia extrinseca : immo non datur evidentia moralis & extrinseca major altera evidentia intrinseca quoad essentialia, ut patet ubi de certitudine egimus. Evidentia enim sive facti, sive speculativa aequalis est. Modo vera & genuina adsit evidentia, de objecto vix interest ; omnem suum fulgorem emittit ; alias esset tantum probabilitas, non evidentia. Sic v. g. tam evidens est Caesarem olim extitisse, & etiamnum urbem nomine Romam existere, quam bis duo dare quatuor. Sicut enim verum altero vero verius non est, sic evidens non est altero evidenti majus. Sicut enim veritas est conformitas cum objecto, seu relatio conformitatis inter ideas secum invicem comparatas, sic evidentia nullam in objecto percepto obscuritatem permittit. Evidentiam alia majorem admittere, idem est ac circulum ponere alio circulo magis circulum ; vel idem est ac si assereretur ex duobus objectis aeque claris, unum altero clarius esse.

R. 2. n. min. ad prob. n. primam partem & dist. secundam. Non constat nisi moraliter, sed evidentia moralis evidentiae metaphysicae hic aequivalet : c. Non aequivalet : n. Itaque 1. ut modo dicemus, evidentia moralis eo usque potest crescere ut evidentiae metaphysicae aequivaleat ; & talis est Religionis revelatae evidentia. Ergo etiamsi in factis evangelicis adsit sola evidentia moralis, nihil inde mysteriorum evidentiae deperit. Immo etiamsi daretur mysteriorum repugnantiam esse metaphysice certam, non inde sequeretur evidentius esse illa repugnare, quam esse revelata ; id ad majus inferri posset, nempe mysteriorum illorum tum repugnantiam, tum revelationem esse aequaliter certam. 2. Huc usque nemo demonstravit, nemo etiam in posterum demonstrabit Religionis revelatae dogmata esse absurda ; e contra quotidie demonstratur quaedam esse dogmata a Deo revela-

ta.

ta. Unde si quis revelatæ Religionis dogmata esse absurda demonstraret, posita ac demonstrata ipsa eorum revelatione, Deum absurda dixisse evinceret; quod idem est ac si probaret idem simul esse & non esse.

Inst. Atqui evidentius est dogmata revelata repugnare, quam ea esse revelata. Ad hoc enim satis est quod impugnentur argumentis insolubilibus: atqui dogmata Religionis revelatæ, &c. Ergo, &c.

R. 1. n. maj. Ex impossibilitate enim solvendi difficultates quæ proponuntur contra veritatem aliquam, non semper ejus eliditur evidentia. Vel ipsa enim, teste ratione, non ideo neganda sunt clara quia non percipiuntur obscura. 2. n. min. Namque in argumentis quibus impugnantur Religionis revelatæ mysteria, vitium aliquod solo lumine naturali deprehendi potest, vel ratione formæ, vel ratione materiæ, cum scilicet quædam erunt præmissæ non sufficienter probatæ. Quando enim impugnantur mysteria Religionis, non sufficiunt argumenta verisimilia, quia mysteria in se considerata non sunt verisimilia, immo apparentiis contradicunt. Ergo nisi demonstretur realis in ipsis contradictio, nihil evincitur: ergo mysteria non impugnantur argumentis insolubilibus.

Inst. Iis dogmatibus opponi possunt difficultates insolubiles, in quibus ratio nullum videre potest solutionis principium. Atqui in mysteriis, &c. si quidem nullam habet mysteriorum ideam. Ergo.

R. 1. retorq. Iis dogmatibus opponi non possunt argumenta insolubilia, in quibus ratio nullum videre potest objectionis principium: atqui, &c. Nam nullam habet mysteriorum ideam.

R. 2. n. min. Ratio enim videt summam Dei revelantis authoritatem, quæ nec falli, nec fallere potest. Videt etiam difficultatem oppositam nihil evidenter evincere. Porro eo ipso quo percipiuntur hæc duo, jam difficultas est quasi non esset: ergo adest solutionis principium. Tota enim difficultas se tenet ex parte objicientis. Difficile enim admodum ratio poterit reperire in mysteriis principium objectionis evidentis & difficilius demonstrare poterit oppositionem illius principii evidentis cum mysterio. Mysterium enim certo & evidenter contradicens principio evidenti, esset absurdum, non vero mysterium obscurum; porro tunc illud esset extra difficultatem præsentem quæ prætensam mysteriorum repugnantiam arguit ex sola eorum obscuritate. Non habetur quidem mysterii idea comprehensiva, sed ea tamen habetur quæ sufficiat ut percipiatur veritatem revelatam tali vel tali objectione non everti.

Inst. Atqui evidentius est dogmata revelata repugnare, quam ea esse revelata, clariusque & vividius percipitur mysteria repugnare, quam ea esse revelata: nam longe difficilius constant facta quibus adstruitur revelatio, quam ipsa dogmatum veritas. Ergo.

R. n. ant. Facilius est, aut saltem non est difficilius facta quibus stat revelatio, quam ipsamet dogmata revelata adstruere. Nam ut mysteria repugnare positive afferat aliquis, debet perfectam eorum habere cognitionem; eorum proprietates & relationes debet apprime callere; unde, ut prætensa mysteriorum absurditas & repugnantia incredulo evidenter pateat, debet omnia & intima Entis infiniti secreta penetrare; debet afferere nihil ipsum latere in immensa Entis supremi infinitudine; quod est mysteriorum absurditate longe absurdius. E contra vero factorum methodus homini cognata est & vicina. Facta sunt quid simplex & scitu facile ac obvium. Eorum evidentia mysteriorum supplet obscuritatem. Dogmatum apparens contradictio & dissonantia non tollit miraculorum & factorum certitudinem, dum e contra miraculorum evidentia fucatas dogmatum contradictiones depellit. Uno verbo nullum aliud argumentum contra mysteria opponit Incredulus, nisi propriam imbecillitatem; tale argumentum contra miracula opponere non potest.

Inst. Factorum veritas & eorum certitudo est veluti emendicata & extranea; mysteriorum vero repugnantia est veluti homini præsens, ac sensu inti-

imo percipitur. Nam ut mysteria repugnare afferatur, sola ratio propria sufficit; at vero ut factorum veritas constet, traditionis fontes hinc & inde dimanantes adiri debent, genia, motiva, variæque Scriptorum propensiones sollicitari debent, quæ omnia homini sunt veluti extrinseca. Ergo longè difficilius constant facta quam ipsa dogmatum veritas. Unde factorum evidentia est homini extrinseca & laboriosa; mysteriorum repugnantia facilis est & intima. Ergo.

R. n. ant. Quoad utranque partem. Itaque 1. factorum evidentia neque homini extrinseca, neque laboriosa. Non extrinseca, quia aut proprio sensu constat, aut alieni sensus eam referunt. Si primum, intima sane est certitudo. Si secundum, sensus alieni tunc æque, ut ita dicam, sunt familiares ac sensus proprii, præsens fit & unicuique nostrum intimum illud testimonium, ut postea videbitur. Ceterum duo hic distingui debent, certitudo nempe & motiva quibus nititur. Certitudo sive subjecti, sive objecti est intrinseca, licet ab extrinseco petantur motiva quibus fulcitur illa certitudo. Modo adsit intima connexio motivi cum objecto, unde quaque desumantur motiva, nihil interest. Non laboriosa. Nam agitur de factis publicis & sensibilibus. Facta Evangelica edíscere non magis laboriosum est quam facta humana & civilia; v. g. scire Christum mortuum esse & resurrexisse non magis laboriosum est, quam scire Cæsarem extitisse, aut Gallias olim armatum intrasse. Fictitia sunt & exaggerata quæ recensentur in objectione incommoda. Quæro enim quid difficultatis sit in recognoscenda Romæ existentia? Porro non major premit difficultas in exploranda factorum Evangelicorum veritate. Utraque enim iisdem criticæ regulis constant. Pauca nunc de revelationis caracteribus addenda sunt.

QUÆSTIO VII.

De Revelationis Characteribus.

PRæcipuos divinæ revelationis characteres sic breviter absolvimus. Primus; nihil quod lumini naturali adversetur potest a Deo revelatum esse. Agitur de contradictione reali. Potest Deus ea revelare quæ solo lumine naturali innotuissent. Potest etiam ea revelare quæ a lumine naturali comprehendi non possunt; quæ vero lumini naturali evidenter, & directe adversentur revelare minime potest. Secundus; nihil quod cum anteriori revelatione pugnet potest a Deo revelari. Ratio in promptu est; nec Deus sibi, nec verum vero contradicere potest. Tertius; Doctrina quæ Deo adscribitur & revelata dicitur debet sibi vindicare conspicua quædam & irrefragabilia divinæ originis indicia & argumenta. Ubi enim extraordinaria proponitur Dei voluntas & manifestatio, extraordinaria etiam requiruntur ejus voluntatis & manifestationis signa. Absente hac nota, illud tantum probari potest ad majus, Religionem & doctrinam aliquam Deo indignam non esse, vera nusquam certo dijudicabitur; immo ex probatis ac positis principiis, falsa & insufficiens pronuntiabitur. Hæc ergo divinæ revelationis argumenta scrutemur.

PARS SECUNDA.

De Religione Supernaturali.

INquirentibus nobis quænam sit vera Religio, nulla alia, ut jam dixi, nisi quæstio facti discutienda venit; eo etenim tota devolvitur præsens controversia, nempe quænam sit Religio revelata, seu, an & quibus Deus sit loquutus, quæ quidem ad facti quæstionem, ut aiunt, pertinent, suntque e numero factorum. Deum enim locutum esse, hæc vel illa his vel illis dixisse totidem sunt facta, quæ juxta methodum factorum discuti debent. Hinc juxta eandem methodum inquiri debet ubinam sit divina illa revelatio, ex qua suspensa deinceps manet tota Religionis veritas & sufficientia. Hinc juxta methodum factorum inquiri debet revelatio. Hoc ut plene exequamur, sic secundæ hujus partis ordinem disponimus. Tres complectitur

ctitur quæstiones. Prima erit de natura, vi, numero & usu mediorum quibus adstruitur Religio quælibet revelata. Secunda Quæstio erit de Prophetia. Tertia aget de Miraculo. Sit itaque:

QUÆSTIO I.

De natura, vi, numero & usu mediorum quibus adstrui debet Religio quælibet revelata.

Circa motiva seu media & argumenta quibus divina stabiliri potest & debet revelatio, multa nobis discutienda veniunt. 1. Scilicet eorum usus, seu methodus qua investiganda est illa revelatio. 2. Eorum vis & natura seu efficacia ac certitudo. 3. Denique assignanda erunt illa media & figendus eorum numerus. Unde sit:

ARTICULUS I.

De usu mediorum inquirendæ revelationi idoneorum.

Quisnam sit & esse debeat mediorum usus, quomodo usurpari & ad rem applicari debeant, uno verbo qua methodo discuti debeat quæstio quæcunque maxima interest. Ex methodi enim errore propositæ veritatis cognitio sæpe sæpius inquirentibus elapsa est. In exploranda autem rerum veritate duplex nobis sese aperit via, ratio, nempe & auctoritas, seu scientia & fides. Tres dantur enim cognitionum nostrarum fontes, sensus scilicet, evidentia, & testimonium. Quæ per sensus proprios aut evidentiam innotescunt, ea sciuntur; quæ vero neque ex propriis sensibus, neque ex evidentia, sed ex aliorum testimoniis, id est, ex aliorum vel sensibus, vel scientia addiscuntur, ea creduntur. Istud etiam observandum, nempe pro vario rerum genere, varia etiam argumentorum genera adhibenda esse. In Physicis, Physica, in Metaphysicis, Metaphysica, in Moralibus, Moralia usurpari debent argumenta. Sit ergo:

CONCLUSIO I.

Via testimonii inquirenda est Religio revelata.

Prob. Quæcunque supponunt factum aliquod, cognosci non possunt nisi via testimonii, atqui Religio revelata est e numero factorum, de Religione enim a Deo revelata nulla potest institui quæstio, nisi quæstio facti; cum enim unicuique nostrum constet ea omnia vera esse quæ a Deo revelata sunt, nihil aliud quæri potest nisi an Deus hæc vel illa dixerit, aut an Apostoli talia ediderint miracula quibus constet Deum ipsis locutum esse; atqui hæc omnia sunt e numero factorum. Ergo sola testimonii via probari & inquiri debet Religio revelata.

Et sane Religio debet habere saltem aliquam cum omnibus hominibus proportionem; Religio enim ex una parte omnes spectat, ex altera vero nullatenus amplecti possunt homines id quod nullatenus intelligunt. Porro in Religione revelata, dogmata sunt homini improportionata; debent ergo illa dogmata saltem iis niti argumentis quæ omnibus obvia sint ac facilia, fidemque omnimodam dogmatibus mereantur: porro argumenta ex factis deducta talia sunt. Non omnes Philosophi, non omnes metaphysicis meditationibus idonei sunt; ad factorum discussionem, præsertim si publica sint, omnes nos natura ipsa veluti composuit ac formavit, nec ad talem discussionem magna requiritur ingenii vis & sagacitas. Ergo, &c. Itaque quædam sunt quæ assensum & determinationem nostram sibi vindicant, quibus tamen assentiri via examinis omnino est impossibile. Sicut ægrotus in arte medica hospes & peregrinus in remediorum delectu non propriam, sed Medici sententiam amplecti, & auctoritatem sequi debet; sic utrum olim extiterit, aut etiam num existat urbs nomine Roma nusquam metaphysicis meditationibus deprehendi potest, sed solo testimonio. Equidem quæ spectant Ethicam, seu moralem Philosophiam, ad Metaphysicam revocantur; at id

at id nullatenus dici poteſt de Religione revelata, cum ad facta hiſtorica aut divinitus revelata pertinere cenſeatur. Ridiculum ergo foret ſi de rebus facti, methodo geometrica aut metaphyſica judicare vellemus; quaſi quis de ſono ex oculis dijudicare vellet; & qui in hiſtoricis aut moralibus, mathematica requirunt argumenta, ii & iniqui & inepti dicendi ſunt.

Obj. Ex ſtabilita modo propoſitione & aſſignata methodo, multa ſequuntur abſurda. v. g. Sequitur omnes ſub jugo Religionis qua ſemel inſtituti fuerint ſecuros manere poſſe; adeo ut nec Judæus Synagogam, nec Mahumetiſta Pſeudo-Prophetam ſuum unquam deſerat: abſurdum conſequens: ergo & antecedens.

R. n. maj. Cum enim dicimus via auctoritatis & teſtimonii inquirendam eſſe, & ſemel inventam, retinendam eſſe revelationem, non qualemcunque aut indiſcriminatum auctoritatem appellamus, ſed legitime ſolidiſque ſtabilitam argumentis. Æqualis enim vero inſipientia eſt falſo duci teſtimonio falſaque auctoritate, ac veri teſtimonii legitimæque auctoritatis evidentiam non agnoſcere. Ut legitimam eſſe auctoritatem conſtet, debent adeſſe ſigna ejus & argumenta indubitata quæ mox recenſebimus. Hæc Judæus non habet; hæc nuſquam habuit, nec etiam nunc habet Mahumetiſta. Ergo.

Inſt. Ex prædicta propoſitione ſequitur inani ac ſtultæ credulitati omnes demancipandos eſſe. Nam via auctoritatis & via examinis opponuntur inter ſe, & & quidem contradictorie. Nullam etenim ratiocinationem admittit via auctoritatis; e contra privatam ac ſedulam diſcuſſionem importat via examinis. Ergo ſi teſtimonio & auctoritati ſtandum ſit in Religionis negotio, jam ſine ulla diſcuſſione, ratiocinatione ac conſequenter ſine ulla ratione creditur. Ergo inſana ac ſtupida credulitas omnium mentes invadit.

R. diſt. Nullam admitti ratiocinationem contra rem legitima auctoritate firmatam; c. Secus & circa ipſa rei credendæ fundamenta: n. Itaque ingens intercedit diſcrimen inter ratiocinari contra, & circa rem aliquam. Primum eſt eam impugnare; alterum vero eſt intelligentiam captare, ac pro viribus ſollicitare. Teſtimonii methodus nullam admittit ratiocinationem 1. ſenſu intellectam. Docet enim recta ratio contra teſtimonia fide digna, contra legitimam auctoritatem non eſſe diſputandum; at docet eadem recta ratio accurate ſollicitanda eſſe auctoritatis fundamenta, ſeduloque inquirendum an ſolida ſint, an legitima ſit auctoritas, an teſtimonium ſit fide dignum; porro tali teſtimonio ac auctoritati credere, non vana eſt credulitas: ergo.

ARTICULUS II.

De vi, efficacia & robore argumentorum quibus conſtat revelationis exiſtentia.

MUnus a nobis ſuſceptum poſtulat ut aſſignemus quem gradum certitudinis obtinere debeant media illa & revelationi communicare, an ad evidentiam uſque aſſurgat revelatæ Religionis certitudo, cujus denique generis & ſpeciei ſit illa evidentia. Ut ordine procedat noſtra diſputatio obſerv.

1. Id omne quod externum eſt & ſenſus percellit, ad factorum ordinem reducendum eſſe. Facti enim nomine intelliguntur ea quæ ſub ſenſus cadebant dum fiebant & peragebantur. Sic ergo miraculum, revelatio externa ſunt totidem facta; concluſiones vero quæ ex illis miraculis, aut ex illa revelatione deducuntur ad Philoſophum pertinent. Facta itaque hic voco omnes eventus, miracula, myſteria, veritates quas Deus revelavit. Unica circa factum quodcunque inſtitui poteſt quæſtio, nempe: an exiſtat; intra hanc quæſtionem omnia circumſcribuntur. Nulla locum hic habet qualibet alia diſquiſitio circa motiva, ſequelas, &c. Una ſufficit, an exiſtat.

2. Certitudo generatim eſt rei firmitas & conſtantia, & triplex eſt; alia objecti, alia ſubjecti, alia motivi. Certitudo objecti eſt rei in ſe firmitas & conſtantia: certitudo ſubjecti eſt firma mentis adhæſio alicui propoſitioni ſeu veritati; certitudo motivi eſt firmitas

est connexionis motivum inter & rem cognoscendam aut probandam. Legitima ac rationalis certitudo subjecti semper commensuratur certitudini motivi; id est mentis assensus alicui propositioni firmior esse non potest quam percepta connexio inter veritatem admissam & ejus motivum. Certitudo iterum alia metaphysica, alia physica, alia moralis. Metaphysica consistit in mera intelligentia principiorum & notionum communium, quæ per se immediate nota sunt, v. g. idem non potest simul esse & non esse; totum est sua parte majus, &c. In immutabili rerum essentia fundatur hæc certitudo. Physica vero in naturali rerum cursu & consueto ordine nititur; oritur ex relatione sensuum. Dicitur etiam aliter ab aliis certitudo sensus, seu sensationis. Hujus methodo certus sum solem crastina die oriturum esse, &c. Certitudo moralis est ea qua res cognoscitur non in sua essentia, aut in alio ipsi naturaliter connexo, sed fundatur in consuetis hominum moribus, & ideo moralis dicitur; seu est ea, cujus motivum nec metaphysicam, nec physicam, sed moralem tantum habet cum objecto suo connexionem. Potest etiam vocari historica; dicitur etiam certitudo auctoritatis & testimonii. Hujus ope certi sumus de omnibus factis, v. g. de Romæ existentia, Cæsaris vita, &c. Addunt aliqui aliam certitudinis speciem, geometricam nempe, & mathematicam, cujus ope constat bis duo dare quatuor; trianguli cujuslibet tres angulos duobus rectis necessario æquales esse. Sed hæc certitudinis species ad Metaphysicam nullo negotio revocari potest & debet. Certitudo moralis duplex est; una jungitur cum evidentia extrinseca; ubi scilicet tot ac tanta occurrunt testimonia ut moraliter loquendo impossibilis sit error. Hac certitudine constat existere urbem nomine Romam. Hæc certitudo moralis dicitur summa, & evidentiæ, ac certitudini metaphysicæ æquivalet. Altera certitudo moralis sejuncta est ab evidentia, actualem licet excludat dubitationem, non excludit tamen omnem dubitandi facultatem. Sic v. g. an talis puer sit rite baptizatus, aut an talis hostia sit valide consecrata.

3. Motivum assensus est vel scientia propria & evidentia, vel scientia aliena, ut ita dicam, seu testimonium aliorum. Testimonium est signum aliquod exterius cogitationis internæ manifestativum, seu est testis asseveratio, & traditio rei alicujus sive scriptæ, sive non scriptæ. Dici etiam potest successiva temporis & annorum serie de aure in aurem, de manu in manum vel scripto, vel viva voce transmissio, seu communicatio. Uno verbo, sicut traditio est actio tradentis, ita testimonium est actio attestantis. Testimonium aliud humanum; auctoritas testimonii est ejus valor & pondus quod in mente nostra debet obtinere.

4. Fides generatim est assensus certus ac firmus datus rei alicui relatæ propter auctoritatem & testimonium relatoris. Dicitur 1. assensus: nam fides importat voluntatis consensum 2. Certus: importat enim determinatum & actuale judicium mentis de veritate vel falsitate alicujus propositionis. 3. Dicitur assensus datus rei relatæ. Fides enim ex auditu. Non credimus nisi quæ audimus. 4. Denique additur propter auctoritatem relatoris. Fides enim non est cognitio rei in seipsa, neque in principiis rei intrinsecis, sed rei in solo relatoris testimonio. Sicut autem testimonium aliud divinum, aliud humanum, ita fides alia divina, alia humana. In utraque autem fide testimonium est motivum formale, ut ajunt, assensus. Rem exemplis illustremus. Supponamus aliquem audire narrantem: vidi Regem venatum ire. Hunc conficit syllogismum: Veridicus est qui istud refert, nec falli, nec fallere idoneus: atqui renuntiat mihi Regem venatum ivisse: ergo verum est, & credo rem ita se habere. Ita etiam credimus Deum esse unum in natura, trinum in personis, hoc sane ratiocinio. Quidquid Deus attestatur verum est: porro Deus attestatur se unum esse in natura, & trinum in personis, ergo res ita se habet. In utroque syllogismo propriis oculis, privata scientia non videtur aut Regem venatum ivisse, aut Deum esse unum in natura & trinum in personis, sed creditur; & ultima ratio assensus est auctoritas

& te-

& testimonium relatoris. Hinc manifestum est omnem fidei assensum eo majori vel minori certitudine præditum esse quo gravior aut levior est relatoris auctoritas in mente credentis. Duo sunt autem quæ hunc præstant effectum, relatoris scilicet fidelitas, seu veracitas & sagacitas, seu rei quam narrat cognitio. Dubitari siquidem non potest quin omnis fidei assensus eum certitudinis gradum adipiscatur quem ei attribuere possit credentis existimatio & judicium de narrantis veracitate ac rei quam narrat cognitione. Si etenim auditor narrantem aut parum fidelem, aut rei quam narrat non satis peritum existimet, parum fidei illi tribuendum judicabit. Sin e contra, narrantem veracissimum, & rei scientissimum indubitanter censeat, assensum omni certitudine plenum relatori adhibebit. Sit itaque testis & veracissimus & rei quam narrat scientissimus, nec fallere, nec falli potest.

Duabus vero viis auctoritas & testimonium primi relatoris ad credentis notitiam pervenire potest, 1. ex immediato auditu ipsiusmet relatoris cujus gratia, seu propter cujus testimonium rei relatæ fidem adhibemus. Ut quando vir aliquis probus & fidelis quodcunque narraverit nobis vel a seipso præstitum, vel propria scientia notum. 2. Mediate, mediantibus scilicet motivis & argumentis quibus primi relatoris auctoritas & testimonium ad nos pervenit, ut cum credit quod sibi ab altero narratur aut scribitur, affirmante se illud accepisse a viro probo & fideli, qui propria scientia illud ipsum novisse constanter asseveraverat. Hinc inferre licet omnem fidei assensum ut veram & rationalem habeat certitudinem, duo necessario supponere. Primum quod relatoris auctoritas cujus gratia præbetur assensus sit certa in se & minime fallax. Secundum, quod medium quo hæc narrantis, seu relatoris auctoritas ad credentis notitiam applicatur sit ab omni errore immune. Nisi enim hæc evidentissimis constent argumentis, impossibile est fidei assensum veram & rationalem habere certitudinem. Sit hujus exemplum. Audiat aliquis Turcas in Perside victoriam retulisse; si vel auctoritas relatoris in mente credentis sit dubia, vel ipse credens incertus sit an hoc ipsum audiverit, impossibile est assensum veram tunc & rationalem habere certitudinem. Ulterius etiam sequitur assensum fidei præstitum ob auctoritatem etiam minime fallacem majorem habere non posse certitudinem rationalem quam habeat credentis existimatio de medii infallibilitate quo hæc auctoritas sibi applicatur. Hinc si ultimate fidei actus basim & fundamentum inquiramus, eam resolvi inveniemus in scientiam seu cognitionem quam habet credens de ejusdem testimonii valore, nec non & medii quo sibi applicatur. Nec enim præcise agitur de certitudine medii in se ipso considerati, sed de certitudine medii quoad nos.

Factorum vel testes sumus oculati, vel rumor aliquis ea ad nostras aures retulit. Si primum, nullum prudens ac legitimum dubium illis potest adhærescere. Sensus enim sunt hac in parte tutissimi rerum interpretes ac nuntii. Si secundum: vel ea sunt recens peracta, vel a longinquo nobis asportata. Tunc testes seorsim interrogandi quorum nec prudentia nec probitas ulla suspicione laboret, in consentiente eorum testimonio certo veritatem comperies. Traditionem habes, historiam, monumenta; ut fidem sibi merito facta vindicent, sufficit traditio viva & oralis. Quo universalior est traditio generice sumpta, eo firmior est atque certior; quod de loci universitate præcipue intelligendum est. Quo namque magis protensæ fuerint hominum multitudines, ac variarum gentium & nationum societates, quæ eandem veritatem per traditionem communicare ac transmittere concipiuntur, eo magis ejusdem veritatis traditio ab erroris periculo erit libera. Cujus quidem ratio est, quod multo minus probabile, immo multo minus possibile sit extensas hominum multitudines, variarumque gentium ac nationum societates vel a veritate hucusque tradita deficere, vel universim in fraudem convenire. Et sane hujus infallibilitatis fundamentum & rationem a priori habemus tum ex naturaipsiusmet tradi-

traditionis, tum ex ejus universalitate. Opinio enim & sententia falsa introducitur vel rationibus & argumentis veritate ipsa fortioribus, vel ex superioris alicujus auctoritate, potestate & violentia. 1. Quidem sicut impossibile est homines falsum ut falsum amplecti, sic repugnat dari argumenta veritate ipsa vere fortiora. Praeterea fallaces rationes nunquam possunt universim praevalere. 2. Repugnat etiam vim aliquam aut violentiam supponere in cujus manu praemia & supplicia omnia sint posita, quaeque adeo universim tam loco quam tempore diffusa sit ut veritatis memoriam penitus tollat. Et sane varias induit formas error, sua enim omnia nobis debet, nostris scilicet vel cupiditatibus, vel praejudiciis, vel ignorantiae; quam speciem ipsi damus, hanc induit. Impossibile est ergo errorem in omnibus & apud omnes concolorem esse, quia impossibile omnino est homines innumeros moribus, ingenio & indole sicut locorum distantia dispares, iisdem coloribus mendacium repraesentare. Quod si haec vera sint de traditione generice sumpta, multo sane magis sunt ubi de Religione, & praesertim de Religione Christiana & Catholica agitur. Maxima etenim 1. est hominum in Religionem propensio. Nihil parentibus antiquius est quam ut eam liberis ac posteris transmittant. Agitur ergo de re maximi momenti. Deinde Religio omnis & praecipue Christiana, in fide & actione posita est. Religio enim omnis fidem alicuius divinitatis importat, haecque fides multa secum involvit quae externam hominis aliquam actionem postulant. Ac proinde agitur de re sensibili, ut ita dicam, ac familiari, quamque manibus immo & sensibus omnibus quotidie contrectant homines. 3. Attendi debet via seu methodus qua primum disseminata fuerunt facta evangelica. Longum scilicet tempus erudiendis populis insumpserunt factorum illorum praecones, adeo ut per tres annos aliquando illud in qualibet Ecclesia elaboraverint, cum lacrymis & continua fere exercitatione, immo saepius eadem loca invisentes animos confirmandi causa. Quin & Christus eorum Princeps & ipsi Apostoli sedulo Ministros ordinandos curarunt qui populis instituendis, & factorum integritati ex officio invigilarent. Agitur itaque de re altis impressa mentibus quae proinde cito oblivioni tradi non potuit, aut deleri. Jam vero apertum est ex una parte non potuisse in quo volueris saeculo Christianos & Catholicos universim dispersos in plurimas nationes longe dissitas omnes simul decipi in iis quae toties audierant & in quibus enutriti ac educati fuerant; nec existimare haec vel illa facta ab immediatis suis antecessoribus tradita fuisse, quae tamen revera tradita non erant. Nec etiam ex altera parte potuerunt cujusvis aevi Catholici Pastores discipulis suis ulla facta ut a patribus tradita communicare, quae ipsi sub hoc titulo non acceperant. Ab ipsis nimirum Apostolis variis in mundi plagis longe ab invicem dissitis disseminata fuit eadem doctrina & eodem tempore; Discipulorum mentibus saepe inculcata; quotidiana exercitatione confirmata; doctrina, inquam, ad Religionem & vitam aeternam summopere spectans.

Traditionem itaque humanam inter & Christianam haec sunt discrimina: Primum, nulla est vel unquam fuit veritatis alicujus humanae traditio adeo longe lateque per universum orbem diffusa ac Christianae fidei & ejus factorum traditio. Secundum, nulla est aut fuit humanae veritatis traditio, cui fovendae ac conservandae Ministri constituti & per orbem universum diffusi ex officio invigilarent. Tertium, nulla est humanae veritatis traditio cujus stabilitatem quotidianis hominum actionibus confirmari videamus. Quartum, nulla est humana traditio quae cum naturali hominis propensione connexionem dicat ut traditio Catholica; cum inclinatione, scilicet ad Religionem & felicitatem aeternam.

Si homines semper aut fallerent, aut fallerentur, nusquam iis esset fides adhibenda. Si nunquam aut deciperent, aut deciperentur, semper essent audiendi; at cum licet non semper saltem aliquando & fallant & fallantur, certae quaedam nunc stabiliendae sunt regulae qua-

quarum ope vera a falsis secernamus testimonia. Rem quatuor regulis absolvimus.

Quoad facta. Prima: factum sit possibile. Si manifestam involvat repugnantiam, v. g. si mons sine valle referatur, sibilo excipi debet. Secunda: publicum sit & momentosum. Quod enim omnium sub oculis gestum est, quod omnes spectat, longe difficilius fraudi subjacet. Tertia: unanimi obfirmetur suffragio. Si enim hinc & inde alii affirment, alii negent, jam incerta erit veritas. Denique quarta: si facta sint e longinquo asportata, integra ad nos pervenisse ea oportet. Quantum ad testes vero. Prima ex eorum probitate sumetur. Sint viri moribus graves ac probatæ fidei. De improbo enim facilis est mendacii suspicio. Secunda ingenii severitati quandam perspicaciam prudentiamque conjungant. Ubi enim agitur de factis quæ Scriptores ipsi propriis non hauserunt oculis, aut ab iis qui ea patraverunt non tenent, veritatem non quærant in pervagatis dissipatisque rumoribus & in origine sua valde incertis. Tertia: sint testes numero plures, aut oculati, aut coætanei. Sicut facile unus aut alter & falli & fallere potest, ita etiam auctor facto longe posterior. Quarta: sinceritatis ac candoris famam, nullam vero doli suspicionem præ se ferant. Etiamsi in factis hisce non mentirentur, si semel mendacii suspicionem, immo suspicionis umbram gerant, jam factorum veritas vacillabit.

Circa evidentiam autem hæc observanda veniunt. 1. In Religione Christiana duo sunt distinguenda, dogmata nempe ex quibus coalescit & conflatur illa Religio, & eorum dogmatum revelatio ac manifestatio extraordinaria a Deo facta.

2. Duplex distingui debet evidentia, alia objecti, quæ intrinseca dicitur, alia credibilitatis quæ extrinseca vocatur. Prima in re ipsa est & immediatam rei perceptionem supponit; altera est in motivis & argumentis cognoscendæ rei essentiæ extrinsecis.

3. Duo in evidentia sunt distinguenda, scilicet intuitus idearum & ejus effectus. Seu potius duplex iterum distingui debet evidentia objectiva una, formalis altera. Evidentia objectiva, est evidentia rei in se. Formalis, est eadem evidentia quatenus a mente percepta ipsi præsens est & eam afficit; seu est fulgor ac lux mentis affulgens dum veritatem attingit. Evidentia autem, ut omnes norunt, est intuitus idearum. Hujus proprietas duplex. Prima: veritatem clare & dilucide menti exhibet. Secunda: superior est omnibus oppositis difficultatibus. Hinc assensum mentis per se & subito rapit. Itaque probatio, sive argumentum evidens illud censeri debet quod ex una parte veritatem clare repræsentat, ex altera vero oppositis difficultatibus & dubiis superius est & sic assensum rapit.

4. Hinc in evidentia duo distinguenda sunt, evictio nempe veritatis & celeritas assensus, ac gaudium ex hac evictione & detecta veritate.

5. In memoriam revocandum est 1. triplicem distingui certitudinem, physicam, scilicet, metaphysicam & moralem; deinde certitudinem moralem aliam summam esse & cum evidentia conjunctam, aliam vero non esse talem.

6. Tota Religionis Christianæ compages ac œconomia in his propositionibus continetur. I. Extitit olim Christus. II. Christus ille asseruit Deum sibi locutum esse & se ab eo missum. III. Fecit miracula in hujus missionis & rerum quas prædicabat veritatis confirmationem. Primam propositionem nemo negabit aut in dubium revocabit. Secunda ex demonstratione tertiæ propositionis pendet; ac proinde in hac tertia propositione totius difficultatis cardo vertitur.

His sic prænotatis, statum quæstionis sic figimus. 1. Non agitur hic de evidentia objectiva, sed de formali.

2. Non quæritur utrum dogmata, seu mysteria Religionis revelatæ sint evidentia intrinsece, & evidentia objecti; fatemur enim dogmata, seu mysteria illa supernaturalia esse, nec positive, id est, per principia ipsis intrinseca demonstrari posse. Agitur ergo de evidentia credibilitatis extrinseca.

3. Quæritur qua certitudine constet hæc propositio: Deus Christo locutus est.

est: Si enim certa sit certitudine aut metaphysica, aut metaphysicæ certitudini æquiparanda, tunc Religio Christiana sit evidens evidentia credibilitatis tum quoad revelationem quam sibi adjudicat, tum quoad facta quibus nititur, tum quoad dogmata & mysteria quæ proponit. Ac consequenter tota illa Religio sit evidenter credibilis & vera. Vera, inquam, tunc enim constabit Deum ea omnia revelasse dogmata quæ docet Religio Christiana. Sed ex sola ratione naturali constat Deum semper vera revelare, nec unquam falsa tradere posse. Eo ipso ergo quo certum erit Deum hæc vel illa revelasse, certum pariter erit hæc vel illa vera esse. At cum nec facta, id est miracula propriis oculis conspexerimus, nec mysteria positive mente assequi valeamus, hæc omnia non possunt esse evidentia evidentia objecti & intrinseca, sed tantum in argumentis extrinsecis cum quibus intime connectuntur; ac proinde evidentia credibilitatis & extrinseca.

His præeuntibus notionibus variæ exponendæ sunt sententiæ. Observ. hic agi vel de factis quorum testes oculati sumus, & tunc sensus sunt tutissimi rerum interpretes; vel agi de factis remotioribus, & quæ aliorum testimonio innotescunt. Circa posterioris generis facta præcipue increduli nullam aliam certitudinem legitimam & veram volunt nisi metaphysicam. Hinc respuenda quælibet certitudo quæ intrinseca & metaphysica evidentia destituitur; hinc juxta illos nulla est certitudo Religionis revelatæ. Alii ad firmum & legitimum mentis assensum requirunt certitudinem aut metaphysicam, aut metaphysicæ certitudini æquiparam; facileque annuunt hanc certitudinem Religioni revelatæ competere, sed alii aliam viam ineunt. Sunt qui factis revelatis certitudinem metaphysicæ certitudini æqualem adjudicent hac methodo. 1. Distinguunt certitudinem a probabilitate. 2. Omnis & quælibet vera certitudo meræ probabilitati opposita, debet esse summa in se & indivisa. Indivisam autem dicunt eam certitudinem quæ ex distractis hinc & inde probabilitatibus non oriatur. v. g. Tunc certitudo non est indivisa, cum circa factum aliquod testes seorsim interrogantur. Cum enim probitas uniuscuiusque testis seorsim sumpti sit tantum probabilis, certitudo facti alicujus non oritur nisi ex distractis hinc & inde probabilitatibus, ac proinde non est indivisa, nec consequenter summa esse potest; tunc itaque tantum summa & indivisa, ac consequenter vera ac legitima est certitudo ubi 1. concurrunt ac inter se præliantur varia studia variæque propensiones testium; ex diversa illa studiorum combinatione metienda est vera certitudo. Deinde ad veram illam certitudinem concurrere etiam debent Historici traditio oralis, omnigena monumenta, &c. ita ut si hæc omnia simul non adsint, jam facti cujuslibet nutet certitudo. Unanimis omnium sententia certitudinem veram & legitimam sicut a probabilitate, sic a certitudine summa & metaphysica distinguit. Negant omnes veram & summam certitudinem erui non posse nisi ex diversa studiorum combinatione & ex omnium omnino motivorum supra expositorum concursu. Certitudo dici potest indivisa per oppositionem ad distractas hinc & inde probabilitates, vel quia unicum adesse debet motivum & quidem metaphysicum, vel quia licet plura adsint motiva, aut unumquodque debet esse metaphysicum, aut simul conflata in unum reduci quod ex illa adunatione fiat metaphysicum. Nunc circa hæc omnia variæ stabiliendæ sunt conclusiones.

CONCLUSIO I.

Ad veram & rationalem certitudinem non semper requiritur evidentia mathematica aut metaphysica.

PRob. 1. Tunc adest certitudo vera ubi adsunt omnes rationes credendi, quæ in simili causa adesse solent, vel etiam ubi rationes multæ ad assentiendum animum inclinant, nullæ vero in contrariam partem trahunt. Tunc enim excluditur actuale dubium, immo prudens dubitandi causa tollitur. Ergo vera adest certitudo, licet desit evidentia metaphysica aut mathematica.

Prob. 2. Ratio dictat rem quamlibet juxta naturam suam, ac proinde ex methodo sibi propria inquirendam esse: porro multa sunt quæ evidentiam aut metaphysicam, aut mathematicam non suscipiunt; v. g. suadet ratio ægroto in sanitatis negotio, in remediorum delectu audiendum esse Medicum. Ita eadem ratio dictat facta propriis non conspecta oculis ex aliorum testimonio esse ediscenda. Atqui tamen nec ægrotus, nec factorum auditor habent certitudinem metaphysicam aut mathematicam. Ergo plurima sunt quæ assensum nostrum sibi jure ac merito vindicent, quæ tamen hujuscemodi evidentiam non patiuntur. Quædam sane facta vel ipsi admittunt Sceptici, in quibus prætensa deest evidentia. v. g. Existere Romam, in Galliis regnasse Henricum IV. certum est; nec tamen constat evidentia metaphysica. Illud tamen æque certum est respectu nostri ac tres angulos trianguli duobus rectis æquales esse. Ergo datur vera certitudo sine evidentia mathematica, aut metaphysica.

Prob. 3. Ex opposita sententia sequitur absurdum. v. g. Si sola admittenda sit certitudo metaphysica, jam physica insufficiens est, & ut incerta ac dubia haberi debet; jam ergo ruit Religio quæ cultu exteriori manifestatur, ruit societas quæ in mutuo externorum officiorum commercio posita est. Nulla erit pietas in parentes quos soli sensus indigitant. Respuenda erit etiam certitudo moralis, sine qua tamen societas stare non potest. Sicut enim natura ad societatem nos destinavit, ita ad mutuam fidem & communicationem nos composuit. Ergo homines hominibus credere debent nisi vitam pecudum more agere velint. Alias non amicitia modo, sed & omnis omnino societas intereat necesse est. Ergo aliquando sufficit certitudo moralis; hinc 1. conclude non semper requiri certitudinem metaphysicam, immo nec certitudinem metaphysicæ æquiparam. 2. Observa characteres supra a nobis assignatos ad secernandam factorum veritatem, non ita absolute a nobis requiri ut, si unus aut alter deficiat, jam incerta nutet veritas; mul ta enim facta vera concedunt & amplectuntur ipsimet Deistæ, quæ tamen omnes illas simul dotes sibi non vindicant. 3. Licet Religioni revelatæ necessaria non sit certitudo metaphysica aut metaphysicæ æquipara, hanc tamen sibi jure ac merito vindicat, ut postea patebit.

CONCLUSIO II.

Certitudo quatenus distinguitur a probabilitate potest esse summa & indivisa, licet ad eam concurrant plura motiva.

PRob. Generatim loquendo, motivorum multiplicitas certitudini non nocet. Certitudo enim oritur ex percepta connexione motivi cum objecto. Eo ipso ergo quo adest connexio firma & immobilis inter unum motivum, aut plura motiva & aliquam propositionem, jam adest legitima certitudo, non vero mera probabilitas; certitudo tunc non oritur ex distractis hinc & inde probabilitatibus, licet plura concurrant motiva; pluralitas enim motivorum non debilitat aut destruit firmitatem connexionis eorum cum re cognoscenda. Motivum enim quod ex se & ante aliorum concursum firmam & immobilem cum veritate connexionem habebat, eam non amittit ex illorum motivorum accessu. Sic in quolibet objecto plures sunt respectus & relationes quæ sicut seorsim, sic collective attendi possunt; quam autem connexionem seorsim sumptæ dicunt cum objecto, hanc non deperdunt si sibi invicem copulentur. Sic existentia Dei pluribus demonstratur argumentis pro multiplicitate respectuum quas habet ad creaturas; nec tamen existentiæ Dei certitudo desinit esse indivisa. Sic ubi agitur de factis ad certitudinem legitimam, requiritur & sufficit ut singulorum testium assertio sufficientem & legitimam habeat connexionem cum existentia facti. Ut vero una & indivisa sit certitudo, sufficit ut omnes & singuli testes veritatem nudam & ut in se est spectatam amplectantur & reddant. Licet enim unumquodque motivum & testimonium sigillatim sumptum sit tantum morale, tunc tamen certitudo dici non potest oriri ex distractis hinc & inde probabilita-

tatibus. Oritur enim ex motivis quæ etiam sigillatim sumpta moralem quidem, sed certam tamen & firmam habent cum veritate proposita connexionem. Hoc adhuc clarius patebit in sequenti conclusione.

CONCLUSIO III.

Certitudo illa summa & indivisa esse potest, etiamsi motiva ex quibus resultat, sigillatim sumpta, sint tantum probabilia.

PRob. Ideo, v. g. testes seorsim interrogati non dabunt nisi facti probabilitatem, quia testium probitas est tantum probabilis: sed pariter testium studia, numismatum fides sollicitari & explorari non potest nisi seorsim & sigillatim. Unumquodque numisma, uniuscujusque testis propensio & studium est mera probabilitas. Jam vero juxta oppositam sententiam, ex studiorum combinatione, ex numismatum consonantia erui potest certitudo vera, summa & indivisa, si non metaphysica, saltem metaphysicæ haud impar. Ergo a pari, ex pluribus motivis, v. g. ex pluribus testimoniis erui potest eadem certitudo, licet singula motiva vel testimonia sint tantum probabilia.

Sic miles quilibet distributive sumptus non facit exercitum, sicut nec civis civitatem, sed ex collectione utriusque nascitur tum exercitus, tum civitas. Hinc cum certitudo tota veniat ex connexione motivi cum veritate, unitas & indivisibilitas certitudinis oritur ex unitate & indivisibilitate connexionis illius, seu ex eo quod varia testimonia connectantur cum eadem veritate & sub eodem respectu; jam vero connexio illa a parte rei semper est indivisa. Est enim tota vel nulla; sed respectu nostri potest esse major vel minor, ubi agitur de certitudine morali. Sit, ex gr. existentia Romæ. Primus vir probus & sapiens hujus civitatis existentiam mihi renuntiavit, non facit mihi nisi probabilitatem; testimonium ejus seorsim sumptum habet respectu mei probabilem tantum vel moralem connexionem cum vera Romæ existentia. Accedente vero aliorum testimonio, connexio illa prioris testimonii eo usque firmatur & stabilitur ut certitudo fiat summa.

Ideo enim vero certitudo illa non posset esse una & indivisa, vel quia plura adessent motiva, vel quia plura illa motiva seorsim sumpta forent tantum probabilia. Jam vero primum confutatum est in præcedente modo conclusione. Secundum pariter falsum est; Vel enim unumquodque motivum morale seorsim sumptum certam aliquam connexionem habet cum objecto proposito, ut mox diximus, & tunc plura motiva moralia, immo probabilia, poterunt adunata dare certitudinem unam, vel unumquodque motivum nullam habet connexionem, & tunc nulla admittenda est certitudo præter metaphysicam; ruitque penitus quæ moralis dicitur; quod absurdum esse evicimus.

Ratio a priori hujusce conclusionis hæc est. Innumerorum testium assertio, seu testimonii universalis veritas nititur summa Dei veracitate; non vero uniuscuiusque testis distributive sumpti relatio. Hinc in usu quotidiano, testis unus, testis nullus; at in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Itaque certitudo potest esse summa & indivisa in casu proposito. Potest quidem esse summa, ratione divinæ veracitatis quæ universali testimonio fidem nostram obstringit, non vero singulorum testium assertioni. Potest etiam esse indivisa; quia omnium testimonia tum sigillatim, tum collective sumpta possunt ferri in eandem & sub eodem respectu veritatem.

CONCLUSIO IV.

Certitudo summa & indivisa non videtur necessario æstimanda ex adversa studiorum combinatione ac conflictu.

PRob. 1. Ex adversariorum principiis: Ideo ex adversariis certitudo illa non potest haberi si testes seorsim interrogentur, quia testium illorum distributive sumptorum probitas non est nisi probabilis; atqui pariter illa diversa studiorum combinatio in testibus distributive sumptis est tantum probabilis, ut jam adnotavimus. Ergo in sententia adver-

sa certitudo indivisa non magis reperitur in conflictu studiorum quam in probitatis exploratione.

Item; ideo ex adversariis veritatem manus nostræ contrectant in illo conflictu, quia repugnat omnino innumeros homines adeo propensionibus oppositos in larvatam veritatem consentire: atqui pariter repugnat omnino innumeros homines eo usque esse improbos ut gratis & sola mendacii prurigine in larvatam veritatem consentiant. Ergo in eadem adversariorum sententia certitudo indivisa non minus æstimari potest ex testium probitate quam ex diversitate studiorum combinata. Ergo ad illam habendam certitudinem necesse est recurrere ad conflictum & combinationem studiorum.

Prob. 2. Ex natura & efficacia motivorum quibus nititur certitudo. Ideo ad certitudinem indivisam necessaria esset diversa studiorum combinatio, quia absente illo conflictu, certitudo oriretur ex distractis hinc & inde probabilitatibus: atqui falsum est, absente illo conflictu, certitudinem orituram ex distractis hinc & inde probabilitatibus. Si enim absente illo conflictu, certitudo oriretur ex distractis hinc & inde probabilitatibus, certe quia absente illo conflictu, motiva vel nullam ex se haberent connexionem cum probanda veritate, vel quia motiva illa in unum reduci, id est communem cum eadem veritate connexionem dicere non possent: atqui utrunque falsum est. Primum quidem; nam motiva illa sunt mores hominum; eorum indoles & natura sunt uno verbo nativa, & toti humano generi communia & a natura insita actionum principia: atqui independenter ab allato conflictu hæc motiva connexionem dicunt cum veritate: nam illam connexionem habent ex sua cum natura nostra proportione, ex hominum constitutione, ex Dei ordinatione ac veracitate, ac proinde ex Dei & hominum natura. Ergo independenter a studiorum conflictu motiva habent certam cum veritate probanda connexionem.

2. Independenter ab eodem conflictu motiva illa in unum reduci, id est, communem cum veritate connexionem dicere possunt. Nam collective sumpta eam connexionem habere possunt quam habebant distributive sumpta; possunt, independenter a prædicto conflictu, unanimiter ferri in eandem veritatem & sub eodem respectu, v. g. sub respectu facti vere existentis tali loco, tempore & talibus circumstantiis essentialibus. Nam motiva illa, ex mox annotatis, Dei & hominum natura nituntur: atqui hoc ipso possunt ferri, immo necessario feruntur in eandem veritatem unam & indivisam. Ergo.

Et vero independenter ab illo conflictu constat & constare potest testes alicujus facti nec deceptos, nec deceptores fuisse. Non deceptos quidem: constare scilicet potest testes illos, si fuerint oculati, vidisse, & constantem ac uniformem sensuum relationem expertos esse, si vero non fuerint oculati, facile constare potest eos a primis & oculatis testibus hæc vel illa audivisse & sincere reddidisse. Sicut enim conflictus ille solus non facit ut viderint aut audierint quæ non viderunt aut non audierunt, sic nec ejus conflictus absentia sola facit ut non viderint nec audierint quæ revera viderunt & audierunt, nec præstat ut aduunentur omnes sensus. Ergo independenter ab illo conflictu constare potest testes non fuisse deceptos. Potest etiam constare non fuisse deceptores. Constare enim potest eos esse viros probos, ac consequenter veritatem amare, ac consequenter eos ex veritatis amore, non ex cupiditatum æstu aut mala privatæ propensionis instigatione esse loquutos; ac consequenter non esse deceptores. Saltem ubi agitur de factis in prima sui origine notis & momentosis, constare potest eos non eo usque amentes esse ac desipere, ut toti generi humano velint persuadere aut facta licet prima origine publica fictitia esse & toti retro antiquitati incognita, aut ea fuisse in essentialibus adulterata. Ergo.

Prob. 3. Ex objecto illius conflictus. Conflictus ille vel esset testium inter se, ita ut testes diversis inter se propensionibus decertent: vel testium cum veritate, ita ut testes cum veritate op-

po-

positis studiis prælientur; vel denique testium tum inter se, tum cum veritate probanda; atqui nihil horum dici potest necessarium ad certitudinem indivisam. Non primum, nam ut ex plurium testium relatione oriatur certitudo etiam indivisa independenter a conflictu propensionum testium inter se, satis est quod independenter ab illo conflictu possit conglobata & adunata relatio habere unam & indivisam cum veritate connexionem: atqui res ita est. Etiamsi enim diversis inter se propensionibus non opponantur, possunt veritatem nudam & ut in se est, eandem & sub eodem respectu apprehendere; possunt quæ mente & oculis apprehenderunt reddere & referre juxta dictamen intellectus & præviæ cognitionis, uno verbo possunt veritatem reddere eodem modo quo eam acceperunt. Etenim abstrahendo ab illo conflictu, numquam concipietur quomodo innumeri homines mentiantur ex solo mendacii amore: porro etiamsi testes privatis propensionibus inter se non opponantur, nisi eorum propensionibus & societati directe faveat consensus in mendacium, jam ex solo mendacii amore eos mentiri necesse est; quod tamen repugnat. Ergo etiamsi testes privatis non certent propensionibus, non inde sequitur eos esse deceptores. Ergo ut ex conglobata eorum relatione oriatur certitudo indivisa, necesse non est ut diversis propensionibus opponantur: ergo stare non potest prima hypothesis. Nec etiam secunda, eadem fere ratione. Si enim ipsis indifferens sit factum quod referunt, nec quicquam eorum intersit, tunc pronum est concludere eos loqui ex veritatis conscientia & amore, seu quia res ita se habet in rei veritate. Si vero facti veritas eorum intersit & eorum studiis ac propensionibus sit accommoda, iisque faveat, non inde semper sequitur eos aut deceptores esse. [Unum tantum sequeretur si nullum aliud suppeditent veritatis argumentum, veritatem illam non sufficienter esse comprobatam, sed dubiam ac suspensam remanere debere. Hinc manifestum est repugnare tertiam hypothesim. Ergo ad veram & indivisam certitudinem non requiritur necessario variorum studiorum combinatio.

CONCLUSIO V.

Ad veram, summam & indivisam certitudinem necesse non est ut concurrant traditio viva & oralis, historia & omnigena monumenta.

PRob. Summa certitudo ea est generaliter loquendo qua major dari non potest: atqui ut habeatur talis certitudo necesse non est ut simul concurrant omnia argumenta mox prolata. Nam ut habeatur certitudo metaphysica, necesse non est ut adunentur omnia simul argumenta metaphysica possibilia: ergo a pari, ut habeatur certitudo summa moralis, necesse non est ut simul concurrant omnia argumenta moralia possibilia. Immo ideo certitudo non posset esse summa quin concurrant omnia illa motiva, quia altero accedente motivo, certitudo jam habita desineret esse summa: atqui hoc falsum est. Quod patet 1°. in concursu argumentorum diversi generis. Nam sit existentia Dei primum certa argumentis metaphysicis; succedant argumenta physica aut moralia; additio illorum argumentorum non obstat quin existentiæ Dei certitudo jam habita per argumenta metaphysica remaneat summa. Quoad argumenta vero ejusdem generis res est adhuc aperta. Fieri potest v. g. ut traditio viva & oralis summum suæ certitudinis gradum adipiscatur etsi non comittentur omnigena monumenta. Summa enim traditionis illius certitudo in eo consistit quod illam muniant leges a Deo omnium animis infertæ, omnium hominum indoles qui communem naturam & rationem exuere non possunt. Jam vero defectus pyramidum v. g. vel quorumcunque aliorum monumentorum non præstat nec præstare potest ut possibile fuerit omnes simul homines communem naturam exuere; accedentibus illis monumentis factum illud non magis efficitur impossibile. Ergo certitudo traditionis vivæ & oralis potest esse summa sive adsint, sive desint omnigena monumenta. Er-

go concursus illorum monumentorum non est absolute necessarius ad summam & indivisam certitudinem.

Et certe hujus sententiæ auctores has conditiones non exigunt pro factis quorum testes oculati non sumus, nec pro iis quæ rumor aliquis ad aures nostras detulit; ergo nec eas exigere debent pro factis quæ a longinquo nobis sunt asportata. Sicut enim ex illis auctoribus sensus proprii sunt per se tutissimi rerum interpretes & nuntii, sic independenter ab omnigenis monumentis sensus testium & eorum relatio sunt tutissimi etiam rerum interpretes quantumvis a nobis distent. Si enim serie non interrupta, a facti origine & ab oculatis testibus ad nos usque sibi invicem succedant, jam sensus & relatio primorum testium, aut potius ipsamet facta sunt nobis præsentia; nec omnigena monumenta tunc requiruntur ut constet primos illos testes esse veraces. Ergo cum illa monumenta non sint necessaria in duplici priori casu, nec sunt etiam in posteriori.

CONCLUSIO VI.

Deus rationem nobis concedendo, ejus exercitium & operationem certa quadam lege regere & moderari debuit.

PRob. 1. Ex fine quem sibi proposuit Deus rationem nobis concedendo. Deus imprudentiæ & incuriæ argui non potest: atqui Deus rationem nobis concedendo, imprudentiæ & incuriæ argui posset, nisi ejus exercitium & operationes certa lege regeret ac temperaret. Rationem enim nobis concedendo, nosque rationales creando, finem sane aliquem seipso & nobis dignum sibi proposuit; nec finis ille alius esse potest nisi ut modo intelligenti & concessæ rationi proportionato agamus: atqui finis ille legem quandam exigit, quam nisi rationi nostræ apponat Deus, jam imprudentiæ & incuriæ argui potest. Tunc enim Deus imprudentiæ & incuriæ argui potest, cum propositum scopum non attingit, & opus suum non absolvit, sed mancum & imperfectum e manibus illud deponit: atqui Deus, nisi legem illam rationi nostræ apponat, jam scopum suum non attingit, jam opus suum non absolvit, sed mancum & imperfectum illud e manibus deponit. Etenim actio qualibet supponit in agente actionis principia; quæ quidem nihil aliud sunt quam dotes quædam ac dispositiones producendæ actioni proportionatæ. Ergo Deus scopum suum non attingit, nec opus suum absolvit, nisi dotes illas menti addat & inserat. Ergo etiam creaturam rationalem mancam & imperfectam e manibus suis deposuisset, nisi meræ ac simplici rationaliter agendi facultati & potentiæ necessarias dispositiones addidisset. Sed dispositiones illæ sunt ipsæmet leges quibus rationem nostram regere ac moderari debuit Deus, legesque illæ sunt dispositiones necessariæ. Nam principia actionum nihil aliud sunt quam dispositiones quædam quibus determinamur ad certo modo agendum: atqui determinari non possumus ad certo modo agendum, nempe modo intelligenti & rationali nostræ conditioni proportionato, nisi per certas quasdam leges quibus rationis nostræ exercitium & operationes Deus moderetur & regat. Equidem sicut voluntas ad bonum, sic intellectus inter varias suas operationes in verum necessario & necessaria inclinatione fertur. Hæc inclinatio a Deo & auctore naturæ menti indita est; at si intellectus nude ac præcise in se spectetur, adest in eo mera capacitas & flexibilitas ad verum. Ergo Deus debuit illam intellectus flexibilitatem regere, &, ut ita dicam, ejus indifferentiam determinare; alias actio nostræ rationis erit in nobis sine ullis principiis per quæ determinetur ad certum modum agenti rationali proportionatum. Ergo certis quibusdam legibus debuit Deus rationis nostræ exercitium regere & moderari. Ergo nisi legem aliquam rationi nostræ apponat, jam actio nostræ rationis est in nobis sine ullis principiis quibus determinemur ad certo modo, id est, intelligenti & rationali nostræ conditioni proportionato agendum. Ergo creatura rationalis manca esset & imperfecta. Ergo Deus imprudentiæ & incuriæ incusari posset. Ergo Deus rationem nobis con-

concedendo, &c. Totum hoc ratiocinium sic contraho. Deus rationem nobis concedendo proponere sibi debuit ut modo concessæ rationi proportionato ageremus: porro scopum illum non attingeret Deus ac in incuriæ & imprudentiæ reatum aut suspicionem veniret nisi medium fini assequendo idoneum, id est leges huic scopo proportionatas proponeret. Cum enim ratio nihil aliud sit quam quædam facultas ac potentia, debuit Deus etiam nobis ingerere quædam actionis principia quibus regatur & ad actum applicetur ac determinetur potentia: sed principia illa sunt ipsæmet leges de quibus agimus. Ergo. Et vero intellectus ad verum quidem in genere necessario inclinatur, at non ita ad verum in particulari. Ergo illius exercitium debuit Deus moderari per quasdam leges; alias actio intellectus esset sine ullis principiis. Nulla esset ratio cur hoc potius quam illo modo ratiocinaremur, curque modo intelligenti nos componeremus.

Prob. 2. Ex ratione primæ causæ in Deo & summa ejus sapientia. Vel Deus legem aliquam rationis nostræ exercitio apposuit, vel nos nobismet ipsis, ut ita dicam, reliquit quoad delectionem mediorum & acquisitionem luminis ad regendas mentis & rationis nostræ operationes: atqui posterius dici non potest quin lædamur Dei attributa, nempe ratio primæ causæ & summæ sapientiæ. 1. Quidem læditur & evertitur ratio primæ causæ. Tunc enim evertitur in Deo ratio primæ causæ, cum id quod hominem constituit, quodque in eo præcellit & præstantius est, non Deo, sed nobis tanquam propriæ industriæ opus adscribitur: atqui nisi Deus rationis nostræ exercitio certas quasdam leges apposuerit, jam quod hominem constituit, quod in eo præcellit & præstantius est, non Deo, sed nobis adscribitur. Quod enim hominem constituit, est vis intelligendi immensa operationum varietate fœcunda, ac pondus & nativa ejus in verum inclinatio, sunt denique infinitæ propemodum diversæ ejus operationes: jam vero hæc omnia nobis adscribenda sunt nostrumque non Dei opus dici debent, nisi Deus rationis nostræ exercitium & operationes certis quibusdam legibus regat ac moderetur. Si enim desinent leges quibus rationis nostræ operationes regantur, ac veluti informentur, jam nihil a Deo nobis succedit nisi nuda intelligendi & rationaliter agendi capacitas quæ quidem erit tantum rudis & indigesta; leges vero quæ sunt veluti forma hujus rationis, cum per eas dirigatur & informetur, erunt a nobis: porro læditur & evertitur in Deo ratio primæ causæ, cum ipsi tribuitur tantum operationum nostrarum materia, nobis vero earum forma. Ergo 1. evertitur in Deo ratio primæ causæ. 2. Destruitur ejus sapientia. Tunc enim destruitur Dei sapientia ubi finem sibi propositum non intendit nisi per media huic improportionata: atqui nisi Deus leges apponat, jam finem sibi propositum non intendit nisi per media huic fini improportionata. Finis enim ille cum sit certa veritatis cognitio & adeptio; tunc finem illum non intendit nisi per media huic fini improportionata, cum illum non intendit nisi per media incerta & errori attemperata: atqui si desint a Deo prædictæ leges, jam finem hunc, certam nempe veritatis cognitionem & adeptionem non intendit nisi per media incerta & errori attemperata. Si enim leges illæ, quæ ex dictis sunt mentis operationum principia & veritatis assequendæ media, si illæ, inquam, leges desint, jam veritatis assequendæ media a nobis habere, aut ab aliis hominibus accipere debemus, v. g. ab educatione & institutione, ab exemplo, a consuetudine. Atqui quam hæc incerta sint, quamque errori attemperata nemo nescit. Ergo Deus finem sibi propositum non intenderet nisi per media incerta & huic fini improportionata. Ergo destrueretur Dei sapientia. Et certe postulat Dei sapientia ut mundo physico leges quasdam stabilierit: sed non minori titulo, immo a fortiori postulat eadem Dei sapientia ut mundo intellectuali speciales ac proportionatas leges præscripserit. Ergo. Et vero ex dicendis, evidentia & pondus seu nativa in verum, & præcipue in verum evidens inclinatio est lex ad cujus nor-

normam diriguntur rationis & mentis nostræ operationes. Jam vero mirum profecto videretur hanc legem nobis inesse ab educatione, exemplo aut consuetudine; nisi enim inclinatio illa naturalis nobis esset, eam inserere nobis nunquam potuissent educatio, exemplum aut consuetudo.

CONCLUSIO VII.

Lex qua Deus rationis nostræ operationes & exercitium dirigit ac moderatur est evidentia vel metaphysica, vel moralis.

PRob. Juxta allatas in proxime præcedenti conclusione probationes, leges quibus rationis nostræ operationes moderari debet Deus, sunt actionum & operationum illarum principia ac necessariæ quædam dispositiones quibus illæ rationis operationes diriguntur, nosque ad agendum modo intelligenti determinamur: atqui evidentia est tale principium, & dispositio quæ rationis operationes dirigit, ac nos determinat ad agendum modo intelligenti. Nam ut leges illæ a Deo rationi nostræ appositæ finem ab eo intentum attingant, debent intellectum certum ac securum facere, & omnibus objectionibus superiorem. Sed evidentia id præstat. Ergo evidentia rationis operationes dirigit, nosque determinat ad agendum modo intelligenti. Ergo est rationis operationum principium. Ergo est earum lex, &c.

Et certe eædem probationes allatæ evincunt leges rationis nostræ exercitio a Deo appositas certas esse debere ac efficaces ex una parte, ex altera vero nobis intimas ac innatas, aut saltem quasi innatas: atqui his dotibus gaudet evidentia. 1. Quidem certa est & efficax. Nam assensum rapit, idoneos nos facit ad intelligendas clare propositiones, ac certo deducendas conclusiones claras, denique ad solvendas quaslibet objectiones. 2. Nobis intima est, & innata ac naturalis. Illud enim tale est in quod naturali propensione inclinamur, cujus vis & efficacia sensu intimo ac universali experientia constat: atqui sic se habet evidentia. Sensu enim intimo ac universali experientia constat quidquid homini proponatur ea probatione nixum quæ propositiones certo exhibeat, conclusiones clare educat, difficultates solvat, constat, inquam, illud assensum rapere statim & nullo negotio, ac juxta propensionem nobis naturalem: Ex tali assensu gaudium ex opposito dissensu tristitiam experimur. Ergo.

Et vero ut evidentia sit lex operationum rationis nostræ directiva a Deo nobis impressa, satis est quod Deus qui intellectum nobis dedit id sibi proposuerit ut quidquid evidens est pro vero recipiamus: atqui id sibi proposuit Deus. Ex dictis enim homo flexibilitatem ad verum, & facultatem cujus ope capax est quasdam propositiones ut veras accipiendi a Deo recepit: jam vero sicut fieri non potest ut Deus hanc ad verum flexibilitatem nullo consilio nulloque usu nobis indiderit, sic fieri non potest ut voluerit flexibilitatem illam nullo motivo determinari; Quid enim esset flexibilitas seu capacitas ac facultas illa quam nihil moveret, quæ fortuito ac cæco impetu determinaretur & ad actum applicaretur? esset mera machina. Sed evidentia est motivum illud quo moveri ac determinari ac ad actum applicari debet nostra ad verum flexibilitas & capacitas. Vel enim evidentia, vel obscuritas in objectum & dubium in intellectu est illud motivum: atqui sapientem nostræ rationis auctorem dedecet nobis dedisse inevidentiam & obscuritatem pro duce, & incertitudinem ac dubium pro lege. Ergo evidentia est motivum quo determinari & ad actum applicari debet nostra ad verum flexibilitas. Ergo Deus intellectum nobis dando id sibi proposuit ut quidquid evidens est pro vero accipiamus. Ergo evidentia est lex quæ rationis nostræ exercitium & operationes moderari debet.

Dixi: evidentia vel metaphysica, vel moralis. Sunt enim multa quæ evidentiam metaphysicam in rigore logico non suscipiunt. Agitur hic de negotiis maximi momenti & de circumstantiis gravioribus. Porro tunc non semper obtinet evidentia metaphysica. v. gr. Ubi deest proprii sensus testimonium, vel rigida demonstratio, veritatem amplecti-

sti tenemur, nec quicquam a Deo exigere habemus nisi ex motivis quæ justas & æquas rerum notiones nobis exhibeant, at saltem quæ legitimam dubitandi rationem auferant.

Et certe ut evidentia moralis sit lex a Deo nobis data ad dirigendas rationis nostræ operationes satis est quod ex eodem pondere quo inclinamur ad credendum vero metaphysice evidenti, feramur ad assentiendum legitimo testimonio præcipue universali ex quo nascitur evidentia moralis: atqui eodem pondere quo inclinamur ad credendum, &c. Ad hoc enim satis est quod utrunque pondus sit a natura: atqui utrunque pondus est a natura. Natura enim duce, & ante quamlibet positivam institutionem pueri a nutricibus & institutoribus suis rerum notiones & cogitationes hauriunt; nec hominibus credere desifcunt, nisi postquam fallaciis delusi sunt. Sensus iste est omnium locorum, temporum & personarum. Ergo sicut naturali pondere inclinamur ad credendum vero metaphysice evidenti, sic eodem pondere itidem naturali, ferimur ad assentiendum testimonio legitimo & præsertim universali, quod est evidentia moralis. Deinde ipsa natura duce & impellente, homines in mutuam societatem feruntur. Jam vero societas stare non potest nisi homines hominibus credant. Nam commercium illud pendet ab innumeris rebus quæ non possunt aliter quam hominum testimonio aliis hominibus innotescere. Sic quinam sint uniuscujusque parentes, solo hominum testimonio unicuique constare potest. Idem dic de hæreditaria bonorum possessione; hæc enim omnia nullo argumento sive a priori, sive a posteriori, sed solo testimonio probari possunt. Tolle hujus testimonii auctoritatem, jam judices reos debita pœna plectere non poterunt. Impune per scelera quæque grassantur impii, modo judicum oculis non subjaceant. Si testimonio non sit credendum, jam nullum fœdus certum inter homines, jam in mutua diffidentia inter se vivunt; jam ergo non socialiter, sed solitarie degant necesse est. Ergo societatem destrui oportet. Debuit ergo providus naturæ auctor legem naturalem hominum cordibus inserere, qua homines hominibus credere debeant. Ergo sicut naturale est pondus quo inclinamur ad credendum vero metaphysice evidenti, sic naturali inclinatione ferimur ad assentiendum evidentiæ morali. Ergo lex a Deo nobis data ad dirigendas rationis nostræ operationes est evidentia sive metaphysica, sive moralis.

Nota legem illam repugnare si testimonium legitimum ac præcipue universale nos fallat. Vel enim Deus vult huic hominum testimonio nos fidem nostram obstringere, vel non. Si primum, & tamen nos fallat illud testimonium, jam destruitur veracitas divina, jam in Deum ipsum error relabitur. Si secundum: jam inutilis sit lex qua inclinamur ad credendum legitimo ac præsertim universali hominum testimonio, immo esset contraria Dei voluntati; quod repugnat summæ ejus intelligentiæ & sapientiæ.

SCHOLIUM.

Deus auctor evidentiæ non potest esse errorum nostrorum auctor.

Deus enim non potest esse auctor errorum simul & principiorum quæ nos avocant, & ad veritatem nos inclinant. Veracissimus est; facultatibus nostris ipse illudere non potest. Eo ipso quo est auctor evidentiæ & eam nobis indidit velut supremam legem ad cujus normam rationis nostræ operationes componeremus, jam errorum nostrorum auctor esse non potest. Uno verbo eadem Dei attributa quæ ab eo modo postulabant ut certa lege evidentia nempe, rationis nostræ operationes moderaretur, eadem vetant ne sit errorum nostrorum auctor. Hinc quoties nobis constabit nos ea omnia præstitisse quæ creaturam rationalem decent, & facultatibus nostris recte, legitime ac juxta leges a Deo nobis præscriptas usos esse, toties de veritate securos esse nobis licebit. Quod si a prædictis legibus discedamus, a vero quidem aberrabimus, sed tunc error noster erit.

CON-

CONCLUSIO VIII.

Sunt certa ac generales quædam Leges quibus omnes homines, qua rationales, qua sociales necessario insistunt.

PRob. Creatura rationalis modo intelligenti & concessæ rationi proportionato agere non potest quin motivo aliquo inducatur; motivum enim est quædam legis species: atqui sunt quædam motiva omnibus hominibus communia quibus necessario insistunt. Ad hoc enim satis est quod sint quædam motiva quæ omnes homines ita afficiant, ut nullus sit qui sanæ mentis & compos, ac nisi naturam humanam exuat, uno aut altero ex his motivis non ducatur: atqui dantur hujusmodi motiva. Talia sunt quæ desumuntur ex recta ratione, aut ex intima rei alicujus cum fine aliquo intento proportione & convenientia; talia sunt utilitas, naturalis affectio, corporis dispositio &c.

CONCLUSIO IX.

Consequenter ad Leges illas sequitur hoc vel illud certo ac infallibiliter eventurum esse, aut non eventurum, seu inter Leges illas & quosdam eventus & effectus adest connexio certa & infallibilis.

PRob. Ibi inter leges illas & certos quosdam eventus adest connexio certa & infallibilis, ubi rationi pugnat leges illas tales sortiri effectus, tales vero non sortiri: atqui rationi pugnat leges allatas tales sortiri effectus, tales vero non sortiri. Rationi enim pugnat omnes simul homines agere contra propriam ac sibi innatam inclinationem seque in statu violento ac propriæ naturæ alieno ponere. Ergo rationi pugnat leges illas sibi contradicere effectus producendo sibi adversos, effectus vero sibi germanos omittendo. Ergo rationi pugnat prædictas leges tales sortiri effectus, tales vero non sortiri. Ergo inter leges illas & certos quosdam eventus adest certa & infallibilis connexio.

Et certe ut illa connexio sit certa & infallibilis duo sufficiunt & requiruntur. 1. Ut leges illæ interrumpi aut suspendi non possint; 2. ut etiamsi possent, nihil inde contra connexionis illius firmitatem: atqui hæc duo vera sunt. 1. Leges illæ nullam interruptionem aut suspensionem pati possunt. Hic enim agitur de legibus ad quarum normam componitur testimonium universale, quibusque homines, natura duce, insistunt: atqui leges illæ nullam exceptionem aut suspensionem pati possunt. Ut enim legibus illis aliquam exceptionem apponeret Deus, deberet facere ut omnes homines simul & uno veluti humero rationi nuntium darent, agendo v. g. contra propriam ac bene notam utilitatem, finem aliquem sibi proponendo & media huic directa fronte adversa usurpando; uno verbo Deus deberet præstare ut homines jam non essent homines. Ergo leges illæ nullam possunt exceptionem pati.

2. Etiamsi suspenderentur, nihil inde contra legum illarum cum certis quibusdam effectibus connexionis firmitatem. Eventus enim naturales inter & eorum leges adest connexio certa ac infallibilis qua eventus illi ex ratis fixisque naturæ legibus certo deducuntur, licet divinitus suspendi possint, nisi adsit motivum fortius & superius quo mutatæ aut mutandæ appareant; ergo pariter connexio inter eventus morales & eorum leges certa est & infallibilis, licet suspendi possint, dum non adest motivum superius ac fortius quo mutatæ aut mutandæ appareant. Immo si appareat motivum quo certo constet & appareat leges illas easdem permanere, nec esse mutatas, jam certo concludendum nobis est leges illas effectus sibi nativos sortitas esse; & rationi pugnat rem aliter successuram, cum nullum mihi suppetat hujus credendi motivum, & a fortiori cum pugnet ex opposito motivum fortius; v. g. rationi pugnat, nec ullum est legitimum motivum credendi hominem aliquem, nisi adsit ex opposito motivum fortius, contra propriam inclinationem acturum, aut talem privatæ utilitati rite cognitæ non obtemperaturum, aut talem relicta ac reluctante licet privata propensione id omissurum quod alii omnes cum eadem propensione agerent.

SCHO-

SCHOLIUM.

INter leges quas Deus rationis exercitio præfixit, & leges quibus universim insistunt homines intima est connexio & relatio.

Multiplex est illa relatio. Prima se tenet ex parte principii. Ex dictis enim, sicut natura inclinamur ad assentiendum evidentiæ sive metaphysicæ, sive morali, sic eadem natura propendemus in motiva illa & leges quibus omnes homines insistunt. Secunda se tenet ex parte subjecti. Sicut enim leges a Deo præstabilitæ intellectum spectant, sic leges quibus insistunt homines mentem & cor spectant. Utraque legum species est universalis & eadem apud omnes. Tertia desumitur ex modo operandi. Duplex enim legum illarum genus eodem modo operatur sive quoad evictionem, sive quoad assensum subito raptum, sive quoad internum animi gaudium ex assensu dato. Constat enim hæc omnia eadem utrobique esse sive ex evidentia, sive ex motivis allatis assensus eruatur. Quarta ex parte fundamenti legum illarum & certitudinis quam pariunt. Summa enim Dei veracitas, sapientia, &c. sunt commune legum illarum fundamentum. Quantum ad primas quidem leges, si ex iis in errorem induceremur, falleret nos Deus; quia scilicet evidentiam, sive metaphysicam, sive moralem intellectui nostro præbuit veluti quandam facem veritatis illuminatricem. Quantum vero ad posteriores, si fallere possent, falleret itidem Deus, quia nempe motiva illa animo nostro inseruit quibus ad certus quosdam actus determinemur, nisi superet fortius aliud motivum. Est enim, ex dictis, commune legum illarum principium. Ergo Deus pro sua sapientia, &c. Ex æquo permittere non potest ut ex illis legibus decipiamur. Hinc manifestum est certitudinem moralem originem suam haurire ex natura tum Dei, tum hominum. Ex natura quidem Dei, cujus attributa postulant & eum revera induxerunt ut certas quasdam leges rationis nostræ operationibus præfigeret, & evidentiam nobis pro lege daret; ex hominum vero natura, qui a natura ita facti sunt & compositi ut certis quibusdam legibus necessario insisterent. Hinc ulterius sequitur certitudinem moralem everti non posse quin lædatur ac labefactetur tum Dei, tum hominum natura.

COROLLARIUM I.

ET CONCLUSIO X.

Religio revelata annexam sibi habet aliquam evidentiam.

PRob. Ex modo dictis, Conclus. prima, Deus certa quadam lege rationis nostræ operationes moderari debuit; hæc sane divina dispositio spectat præcipue operationes maximi momenti, ac consequenter Religionem; sed ex probatis, Concl. secunda, lex qua rationis nostræ operationes moderari debuit est evidentia vel metaphysica, vel moralis; uno verbo est evidentia aliqua. Ergo Religio revelata annexam sibi habet aliquam evidentiam.

Et vero ex modo etiam probatis, sunt quædam leges quibus omnes universim homines necessario insistunt; ex probatis etiam, leges illæ certam & infallibilem connexionem dicunt cum quibusdam eventibus & effectibus. Atqui connexio illa evidentiam aliquam parit & eam annexam sibi habet. Nam ex una parte connexio illa fundatur in certa & evidenti erroris cum ratione repugnantia & oppositione, ex altera verò parte eadem connexio fundatur in intima relatione legum illarum cum lege a Deo proposita, vi cujus relationis leges illæ vanæ esse non possunt, præsertim in testimonio universali, quin evidenter lædantur Dei attributa. Ergo quodcunque his legibus nititur aliquam evidentiam sibi annexam habet. Sed Religio revelata his legibus nititur: facta enim in quæ reclinatur Religio revelata, falsa esse non possunt quin omnes homines contra prædictas leges generales insititerint; immo luce meridiana clarius est homines facta illa & Religionem his innixam amplectendo præfatas leges sequutos esse. Ergo Religio revelata annexam sibi habet aliquam evidentiam.

COROLLARIUM II.

ET CONCLUSIO XI.

Evidentia quam annexam sibi habet Religio revelata est evidentia moralis, seu externa & credibilitatis, ac consequenter Religio revelata est evidenter credibilis.

PRob. Ex modo dictis. Religio revelata annexam sibi habet aliquam evidentiam: atqui sane evidentia illa non est interna. In Religione enim revelata duo sunt, dogmata nempe, seu mysteria & facta Evangelica. Sed neque dogmata, neque facta evidentiam internam suscipiunt; illa enim incomprehensibilia sunt, hæc vero oculis nostris non sunt immediate præsentia, nec aliunde dogmatibus interna sunt. Ergo evidentia quam annexam habet Religio revelata non est interna. Ergo est externa & credibilitatis.

Et certe Religio evidenter credibilis est ea quæ nititur motivis sibi extrinsecis, evidentibus evidenterque sibi connexis: atqui talia sunt motiva quibus nititur Religio revelata. 1. Sunt ipsi extrinseca. Motiva enim illa sunt miraculum & prophetia: sed miraculum & prophetia Religionis revelatæ mysteriis & dogmatibus sunt extrinseca. 2. Sunt evidentia. Nam sunt ipsiusmet Dei loquela & testimonium Dei, inquam, summe veracis; in ejus naturam & attributa recumbunt. Et certe ut motiva illa sint evidentia, requiritur ut sint evidenter vera, id est, ut evidens sit miracula & oracula illa esse vere & realiter edita. Atqui hoc evidens est, ut constabit postea. 3. Sunt evidenter connexa cum Religione revelata. Nam in hoc consistit illa connexio, quod miracula & oracula illa edita fuerint in confirmationem dogmatum Religionis revelatæ: atqui istud evidens est. Eadem enim argumenta quæ probant olim edita esse illa tum miracula, tum oracula, evincunt ea edita esse in confirmationem Religionis revelatæ & ejus dogmatum. Sed argumenta in decursu hujus operis afferenda evidenter probant olim edita esse illa tum oracula, tum miracula. Ergo evidenter probant miracula & oracula illa edita esse in confirmationem Religionis revelatæ. Ergo cum miracula & oracula illa sint evidenter vera, jam eo ipso Religio revelata est evidenter vera evidentia credibilitatis. Præterea evidens est universum orbem Christo nomen suum dedisse; pariter evidens est universum orbem Christo fidem suam obstrinxisse hoc motivo quod Christus in confirmationem suæ Religionis miracula & oracula ediderit: atqui vana esse non potest hæc persuasio; sensu enim intimo unicuique constat se ex hoc motivo Christo nomen dedisse; nec vana potest esse ista persuasio quin evertantur leges tum a Deo rationis nostræ operationibus propositæ, tum ab hominibus necessario usurpatæ. Ergo evidens est motiva Religionis revelatæ esse cum ea evidenter connexa. Ergo. Præterea miracula illa patrata esse, & patrata esse in confirmationem Religionis, hæc duo sunt intra factorum ordinem & numerum: est enim facti quæstio an Christus dixerit se sua miracula facere in confirmationem suæ doctrinæ. Porro non magis decipi potuere homines circa unum factum, quam circa alterum. Vana esse non potest in utroque casu persuasio universalis, quin evertantur leges prædictæ. Ergo Religio revelata nititur motivis extrinsecis, evidentibus, &c. Ergo Religio revelata est evidenter credibilis.

COROLLARIUM III.

ET CONCLUSIO XII.

Evidentia Religionis revelatæ, si non metaphysica, saltem evidentiæ metaphysicæ æquipara est & æqualis, seu motiva quibus astruitur Religio revelata pariunt certitudinem, si non metaphysicam, saltem metaphysicæ æquiparam.

PRob. 1. Ex æqualitate principii in quod resolvitur utraque evidentia. Evidentia metaphysica oritur ex intuitu idearum, evidentia vero Religionis revelatæ oritur ex testimonio universali: atqui evidentia quæ oritur ex testimonio uni-

universali æquipara est & æqualis evidentiæ quæ oritur ex intuitu idearum. Ideo enim evidentia quæ oritur ex intuitu idearum certa est metaphysice, quia essentia rerum sunt immutabiles: atqui pariter essentia testimonii universalis est immobilis. Ideo enim essentiæ rerum sunt immutabiles, quia sunt ipsemet Deus, nec consequenter destrui aut mutari possunt nisi destruatur aut mutetur Deus & ejus essentia ac existentia: atqui in testimonio universali adest æquipara & æqualis ratio immutabilis, nec mutari aut destrui potest veracitas testimonii universalis quin mutetur aut destruatur Deus & ejus essentia, ac existentia. Nam veracitas hujus testimonii quæ quidem veracitas est ejus essentia, mutari aut destrui non potest, quin mutetur aut destruatur Dei veracitas, providentia, &c. Atqui æquipara & æqualis est rerum essentiis repugnantia mutari aut destrui Deum ipsum & ejus existentiam, & mutari aut destrui ejus veracitatem, providentiam, &c. Ergo veracitas seu essentia testimonii universalis æque est immobilis ac essentiæ rerum. Ergo evidentia quæ oritur ex testimonio universali æquipara est & æqualis evidentiæ quæ oritur ex intuitu idearum.

Confirmatur. Juxta præcedentes conclusiones, Deus pro sua sapientia & ratione primæ causæ debuit rationis nostræ operationes & exercitium certa lege componere; nec lex illa alia est nisi evidentia metaphysica aut moralis. Ergo utraque evidentia, ac proinde moralis quæ oritur ex testimonio universali in hæc Dei attributa recumbit, nec mutari aut destrui potest quin mutetur aut destruatur Dei sapientia & ratio primæ causæ. Etenim, ex probatis ibidem, sicut adest in nobis sine nobis inclinatio ab auctore naturæ nobis indita assentiendi evidentiæ metaphysicæ, sic adest in nobis æqualis inclinatio ab eodem auctore naturæ nobis insita assentiendi testimonio legitimo ac præcipue universali, ac proinde evidentiæ morali. Ergo sicut fallere nos non potest evidentia metaphysica, posita prædicta inclinatione, quin error noster in Deum refundatur; sic posita præfata inclinatione assentiendi evidentiæ morali, seu testimonio universali, fallere nos non potest hæc evidentia, quin error in Deum recidat; ergo nec etiam fallere potest, quin evertatur summa Dei veracitas. Deinde ex probatis ibidem eadem Dei attributa quæ legem aliquam rationis nostræ operationum directivam a Deo postulabant, vetant ne lex illa errori subjaceat; uno verbo Deus evidentiæ auctor errorum nostrorum auctor simul esse non potest. Ergo iterum veracitas evidentiæ tum metaphysicæ, tum moralis, ac consequenter testimonii universalis everti non potest quin destruatur Deus, & labefactentur ejus attributa. Ergo veracitas testimonii universalis æque est immobilis ac essentiæ rerum. Ergo evidentia quæ oritur ex testimonio universali æqualis est & æquipara evidentiæ quæ oritur ex intuitu idearum. Ergo evidentia Religionis revelatæ &c.

Prob. 2. Ex effectibus evidentiæ. Ex dictis inter prænotata, evidentia attendi potest vel quoad evictionem, vel quoad assensum subito raptum & gaudium ex assensu enatum: atqui evidentia Religionis revelatæ ex testimonio universali orta est æquipara evidentiæ metaphysicæ. 1. Quoad evictionem. Ibi enim æqualis adest & æquipara convictio, ubi mens æqualiter certa est & secura in assensu: atqui mens sive metaphysicæ, sive revelatæ Religionis evidentiæ assentiatur, æqualiter secura est & certa ac quieta in assensu. Tunc enim mens est æqualiter secura in assensu quando æqualiter secura & libera est a dubio: atqui ex utraque evidentia mens est æqualiter secura & libera a dubio. Ibi enim mens est æqualiter secura & libera a dubio, ubi æqualiter excluditur dubium tum actuale, tum possibile saltem rationabile: atqui utraque evidentia æqualiter excludit utrunque dubium. Sensu intimo unicuique constat se non magis pati dubium etiam possibile post testimonium universale, quam post geometricam aut mathematicam demonstrationem, saltem si rationis dictamini insistat. Sic non magis dubia est existentia Romæ quam hæc propositio; bis duo dant quatuor. Et vero ideo evidentia metaphysica exclu-

excludit dubium etiam possibile, quia fieri non potest ut mutentur essentiæ rerum, ac consequenter ut verum non sit quidquid in illis percipitur, saltem sub eo respectu sub quo illud in eis percipitur: atqui æquipara ratione mutaretur essentia testimonii universalis, si immensa multitudo & præsertim totus orbis desiperet circa facta innumera, publica & maximi momenti, qualia sunt facta revelata, præcipue dum idem orbis consuetos legitimæ rationis sensus circa alia facta servat: atqui istud evidenter repugnat. Deinde mutari non potest essentia testimonii universalis, quin mutentur tum leges a Deo omnium animis insitæ, tum leges quas Deo duce sequuntur necessario homines, ac proinde quin mutetur essentia Dei. Ergo evidenter repugnat mutari essentiam testimonii universalis. Ergo testimonium illud excludit dubium etiam possibile, saltem rationabile. Deinde ut habeatur dubium, debet adesse ex opposito motivum quo dubium illud fit possibile: atqui sub testimonio universali, nullum est tale motivum. Nam, ut dicebamus in præcedentibus conclusionibus, Dei & hominum naturæ repugnat ut homines omnes agant contra propriam inclinationem & se in statu violento ponant, nisi adsit motivum fortius oppositum quo ad id impellantur & cogantur. Ergo si nullum percipiatur tale adfuisse motivum, immo si positive percipiatur motivum illud defuisse, & leges prædictas totam suam vim servasse ac exercuisse, jam nedum fit motivum quo dubium reddatur possibile, immo adest motivum quo juxta rationis dictamen dubium illud redditur impossibile. Jam vero sic se res habet in testimonio quo nititur Religio revelata. Totus orbis debuit agere contra propriam inclinationem, nullo, si facta revelata sint falsa, motivo fortiori impellente & inclinationem illam supplente; immo percipitur nullum esse posse tale motivum nisi factorum illorum veritatem. Ergo nullum est motivum dubitandi de testimonio illo, immo adest positive in contrarium motivum. Ergo excluditur dubium possibile. Ergo 1. quoad evictionem æqualis est utraque evidentia tum metaphysica, tum Religionis revelatæ. 2. Æqualis est etiam quoad assensum & gaudium ex eo natum. Certa enim constat experientia neminem magis hærere ad hanc propositionem: existit urbs Roma, quam ad hanc: si ex æqualibus æqualia demantur, residua æqualia erunt, æque subitus est datus utrique propositioni assensus, æqualis animi voluptas ex utraque percepta propositione. Ergo quoad omnia evidentia Religionis revelatæ par est evidentiæ metaphysicæ.

Confirmatur. Duplex distinguitur demonstratio, una per causas, quæ spectat rei essentiam; altera a posteriori, per quam rei alicujus existentia stabilitur. Porro in asserenda Religionis revelatæ veritate, agitur tantum de quarundam rerum existentia. Itaque si ex testimonio universali possit erui circa realem factorum revelatorum existentiam demonstratio vel probatio æquivalens demonstrationi a priori & per causam quoad essentiam, jam evidentia prioris demonstrationis, ac consequenter Religionis revelatæ æqualis erit & æquipara evidentiæ posterioris demonstrationis, ac proinde evidentiæ metaphysicæ. Jam vero ex testimonio universali tam certo potest constare rei alicujus realis existentia, quam rei essentia ex demonstratione a priori. Demonstratio enim essentiæ rei alicujus a priori totam suam desumit certitudinem ex intuitu idearum, seu ex immediate percepta connexione cum rerum essentiis: atqui pariter demonstratio existentiæ rei alicujus ex testimonio universali nititur rerum essentiis, nempe natura Dei & hominum. Tota enim probatio ex testimonio universali desumpta ad hunc syllogismum reduci potest, ubi in assignato aliquo casu tales vel tales concurrunt circumstantiæ, tales vel tales sequi debent effectus; atqui in præsenti casu tales concurrunt circumstantiæ: ergo tales etiam sequi debent effectus. Porro in hoc syllogismo nihil est quod rerum essentiis non nitatur; major enim ejus nititur illis legibus quæ ipsæ Dei & hominum essentiis nituntur, minor vero iisdem legibus fundatur. Has enim vel illas concurrisse in tali casu circumstantias exinde con-

constat quod repugnet earum relatores aut deceptos aut deceptores fuisse. Relatores vero illos tales non fuisse constat, quia repugnat omnes homines vidisse sibi videre & audire quæ nusquam viderunt & audierunt; quia alias inverti debuissent leges illæ quibus necessario & naturaliter insistunt. Homines v. gr. debuissent agere non solum sine motivo, sed etiam motivo in contrarium impellente. Infamiam & cladem ultimam in favorem mendacii gratis & lubenti animo in se suscipere debuerunt. Hinc ergo sic concludo. Tunc æquecerta est rei alicujus existentia ex testimonio universali, quam ejus essentia demonstratione a priori, cum ex utraque demonstratione æque excluditur dubium etiam possibile rationabile, de quo solo hic agitur: atqui ex utraque demonstratione excluditur æqualiter dubium possibile. Tunc enim excluditur dubium etiam possibile, cum dubium illud subsistere non potest nisi rectæ rationis usus deponatur, exuantur sensus toti humano generi communes & sibi turpiter contradicant leges quæ talem contradictionem non suscipiunt: atqui demonstratio Religionis revelatæ petita a posteriori & ex testimonio universali his titulis excludit dubium etiam possibile. Nam major & minor allati syllogismi dubiæ esse non possunt quin occurrant mox enumerata incommoda ac recensitæ repugnantiæ. Ergo ex utraque demonstratione æqualiter excluditur dubium etiam possibile. Ergo in utraque demonstratione adest eadem evidentia quoad evictionem.

Prob. 3. Ex evidentia principiorum ex quibus resultat Religio revelata. Illa Religio est evidens aut evidentia metaphysica aut evidentia metaphysicæ æquipara, quæ resultat ex principiis & propositionibus aut metaphysice certis, aut metaphysicam certitudinem æmulantibus: atqui Religio Christiana resultat ex principiis & propositionibus aut metaphysice certis, aut metaphysicam certitudinem æmulantibus. Tota enim hujus Religionis compages hac propositione unico quasi cardine volvitur: Deus Christo locutus est, seu Religio Christiana revelata est. Quæ quidem propositio tria hæc involvit & complectitur. 1. Christus olim extitit. 2. Idem asseruit se Deum & a Deo missum. 3. In hujus missionis confirmationem miracula edidit: Primam ex his propositionibus concedunt & testantur omnes qua Judæi, qua Pagani, qua Mahumetani. Secunda propositio est ipsamet thesis; huic fidem facit tertia, & ab hac tota illa pendet. Eo itaque delabitur præsentis probationis argumentum, nempe an hęc propositio: Christus fecit miracula in confirmationem divinæ suæ missionis, metaphysicam certitudinem æmuletur. Porro res ita nobis videtur. Illa enim propositio metaphysicam certitudinem æmulatur, quæ tam certa est & evidens quam altera propositio evidens metaphysice, v. gr. quam hæc propositio: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Certum est enim parallelas sibi esse duas istas propositiones; existit mundus hic aspectabilis, & existit Religio revelata; duæ istæ propositiones sunt nemine, ut puto, diffitente, æqualiter evidentes. Certum pariter mihi videtur hanc propositionem: existit hic mundus aspectabilis, æqualis evidentię esse ac ista: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & utranque propositionem evidentiæ æquiparam esse. Ut ergo hęc propositio: Christus fecit miracula in confirmationem divinæ suæ missionis, tam certa sit & evidens quam ista: quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, satis est quod sit tam certa & evidens quam ista: existit Religio revelata. Porro res ita est. Existere enim Religionem revelatam, nihil aliud est quam totum orbem Religionem illam profiteri; nec sane eam profitetur nisi quia credit Christum miracula sibi adjudicata fecisse in hujus confirmationem. Unde totum orbem profiteri Religionem revelatam æque evidens est ac eum illam Religionem profiteri ex allato motivo, id est, quia credit Christum miracula sibi adjudicata fecisse in hujus Religionis confirmationem: atqui Christum fecisse illa miracula tam certum est & evidens, quam universum orbem istud profiteri. Namq;

tam evidens est totum orbem errare non posse istud credendo & profitendo, quam nos videndo totum orbem istud profitentem. Ut enim erraremus istud videndo deberet fieri ut quod non videmus, videamus, & quod audimus, non audiamus, &c. ita pariter, ut totus orbis erraret putando Christum fecisse illa miracula, deberet fieri ut quæ non vidit viderit, quæ non audivit audierit, &c. quæ omnia evidenter repugnant. Ergo ex eo quod totus orbis credat Christum fecisse miracula, evidenter sequitur Christum miracula illa vere fecisse. Ergo hæc propositio: Christus fecit miracula in confirmationem divinæ suæ missionis tam certa est & evidens quam ista; existit Religio revelata. Ergo tam certa est quam ista, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Ergo certitudinem metaphysicam æmulatur.

Confirmatur. Ex miraculis & oraculis Christi hic potest confici syllogismus pro evidentia & divinitate Religionis revelatæ: hæc miracula & oracula divina sunt & supernaturalia: hæc miracula & oracula in confirmationem Religionis revelatæ edita sunt: ergo Religio revelata vera est & divina. Jam vero tres hujus syllogismi propositiones sunt evidentes æque ac propositio ista: quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Prima quidem propositio, nempe major, fit evidens per notas & characteres veri & proprie dicti miraculi supra a nobis allatos, v. g. Ex operis substantia & modo. Æque enim repugnat opus vel quoad substantiam, vel quoad modum supra vires & ordinem totius naturæ creatæ, divinum non esse, quam ea quæ sunt eadem uni tertio non esse eadem inter se. Si enim quæ sunt eadem uni tertio, non essent eadem inter se, idem simul esset & non esset: atqui pariter si opus quoad substantiam & modum superans vires & ordinem totius naturæ creatæ, non esset miraculum divinum, jam idem simul esset & non esset. Nam nullum datur medium inter ens creatum & increatum. Opus quod superat vires totius naturæ creatæ non potest produci absente creato vi propria; alias ens illud esset creatum simul & increatum. Esset creatum, ut supponitur; esset etiam increatum. Nam eliceret opus superans vires & ordinem totius naturæ creatæ. Ergo ens illud esset quoque supra aut extra ordinem totius naturæ creatæ. Ergo esset increatum. Ergo miracula assignatis characteribus vestita, sunt æque evidenter divina ac quæ sunt eadem uni tertio sunt evidenter eadem inter se. Ergo major allati syllogismi est æque evidens ac ista propositio: quæ sunt eadem, &c. minor vero eadem etiam gaudet evidentia. Non magis enim negari potest Christum sua fecisse miracula in confirmationem divinæ suæ missionis, quam eum hæc fecisse miracula; sed non magis negari potest Christum hæc fecisse miracula, quam Christum ipsum extitisse. Porro si neges Christum extitisse, idem est prorsus ac si negares existere Christianos, id est, idem est ac si negares totum orbem Religionem revelatam profiteri; istud posterius si neges, idem est ac si neges mundum hunc visibilem existere. Porro hæc ultima propositio, omnibus fatentibus, eadem lucet evidentia ac sol ipse, & æque evidens est ac ista propositio: quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Ergo evidentia Religionis revelatæ metaphysicam evidentiam æmulatur. Ergo evidentia Religionis revelatæ si non metaphysica, saltem evidentiæ metaphysicæ est æquipara, quod erat probandum.

Poob. 4. ex æquivalentia motivorum. Ibi adest certitudo certitudini metaphysicæ æquipara ubi adsunt æquivalentia motiva: atqui pro factis revelatis militant motiva metaphysicis argumentis æquivalentia. Motivum enim assertionis metaphysicæ est illud axioma: Quidquid in idea clara & positiva rei alicujus percipitur, illud certum & verum est; motivum vero in quod recumbunt facta revelata est consensus universalis; sunt illa axiomata: impossibile est omnes homines simul mentiri. Repugnat gentem integram & numerosam falsum contra se testimonium dicere. Porro, posteriora hæc axiomata priori æquivalent.

lent. Sicut enim repugnat aliud detegi in idea clara & positiva rei alicujus, quam quod in ea includitur, ita concipimus rem aliter esse non posse quam in testimonio universali nobis repræsentatur. Nam in idea clara & positiva testimonii universalis deprehenditur impossibilitas erroris & falsitatis, sicut ideæ clare & positive perceptæ repugnat subesse falsum. Relatio quæ varias inter Geometriæ figuras intercedit, vera est & certa, quia in ipsamet rerum natura fundatur, quia nititur principiis & consequentiis inter se necessario connexis; pariter relatio inter testimonium universale & factum eo innixum falsa esse non potest, quia nititur illa relatio tum Dei, tum hominum natura, legesque hoc nixæ fundamento universim violari non possunt etiam per miraculum.

Confirmatur. Agitur hic potissimum de certitudine motivi. Porro certitudo metaphysica & certitudo factorum revelatorum in æquivalens motivum ultimate resolvuntur. Primarium enim certitudinis metaphysicæ fundamentum est, ut dixi, intuitus idearum; hæc est ultima ratio assensus evidentis. Testimonii vero universalis certitudo ultimate refunditur in summam Dei veracitatem. Testimonii enim universalis causa nulla esse aut excogitari potest, nisi causa etiam universalis. Porro causa illa universalis vel erit facti veritas, vel communis delusio. Si primum, vincimus, & illæsa manet divina veracitas. Tunc enim inter factum & testimonium intercedit connexio cujus certitudo primario oritur ex uniformi & constanti sensuum relatione, quæ suum pondus desumit a Deo summe veraci. Si secundum, jam destruitur illa veracitas. Sicut enim clara rerum perceptio per sensum interiorem data est a natura, id est, ab auctore naturæ, & a Deo summe veraci ad discernendas veritates metaphysicas, sic clara perceptio rerum sensibilium per sensus externos est a natura & a Deo summe veraci ad dignoscendas res sensibiles; sic etiam testimonium universale alienorum sensuum est a natura & a Deo summe veraci ad discutiendam veritatem factorum quæ nostris sensibus non fuere subjecta. Quemadmodum ergo funditus rueret summa Dei veracitas, si falleret nos aut sensus interni aut sensus externi clara & constans perceptio, sic radicitus succideretur eadem veracitas, si falleret nos circa factorum veritatem constans & uniforme alienorum sensuum testimonium. Cum enim testimonium illud a Deo nobis datum sit ut certissimum ac unicum factorum veritatis criterium, jam error perpetuus esset & ineluctabilis; quo posito, jam non concipitur summa Dei veracitas. Jam in errorem inducimur per medium a Deo ipso summe veraci propositum, jam destruitur summa Dei veracitas. Ergo in illam veracitatem recumbit testimonii universalis certitudo. Porro divinam illam veracitatem motivum esse æqualis roboris ac intuitus idearum, nemo profecto negaverit. Ergo cum facta Religionis revelatæ testimonio universali nitantur, jam metaphysicæ certitudini æquivalent.

Prob. 5. Ex æquali impossibilitate erroris. Nam ideo sub evidentia summa adest certitudo, quia error est impossibilis, seu quia excluditur dubium tum actuale, tum possibile rationale scilicet, & omnis dubitandi facultas legitima: atqui pariter talis est certitudo quam pariunt motiva revelationis. Nam in testimonio universali, id est omnium locorum & temporum, quale viget pro factis revelatis, nulla assignari potest epocha aut temporis circumstantia in qua error irrepere potuerit. Quænam etenim esset illa epocha? An ætas qua peractum est factum? An vero ætas quæ factum prima excepit? An denique quælibet ætas posterior? Nihil horum dici potest. Non primum. Si enim prima ætas facto consanguinea mendacio delusa esset, vel a testibus oculatis, vel a coætaneis. Non a testibus occulatis: supponimus enim hic factum & publicum & maximi momenti; testes vero & numero plures & sibi saltem in præcipuis ac essentialibus facti circumstantiis unanimes: porro testes illos errore deludi, aut coætaneis suis errorem propinare impossibile est omnino. Cum enim factum publicum supponatur, debuissent testes illi aliud

 vidis-

vidisse quam revera viderint, uno verbo debuisset esse universalis deceptio & sensuum illusio ac fascinatio, quod repugnat. Deinde cum factum sit maximi momenti, omnes debuerunt pro virili parte summa cum attentione factum perpendere. Sane omnes desipere oportet, si in tali facto decipiantur. Error tunc esset universalis, & repugnat, ut patet ex jam dictis, & adhuc patebit ex dicendis. Nec a coętaneis error oriri potest. Timere enim non est ne ab oculatis testibus decepti fuerint; ut patet ex modo dictis. Nec coętanei alia potuerunt aut mente concipere, aut aliis tradere quam quę ab oculatis testibus accepere. Nam ita vivunt coætanei illi in ea ætate in qua factum contigit ut in medio oculatorum testium degant: ergo fraudes nectere non potuerunt, nisi concurrentibus aut consentientibus oculatis testibus. Porro chimęra est ille consensus. Ergo impossibilis est error in prima ętate. Repugnat etiam ea ætate quæ factum proxime excepit. Eodem modo enim viris secundæ hujus ętatis constare potest coætaneorum fidelitas, quo coętaneis ipsis certa evasit testium oculatorum sinceritas. Coętaneorum simul & oculatorum consensum in fraudem repugnare facile perspicitur. Non denique ceteris sequentibus sęculis & ętatibus. Una enim ætas alteram excipit sensim sine sensu, insensibilisque est transitus ab una in alteram. Si ergo fraudes propinant coętanei, fraudum participes sint oportet viri secundę ætatis, immo mendacium obfirmare debet tertia, quarta ętas, omnes denique ętates errorem combibant necesse est; nulla enim ętas quę sexaginta, aut septuaginta, immo octoginta ętates ac generationes non complectatur.

Confirmatur. Ubi numerosa testium caterva, ibi homines immenso pene & marium & locorum intervallo dissiti, sed magis adhuc genio, moribus & innumeris aliis characteribus dispares; ergo repugnat in mendacio concordes esse. Si enim viri v. g. quadraginta annorum, viris vel quinquaginta vel decem annorum fraudem pararent, (quod impossibile esse omnino contendo) an inultum istud paterentur cęterę generationes? Statim sane reclamarent, diu se vixisse cum coętaneis hujus generationis, nempe, v. g. cum sociis virorum quadraginta annorum, nec unquam factum illud ab iis audiisse. Hinc ergo sic concludo. Testes oculati fraudem excogitare & promulgare non potuere circa factum publicum, quin septuaginta vel octoginta simul generationes in errorem inducerent; quod est absurdum. Ergo error est impossibilis. Deinde quo magis proximi sumus tempori quo factum contigit, eo difficilius fit mendacium; statim enim contra mendacium illud insurrexissent testes oculati. Quo remotius ab illo tempore discedimus, eo magis repugnat error propter immensam & hominum & generationum ac ętatum multitudinem quas universim aut delusas esse, aut in fraudem consensisse omnino repugnat. Ergo. Ex his omnibus sic arguere licet In testimonio universali error est omnino & undequaque impossibilis. Ergo excluditur tum dubium actuale, tum dubitandi facultas legitima. Ergo summa est testimonii universalis certitudo. Hinc manifesta fit totius Religionis revelatæ structura & series; hoc simplici ratiocinio nititur: quidquid Deus revelat verum est; sed Deus hæc & illa revelavit. Ergo hæc & illa vera sunt. Major propositio in Dei idea & notione fundatur. Evidens est per se, ac proinde certitudinem omnimodam parit. Minor vero propositio fit evidens per argumenta superius delibata, & deinceps evolvenda ac applicanda. Evidentia ergo non omnino caret Religio revelata.

Objic. 1. Certitudo debet repeti ex conflictu variarum propensionum & diversorum studiorum. Vera enim certitudo debet distingui a probabilitate: atqui sine illo conflictu habetur tantum probabilitas: certitudo enim distincta a probabilitate debet esse indivisa: atqui in solo illo conflictu habetur certitudo indivisa. Ergo.

R. n. ult. min. Independenter enim ab illo conflictu haberi possunt idonea & legitima testimonia ex quorum adunatione nascatur vera & indivisa certitudo.

tudo. Sit exempli gratia factum illud: extitit olim Julius Cæsar, idemque Pompeium vicit. Ad faciendam huic facto fidem innumera conspirant Scriptorum testimonia, multa monumenta, scripta omnis generis; porro factum illud constat ex illis omnibus argumentis, sive seorsim, sive collective sumptis, sed independenter ab illo conflictu. Historicorum aut quorumlibet testium probitas potest sufficienter constare independenter a prædicto illo conflictu. Atqui independenter ab eodem conflictu probitas illa sufficienter probata, certam & indivisam ponit connexionem inter Historicorum illorum testimonium & factum quod narrant. Ergo.

Inst. Atqui certitudo non potest esse indivisa absente illo conflictu. Certitudo enim quæ oritur ex distractis hinc & inde probabilitatibus non est indivisa: atqui absente illo conflictu certitudo non oritur nisi ex distractis hinc & inde probabilitatibus; absente enim illo conflictu, testes seorsim interrogandi, eorum probitas sigillatim sollicitanda: jam vero probitas sic explorata, est tantum probabilis: ergo certitudo tunc non oritur nisi ex distractis hinc & inde probabilitatibus. Ergo non est indivisa.

R. n. ult. min. Ex fama enim, ex continua hominum agendi ratione, ex multis denique aliis circumstantiis constare potest moraliter eorum probitas, etiamsi privata studia & propensiones eorum inter se non prælientur. Licet enim testes seorsim interrogentur, tamen ex adunato eorum testimonio, ex ponderata eorum simul prudentia & probitate exurget motivum unicum seu testimonium quod absente jam decantato conflictu, certam & indivisam habebit cum factorum veritate connexionem. Sicut licet non nisi seorsim sollicitari possint privata Historicorum studia, ex libratis tamen hinc & inde ac mutua quasi pugna agitatis eorum propensionibus, indivisa tamen nascitur certitudo. Etenim non potest, ad mentem objectionis, ex illo conflictu exprimi veritas, nisi singulorum expensis sigillatim propensionibus & studiis, & tamen ex illo conflictu nascitur indivisa certitudo; quidni etiam si singulorum probitas alia via exploretur, ex probata omnium simul probitate non oriatur certitudo? Ideo ad talem conflictum confugiunt hujus difficultatis Auctores, quia probitatem volunt constare certitudine aut metaphysica aut metaphysicæ æquipara, ut scilicet in eamdem certitudinem recumbant facta hac probitate innixa. At probitas non constat nisi moraliter. A ratione simul & justitia absonum est ut nulli fides adhibeatur, nisi probitatis aut metaphysica, aut quasi metaphysica det argumenta.

Inst. In hoc ab errore veritas differt, quod hanc cudere non possimus, existatque independenter a nobis nostrisque propensionibus, error e contra nobis nostrisque propensionibus omnia debeat; ergo ut certa sit veritas, debent variæ hinc & inde inter se & cum veritate probanda præliari propensiones.

R. n. conseq. Ex aliis notis supra memoratis constare potest hujus vel illius facti narrationem nostris non deberi propensionibus. Tria hic sedulo distinguamus. 1. Ubi testis factum aliquod promulgat cujus evulgationem & veritatem postulare videntur variæ ejus propensiones privataque ejus commoda, tunc equidem adest legitima ratio dubitandi de facti illius veritate, non tamen inde falsitas ejus evincitur. Sic v. g. si Gallicus Historicus factum aliquod suæ genti decorum referat, non inde falsum censeri debet illud factum. 2. Si testis facto alicui consentiat, licet privata ejus commoda hujus veritati ac promulgationi opponantur, hæc oppositio veritatis indicium est. 3. In hoc peccat sententia quam refellimus, quod hanc oppositionem semper adesse velit ut facti alicujus veritas certa fiat, & inde singulorum testium probitatem & varias propensiones perpendi jubeat; quod nos non putamus esse absolute necessarium. Licet enim quilibet testis divisim sumptus possit aut falli aut fallere, non ita testes innumeri in unum factum consentientes; nec tunc absolute debent perpendi variæ propensiones & dotes testium. Licet v. g. Romam propriis oculis non conspexerim, licet sin-

gulorum qui Romæ existentiam asserunt probitatem & privatas propensiones non discusserim, de hujus Urbis existentia ita certus sum ac si eam propriis vidissem oculis. Quia nempe posita licet nativa humani generis in errorem facilitate, impossibile est tot homines in talem fraudem conspirasse; idem est ac si supponeretur omnes homines mente perculsos esse & insanire. Hinc, ut jam diximus, facti alicujus publici veritas tam certo constat ac propositio geometrica rite demonstrata. Ideo enim certa est ac immutabilis relatio figurarum in Geometria, quia rerum essentiis nititur; ita pariter assertio testium inter se consentientium nititur hominum natura, intellectus nempe ac cordis legibus, quæ ita sunt immutabiles ac generales leges corporum. Nititur etiam summa Dei sapientia, quæ malum permittere non potest totius societatis eversivum. Fatemur itaque certitudinem a probabilitate esse distinguendam, concedimus etiam certitudinem non esse hauriendam ex uno aut altero teste, licet probitas ejus maxime eluceat. Sed dicimus ex adunato innumerorum testimonio non tantum probabilitatum congeriem, sed maximam certitudinem oriri; oritur nempe ex eo quod impossibile sit omnes homines aut decipi aut decipere.

Inst. Atqui ad veram certitudinem requiritur ut variæ hinc & inde propensiones inter se prælientur. Supponamus enim abesse illum conflictum variasque propensiones inter se nullatenus præliari, tunc possunt supponi testes privatis studiis propendere vel in facti veritatem, vel in invicem & ex illa privata propensione testimonium proferre. Jam vero ubi possunt supponi testes testimonium ferre ex illa privata propensione, jam nullam fidem merentur. Possunt enim eo ipso supponi loqui & agere ex temere præconcepta opinione, ex male suada cupiditate; potest supponi factum quod narrant suam realitatem illorum cupiditatibus debere, sicut nullam fidem sibi vindicat qui alterum alicujus criminis insimulat, sed privatas cum eo gerit inimicitias. Ergo absente illo conflictu, possunt supponi testes loqui ex alio quam veritatis motivo; ergo potest falsum etiam supponi factum; ergo conflictus ille est absolute necessarius. Sic itaque procedo. Illud est ad veram certitudinem absolute necessarium quo absente, factum potest supponi falsum, atqui absente variarum propensionum conflictu, factum potest supponi falsum. Ergo conflictus ille est absolute necessarius ad veram certitudinem.

R. n. min. Ideo enim absente prædicto conflictu factum posset supponi dubium aut falsum, quia eo ipso quo ejus relatores in illud propendent, jam possent supponi illud gratis excogitasse, vel quia eo ipso quo oppositas inter se non gerunt propensiones, jam in fraudem mutuo consensisse possunt supponi: atqui utrunque falsum est: absente enim duplici illo conflictu, potest constare testes esse viros probos & rei quam narrant scientissimos, ac proinde nec deceptores, nec deceptos esse; potest constare homines illos omnem humanitatis sensum non exuisse, nec communes toti humano generi propensiones deposuisse. Deinde supponere videtur hæc objectio nullum dari medium inter propendere in aliquam veritatem, & veritatem illam adversari propensionibus nostris; quod falsum est. Nos vero factum quod privatis propensionibus favet, sicut nec eo ipso verum, sic nec eo ipso dubium semper aut falsum judicamus. Sic cum S. Aug. plurima ad S. Stephani confessionem patrata miracula narret, non dubium fit ejus testimonium ex eo quod foret Christianus.

Inst. Atqui absente vario partium & propensionum conflictu, factum aut dubium aut falsum supponi potest. Sit enim aliquis qui referat factum aliquod sibi aut suæ genti decorum; v. gr. sit Gallus qui solus narret victoriam a suis contribulibus reportatam, falsa judicabitur hæc narratio, aut saltem suspensa manebit ejus veritas, hoc solo motivo quod scriptoris utilitati & propensionibus deserviat. E contra vero si inter privatas scriptoris aut relatoris propensiones & factum nulla appareat connexio, major est propensio ad ipsi fidendum, quæ eadem pro-

por-

portione augetur qua decrescit hæc proprii commodi relatio. Hinc certa fit & indubitata fides ubi inter testem & factum non solum nulla, sed contraria est propensio. Ergo tunc tantum summa est fides & certitudo cum privatis narrantium propensionibus narratio adversatur; ex quibus sic concludo. Narratio qualibet hoc ipso falsa aut dubia judicatur quod narrantis propensionibus & commodis faveat. Ergo tunc tantum certa est cum illis propensionibus & commodis adversatur.

R. transf. ant. n. conseq. Ut enim jam diximus, ex eo quod falsa aut dubia præjudicetur narratio narrantis propensionibus consona, non sequitur narrationem eam solam veram esse judicandam quæ narrantis propensionibus adversetur; datur enim medium, & sufficit & ad majus requiritur ut non faveat. Porro aliud est non favere & aliud adversari propensionibus. Eo ipso enim quo non favet narratio narrantis propensionibus, jam sequitur narrationem illam suam veritatem non debere illis propensionibus.

Dixi ad ant. transf. Non semper enim obtinet hæc regula; verb. gr. ut exemplo allato immorer, si aliunde constet Gallum illum in objectione memoratum sagacem esse & ab omni partium studio remotum, fides ei debetur & ipsi datur, nec quidquam contra molitur aliorum scriptorum silentium, aut dissimulatio, aut etiam diversa narratio alia ex parte mendacii suspecta.

Inst. Atqui absente prædicto conflictu, factum falsum aut dubium esse potest & debet. Tandiu factum dubium esse potest & debet quandiu remanet legitimum de eo dubitandi motivum; tandiu aut remanet illud motivum, quandiu certitudine jam habita major haberi potest, ac proinde quandiu summa non est certitudo. Porro major adest certitudo in variorum studiorum conflictu quam in singulorum testium probitatis exploratione. Tunc enim major adest certitudo quando etiamsi omnes alicujus facti testes essent sceleſtissimi in fraudem conspirare non possent: atqui etiamsi omnes alicujus facti testes essent sceleſtissimi, in fraudem tamen conspirare non possent: etiamsi enim forent sceleſtissimi, nusquam possent conspirare in fraudem suis propensionibus adversam. Ergo tunc major ac proinde tunc tantum summa adest certitudo. Ergo tunc tantum nullum remanet dubitandi motivum.

R. n. maj. Et dico majorem non adesse certitudinem in vario studiorum conflictu quam in singulorum testium probitatis exploratione. Recole quæ supra diximus inter probationes. Non negamus quidem summam haberi posse certitudinem ex varia studiorum combinatione, sed negamus hanc solam esse viam assequendæ hujus certitudinis; quod tamen perpetuo supponit objectio. Etiamsi enim supponantur omnes alicujus facti testes sceleratissimi, independenter a prædicto conflictu constare potest illos in fraudem conspirare non potuisse. Ratio enim hujus impossibilitatis desumitur ex eo quod fieri non possit ut hominum multitudo maxima quantumvis scelerata, humanitatem & rationem simul abjiciat. Ceterum falsum est tunc tantum removeri dubium ubi adest summa & qua major dari non possit certitudo. Jam istud confutavimus.

Inst. Atqui ad veram & summam certitudinem requiritur prædictus conflictus. Vel enim in prædicto conflictu reperitur vera & summa certitudo, vel reperitur in probitatis singulorum testium exploratione: atqui posterius dici non potest. Certitudo enim a probabilitate hic sedulo distinguenda. In concursu plurium testium seorsim interrogatorum probitas uniuscujusque testis, quantumvis certa supponatur, non est nisi probabilis, ac proinde non dat nisi probabilem facti cognitionem. Latent enim absolute secreta cordis; intime penetrari non possunt, nec certo & infallibiliter patere. Probitas uniuscujusque testis potest non esse vera & realis, sed tantum apparens. Ergo cum probitas testium distributive sumptorum non sit nisi probabilis, probitas eorundem testium collective sumptorum non

constat nisi probabiliter : ex quibus sic arguere licet. Vel ex præfato conflictu, vel ex testium probitate sigillatim explorata oritur certitudo summa : falsum posterius. Ergo.

R. n. min. Omnia quidem incommoda in objectione exaggerata urgent contra testes sigillatim sumptos & seorsim interrogatos, minime vero contra testimonium ex testium collatione resultans. Nec enim unanime de aliquo facto testimonium potest dici mera probabilitatum collectio; suffragiorum unanimitas illa alia & diversa est hypothesis orta non ex probitate uniuscujusque testis seorsim sumpti, neque ex vario pondere quod sibi invicem addiderunt suffragia distributive sumpta; sed ex eo quod impossibile sit omnes universim homines & decipi & decipere. Quæ quidem impossibilitas non in præfato studiorum conflictu nititur, sed in fundamentis jam assignatis & clarius iterum assignandis ubi de Religionis revelatæ evidentia agemus. Ita pariter quoad historicum res suo tempore & sub oculis suis peractas referentem; auctoris coævi aut legitimi auctoritatem inde præcise non habet scriptor ille, sed ex eo quod testimonium suum publice & toto assentiente suo sæculo proferat, ex eo quod dum scribit, dum totam suam ætatem testem appellat, ea fidem ipsi faciat, nedum reclamet, dum v. g. a coætaneis scriptoribus citatur; tunc irrefragabile fit ejus testimonium, non præcise quia vidit, non præcise quia probus est, sed quia totum ejus sæculum cum eo vidit, cum eo testatur, adeo ut ejus testimonium fiat totius sæculi testimonium. Unumquodque postea sæculum calculo suo primum confirmat, licetque non viderit, legit, audivit, judicavit & ad posteros suum transmisit testimonium. Ex illa ergo cum suo sæculo conformitate ac consonantia, suam coævi scriptoris auctoritatem æternumque ac successivum sui suffragii pondus haurit scriptor. Ex adunato vero omnium sæculorum suffragio facta demonstrata manent. Jam vero tunc non ex distractis hinc & inde probabilitatibus judicium fertur, sed ex certis & inconcussis principiis quæ ex natura nostra & Dei sapientia oriuntur. Sicut enim existentia corporum, posita Dei existentia & veracitate certa est etiam metaphysice ex universali sensuum testimonio, sic ex unanimi hominum testimonio demonstrata manere debent facta. Testimonium enim factorum resultat ex sensuum testimonio: sed quod resultat ex sensuum testimonio non est aggregatum probabilitatum; licet enim testimonium universale circa existentiam corporum ex variorum hominum distributive sumptorum sensationibus resultet, non ideo tamen est aggregatum probabilitatum; ergo nec a pari testimonium universale circa facta.

Inst. Certitudo summa est ea cui nihil addi potest. Supponamus itaque rem aliquam esse certam ex traditione viva & scripta, abesse vero vel conflictum illum, vel omnigena monumenta, tunc non adest certitudo summa. Nam accedente aut duplici aut alterutro illo motivo, novus additur certitudini gradus: ergo.

R. dist. maj. Cui nihil addi potest essentiale: c. Accidentale: n. Itaque certitudo hinc inde summa est, quod adjunctam habeat evidentiam extrinsecam; adest autem evidentia extrinseca licet veritatem non obfirment aut conflictus propensionum aut omnigena monumenta; v. gr. certus sum Cæsarem olim in Gallias armatum intrasse, Julium Apostatam Parisiis degisse, licet omnia hæc simul non concurrant argumenta. Si tamen in terris defossa nunc eruerentur monumenta hujus vel illius facti antea ignota, nihil essentiale evidentiæ extrinsecæ ac proinde meæ certitudini accederet. Ceterum non negamus facto cuilibet suum robur hinc aliquod devenire, quod ab innumeris Auctoribus referatur; reluctantibus licet variis propensionibus, renitentibusque privatis singulorum cupiditatibus; ut si v. g. Catholici & Calvinistæ de miraculo aliquo consentiant; sed nego id absolute requiri ad obtinendam legitimam certitudinem etiam aut metaphysicam, aut metaphysicæ æquiparam. In hoc ergo peccat præsens hæc objectio, quod sine prædicto conflictu legi-

legitimam certitudinem obtinere posse neget. Quæcunque de illo conflictu diximus, dicta censeantur de omnigenis monumentis quorum concursum absolute requirunt iidem Auctores ad omnimodam certitudinem. Ex his quæ modo inter has responsiones stabilivimus, sequitur lubricam esse & plenam erroris methodum quæ factorum certitudinem repetit, ex conflictu variarum propensionum. Addere licet eandem methodum periculosam esse; & aliquid revelatæ Religioni omnino infaustum prænuntiare. Etenim rem propius intuenti patebit Apostolos & omnes factorum Evangelicorum testes, non quidem ex pacto inter se inito, sed nec etiam sententiæ diversos, nec variis propensionibus abreptos Evangelicam narrationem ordinasse. Immo quo magis legis suæ fuisse addictos supponimus, eo magis ab illis oppositis propensionibus, studiis & privatis cupiditatibus liberi fuere. Ubinam ergo tunc variarum propensionum conflictus?

Obj. 2. Certitudo quæ excludit non solum dubitationem actualem, sed etiam possibilem, & omnem dubitandi formidinem, major est certitudine quæ excludit tantum actualem dubitationem: porro certitudo metaphysica & actualem & possibilem excludit dubitationem: moralis vero actualem excludit tantum dubitationem. Ergo certitudo Religionis revelatæ certitudini metaphysicæ non est æquipara.

℞. 1. Negari posset major. Hic enim præcipue agitur de certitudine quoad nos, seu de vi & energia, ac, ut ita dicam, de impressione quam obtinet apud nos certitudo quædam moralis præ metaphysica. Valent equidem metaphysicæ demonstrationes, præsertim apud peritos, sed apud vulgus, apud omnes promiscue & indiscriminatim non tantam vim exercent ac quædam probationes morales. Ea scilicet ratione quod metaphysicum argumentum non penes omnium sit intelligentiam; e contra vero argumentum petitum e factis. Primum argumentum innumeris nodis & cavillationibus ita sæpe irretitur, ut his enodandis impar sit hominum maxima pars. Porro ubi agitur de prudentia quæ actionum nostrarum lux & fax est, longe majorem vim obtinent argumenta quædam moralia, quam metaphysica; utpote quæ sufficientem habeant cum veritate connexionem, & magis nostræ conditioni sint accommodata. Ergo falsum est generaliter loquendo certitudinem quæ excludit tum actualem, tum possibilem dubitationem majorem esse certitudine quæ actualem excludit dubitationem. Sufficit viro prudenti, ad agendum, ut hic & nunc nulla mentem percellat dubitatio.

℞. 2. dist. min. Certitudo moralis quædam excludit tantum dubitationem actualem: c. Certitudo omnis: n. Est quædam certitudo moralis quæ tum actualem, tum possibilem excludit dubitationem saltem legitimam & rationalem, ea nempe quæ summa est, & evidentiæ extrinsecæ conjungitur. Omni enim impossibilitate repugnat tum ut unus aut alter homo eo usque prævaleat ut omnes decipiat, tum ut omnes simul in unum aut alterum decipiendum conspirent. Impossibile est ut omnes homines unanimi, ut dicam, impetu humanum sensum exuant. Impossibile est denique ut aut plures, aut omnes circa factum publicum & momentosum vel decipiantur, vel decipere alios conentur. Impossibilitas illa oritur tum ex natura mentis humanæ, tum ex legibus societatis, tum ex summa Dei veracitate. Ergo error impossibilis est in traditione universali vel pene universali; ergo excluditur dubium tum actuale, tum possibile.

Obj. 3. Traditio sive viva & oralis, sive scripta non est certa veritatis regula. Illud enim non est certum veritatis criterium, quod sicut veritatem ita falsitatem ex æquo traducere potest: jam vero talis est traditio quæcunque. Ergo.

℞. n. min. Adest pro factis revelatis traditio universalis, vel pene universalis, aut saltem per innumeros extenta ramos, aut ab oculatis testibus aut a coætaneis, & a prima sui origine nullo intercisso filo ad nos usque deveniens: jam vero, ut jam probavimus, ex tali traditione verum & falsum ex

æquo

æquo ad nos devenire & traduci non potest. Ergo.

Inst. Idem sit judicium de omni traditione ac de lupa Remum & Romulum lactante, vel de Accio Navio cotem secante: jam vero hæc facta, licet dubia aut etiam falsa, traditione tum viva & orali, tum scripta nobis transmittuntur. Æque enim fieri potest ut omnes generationes falsum Apostolorum testimonium nobis transmiserint, ac historiam Acii Navii; æque potuerunt omnes homines decipi circa auctoritatem Apostolorum, ac circa auctoritatem ejus qui primus historiam Accii Navii evulgavit. Ergo.

R. c. ex. & n. min. Exempla allata ad rem non sunt. Non enim firmantur aut testibus oculatis aut traditione firma & universali. Nullus Remum & Romulum a lupa lactatos vidisse se testatur; nullus auctor coætaneus ita factum illud attestatur ut illud ab idoneis testibus se audivisse certo pronuntiet. Accii Navii factum aliter refert Titus Livius, & aliter Cicero. Uterque dubitanter pronuntiat. Et sane quæro a Sceptico undenam & quibusnam regulis facta illa falsi arguat; respondeat, & quibus legibus falsitatem in illis factis evincent, iisdem & nos factorum revelatorum veritatem stabiliemus.

Inst. Sunt quidam Annales gentis integræ qui tamen falsi & mendacii notam non fugiunt. Sint in exemplum veteres Ægyptiorum Dynastiæ & æternæ Sinensium Imperatorum familiæ. Vel enim Populorum illorum antiquitas fictitia est, & tunc ruunt allatæ certitudinis regulæ. Vel hæc antiquitas realis est, & tunc falsa fit Mosis Chronologia, ruuntque iterum prædictæ certitudinis regulæ.

R. Ex Ægyptiorum aut Sinensium ementita antiquitate non ruere allatas criticæ historicæ regulas, immo mirum in modum eas inde confirmari; ex iisdem enim legibus ad quarum normam vera certitudo historica componitur, ex iisdem falsa ac fictitia demonstratur prædictorum illorum Populorum antiquitas. Nam juxta principia a nobis supra stabilita ea sola genuina censenda est historia quæ exarata est ab auctore coætaneo, quem sua ætas agnoscit fidelem, & ætas proxima ac subsequens sibi adsciscit ac veluti suum facit. Porro Ægytiaca Historia hos characteres sibi non vindicat, immo contrarios præ se fert. Nullum enim coætaneum auctorem proferunt Ægyptii, nullam traditionis successionem; opacam noctem, inextricabilem in factis, in Principium regnis confusionem, nec unius tantum aut alterius sæculi, sed ducentorum aut trecentorum sæculorum vacuos hiatus præ se gerunt. Idem dic quoad Sinenses. Eorum antiquitas & gentis eorum facta clare, dilucide non innotescunt nisi ducentis ante Christum annis. Ante an. quadringentesimum jejuni sunt admodum eorum fasti, nec aliud fere nisi Principium successionem referunt. Deinde non semper sibi constant Sinenses in determinanda regnorum duratione. Juxta alios unus tredecim annis, juxta alios septem annis regnat. Ubi Principi alicui triginta anni dantur qui alteri coævus ponitur, supplendi sunt sexaginta anni, aliquando etiam sexcenti anni. Denique certitudo historica hujus gentis ultra Romam conditam non progreditur. Sinenses annales ante hanc epocham, quæ quindecim fere sæcula complectitur, minori volumine contineri possunt; quod quidem nullam probabilitatis speciem exhibet. His adde quod Sinenses multa sibi vindicent facta quæ apud alias gentes contigisse certum est. Nec recurrere est ad observatas solis eclypses ad determinanda Principium regna. Observationes enim illæ videntur regnis & Principibus illis longe posteriores, ac incertis traditionibus concinnatæ. Nam juxta Sinenses omnia Historiæ monumenta a Tsin-Chiohango eversa ac destructa fuere. Immo si veræ sint illæ observationes, tunc necesse est ut regna Principum sub quibus factæ sunt nostræ ætati propiora fiant. Sufficiat in exemplum Solstitium hyemale quod in Sina anno vigesimo *Yao* contigisse fertur, quod tamen anno ante Christum 2347., juxta *D.* vero *Cassiani an.* 1852. contigit. Unde exurgit distantia annorum 497. Observat deinde idem

idem Caſſini Sinenſes tabulas Tychonis tabulis ſimillimas eſſe. Nec omnino veriſimile eſt utranque Aſtronomicam ſeriem ita ſibi conſonare, niſi Sinenſes Tychonem exſcripſerint. Norunt enim omnes Aſtronomos hujus ſæculi vix ſibi poſſe concordes eſſe, ita ut ne una minuta quidem diſcedant.

Obj. 4. Eſto quod regulæ enuntiatæ valeant pro factis naturalibus; non valent pro ſupernaturalibus & miraculoſis; v. gr. Sit vel unicus vir probus qui renuntiet mortuum eſſe aliquem, libenter credam, ſi idem vir mortuum illum exſuſcitatum referat non credam; immo etiam ſi tota civitas aliqua illud teſtetur, fidem non adhibebo. Quia ſcilicet unum poſſibile eſt, alterum vero repugnare videtur. Unde ſic. Magis poſſibile eſt ut omnes decipiant quantum ad factum ſupernaturale, quam poſſibile eſt factum ipſum ſupernaturale: ergo regulæ allatæ pro factis naturalibus non valent pro ſupernaturalibus.

℞. n. ant. Duo enim in illo argumento ſunt advertenda ex noſtra methodo. 1. Teſtes illos potuiſſe decipi. 2. Teſtes illos decipere voluiſſe. Quantum ad primum, non magis impoſſibilis eſt mortui reſurrectio, quam teſtium illuſio. Nam ſi Scepticorum ſtemus principiis, phyſice repugnat mortui reſurrectio; ſed phyſice etiam repugnat multos & innumeros ſibi videri videre quod non vident, audire quod non audiunt, manibus contrectare quem non contrectant. Uno verbo æque repugnat homines innumeros univerſim decipi, ſibique & ſuis oculis fingere aliquem mortuum, qui tamen revera mortuus non eſt, quam hominem eundem olim mortuum iterum vitæ redditum ſub oculis eſſe, qui tamen revera vita non fruatur. Utrunque enim æqualiter pendet a teſtimonio ſenſuum. Nam immutabiles ſenſibus natura leges præſcribit. Si tota civitas aliquem falſo ſibi videre videretur aut mortuum aut a mortuis exſuſcitatum, fallerentur illæ leges. Certo cognoſcere potuerunt illi teſtes talem vel talem mortuum eſſe, certo etiam iiſdem regulis reſuſcitatum cognoſcere potuerunt. Quantum ad ſecundum; non magis poſſibile eſt homines illos decipere voluiſſe circa reſurrectionem, quam circa mortem. Utrinque enim paria militant momenta. Unum movere poſſet, nempe operis ſupernaturalitas. At cum opus illud, licet ſupernaturale, poſſibile ſit, ut deinceps videbitur, jam argumentis quibus ſtat actualis ejus exiſtentia inhærendum eſt, cum æque repugnet decipere voluiſſe circa factum ſupernaturale ac circa naturale. Ubi duo effectus ſunt æque poſſibiles, utriuſque characteres & argumenta ponderanda ſunt, & ex iis judicandum eſt. Miraculum hic includitur intra duo facta naturalia, quorum eſt concluſio; includitur nempe inter mortem hominis illius & ejus reſurrectionem, ſeu vitam præſentem. Ac proinde adſunt ex una parte mors hominis, ex altera vero vita ejus præſens; quorum neutrum in dubium revocat Scepticus; adeſt etiam ex illis concluſio metaphyſica, nempe hominem illum antea mortuum vitæ redditum fuiſſe, cujus concluſionis poſſibilitatem non impugnat Scepticus: ergo immerito hic Scepticus privatam ſententiam, quoad facta, publico judicio anteponit. Ergo regulæ allatæ valent etiam pro factis ſupernaturalibus.

Inſt. Eſto quod valeant allatæ regulæ pro factis recentioribus & quæ actu peraguntur, at non valent pro factis remotis. Quo enim remotiora ſunt facta, eo difficilius eorum veritas innoteſcit.

℞. n. ant. Ubi agitur de facto publico & gravis momenti quod legitimis teſtimoniis obfirmatur, eadem adeſt certitudo ac ſi teſtes oculati hujus fuiſſemus. Ita etiamſi de eodem facto ad nos Hiſtoricorum amne tranſmiſſio agatur, tam certi ſumus de eo ac ſi teſtes oculati illud nobis aſſererent. Prudens enim & ſagax Hiſtoricus ætatis ſuæ ac temporis ſibi coævi teſtis eſt publicus ac authenticus. Ex eo enim præciſe Auctoris coætanei nomen ſibi vindicat Hiſtoricus, quod totam ſuam ætatem teſtem ſuum habeat, non quod ipſe viderit, ſed quod integrum ipſi coævum ſæculum cum eo viderit, & ut fidelem ſui interpretem eum fateatur. Non ergo proprium tantum, ſed coævorum ſuorum ſuf-

fra-

fragium profert ac exhibet. Tunc non unus Populus, sed integrum sæculum testis veritatis habetur. Immo etiamsi viva voce posset aliquis mendacium ali quod audere, non sane scribere illud audebit, cum statim & nullo negotio fraus detegi posset, & quidem sine ullo emolumento. v. g. Joseph prolatus a Græcis, Romani, Judæis, &c. tam certam facit veritatem ac si propriis oculis hauriretur. Si quis de facto publico quod actuale est dubitare vellet, ea ratione quod testis hujus oculatus non fuerit, is insanus haberetur. Jam vero facta scriptis mandata tam certa erunt centesimo futuro post anno, ac præsenti. Quod enim sumus, v. g. respectu anni 1707. id nostri nepotes erunt respectu anni 1807. Sic itaque hyemem anni 1709. cognoscimus, ut nepotes nostri Lisbonensem ruinam cognoscent anno 1809. Ergo sicut insanum esset tunc in dubium revocare hyemem anni 1709., sic insanum etiam esset dubium movere circa facta remotiora, ea sola ratione, quod a nobis longo temporum intervallo distent. Ergo allatæ regulæ valent tum pro actualibus, tum pro recentioribus factis.

Obj. 5. Tota Religionis Christianæ evidentia oritur ex testimonio universali: atqui testimonium universale nunquam potest parere evidentiam. Ergo nulla est Religionis Christianæ evidentia.

R. n. min. Nam ex probatis testimonium universale essentialem ac necessariam dicit cum errore & mendacio repugnantiam; atqui ex illa essentiali universalis testimonii cum errore repugnantia & incompossibilitate sequitur quædam evidentiæ species. Ergo.

Inst. Illud testimonium nunquam potest parere evidentiam, quod mentem securam facere nunquam potest: atqui testimonium universale nunquam potest mentem securam facere. Illud enim nunquam potest mentem securam facere, quod errandi formidinem nunquam plene excludit: atqui testimoniam etiam universale errandi formidinem nunquam plene excludit. Ergo.

R. n. utranque min. Romæ existentiam, Julii Cæsaris facta omnes credunt secura mente & absque ulla errandi formidine. Ratio jam allata est; inter testimonium universale & mendacium adest essentialis incompatibilitas innixa tum Dei, tum hominum natura. Porro hæc a fortiori militant pro factis Evangelicis. Ergo a fortiori etiam plene excludunt errandi formidinem.

Inst. Ut testimonium etiam universale errandi formidinem nunquam plene excludat, satis est quod nullus sit casus in quo homines non potuerint decipi aut decipere: atqui nullus est casus in quo homines non potuerunt decipi aut decipere. Ergo.

R. n. min. quoad utranque partem. 1. Quidem datur casus in quo homines non potuerunt decipi, scilicet cum immensa hominum multitudo, immo cum totus orbis refert factum cujus testis fuit oculatus. Tunc enim testimonium nititur constanti & uniformi sensuum relatione, quæ errori non est obnoxia. Porro tale est testimonium quo nititur Religio Christiana. Nam tota Judæa miracula Christi vidit, & oracula ejus audivit. Totus orbis Apostolorum & sociorum eorum miracula vidit & oracula audivit edita in confirmationem miraculorum & oraculorum Christi: Ergo totus orbis decipi non potuit. 2. Datur etiam casus in quo homines decipere non possunt; quando nimirum consensus est unanimis, uniformis & constans, ubi agitur de factis publicis & momentosis qualia sunt facta evangelica. Talis quippe consensus non potest esse aut merum opus humanum, aut opus divinum contra facti veritatem, sed in facti veritate, tanquam in unica sui causa efficiente fundari debet.

Inst. Concipitur in hominibus potentia passiva qua decipi possunt, & potentia activa qua possunt decipere: atqui utraque potentia ad omnes casus extenditur. Ergo nullus est casus in quo decipi & decipere non possint homines.

R. n. min. Utraque potentia non extenditur ad eum casum quem vetat & excludit tum Dei tum hominum natura. Porro utrunque illud motivum vetat ne ad Religionem Christianam & ad fa-

cta evangelica extendatur utraque illa potentia. Vetat quidem Dei natura; nam repugnat bonitati, justitiæ & ceteris attributis Dei totum & universum orbem errore gravi & invincibili deludi: atqui si utraque illa potentia ad facta evangelica extenderetur, jam errore gravi & invincibili deluderetur totus & universus orbis. Namque miracula & oracula a Christo edita talia sunt ratione numeri & splendoris ut vi sibi innata assensum rapiant, sunt Dei ipsius loquela & testimonium, per se probant & connexionem dicunt cum veritate. Ergo si falsa sit Religio Christiana, error est invincibilis. Item talis est consensus totius orbis circa illa oracula & miracula, ut illæsis iisdem Dei attributis errori servire non possit. Ergo ex hac parte error adhuc esset invincibilis. Esset etiam gravis; nam tunc horrendi sacrilegii reus esset totus ille orbis, adorando impostorem loco veri Dei & pro summo Ente. Ergo vetat Dei natura ne prædicta utraque potentia ad casum præsentem, nempe ad facta evangelica extendatur. Id etiam vetat hominum natura. Nam vetat ea hominum natura ut gratis nulloque superiore motivo contra propriam & naturalem inclinationem agat, & se in statu violento ponat abdicando nimirum leges generales quibus necessario & natura duce insistunt: atqui posita factorum evangelicorum falsitate, jam totus orbis abdicaret & desereret leges generales quibus necessario & natura duce insistunt omnes homines. Ergo ageret contra propriam & naturalem inclinationem. Ergo vetat etiam hominum natura, &c.

Inst. Vel utraque potentia ad omnem casum extenditur, vel certi sunt limites ultra quos non extenditur: atqui nulli sunt limites ultra quos non extendatur illa utraque potentia. Ergo ad omnem casum extenditur.

R. n. min. Datur enim casus modo assignatus in quo tum Dei, tum hominum natura certos limites utrique potentiæ præfixit. Deinde dantur casus quidam in quibus deceptio superat omnem potentiam humanam, nec refundi potest in omnipotentiam divinam, ubi scilicet deceptio in Deum, ut causam efficientem refunderetur, & ejus attributis repugnaret, qualis est casus factorum evangelicorum.

Inst. Si essent certi limites ultra quos non extenderetur illa utraque potentia, posset assignari terminus ille ad quem præcise extenderetur & ultra quem non progrederetur illa utraque potentia: atqui terminus ille a nobis assignari non potest. Ergo nulli sunt certi limites, &c.

R. 1. n. maj. Ut enim certi sint limites ultra quos non extendatur illa utraque potentia, sufficit ut afferantur quidam casus in quibus locum non habet; neque requiritur ut positive ac determinate assignetur a nobis terminus ille. Quemadmodum enim certi sunt limites quibus bonum & malum morale distinguuntur, licet terminus qui utrunque secernit non possit in omni casu facile semper assignari; sicut in colorum attemperatione qua ab uno colore ad alterum per gradus insensibiles fit transitus, certi sint limites quibus unus color ab altero disjungitur, licet terminus ille utrunque separans non ita facile possit judicari; ita de prædicta utraque hominum potentia judicandum est.

R. 2. Sufficienter & quantum requiritur ad dirigendam agendi rationem assignatur terminus ille dum assignatur testimonium universale circa facta publica & momentosa.

Inst. Atqui testimonium etiam universale nunquam potest evidentiam parere. Tunc enim nunquam adest evidentia, ubi error semper possibilis: atqui etiam ubi adest testimonium universale error semper est possibilis. Tunc enim error semper est possibilis, ubi semper remanent possibilia erroris principia & causæ: atqui etiam posito testimonio universali, remanent semper possibilia erroris principia & causæ. Erroris enim principia & causæ sunt improbitas aperta aut malignitas occulta, negligentia in discutienda veritate, insania, seu cerebri repentina quædam forsan inversio; ex quibus testes decipi aut decipere possunt: atqui hæc omnia etiam cum te-

testimonio universali possibilia remanent. Physice enim & simpliciter possibile est ut testis qui loquitur sit improbus; saltem physice non repugnat eum dolos in pectore abscondere; quin immo sunt qui ita mentiendi habitum contraxere, ut vel inviti ac inscii quodammodo mentiantur. Deinde physice loquendo fieri potest ut testis fuerit ab alio deceptus; tunc errorem quidem propinat, at vero mendax non ideo habendus est. Nec etiam simpliciter repugnat ut testis negligens fuerit & parum cautus in secernenda veritate. Denique physice non repugnat testem dum mihi loquitur mente subito capi, & inverso cerebro rationis usum amittere. Ergo posito etiam testimonio universali possibilia sunt erroris principia & causæ. Ergo testimonium etiam universale evidentiam parere non potest.

R. dist. ultim. min. Atqui hæc omnia, nempe erroris principia, possibilia remanent posito etiam testimonio universali, possibilia, inquam, remanent respectu testium collective sumptorum: n. Respectu testium distributive sumptorum: subd. Et hinc sequitur non adesse tunc evidentiam in rigore metaphysicam: c. Et hinc sequitur nullam adesse evidentiam, aut non adesse evidentiam evidentiæ metaphysicæ æmulam: n. Itaque fateor 1. recensitos in objectione defectus cadere posse physice & absolute loquendo in testes distributive sumptos. Physice enim & absolute ac sensu abstracto loquendo fieri potest ut unusquisque testis singulatim & distributive sumptus tales defectus patiatur. At nego 2. inde sequi eosdem defectus cadere posse in testes immensos collective sumptos. 3. Consequenter ex eo quod hæc incommoda physice loquendo cadere possint in testes distributive sumptos, nego quicquam evidentiæ Religionis Christianæ inde deperire. 1. Quidem nego ex eo quod testes distributive sumpti enumeratos defectus pati possint, inde sequi eosdem defectus cadere posse in testes immensos collective sumptos. Attributa enim Dei quæ plenam fidem faciunt testibus immensis collective sumptis, non eandem faciunt uni aut alteri ex testibus. Providentiæ quidem, veracitatis & sapientiæ Dei interest ut non decipiamur ex testimonio universali, ac consequenter eorundem attributorum interest ut defectus enumerati non cadant in testes immensos collective sumptos. At providentiæ, veracitatis & sapientiæ Dei non interest ut veritatem infallibiliter nobis tradat quilibet testis distributive sumptus; ac proinde eorundem Dei attributorum non interest prædictos defectus a singulis testibus arcere. Deus nullam inclinationem naturalem nobis indidit ad assentiendum cuilibet testi singulariter & distributive sumpto; at naturalem nobis animisque nostris inseruit propensionem ad assentiendum testibus collective sumptis, id est testimonio & legitimo & universali. 2. Ex eo quod enumerati defectus cadere possint in testes distributive sumptos, nego quicquam inde Christianæ Religionis evidentiæ deperire. Ex mox dictis enim manifestum est destrui possibilitatem illam physicam ubi agitur de testimonio universali, quale est testimonium quo nititur Religio Christiana. Manifestum est enim id quod est physice & in sensu abstracto possibile, jam actu & ratione circumstantiarum esse impossibile. Ergo ex eo quod prædicti defectus cadant in testes solitarie & distributive sumptos, eo ipso quo non cadunt in testes immensos & collective sumptos, jam nihil inde Christianæ Religionis evidentiæ deperit. Deinde finis testimonii humani præcipue universalis, est agendi rationem nostram dirigere in actionibus & negotiis præsertim majoris momenti; jam vero possibilitas physica nullum finem realem habet. Si enim talem finem habet, si sufficit ad legitimam nostram determinationem, cur quotidie spernitur jure ac merito ab ipsismet adversariis in civilibus & humanis negotiis? Et certe si suspicionis tam generalis qualis est ea quam prædicta possibilitas physica stabilit, si, inquam, suspicionis hujus aliquod esset fundamentum, illud ex nativo & originali totius naturæ humanæ defectu oriretur. Ergo huic defectui subjacerent sapientissimi quique ac ipsi justissimi. Ergo nulli jam foret cre-

credendum. Ergo rueret societas sequerenturque incommoda a nobis superius prolata. Quæ omnia cum sint absurda, jam concludendum est, defectus testibus distributive sumptis germanos non cadere in testes immensos collective sumptos, ac proinde nec prædictam possibilitatem physicam Christianæ Religionis evidentiæ nocere. Denique multæ sunt circumstantiæ in quibus invincibiliter inclinamur ad negligendam possibilitatem illam physicam: jam vero repugnat ut Deus velut agendi normam ac regulam nobis proposuerit principium ad quod spernendum invincibiliter inclinamur; e contra tamen invincibiliter inclinamur ad assentiendum testimonio universali. Ergo etiamsi prædicta possibilitas physica locum haberet in testibus distributive sumptis, non obtineret tamen in testimonio universali, ac proinde nihil inde Christianæ Religionis evidentiæ deperit.

Inst. Tota testimonii universalis, ac proinde Christianæ Religionis evidentia nititur legibus moralibus, quas ex una parte rationis nostræ exercitio præfixit Deus, ex altera vero sequuntur homines necessario: atqui cursus legum illarum evidentiam per se non parit, nec secum importat. Illæ enim leges evidentiam per se non pariunt quas Deus suspendere potest: atqui Deus leges illas suspendere potest. Nam Deus leges naturales suspendere potest per miraculum: ergo & leges illas suspendere potest.

R. n. ult. min. & parit. Et dico Deum leges morales suspendere non posse, licet leges naturales suspendere possit. Nam leges illas qua naturales, qua morales Deus non potest suspendere nisi per miraculum. At vero Deus nullum miraculum facere potest nisi quod in ejus honorem vergat; nullum potest quod ejus attributis contradicat. Porro miraculum quo Deus leges morales suspenderet, nedum in honorem ejus vergeret, immo attributis ejus contradiceret. Nam ex generali ac universali legum illarum moralium suspensione, sequeretur error invincibilis in omnibus hominibus circa res maximi momenti: atqui error talis nedum in honorem Dei vergat, immo ejus attributis repugnat. Uno verbo leges morales cum Dei attributis sunt connexæ; non item leges naturales quæ ex probatis libere a Deo sunt positæ, & mutari possunt illæsis Dei attributis. Ergo ex eo quod Deus possit suspendere leges naturales per miraculum, non potest suspendere leges morales. Ergo non valet paritas.

Inst. Ibi non adest nec adesse potest evidentia sive metaphysica, sive evidentiæ metaphysicæ æquipara, ubi certitudinis principium, id est, testimonium etiam universale, est errori obnoxium: atqui testimonium etiam universale est errori obnoxium. Nam semper est testimonium humanum. Ergo principium certitudinis Religionis Christianæ est errori obnoxium. Ergo pro ea non adest nec adesse potest evidentia, &c.

R. dist. ult. min. Testimonium etiam universale est errori obnoxium, per se & sejunctum a veracitate divina: esto. Conjunctum cum illa veracitate divina: n. Equidem testimonium quantumlibet universale, est semper testimonium hominum qui nativa conditione sua & decipi & decipere possunt; ac consequenter testimonium etiam universale in se sumptum semper est errori obnoxium. At si attendas providentiam divinam & ad destinationem illius testimonii a Deo ipso factam & ordinatam, si testimonium illum conferas cum summa Dei veracitate, sapientia, bonitate & ceteris ejus attributis, jam testimonium universale his munitum circumstantiis non magis quam Deus ipse cum errore consociari potest.

Inst. Atqui licet testimonium universale cum enuntiatis Dei attributis conjungatur, evidentiam tamen evidentiæ metaphysicæ æquiparam nusquam parere potest. Nam ibi non adest æqualis evidentia, ubi non adest æquale motivum: atqui in testimonio etiam universali, etiam cum enuntiatis Dei attributis conjuncto, non adest motivum æquale evidentiæ metaphysicæ. Nam in evidentia metaphysica adest testimonium divinum: atqui testimonium etiam universale, etiam cum enuntiatis Dei attributis conjunctum, semper est humanum.

Ergo

Ergo non adest æquale motivum. Ergo nec æqualis evidentia.

R. n. min. Et dico testimonium universale junctum prædictis Dei attributis fieri quodammodo divinum, & esse motivum æquale evidentiæ metaphysicæ. Tunc enim motivum fit divinum & Dei ipsius testimonium cum motivum illud intimam connexionem dicit cum Dei attributis essentialibus, & a Deo ipso pondus & valorem suum mutuatur: atqui tale est testimonium universale junctum cum prædictis Dei attributis. Tunc enim testimonium intimam dicit cum attributis Dei connexionem, cum leges a Deo summe veraci, sapiente & provido stabilitæ, & leges quas eodem Deo inclinante & natura duce sequuntur necessario homines, hujus testimonii veracitatem per se important: atqui tale est aliquando testimonium hominum, scilicet quando est universale, & spectat facta publica, & maximi momenti. Et hinc testimonium illud fit motivum æquale evidentiæ metaphysicæ. Sicut enim evidentia illa connexionem essentialem dicit cum Dei ipsius essentia & existentia, ita testimonium universale circa facta publica & maximi momenti essentialem dicit connexionem cum veracitate, bonitate & ceteris attributis Dei quæ sunt ejus essentia. Hæc omnia inter probationes invicte asseruimus. Ergo.



TRA-

TRACTATUS
DE
RELIGIONE
LIBER SECUNDUS.

ARTICULUS III.

De Mediis sigillatim, & primo de Prophetia.

HIc sex nobis discutienda veniunt; nempe, 1. Notio Prophetiæ. 2. Ejus possibilitas. 3. Causa efficiens. 4. Vis probandi. 5. Natura. 6. Characteres. Unde.

QUÆSTIO I.

De notione Prophetiæ.

PRophetia quoad nomen a verbo græco derivatur quod significat prævidere aut potius prædicere; quoad rem nomine significatam, generatim est ex S. Thom. cognitio eorum quæ sunt procul ab humana cognitione. Brevius & clarius: Prophetia est cognitio supra vires cujuslibet intellectus creati. Inter ea autem quæ sunt procul a cognitione hominum alia talia sunt propter defectum ac imbecillitatem cognitionis humanæ, ut mysteria; alia sunt procul a cognitione unius hominis, non a cognitione omnium hominum, ut privata cogitatio vel sensatio unicuique homini est præsens, ceteris vero omnibus est ignota. Alia denique remota sunt a cognitione omnium omnino hominum, ut eventus contingenter futuri. Immo cum cognitio prophetica, ut dicturi sumus, sit per lumen divinum & supernaturale, quæcunque divino illi lumini subjacent, propheticam cognitionem etiam ingrediuntur. Hinc multiplici sensu apud Scripturas usurpatur Prophetiæ nomen; extenditur enim tum ad præterita quorum nec memoria, nec certa signa extabant; sic prophetasse dicitur Samuel cum Sauli renuntiavit inventas esse asinas, tum ad præsentia occulta, ut cogitationum revelatio, ut etiam impius satelles Christum sic compellabat: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Matt. 28. Ita ut Prophetia sit cognitio divinitus data quæ res præsentes, præteritas & futuras attingit, quas alias absque divina revelatione in illis circumstantiis in quibus eas cognoscit, non attingeret. At proprie loquendo, & quantum ad scopum nostrum attinet, prophetia est tantum futurorum contingentium eorumque tum cognitionem, tum externam manifestationem importat.

Prophetia itaque proprie & stricte sumpta definiri potest cum doctissimo Huetio: narratio rerum futurarum quæ nondum contigerant eo tempore quo prophetia edita est, quæque nulla arte humana, nullis naturalibus indiciis aut causis prævideri potest; proinde cujus cognitio superat vires intellectus cujuslibet creati. Definitionem illam sic ad methodum scholasticam componimus. Prophetia est certa rei libere & contingenter futuræ cognitio & prædictio quæ superat vires intellectus cujuslibet creati. Dicitur 1. cognitio & prædictio. Licet enim illa primario ad prophetiam pertineat, hæc vero secundario, utraque tamen in præsenti quæstione conjungi debet. Non probatur enim Religio ex cognitione sola, sed tum ex cognitione, tum ex manifestatione ac promulgatione futurorum.

Dicitur 2. cognitio & manifestatio certa. Ita ut certitudo sit tum in cognitione, tum in manifestatione. Quantum ad cognitionem debet esse certa & infallibilis. Ac proinde certa sit oportet

tet connexio inter objectum prophetiæ & mentem Prophetæ; certa sit uno verbo mentis ejus adhæsio. Quantum ad promulgationem, Propheta eo utatur loquendi modo, eoque versetur in situ qui nullam præ se ferat dubitationem, non amens sit, non dormiens loquatur, &c.

Dicitur 3. cognitio rei futuræ contingenter & libere quæ superat vires cujuslibet intellectûs creati. Hæc verba exprimunt objectum materiale & formale prophetiæ. 1. Rei futuræ; inde ab historia dignoscitur. 2. Rei futuræ contingenter & libere. Si enim sit necessaria, vel in se, vel in causa, jam non est cognitio prophetica, sed naturalis. Et vero, ut ratiocinatur S. Thomas, objectum generale prophetiæ sunt ea quæ distant a cognitione hominum; inter ea quæ distant a cognitione hominum, ea talia proprie dici debent quæ universaliter, id est, omnino ab omnibus & per se sunt ignota. Porro talia sunt futura contingentia. Additur denique cognitio quæ superat vires intellectûs cujuslibet creati, & hoc est præcipue objectum formale prophetiæ, quæ rem attendit quatenus est futura contingenter & libere, & præsertim quatenus superat vires intellectûs creati. Si enim ab intellectu creato possint naturaliter cognosci in naturalibus earum rerum causis aut indiciis, jam est cognitio mere naturalis. Proprie ergo non prophetant dæmones, dum multa hominibus occulta prænuntiant. Quidquid enim cognoscunt vi sua naturali, illud cognoscunt in naturalibus causis & indiciis. Idem de iis dicendum est ac de viro emunctæ naris qui ex iis quæ manifesta sunt & ex perspicuitate ingenii innumera alia detegit. Hinc etiam sequitur prophetiam nec conjecturis niti posse, nec etiam oriri a causis necessariis. Hinc non prophetizat qui rerum publicarum inexpectatam revolutionem ex genio ac indole hominum, aut ex nativo cupiditatum fœtu prænuntiat. Propheta non est qui certam eventuum seriem præordinat ex signis quibusdam exterioribus, ex certa experientia juxta quam signa illa talem vel talem sortiuntur effectum. Illa ex conjecturis, hæc ex causis necessariis cognoscuntur. Prima occulatum in humanis moribus speculatorem denotant; secunda vero accuratam quarundam legum naturalium cognitionem designant. Tales enim effectus sequuntur ex communicatione motus in materia. Ergo intra Prophetarum ordinem recenseri non possunt vel Astrologi, vel Politici, vel Astronomi aut Medici.

QUÆSTIO II.

De possibilitate Prophetiæ.

JAm huic quæstioni præludimus dum revelationis possibilitatem evicimus. Eadem enim utrinque militat ratio & difficultas. Quædam tamen hic prophetiæ propria ac specialia addere operæ pretium est: quæ de revelatione diximus inde confirmabuntur. Sit itaque

CONCLUSIO.

Possibilis est Prophetia.

PRob. Illud est possibile quod non repugnat vel ex parte Dei, vel ex parte hominum. Atqui talis est prophetia. 1. Non ex parte Dei. Namque eas supremum, sicut corporum, sic & spirituum est Deus. Supremum in utranque substantiam habet dominium. Ergo sicut ex illo supremo in omnia dominio corporibus innumeras & exquisitissimas dotes inseruit variasque cujuslibet generis formas & modificationes iterum atque iterum indere potest; sic ex eodem supremo in animas dominio mira ac vivida luce eas collustrare potest. 2. Non ex parte hominum. Si enim repugnaret ex hac parte, sane quia ideæ divinæ, utpote spiritales, signis sensibilibus, homini corporeo transmitti non possent. Atqui nihil inde. Nam Deus, utpote spiritus, animæ spiritali immediate communicare seipsum potest. Atqui, &c. Ergo.

Et sane nonne homines hominibus suas signis sensibilibus transmittunt cogitationes, licet spiritales, & quidem illæsa cogitationum spiritalitate? jam vero id a fortiori potest Deus. Ipse enim mutuum illud animam inter & corpus stabilivit commercium, ex quo motus unius alte-

alterius affectionibus sunt occasio. Ergo potest & ipse ea excogitare ac usurpare signa sensibilia quæ ideis divinis viam in homine aperiant etiam inter corporis opaca. Quidni v. g. posset Deus vocem miraculosam inter aera formare? Quidni corpus sibi adoptaret quo mediante nobiscum factus nobis, ut ita dicam, consanguineus homogeneusque conversaretur?

Denique ideo anima divinas cognitiones imbuere non posset, quia corpori alligatur; at Deus vincula illa quibus anima corpori servit laxare sicut & stringere pro nutu & arbitrio potest, quo usque mens ad superna capienda assurgat. Ergo.

QUÆSTIO III.

De Prophetia Causa efficiente.

PRophetia ex adnotatis alia proprie dicta, alia improprie dicta. Diximus enim prophetiam generaliori quodam sensu intellectam, esse cognitionem eorum quæ procul sunt a cognitione humana, id est, quæ sunt supra vires intellectus hominis; sed intellectus Angelicus, utpote superioris ordinis aliqua cognoscere potest quæ remota sint a cognitione hominis, cum intellectus hominis sit Angelico inferior. Sed illa sola simpliciter & maxime remota dici possunt a cognitione humana & naturali quæ solus Deus cognoscit. Hinc ad propheticam cognitionem volumus ut nullis naturalibus indiciis haberi posset. Quæ ergo cognitio talis est, ea proprie prophetica a nobis dicitur; quæ vero non superat intellectum Angelicum, ea non nisi improprie prophetia dici potest. Quousque pateat Dæmonum scientia, haud facile est determinare. Certum est 1. Dæmonem, utpote spiritum homine perfectiorem, nec corpori ex se alligatum, perfectiorem homine scientiam ex naturali sua conditione habere. 2. Cognitio & scientia illa naturalis iis non est ablata per peccatum. Manserunt enim Dæmonibus post lapsum integra naturalia, ex effato theologico. 3. Tribus modis rerum cognitionem habere possunt Dæmones. Primus, per naturæ subtilitatem. Secundus, per præsentiam personalem, ut quæ vel per se efficiunt, vel coram se effecta aut dicta conspiciunt vel audiunt. Quartus, per experientiam, quæ quidem annosa est; hanc experientiam duo adjuvant. Primum, quod ne uno quidem momento ab inquirenda & percipienda rerum cognitione cessent. Non enim fatigantur ut somnum aut requiem actionibus suis interponere debeant sicut homines. Secundum, quod discurrere possint per universum orbem, nullis corporeis obstaculis impediti. 4. Multa sunt ad quorum cognitionem sese extendit naturalis Dæmonum facultas, a quorum tamen cognitione, Deo vetante, arcentur. Sic an Christus natus esset de virgine, an de uxore, non potuit cognoscere. Cum ergo Dæmones totius naturæ scientiam ab initio sibi insitam habeant, & insuper scientiam singularium per magnam experientiam possideant, facile possunt ex causis præsentibus sibi cognitis, nobis vero occultis, multa futura vel certo prænuntiare, vel saltem probabiliter conjicere. Sed in his omnibus nihil noverunt, nisi secundum causas præsentes, quæ quia non semper necessariæ sunt, hinc sæpe sæpius in rerum futurarum æstimatione falluntur. 5. Intimas hominum cogitationes ut & futura contingentia soli Deo patere certum est, & satis arguit oraculorum quorundam in Gentilitate per Dæmones editorum obscuritas & ambiguitas. Sic itaque mentem nostram aperimus. Nota. In ista disputatione ut & in sequenti sæpius utimur authoritate Scripturæ sacræ, tum quia plerunque cum Catholicis disputamus, tum quia nihil hic supponimus quoad librorum illorum auctoritatem quod postea non probetur.

CONCLUSIO I.

Deus solus est causa Prophetiæ proprie dictæ.

PRob. 1. Ex Scripturis. Constanter & uniformiter vera Prophetia Deo soli tribuitur. Isa. 41. 22. 23. *Annuntiate nobis quæcunque ventura sunt .... Et ponemus cor nostrum.... Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.*

Et Isa. 46. 9. 10. *Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei: annuntians ab exordio novissimum & ab initio quæ necdum facta sunt.* In his Textibus & aliis quæ occurrunt in Textu sacro, cognitio futuri exhibetur ut Deo singularis & propria; inde a falsis Numinibus & a Dæmone sese discernit. Exhibetur ut signum Divinitatis. Ergo. 2. Pet. c. 1. 2. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Itaque ex hoc Textu voluntati humanæ opponitur Spiritus sanctus ut causa prophetiæ. Deinde ex omnibus Prophetis nullus juxta Apostolum qui Spiritu sancto inspiratus non fuerit. Ergo quæcunque veri nominis extiterunt prophetiæ, eæ fuerunt a Deo. Ita fert unanimis ab orbe condito experientia. Occurrit etiam Dan. 2. *Non est homo super terram*, inquiunt Magi Nabucodonosori, *qui sermonem tuum possit implere, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu Regis, exceptis Diis quorum non est cum hominibus conversatio.* Supponunt hic Arioli illi solum Deum, aut verum, aut qui talis existimatur, harumce rerum certam habere cognitionem. Sic pergit ipse Daniel somnii Nabuchodonosoris cognitor & interpres: *Mysterium quod Rex interrogat, Sapientes, Magi, Aruspices & Arioli nequeunt indicare Regi; sed est Deus in Cœlo revelans mysteria.* Talia ergo ignorant vel ipsi Dæmones quorum ope suam artem exequuntur Magi & Aruspices: inde etiam aliud exurgit iterum argumentum. Nempe: illud soli Deo est adscribendum quod ipsi omnes unanimi sensu adscribunt sive fideles sive infideles. Jam vero res ita se habet ex Textibus modo prolatis. Hinc etiam Deuter. 18. 20. *Quod si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* En ergo prophetia eventu completa, ac consequenter vera, soli Deo, Deo ipso docente, adscribitur.

Et sane facta longo distantia intervallo, longe antea peracta quorum nulla hic & nunc extat memoria, nullus homo privata industria deprehendere potest. Ergo a fortiori proprio marte sibi comparare non potest cognitionem futurorum contingentium, cum nondum existant, non sint scriptis exarata, cum uno verbo longe magis distent ab hominum cognitione.

Prob. 2. Si homo, vel Angelus posset naturaliter futura contingentia cognoscere, vel in se ipsis, vel in alio ea cognosceret; atqui neutrum dici potest. Non in se ipsis; nam nondum existunt. Si in alio, vel in causis creatis, vel in præscientia divina. Non in causis creatis: nam causæ illæ vel non sunt determinatæ ad hæc futura, ad hos effectus, vel etiam aliquando non existunt; ergo naturaliter non potest homo, &c. Si vero in præscientia divina, jam non naturaliter cognoscuntur hæc futura. Ergo.

CONCLUSIO II.

Dæmon potest esse causa efficiens Prophetiæ improprie dictæ.

PRob. Prophetia improprie dicta est cognitio eorum quæ sunt procul ab humana cognitione tantum. Jam vero multa talia sunt quæ non sunt remota a cognitione Angelica. Unde naturali sagacitate cognoscere possunt multos effectus ad quos se non extendit experientia humana, quique naturaliter humanam excedunt cognitionem. Sic v. g. cogitationes humanæ aliquando dignoscuntur ab hominibus ex signis corporalibus; timentes quippe pallescunt, verecundi erubescunt. Quanto magis eadem iisdem signis rescire & renunciare possunt Dæmones? Ea quæ ipsis cernentibus ac testibus facta sunt, vel quæ ipsi faciunt, vel quæ non ipsi quidem faciunt, sed quæ signis naturalibus futura prænoscunt longe ante prædicunt. Nec in hoc quidquam stupendum. Neque enim quia Medicus prænoscit quod prævidere nescit hujus artis ignarus, ideo jam divinus habendus est. Nihil etiam mirum si quemadmodum ille in perturbata vel varie modificata corporis humani temperie, bonas aut malas futuras prævidet valetudines, sic

sic Dæmon vel prænuntiare potest cessationem pestis quam ipse Deo permittente excitarit, vel in aeris affectione ordinaria sibi nota, nobis vero ignota futuras prænoscere ac præaugurari potest tempestates. Habent de incolatu aeris, inquit Tertul. & de vicinia syderum, & de commercio nubium cælestes sapere paraturas, ut & pluvias quas jam sentiunt, repromittant,

Obj. Dæmon potest esse causa prophetiæ proprie dictæ. Sic enim legitur apud Historiographum Joseph, l. 18. Antiq. Jud. c. 9. edit. Gen. an. CIↃ, IↃ, XI. „ Agrippa vinctus ante Regiam stabat „ inter alios quosdam æque vinctos, in„ cumbens præ mœrore in quandam „ arborem. Cui cum insedisset bubo, „ unus e vinctis natione Germanus ali„ tem conspicatus, sciscitatus est a mi„ lite quisnam esset ille purpuratus; & „ cognito Agrippam esse Judæorum no„ bilissimum; rogavit militem ut liceret „ sibi propius ad eum accedere, cupere „ enim se quædam de ipsius patria co„ gnoscere, quo impetrato, & adhibito „ Interprete: o juvenis, inquit, constri„ stat te quidem tam repentina & im„ provisa fortunæ mutatio, nec facile „ credes prope esse effugium, sic consulen„ te rebus tuis divina providentia. Sed „ testor patrios Deos & qui huic regio„ ni præsident, & qui nos perduxerunt „ in hæc vincula quod nihil auribus tuis „ daturus sum, neque inani te consolatio„ ne lætaturus:.... Itaque æquum duxi, „ vel cum meo periculo, interpretari tibi „ quid Dii portendant manifestis auspi„ ciis. Fieri non potest quin confestim „ evadas ex his periculis & mutatis rerum „ vicibus ad amplissimam dignitatem si„ mulque potentiam pervenias, usque ad „ eorum invidiam quibus nunc videris mi„ serabilis. Felicem quoque habiturus es „ vitæ exitum relictis in opum succes„ sione liberis. Memento autem quando „ alitem hanc iterum videris, quintum „ ex eo diem fatalem tibi futurum. „ In his manifesti sunt veræ & proprie dictæ prophetiæ characteres. 1. Fuit eventu completa. Cum enim Tiberius diem ultimum obiisset, Caius, ejus Successor, Agrippam e carcere eductum opibus, amicitia & corona decoravit; prophetiam nec fefellit eventus circa mortis determinationem, ut videre est apud Josephum eundem, l. 19. c. 7. 2. Eventus qui prænuntiantur humanam sagacitatem fugiunt. Nulla enim arte naturali explorari potuerunt variæ mutationes fortunæ Agrippæ faventes; immo omnia adversabantur. Carcere inclusus erat Agrippa; ipsi infensus erat Tiberius, nec quisquam eum flectere posse videbatur. Non Cajus; nam ideo indignabatur Tiberius, quia Agrippa vota pluries fecerat pro Cajo & ipsi præ Tiberio impensius favebat. Non Antonia; nam quantacunque polleret authoritate, & quantumvis propenderet in Agrippam, persuasum habebat intercessionem hic fore omnino cassam & inutilem. Non Tiberius junior, qui moleste ferre omnino debebat se per Agrippam a regno repulsum esse. Si res consueto fluxissent ordine, Cajo non debebatur solium. Tiberius enim Tiberium cognomine Gemellum successorem sibi ambiebat; nullam præterea connexionem præsefert bubonis apparitio cum morte Agrippæ. Nec observare pigeat conjectorem ea præcisione & quinque dierum determinatione loquutum fuisse quam caute declinant qui verba vendunt. Ergo adest prophetia proprie dicta. Hujus fane author Dæmon est. Tum quia vates testatur *Deos patrios*, tum quia, ut ait, *Dii testantur auspiciis*, quibus verbis introducitur pluralitas Deorum; tum quia vana & a Dæmone introducta videtur circumstantia bubonis. Ex his omnibus sic argumentari licet: hæc prophetia Dæmonem causam & authorem habet: hæc prophetia est vera & proprie dicta. Ergo non solus Deus est author prophetiæ proprie dictæ.

R. n. min. 1. Falso contenditur omnem prophetiam esse veram & proprie dictam eo ipso quo eventu completur. Verum est quando aliunde constat prophetiam esse veram & proprie dictam, seu quando constat, cognitionem talem esse ut omnes omnino intellectus cujuslibet creati superet; falsum vero ubi agitur de factis quorum cognitionem attingere potest mens creata. Deinde observandum est unumquemque prophetiæ characterem sigillatim sumptum esse

tantum negativum, nec probare nisi ex adunatione. Præterea falsum est hanc prophetiam fuisse adæquate & quoad omnes suas partes eventu completam. Acerba enim & luctuosa fuit Aggripæ mors, ut fidem faciunt Josephus, *l. 19. c. 7. & Act. Apost. c. 12.* 2. Eventus qui hic prænuntiantur tum ratione sui, tum ratione modi quo enuntiantur vix superant captum humanæ mentis, multo minus angelicæ. Nam quantum ad eventus illos ratione sui, notandum vinctum illum prophetandi mentem non concepisse, nisi cognitis Agrippæ persona & nomine. Deinde ad prophetandum se se non accinxit nisi postquam de patria, id est juxta Græcum, de rebus patriis ipsum interrogavisset; ac proinde politicorum more se gessit. Ceterum adversas quæ hic enumerantur circumstantias potuit ignorare utpote peregrinus. Hic nihil nisi Aruspicem aliis omnino similem videre est: prophetia autem illa quantum ad modum quo enuntiata est per verba generalissima vagatur; indeterminatus est omnino iste loquendi modus, *fieri non potest quin confestim evadas.* Et ista: *amplissimam dignitatem & potentiam*, quæ ad regium fastum & privatum statum, sed splendidum ex æquo adaptari possunt. His adde quod Dæmon poterat hæc omnia prævidere tum ex introspecta hominum dispositione erga Cajum: tum ex iis quæ ipse opportuno tempore facturus erat. Demum legitimos hujus oraculi dati testes hic desiderare nobis est.

QUÆSTIO IV.

De vi & efficacia Prophetiæ ad probandum.

NEgavit olim Theodorus Mopsuestenus, vim ullam probandi Prophetiis inesse eaque de causa in quinta Synodo damnatus est. Post eum negavit Grotius; hunc errorem avide arripuerunt Sociniani. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Vera Prophetia vim habet per se ad probandum.

PRob. Hoc argumento usus est Christus, usi sunt Apostoli, usi sunt denique tum sancti Patres, tum omnes Christianæ Religionis Apologistæ, consentientibus, nec futilitatem argumenti opponentibus eorum adversariis, jam vero fieri non potest ut ex una parte inani argumento tam acriter inhæserint primi, ex altera vero huic cedere coacti sint secundi quin prophetia vim probandi sibi intrinsecam habeat. Ergo, &c. Innumeri occurrunt Textus; paucos proferam in exemplum. *Scrutamini Scripturas ....* inquit Christus, *& illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Joan. 5. *Si crederetis Moysi, forsitan & mihi crederetis, nam & ille scripsit de me.* Christus eo loci Judæos unice remittit ad Moysen. Ergo quæ de Christo prænuntiavit ille gentis Judaicæ Legislator per se & independenter a quocunque alio argumento probant Christum esse Messiam. *Suadebat* (Paulus) *eis de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis a mane usque ad vesperam.* Act. 28. *Bæroenses susceperunt verbum cum omni aviditate, scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Act. 7. *Quem scripsit Moyses in Lege*, inquit Natnahael, *& Prophetæ invenimus Messiam, filium Joseph à Nazareth.* Jo. 1. *Nos autem eorum quæ novimus & credimus, Prophetas testes habemus; Prophetarum voces ratiocinationes nostras confirmant*; inquit Athenagoras. S. Aug. multis in locis docet modo ex prophetiis simplicem esse fidem nostram; modo in iis thesauros esse sapientiæ, &c.

Et certe jam diximus ex divina revelatione uniuscujusque Religionis suspensam mansisse divinitatem. Hinc Religionum conditores & legum latores commercium nescio quod cum aliqua Divinitate commentiti sunt. Hinc etiam ad oracula quædam, ad signa divinitus quasi instituta recurrebant Pagani ut futuri cognitionem adipiscerentur. Hinc conclude 1. Etiam Paganos quædam occulta ac humanæ intelligentiæ impervia supposuisse. 2. Eosdem persuasos fuisse hanc cognitionem non posse oriri nisi ex commercio cum Divinitate. 3. Juxta eosdem cognitionem sic comparatam legitimum esse auctoritatis fundamentum & argumentum. Et sane non tantopere desudasset Diabolus in tentandis oraculis, nisi Divinitatem inde se æmulari pu-

putasset. Futuri cognitionem ideo revelare satagebat, quia hanc Divinitatis apendicem esse, Divinitatisque laudem sibi inde successuram putabat. Ita sane judicabant tum ipse, tum homines qui ab eo responsa emendicabant.

Denique illud vim habet per se ad probandum quod certam per se dicit cum veritate connexionem: atqui talis est prophetia vera & proprie dicta. Nam ex probatis genus illud Prophetia est a solo Deo ut a causa efficiente; a Deo inquam & falli & fallere nescio: ergo certam & infallibilem dicit cum veritate connexionem prophetia proprie dicta.

QUÆSTIO V.

De natura Prophetiæ.

Obscuritatem in prophetiis perpetuo in crimen vertunt Deistæ. Sed immerito.

CONCLUSIO I.

Prophetia non est essentialiter & necessario obscura.

PRob. Deus potest in prænuntiando aliquo eventu uti terminis & vocibus omnino claris & intellectu facilibus. Ita multas in veteri Testamento habemus prophetias.

CONCLUSIO II.

Prophetia non est essentialiter clara.

PRob. Futuri præcognitio est gratia; nullo titulo homini debetur: ergo quo claritatis gradu voluerit Deus potest seipsum manifestum præbere. Nullum in distribuendis gratiis agnoscit judicem.

QUÆSTIO VI.

De Prophetiæ Characteribus.

Licet omnis prophetia proprie dicta sit a solo Deo, cum tamen Deum aliquando æmuletur Diabolus, & ita fucatis coloribus eum simulet ut ipsum pene ad vivum reddidisse putetur, quidam a Theologis assignantur characteres quibus dignoscitur an prophetia sit proprie dicta nec ne.

PRIMUS CHARACTER.

Prophetiæ eventus. Unde omnis prophetia verax est quæ prædixit res eventu completas. Nam prophetia, ex dictis, est narratio eorum quæ nondum contigerant eo tempore quo prophetia edita est, &c. Ergo si eventus sequatur, vera prænuntiavit prophetia. Ergo. Hanc regulam omnes omnino ut certam habuerunt: *Propheta qui vaticinatus est pacem*, inquit Jeremias, *c. 28. cum venerit verbum ejus, scietur Propheta quem misit Dominus in veritate*. Hanc etiam dat Deus, Deuter. 18. *Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus.*

Hic duo sunt observanda. 1. Non omnem respuendam licet prophetiam ante eventum, eo præcise quod nondum sit eventu completa. Si enim Propheta divinam suam missionem legitime jam comprobaverit, vel alia prophetia eventu firmata, vel miraculo in testimonium allato, certo certius fides est ei adhibenda. 2. Hunc characterem valere tantum ubi agitur de prophetia proprie dicta, id est, de iis rebus quæ per se & ex natura sua humanæ mentis aciem fugiunt. Alias si agatur de iis quorum cognitio haberi potest humana industria, quas tamen potuit Deus manifestare via extraordinaria, utrum revera hac posteriori via usus fuerit Deus, an independenter a naturalibus indiciis talem dederit cognitionem, non discernetur ex eventu solo.

SECUNDUS CHARACTER.

Miraculum. Ex his quæ de miraculo deinceps dicemus, quantum vim prophetiæ conferat, quamque clare & perspicue veram inter & falsam prophetiam discernat, manifestum erit.

TERTIUS CHARACTER.

Doctrina. Nihil enuntiet prophetia quod vel explicite vel implicite realiter adverſetur veritatibus jam antea certis sive ex recta ratione, sive ex præterita revelatione. Ita Deus ipse, Deut. c. 13. &

18. *Si surrexerit in medio tui Propheta ... & dixerit tibi: eamus & sequamur Deos alienos . . . Non audies verba Prophetæ illius. Et Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine Deorum alienorum, interficiatur*. Unitas Dei veri erat dogma jam antea notum tum ex ratione, tum ex revelatione expressa Judæis facta: huic contradicere, est falsæ prophetiæ nota. Sic etiam in novo testamento: *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu*. 1. Cor. 12. Dogma Divinitatis Christi est expresse revelatum in novo Testamento huic prophetiæ repugnans, hoc ipso spuria est & adultera.

QUARTUS CHARACTER.

Claritas prophetiæ. Jam diximus prophetiam ex se, ex natura sua & essentialiter nec claram nec obscuram esse. Attamen ut aliquod ex ea eruatur argumentum, & ubi agitur de prophetiis quæ hominibus concedi possunt ad aliquid probandum vel confirmandum, quædam hic sunt stabilienda.

PRINCIPIUM I.

Omnis prophetia ut probet, debet esse clara & perspicua. Omnis enim prophetia ut probet, debet intelligi. Porro nisi clara sit & perspicua non poterit intelligi prophetia. Ut enim intelligatur, debet certo sciri quid per illam intelligatur, quem eventum sortitura sit, & quidem eo modo quo illum sortiri debet. Porro hæc omnia ignorabuntur, nisi prophetia clara sit & perspicua.

Hinc 1. si prophetia plures sensus habeat, debent clare & perspicue omnes determinari. 2. Si latentem & ambiguam conditionem involvat, nihil probat, saltem quandiu latet & ambigua est illa conditio. Ratio utriusque conclusionis hæc est, quod prophetia debeat esse clara, seu habere sensum clare & perspicue determinatum. Porro in neutro casu mox assignato sic se res habet. Ergo.

PRINCIPIUM II.

Prophetiæ dari non possunt ex omni parte obscuræ, id est, tum quoad omnes & singulas earum circumstantias, tum pro eo omni tempore quod post earum publicationem flueret. Deus enim cum sit summe sapiens nihil facit frustra; porro inutiles essent omnino tales prophetiæ. Non cederent enim aut in gloriam Dei, id est, in ejus manifestationem aut in hominum sanctificationem. Ergo.

PRINCIPIUM III.

Dari possunt prophetiæ ante eventum obscuræ, modo post eventum claræ & perspicuæ fiant. Deus enim potest efficere ut prophetiæ a se concessæ non intelligantur nisi post eventum. Cum enim voluntatum suarum supremus sit Dominus & arbiter, prophetiarum suarum intelligentiam dare potest, quomodo & quando voluerit.

Obj. 1. Illud non oritur a Deo solo quod pendet a vi imaginandi & a dispositionibus naturalibus aut acquisitis: atqui talis est prophetia.

R. n. min. Quantum ad imaginationem duo necessaria forent in systemate Spinosæ, scilicet, tum ut in Prophetis vividior fuisset imaginatio quam in ceteris hominibus, tum ut vi imaginationis eventus futuri & contingentes potuissent certo prævideri; quæ duo falsa sunt. Unde enim habet Spinosa vividiorem fuisse in Prophetis quam in aliis hominibus vim imaginandi? erant homines nobis similes, plerunque nihil nisi boves & agros noverant. Vult Spinosa in alio opere Prophetas non aliter ac alii homines a natura factos esse ac compositos. Quantum ad originem & ad alia vitæ munia ordinaria, nihil supra mortalem conditionem gerebant. Ergo ex ipso Spinosa imaginatione aliis non præcellebant Prophetæ. Etiamsi hoc daretur quomodo imaginatio, quantumvis subtilis ac vivida supponatur, eventus post immensam pene sæculorum seriem futuros sibi fingere potest? Num imaginatio præ ceteris sensibus ea pollet

let sagacitate ut in immensum distantia contingere, & densas futuri liberi & contingentis tenebras excutere ac penetrare valeat? An vero futurum contingens facilius agitare potest imaginationem quam ceteros sensus? Cum v. g. Isaias ducentis annis ante Cyrum, Cyrum ipsum prænuntiabat, an vi imaginationis Cyrum triumphantem videbat? An vero Cyrus ipse Isaiæ imaginationem percellebat? Quantum vero ad artem & dispositiones, nullas plerunque sibi comparare poterant. Imparati sæpe sæpius & ordinarie ac incogitantes ad munus propheticum rapiebantur Prophetæ. Hujus autem ratio a priori hæc est ex S. Thoma; quod, ut diximus, prophetia vere, proprie ac simpliciter dicta oriatur a revelatione & inspiratione divina. Porro sicut Deus non præexigit materiam aut aliquam materiæ dispositionem ad producendos corporales effectus, ita etiam in effectibus spiritualibus non præexigit aliquam dispositionem, sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem convenientem, removetque virtute divina quamlibet indispositionem naturalem si quæ sit quæ prophetiæ repugnet.

Obj. 2. Eventus non est legitimum veræ prophetiæ argumentum. Prophetæ enim sæpe prædixerunt quæ non evenerunt. v. g. Isaias Ezechiæ mortem prænuntiavit ex morbo ex quo convaluit. Jonas eversionem Ninive asseruit, quæ tamen eversio non est secuta.

R. n. ant. ad prob. Dico prophetias de quibus agitur in objectione esse conditionatas, non absolutas. Porro nihil inde prophetiarum certitudini deperit ut observat S. Thomas. „ Divina enim „ præscientia, inquit Doctor Angeli„ cus, 2. 2. *q.* 171. *ar.* 6. *ad* 2. respicit „ futura secundum duo, scilicet secun„ dum quod sunt in se ipsis, in quan„ tum scilicet ipsa præsentialiter intue„ tur, & secundum quod sunt in suis „ causis, in quantum videlicet videt or„ dinem causarum ad effectus. Et quam„ vis futura contingentia, prout sunt in „ se ipsis, sint determinata ad unum, „ tamen prout sunt in suis causis, non „ sunt determinata, quin possint aliter „ evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino con- „ jungatur, non tamen conjungitur sem- „ per in revelatione prophetica, quia im- „ pressio agentis non semper adæquat e- „ jus virtutem. Unde quandoque revela- „ tio prophetica est impressa similitudo „ quædam divinæ præscientiæ prout re- „ spicit ipsa futura contingentia in se „ ipsis, & talia sic eveniunt sicut pro- „ phetantur: secundum illud *Isa.* 7. Ecce „ Virgo concipiet, &c. Quandoque vero „ prophetica revelatio est impressa simi- „ litudo divinæ præscientiæ, prout sci- „ licet cognoscit ordinem causarum ad „ effectus, & tunc quandoque aliter eve- „ nit quam prophetetur, nec tamen pro- „ phetiæ subest falsum. Nam sensus pro- „ phetiæ est quod inferiorum causarum „ dispositio sive naturalium, sive huma- „ norum actuum, hoc habet, ut talis „ effectus eveniat. Et secundum hoc in- „ telligitur verbum Isaiæ dicentis: *Morieris, & non vives*; id est, dispositio „ corporis tui ad mortem ordinatur. „ Et quod dicit Joan. 3: *Adhuc quadraginta, &c.* id est, hoc merita ejus exigunt ut subvertatur. „ Prophetia itaque comminationis non est de eventibus terum, sed de ordine causarum ad eventus. Porro ordo quem Propheta prædicit, necessarius est, quamvis eventus quandoque non sequatur. Ergo prophetia comminationis certam habet & immobilem veritatem. Ceterum id unum inde evinci potest, nempe, non hunc solum sufficere characterem, sed alios ei adjungendos esse, quod ultro fatemur.

Inst. Prophetæ multa prænuntiabant non nisi post longissimum temporis intervallum eventura. Jam vero eventus non potuit esse character veritatis tempore Prophetæ. Ergo.

R. dist. min. Eventus non potuit esse .... pro iis qui ante eventum vixerunt: c. Pro iis qui eventus tempore extituri erant: n. Porro ut jam diximus, non semper, non omni tempore urgebat sensus prophetiæ explicita cognitio. Ergo.

Inst. Res prædicta potuit aut naturaliter cognosci aut ex conjecturis, ita ut, vel naturaliter & necessario, vel fortuito casu contingeret. Ergo eventus non est, &c.

R. n.

R. n. conseq. Jam monuimus characterem illum valere tantum in prophetiis quæ sunt proprie dictæ & per se tales agnoscuntur. Non valet autem in iis quæ versantur circa res quæ absolute & in se possunt via qualibet naturali deprehendi, nisi forte iis in circumstantiis in quibus certum est cognitionem illam, licet haberi possit naturaliter, non sic tamen habitam fuisse.

Inst. & obj. locum Deuter. 13., 1, ubi sic legitur: „ Si surrexerit in medio tui „ Prophetes, aut qui somnium vidisse se „ dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, „ & dixerit tibi, eamus & sequamur „ Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ „ illius aut somniatoris, quia tentat vos „ Dominus. „ Unde sic. Illud non est certum veritatis signum, quo præsente, non semper adest vera prophetia, atqui res ita est de eventu ex loco supra relato: ergo.

R. 1. Posse dici hic non agi de prophetia in confirmationem erroris data, id enim, saltem evidenter, non fert textus citatus. Sed fieri potest ut agatur de vero Propheta, qui veras edidit prophetias, sed postea Idololatriæ prurigine corruptus auctoritate quam sibi apud Populum ex prophetiis eventu completis comparaverat abutatur ad corrumpendum Populum. Nec obstat quod vulgata nostra habeat: qui somnium vidisse se dicat: quibus innuitur somnium suum in confirmationem erroris proferre. Nam fert textus Hebraicus; Propheta aut somnians somnium. Et ita reddiderunt Septuaginta, Chaldæus & Samaritanus. Ceterum conjecturam edo, non demonstrationem, peritioribus totum subjicio.

R. 2. Cum quibusdam hic loqui Deum in hypothesi impossibili, quasi diceret: etiamsi quis (per impossibile) veram ederet prophetiam, verumque miraculum ut vos in errorem & Idololatriam inducat, ipsum non audieris. Hanc responsionem alii ut flocci faciendam respuunt, eo quod Deus in casu proposito quid agendum Israelitis præscribat; quod ridiculum ipsis videtur, si agatur de hypothesi impossibili. Sed solvi facile potest alio loco parallelo Gal. 8. *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Non magis sane Angelus de Cælo, aut S. Paulus falsum evangelizare potest quam verus Propheta ad idololatriam inducere; nec minus ridiculum videtur anathema ab Apostolo prolatum contra Angelum in hypothesi impossibili, quam jussio de interficiendo Propheta juxta allatum Deuteronomii locum. Jam vero & omnibus consentientibus & ex sola Textus Apostolici inspectione, manifestum est ibi ratiocinium esse in hypothesi impossibili. Ergo hæc verba Deuteronomii allata possunt intelligi de hypothesi impossibili.

R. 3. dist. min. Sed ibi agitur de prophetia improprie dicta: c. De prophetia proprie dicta: n. Duo istam responsionem suadent. 1. Quia in multis aliis Scripturæ locis eventum prophetiæ proprie dictæ dat Deus ipse ut certam veritatis regulam. Nulla ergo conciliationis via nisi supponendo in utroque loco agi de diverso prophetiæ genere; alias sibi Deus contradiceret, si utrobique agatur de prophetia eadem, idest, de prophetia proprie dicta. Deinde addit Textus in objectione citatus, *tentat vos Dominus*, *&c.* Jam vero si agatur de prophetia proprie dicta, jam Deus per se & positive tentat; nam probavimus futurorum contingentium cognitionem certam & a mediis naturalibus independentem imperviam esse intellectui naturali sive humano, sive angelico, & in eo naturam prophetiæ proprie dictæ reposuimus. Quod si agatur de prophetia improprie dicta, tunc Deus potest dici tentare. Tentat Deus, id est, permittit vel Dæmonem vel hominem nativa uti industria ad explorandam hominum fidelitatem.

Obj. 3. Constat Gentiles olim Diis & Idolis suis potestatem oracula edendi & futura pandendi tribuisse. Consulebantur Idola & statim futuri arcana patebant. Unde sic. Illud argumentum nihil probat quod falsis Religionibus ut & veræ Religioni ex æquo commune est; atqui, &c. Ergo &c.

R. n. min. multa interutramque intercedunt discrimina. Primum, fraudis vehe-

vehementissimam suspicionem pleraque Paganorum oracula præ se ferebant, prophetiæ e contra nullum spirant dolum, immo omnia certæ ac securæ veritatis insignia gerunt. Fermento privatæ cupiditatis turgebant Sacerdotes plerunque Gentilitatis oraculorum auctores; hinc vel ipsi Græci, ut habet Origenes, nihili faciebant Græciæ oracula vel celeberrima; immo ut refert Eusebius, multi Vates atque Aruspices tormentis in judicio coacti, universam rem suis inventionibus factam fuisse ingenue confessi sunt. Hinc timidi responsa dabant lucem fugientes & Epicureos & Christianos reformidabant, ad eorum præsentiam ad silentium obstinati. At non ita se res habet ubi de divinis prophetiis agitur. Nulla privata cupiditas Judæos Prophetas regebat. Dolores, tormenta, omnium odium sæpe sæpius unice eos expectabant. Quod si propriis studuissent commodis, non dura, non acerba suis prænuntiassent. Toto spectante populo, immo audientibus aliquando Gentilibus sua depromunt oracula; ad obfirmandam remotiori eventu complendam prophetiam, vel miraculum, vel aliam prophetiam mox eventu firmatam edebant. Ad nos usque devenerunt, mutuoque transmeatu eorum prophetias sibi tradunt omnes generationes.

Secundum discrimen desumi potest ex Judæorum cura in observandis suis oraculis, & Paganorum assiduitate in negligendis suorum Idolorum responsis. Judæorum prophetiæ corpus quoddam efficiunt, cujus causa vel mortem ipsam oppetere libenter parati sunt; quid ita simile occurrit in Idolorum vaticiniis? Tertium discrimen repeti potest ex contradictionibus quibus pugnabant varia inter se Oracula. Quæ eadem de re Claros depromebantur Delphico Vati aliquando dissonabant. Nihil ita apud nos. Quartum, æquivoca semper erant & ad omnem eventum parata Paganorum Oracula. Quintum: denique nullus Vates apud Paganos futurum contingens omnibus suis vestitum circumstantiis clare & diserte prænuntiabat.

Inst. Vel Deus erat illorum Oraculorum auctor, vel Dæmon. Si primum, ergo communes sunt omni Religioni prophetiæ. Si secundum; idem poterit dici de prophetiis sive Judaicis, sive Christianis.

R. Deum non fuisse illorum Oraculorum auctorem. Cruenta hominum sacrificia exigebant illa Oracula; Deorum multiplicitatem fovebant, quorum neutrum in verum Deum cadere potest. Erant ergo a malignis Spiritibus; nec inde quidquam contra nostras Prophetias concludi potest; præter enim rationes allatas, certum est Paganorum Oracula talia esse ut facile a Dæmone, & quidem solo, proficisci potuerint; nostræ vero Prophetiæ tales sunt ut non nisi a solo Deo vero fint ortæ.

Inst. Pythius interrogatus quid Crœsus in Sardibus ageret, renuntiavit testudinem ab eo decoqui cum carnibus pecudis. Unde. Idem fit judicium de aliis humanæ menti imperviis ac de illo facto, atqui Dæmon factum illud renuntiavit, quod sane humanæ menti impervium est. Ergo.

R. dist. min. Et hæc est Prophetia improprie dicta; c. Proprie dicta; n. Solutio patet jam ex dictis, facilisque fit ex Tertulliano, *Apol.* 22, 22. „ Momento, inquit, ubique sunt Dæmones. Totus orbis illis locus unus est. Quid „ ibi geratur tam facile sciunt, quam „ enuntiant. Velocitas, divinitas creditur, quia substantia ignoratur. „ Unico itaque momento natura præditus velocissima Lydiam advolare, & Delphos revolare potuit Dæmon; at vero res ab hominum nutu remotas, ac in caliginosa & profunda futuri nocte latitantes in lucem splendidam revocare ipsum penes non est.

Obj. 4. Prophetia debet esse clara. Deus utpote sapiens, non potest aliquem finem sibi suisque attributis indecorum in agendo proponere; jam vero nullum finem sibi suæque sapientiæ congruum destinare potest in prophetia obscura. Ex tali enim prophetia nec propriam manifestationem, nec creaturarum utilitatem eruere potest.

R. n. min. & prob. Aliqua enim utilitas in creaturas semper emergit etiam ex prophetia obscura. Semper enim vel Dei reverentiam, vel ejus iræ timorem, aut clementiæ ac bonitatis ejus cultum gene-

generaliter saltem insinuat prophetia, sive faustum, sive infaustum renuntiet.

Inst. Prophetia attendi potest vel tempore promulgationis, vel a promulgatione ad eventum; vel eventus ipso tempore. Si in primo temporis articulo obscura sit prophetia, jam Propheta vel dormientium, vel stultorum more loquitur, quid proferat non intelligit. Si vero a promulgatione ad eventum usque obscuritas perseveret, jam toto illo tempore inutilis est. Quod si utroque assignato tempore obscura sit prophetia, ipso eventus tempore clara fieri non potest. Quolibet enim eventu eam completam esse unusquisque contendet. Unde sic. Deum dedecet ita obscure loqui ut a nemine intelligatur: atqui in data prophetiarum obscuritate, jam Deus a nemine intelligeretur. Ergo.

R. dist. min. Data obscuritate generali & æterna: c. Partiali & ad tempus tantum: n. Deo legitima possunt esse obscuritatis motiva. At impossibile est talem esse prophetiam ut ad omnes eventus sit attemperata. Quæ ergo omnem suum eventum sortitur, ea certo certius vera est. Unde tunc patienter expectari debet eventus. Quod si plures eventus ipsi promiscue adaptari possint, nullius erit ad probandum roboris.

ARTICULUS IV.

De Miraculo.

Circa miraculum hæc discutienda habemus. 1. Ejus notionem. 2. Possibilitatem. 3. Causam efficientem. 4. Vim & efficaciam ad probandum. 5. Characteres.

QUÆSTIO I.

De Notione & Definitione Miraculi.

Salebrosam, difficilem & intricatam, si quæ sit, quæstionem attigimus, in qua facilius est supponere, quam probare, impugnare, quam solvere; conjicere, quam aliquid certum & in victum proferre. In tota enim rerum theologicarum disciplina nihil difficilius, nihil obscurius occurrit accurata miraculi notione. A primo disputationis limine omnes in varias & oppositas abeunt sententias. Quæ huc & illuc circumferuntur opiniones, eas in unum colligemus certoque recensebimus ordine. Quænam deinde ex his ad verum propius accedere nobis videatur aperiemus, nulli tamen meliora & doctiora sapienti præjudicantes.

In antecessum autem quædam præire debent observationes ac notiones cuilibet systemati communes ac prærequisitæ. Observ. itaque 1. vires naturæ, leges naturæ, ordinem naturæ voces esse synonimas, saltem generaliori quodam sensu. Vires enim & ordo naturæ sunt effectus legum quibus obstringitur eadem natura. Hinc quod est supra leges naturæ est supra vires & ordinem ejus; & vice versa. Obs. 2. Leges naturæ alias generales, particulares alias esse distinguendas. Rursum leges duplici sensu dici possunt generales. 1. Possunt sumi pro primariis scientiarum principiis aut corollariis ex illis dimanantibus. Hoc sensu leges generales nihil aliud sunt quam prima scientiarum principia aut corollaria ex iis deducta; sunt principia certa & inconcussa juxta quæ corpora moventur & configurantur. v. g. Ex duabus viribus minorem major vincere debet. Motus quantitas ex mole & velocitate repetenda est. Leges possunt etiam dici generales eo sensu, quod universaliter observentur. v. g. Solis motus diurnus, &c. Solæ leges 1. sensu intellectæ dici possunt legitime & proprie generales. Vires naturæ sunt legum generalium effectus, seu sunt impressiones & figuræ quas Deus corporibus inseruit. Sic v. g. juxta ordinem in rebus a Deo constitutum major est vis gravitans in plumbo, quam in argento. Hinc leges naturæ generales ab ejusdem viribus hic sedulo sunt distinguendæ. Observ. 3. materiam, utpote substantiam cæcam, inertem, passivam & rudem, sicut omnis cogitationis, sic legis cujuscunque & cujuslibet potestatis quam propria voluntate & electione sequatur & exerceat, incapacem esse.

esse; Quidquid ergo vocatur naturæ vis & potestas aut ejus effectus; motus & gravitationis leges, hæc omnia proprie loquendo sunt Dei agentis opus, seu nihil aliud sunt quam Dei voluntas in quantum perpetuo, constanter & uniformiter agit. In materia vero nulla alia concipitur potestas nisi passiva, vi cujus in eodem statu semper remanet donec ab aliqua causa extrinseca deturbetur; ita tamen ut diversæ materiæ impressiones & figuræ sint aliquo sensu & vero ejus vires; quia Deus eas ipsi indidit juxta quas potest concurrere, vel non ad certos quosdam effectus.

Varias nunc Theologorum opiniones recenseamus. Et quidem vel cognoscitur miraculi natura, vel non. Si nullatenus nobis patet miraculi natura, tunc assignari & determinari non potest. Id unum præstare tunc licet, definire nempe quid nobis videatur & appareat miraculum, non quid sit a parte rei; quisi sit relative ad nos, non vero quid sit in se. Si vero cognoscitur miraculi natura, tunc assignari & definiri potest; si definitur, tunc vel est legum generalium aut particularium effectus & ab iis dimanat, vel est supra leges illas sive generales, sive particulares; si miraculum sit supra leges illas, vel est supra leges illas easdem cognitas tantum, vel est supra omnes quaslibet leges sive cognitas, sive incognitas, & etiam cognoscibiles. Hac data generali expositione nunc singulorum sigillatim proponenda sunt systemata.

Primum est eorum qui miraculum definiunt opus stupendum quod prudenter judicatur entis creati superare potentiam & intelligentiam. Scilicet juxta hujus systematis auctores fugit nos omnino miraculi in se notio & natura. Hinc illud definire relative ad nos tantum animus est, idque unum volunt nempe assignare quid nobis appareat miraculum.

Secundum proponit Lockius primo omnino germanum & affine. Juxta eum miraculum est opus quod spectator ut divinum considerat supra suas vires, & contrarium illi quod legibus naturæ stabilitum judicat. A priori differt hæc definitio solis fere terminis.

Tertium est Clarkii qui miraculum vocat effectum contra constantem ac uniformem naturæ ordinem aut cursum & potestatem extraordinaria actione entis & intelligentis homini superioris. Hujus autem definitionis hæc sunt principia. I. Cursus, ordo, potestas naturæ nihil aliud est quam Dei omnipotentis voluntas in materiam agentis. II. Actio Dei duplex, immediata una, mediata altera, ope nimirum creaturæ alicujus, v.g. Angeli. Itaque miraculum esse contra cursum naturæ, idem est ac esse contra Dei actionem constantem vel immediatam, vel immediatam. III. Constat Deum multa in hoc mundo ope & ministerio Angelorum in hujusce orbis regimine agere, ac proinde eum in multis agere mediate tantum. Non ergo improbabile est Deum hujus mundi curam & regimen Angelis commisisse. Hinc Angeli in gerenda demandata sibi Provincia tam facile possunt corporis cujuslibet motum sistere quam continuare. Unde concludit non majori difficultate solis cursum retardari, aut omnino impediri quam continuari.

Quarta definitio miraculum describit opus arduum, id est, difficile, rarum ac insolitum.

Quinta sententia, celeberrimi Houtevillii, miraculum definit effectum rarum ac stupendum ex legum generalium nobis incognitarum harmonia ac mechanica resultans, cujus causam homines ex æquo mirantur, quemque propria industria producere non possunt. Ecce autem tota hujus opinionis seriem ac methodum juxta doctissimum illum Auctorem. Deus unico & eodem voluntatis actu legibus naturæ vim impressit producendi tum naturales, tum supernaturales effectus pro data & assignata a Deo temporum circumstantia. Scilicet via simplicior est perfectior; ergo Deus pro sua essentiali perfectione viis simplicioribus semper insistit. Via autem brevior est simplicior; ergo Deus vias breviores pro sua perfectione semper eligit. Brevius est autem naturales & supernaturales effectus legibus naturalibus adscripsisse. Tunc enim unico actu voluntatis duos illos effectus ordi-

ordinat, e contra in diversa sententia adest duplex actus. 1. Quo legum naturalium seriem decernit. 2. Quo legum illarum exceptiones statuit. Actus autem ille duplici modo concipi potest in Deo, 1. suppositis legibus naturalibus ante prævisas liberas hominum actiones conditis. 2. Supponendo leges illas latas esse consequenter ad easdem hominum actiones prævisas. Deinde hæc sententia propugnari potest ut hypothesis mere possibilis, vel ut ordinatio actu existens.

Sexta opinio miraculum proponit ut effectum qui derogat omnibus naturæ legibus cognitis eoque ipso cognoscibilibus.

Septima miraculum asserit derogare legibus naturæ generalibus & manifeste cognitis.

Denique suam habet S. Thomas quam amplectuntur omnes ejus sequaces ac interpretes, quamque suam fecit Eminentissimus de Lambertinis, nuper S. Petri Successor præstantissimus, prædecessoribus scientia & virtutum splendore non impar. Doctoris Angelici placita fusius evolvere operæ pretium est. Nomen miraculi a mirando derivatur; miraculum enim, quasi admiratione plenum. Vel datur autem admirandi causa, vel non; mirari, ubi admirationis causa nulla est, stupere sine causa, stultorum est. Legitima autem admirationis causa alia esse non potest, nisi quod adsit effectus quidam manifestus, cujus causa sit occulta. Jam vero causa illa vel est simpliciter & omnibus occulta, vel aliquibus tantum. Si primum, legitima & proprie dicta erit omnibus admirationis causa, ac proinde aderit miraculum proprie dictum. Si secundum, erit tunc aliquibus tantum admirandi causa; erit consequenter miraculum aliquibus tantum, ac proinde improprie dictum; est enim mirandi causa improprie tantum dicta. Tunc enim aliquid est mirum uni, quod non est mirum aliis. Sic eclypsim solis miratur Rusticus, non vero Astronomus. Sic etiam unus homo in quantum facit quod est supra facultatem & cognitionem alterius, ducit alium in admirationem sui operis. Porro ideo causa est simpliciter & omnibus occulta, 1. quia in rei veritate & non juxta aliquorum tantum opinionem, in re est aliquid unde videatur aliter evenire debere, seu quia res nullam, immo contrariam habet dispositionem ad effectum quem miramur. 2. Quia vires creatæ cognoscuntur ad talem effectum sese non extendere. Causa vero illa omnibus & simpliciter occulta solus est Deus; solus enim est quem intime nosse non possumus. Solus est qui disproportionem naturam inter & effectum supplere possit.

Miraculum itaque aliud proprie, aliud improprie dictum. Hoc fit præter ordinem naturæ alicujus particularis per virtutem creatam nobis ignotam. Dicitur etiam miraculum large, seu late & quoad nos. Quia tunc scilicet causa non est simpliciter & omnibus occulta. Ad rationem enim miraculi non sufficit quod aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis; alias qui sursum lapidem mittit, jam miraculum faceret, cum hoc fit præter ordinem naturæ lapidis. Miraculum vero quoad se & proprie dictum est opus sensibile supra vires & præter ordinem totius naturæ creatæ.

Dicitur 1. opus sensibile. Debet enim effectus esse cognitus & sensibilis, causa vero occulta. Hinc 2. dicitur supra vires & præter ordinem, &c. Observandum est 1. hæc duo *supra vires & præter ordinem*, in unum coincidere, & identica esse. Observ. 2. duplicem naturæ distinguendum esse ordinem. Alius scilicet naturalis, quo visibilis hic mundus regitur; supernaturalis alter qui pertinet ad gratiam & gloriam Sanctorum. Itaque quæ pertinent ad hunc ordinem supernaturalem, sunt quidem miracula, si comparentur ad ordinem naturalem, eum enim longissime excedunt; ut v. g. Incarnatio Verbi; hæc tamen non sunt miracula de quibus hic agimus. Agitur de ordine naturali.

Ordo autem ille naturalis considerari potest vel in quantum universalis est, & pendet a prima causa, vel in quantum particularis est, & pendet ab aliqua causarum secundarum, in quantum scilicet effectus aliquis pendet ab aliqua causa secunda ad quem producendum vim & pro-

& proportionem habet. Hinc etiam manifestum est creationem & justificationem impii sensu aliquo generali posse dici miracula, quia scilicet sola virtute divina fieri possunt; at non sunt miracula de quibus in præsentiarum agimus. Etenim non fiunt præter consuetum naturæ cursum. Ad rationem enim miraculi proprie dicti, non sufficit quod a solo Deo fieri possit, sed requiritur etiam ut sit præter solitum & consuetum ordinem causandi; nihil sit in natura propter quod secundum naturalem ordinem hæc videantur aliter fieri debere. v. g. Cælum & terra non sunt nata creari ab alia causa quam a Deo. Pariter justificatio non est præter consuetum ordinem causandi; communis enim & consuetus justificationis modus est quod impius convertatur Deo animam ejus interius movente. Et sane vis miraculi, inquit Emin. Lambertini, non tam in eo consistit quod Deus hujus causa nobis sit ignotus, quam in eo quod ordo gubernationis & providentiæ juxta quam miraculum facit nobis omnino sit obscurus. Res tota & mens S. Thomæ hoc exemplo illustrari potest. Tempestatum ordinata vicissitudo, pluviarum temporanea effusio, terræ ad varia grana fœcunditas, &c. Ideo non sunt miracula, quia a Deo producuntur interventione & ministerio causarum secundarum. Novimus Deum hoc modo constanter talia agere, huncque ordinem sequi. At vero si eadem sine ulla ope & interventione causarum secundarum producat, iisque in circumstantiis ubi causas illas abesse manifestum est, jam ignoramus modum & ordinem providentiæ juxta quem hæc facit; jam miraculum, v. g. Cum orante Helia pluvia successit, Cælum huic effectui paratum non erat. Immo contraria omnium oculis manifesta erat dispositio.

Cum miraculi naturam reponat S. Thomas in excessu supra vires totius naturæ creatæ, quo magis effectus aliquis vires creatas excedit, eo magis est miraculum, non quidem comparate ad divinam potentiam, sed ad humanam & creatam. Hinc miraculum proprie dictum aliud tale est quoad substantiam, & aliud quoad modum & ordinem faciendi. Quantum ad substantiam facti est id quod fit, seu effectus secundum se, & res ipsa in se. Quoad modum, est modus quo res fit. v. g. Cum subito quis a febre curatur. Quænam ex his definitionibus eligenda sit sequentes aperient Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Vox stupendus Miraculi definitionem minus recte ingreditur.

PRob. Vox ista redundat & dignoscendæ miraculi naturæ est omnino inutilis. Stupor enim est effectus miraculi; non est ratio ejus constitutiva; illud supponit jam existens & in suo esse constitutum. Effectus non ideo est miraculum quia est stupendus, sed ideo est stupendus quia est miraculum. Aliunde multa stupemus quæ non sunt vera miracula.

CONCLUSIO II.

Miraculum male definitur effectus qui prudenter judicatur contra leges generales, seu supra potestatem & intelligentiam cujuslibet entis creati.

PRob. 1. Vel judicatur ex fundamento in re, vel sine ullo fundamento; si primum, fundamentum illud non potest esse aliud nisi quod in re nulla aut contraria sit ad effectum proportio. Tuncque effectus non tantum judicatur, sed est revera contra leges & supra entis creati intelligentiam & potentiam. Si secundum, tunc non prudenter judicatur.

2. Vel effectus ille revera est contra leges illas & supra creaturæ potentiam, vel non; seu vel effectus ille talis judicatur quia revera talis est a parte rei, vel quia talis tantum videtur, licet in rei veritate nec contra leges illas sit, nec superet illam potentiam & intelligentiam: si primum, tunc miraculum in se superat vires totius naturæ creatæ. Si secundum, tunc systema illud coincidit cum systemate Lockii aut Houtevillii.

3. Vel judicatur effectum esse talem quia

quia effectus ille talis in se percipitur, vel licet talis in se non percipiatur. Si primum, ergo miraculum in se est contra leges generales & supra potentiam ac intelligentiam totius creaturæ, saltem tale est respectu nostri ac si revera tale esset in se & in rei veritate. Jam vero illud hoc ipso incurritur incommodum quod aliæ imponitur sententiæ. Tunc enim effectum quemlibet asserere non possumus esse miraculum, quin percipiamus, ac proinde quin cognoscamus omnes leges generales, omnes creatæ intelligentiæ & efficacitatis vires. Si secundum, tunc effectus alius est a parte rei, & alius relative ad nos; alius in se est, & alius videtur & judicatur. Miraculum sic exponere, non est illud quale est in se, & quid sit in rei veritate definire, sed quid nobis appareat & videatur. Idem est ac si definiretur prophetia: cognitio quæ apparet, quæ videtur esse supra vires intelligentiæ creatæ; seu nihil definitur. Porro secundus ille sensus solus est quem intendant & intendere possint hujus sententiæ patroni. Nam ex una parte volunt miraculi naturam nos penitus latere; ex altera vero hinc concludunt miraculum definiendum esse non quale est in se, sed quale est relative ad nos. Ergo tunc miraculi natura variare debet pro varia cujuslibet perceptione.

4. Vel, quidquid sit miraculum in se, sufficit ad verum agnoscendum miraculum ut opus videatur esse miraculum, vel sufficit ut videatur superare potentiam & intelligentiam creatam, licet in illa superioritate intrinseca miraculi natura non consistat: jam vero primum absurdum est. Aliud enim est opus aliquod tale esse in se, & aliud tale nobis videri. Aliud v. g. metallum oblatum esse aurum, & aliud tale nobis videri. Aliud revera existere corpora, aut evidentiam adesse, & aliud hæc nobis talia videri. Secundum pariter absurdum est. Nisi enim tibi constet miraculum tale esse quia superat in se vires & intelligentiam creaturæ, miraculum concludere non potes ex opere quod tibi videtur superare vires illas.

5. Afferunt Auctores iidem dæmonem non posse vera patrare miracula; quod contradictionem involvit tum cum præcedenti definitione relative ad nos intellecta, tum cum assignatis notis quæ miraculum, non verum a falso, sed divinum a diabolico, distinguunt. Sunt enim eædem ac quas Clarkius usurpat. Hæc sententia est ipsummet Lockii systema emollitum.

CONCLUSIO III.

Miraculum non videtur recte definiri cum Lockio opus quod spectator ut divinum considerans supra suas vires & contrarium illi quod legibus naturæ stabilitum judicat.

PRob. 1. Iisdem quibus mox præcedens Conclusio stabilita est momentis. 2. Quia tunc miraculi natura variaret pro diversa indole & sagacitate spectatoris. 3. Respectu plurium, immo majoris hominum partis nihil non esset miraculum. 4. Miraculi efficacia non ab ejus natura, non ab intrinseca ejus supernaturalitate & energia, sed ab hominum ignorantia, ac proinde ab aliquo extrinseco desumeretur. 5. Denique istud systema falsum adhuc magis ac magis evincetur ex his quæ in tota hac quæstione dicentur.

CONCLUSIO IV.

Genuinam Miraculi notionem haud feliciter aperuisse nobis videtur Clarkius.

PRob. 1. Ex falsitate principiorum quibus nititur hæc sententia. Hæc est enim vero celeberrimi hujus Angli definitio: miraculum est effectus contra ordinarium & consuetum naturæ cursum & ordinem productus extraordinaria ope entis alicujus intelligentis homini superioris: jam vero hæc definitio falsis & gratuito suppositis nititur principiis. Ut enim valeat allata definitio, quatuor supponenda sunt. 1. Cessationem actionis sufficere ad quodlibet miraculum. 2. Ad miraculum nunquam requiri immediatam Dei actionem. 3. Aliquem motum sufficere posse ad quod-

quodlibet miraculum. 4. Denique Angelos quemlibet motum & eum qui miraculo sufficiat, producere posse: jam vero hæc quatuor principia aut falsa sunt, aut saltem gratis ponuntur. 1. Falsum est cessationem actionis miraculo sufficere. Juxta eum enim difficilius non est solem movere quam sistere; supponit Angelos quibus movendi solis demandata est provincia, eum sistendo æqualem potentiæ actum exercere: sed solis statio meram cessationem actionis exigit; e contra ex plerisque miraculis sequitur effectus physicus qui actionem positivam importat. Exemplum istud innuere videtur cessationem actionis miraculo sufficere. 2. Sic pergit Clark. excepta creandi potestate, nulla est quæ sit incommunicabilis. Porro in tota Scriptura sacra nullum legitur miraculum, nequidem resurrectionis, quod creationem exigat. Hinc excepta creatione, nullatenus distingui potest an miraculum a Deo, an a bono, an a malo Angelo veniat. Supponit ergo solam creationem immediatam ex parte Dei actionem exigere: jam vero istud falsum est, aut saltem gratis supponitur. Nullo enim argumento evinci potest resurrectionem mortui, præsertim fœtentis, immediatam Dei actionem tum respectu animæ iterum conjungendæ, tum respectu organizandi corporis non exigere; nisi forsan contendat talem resurrectionem sequi posse ex legum generalium combinatione. Idem dicendum de visu cæco a nativitate restituto, de panum in deserto iterata multiplicatione. Sit aliud exemplum, nempe subita segetum productio in agro inculto & inerti. Vel recurrendum est ad immediatam Dei actionem, vel sufficit mediata: id est, creatura: porro hic effectus creaturæ tribui posse non videtur. Nam creatura istud operaretur vel communicando terræ imparatæ talia germinandi vim & facultatem, vel talia producendo independenter a terræ fœcunditate. Quæ duo sicut dici, sic vix concipi possunt, licet Angelis mundi administrandi curam commisisset Deus. 3. Supponit aliquem motum cuilibet miraculo producendo parem esse & idoneum, tum quia actio Dei juxta eum omnia producit per motum sive mediate, sive immediate, tum quia Angeli nihil possunt nisi per motum: jam vero multa leguntur in Scriptura tum veteri, tum nova quæ a solo motu & varia ejus combinatione oriri minime potuerunt. Talis est resurrectio mortui, sanatio cæci nati, panum bina multiplicatio, &c. 4. Denique falsum est Angelos quemlibet motum producere posse. Mox enim probabimus nullum eos motum nisi corporum naturæ germanum, nullum instantaneum producere posse. Immo etiamsi aliquis motus omni miraculo sufficeret, quis probare posset hunc motum utpote supernaturalem, soli Deo non esse proprium, nec superare ordinariam nativamque Angelorum in mundi regimine potestatem? Forsan ordo juxta quem fiunt miracula, nec creationem, nec aliquam motus combinationem requirit. Licet enim medium inter utrumque nullum videamus, nullum esse a parte rei & in omnipotentia Dei non sequitur. Ergo principia quibus nititur Clarkiana miraculi definitio aut falsa sunt, aut gratis supponuntur.

Prob. 2. Ex incommodis & consectariis. 1. Sequeretur nullum esse discrimen intrinsecum inter opera supernaturalia, seu miraculosa & naturalia. Discrimen illud oriretur vel ex entitate operum, vel ex modo quo fiunt. Discrimen illud repeti non potest ex entitate. Nam juxta Clarkium omnia opera sunt in se & a parte rei æqualia, excepto creationis casu cui adscribi non potest miraculum. Omnia etiam sunt æqualia ratione modi quo producuntur: nam sunt omnia ab actione Dei mediata. Eo ipso quo sunt ab actione Dei mediata, jam eodem modo producuntur. Nam in sententia doctissimi illius Angli naturalia oriuntur a mediata Dei actione; sed miracula ab eadem actione oriuntur. Immo juxta eum nullo modo propugnari potest miraculum esse immediatum divinæ potentiæ effectum. Deinde eo ipso quo miraculum potest esse ab Angelis, & semper oritur a mediata Dei actione, jam fit juxta leges generales & earum combinationis est effectus: sed opera naturalia

turalia sunt earundem legum effectus. Ergo. 2. Sequitur Deum nullam unquam exerere actionem immediatam; actio enim creatrix & actio immediata sunt quid unum & idem apud Auctorem illum; quæ valde dubia sunt, immo falsa. Quis enim id certo & rescire & asserere possit? Sicut nemo affirmare potest aut nullum miraculum creationem exigere, aut nullum miraculum per creationem factum esse, sic nemo negare potest Deum aliquid edidisse aut etiamnum edere per actionem immediatam. Addo demonstrari non posse nullam esse in Deo actionem immediatam nisi creatricem. Sicut enim variant infinite formæ & modi quibus combinari possunt mundi leges; sic in infinitum discrepant inter se Dei actiones. Modo mediata, modo immediata sufficit & usurpatur Dei actio, modo creatrix exigitur, & exercetur. Quin immo ad verisimilitudinem magis accedit Deum in concessa, ut supponitur, Angelis orbis regendi facultate aliqua sibi reservasse certos quosdam limites inter utramque potestatem stabilivisse quibus inæqualitas hujus potentiæ manifesta fieret, ita ut sicut quandoque per se immediate loquitur, sic quandoque solus & immediate ac per se ageret. Et certe si alicubi immediate, &, ut iterum dicam, diversimode quam in naturalibus ageret Deus, certe in miraculo. Sed ex viro illo illust. miracula non oriuntur nisi ab actione Dei mediata. Angeli effectus illos producere non possunt nisi varie componendo leges naturæ; ei enim communicare non possunt novam quam antea non habebant proportionem. Ergo Deus nunquam utitur potestate immediata, & miracula fluunt ex naturæ legibus, suntque naturalia, nec ab iis intrinsece discrepant. 3. Sequitur miraculum esse simul & non esse contra cursum ordinarium naturæ. Cursus ille naturæ non est naturę universæ, sed particularis, & quidem cursus in se, non relative ad nos tantum. Jam vero posita hac definitione, adesset præfata contradictio. Utamur exemplo ab auctore proposito hominis super aquas deambulantis sustentante Angelo comparate ad lapidem in aere pensilem hominem eum sustinente. In primo casu adest, inquit Auctor, miraculum, neutiquam in secundo. Ergo in primo illo casu adest effectus contra cursum & ordinem naturæ consuetum: atqui tamen effectus ille non est contra illum ordinem, neque in rei veritate, neque in sensu Clarckii. 1. Non in rei veritate. Effectus enim ille non est contra cursum naturæ Angelicæ, cujus ea vis est nativa & congenita ut possit hominem super aquas tenere; sicut non est contra cursum naturæ humanæ ut homo lapidem in aere pensilem retineat: non est etiam contra cursum & ordinem naturæ lapidis qui ex sua nativa inertia in illo statu manere debet quoties ab aliqua causa in eo servatur. Dum enim ab homine pensilis retinetur, ejus ordo imperturbatus manet. Ergo in rei veritate nihil hic occurrit contra cursum & ordinem naturæ. 2. Nihil est etiam contra eundem ordinem in sensu Auctoris. Nam illo sensu esse contra hunc ordinem & esse contra mediatam Dei actionem sunt quid unum & idem; jam vero actio illa Dei considerari potest in se & a parte rei, vel quatenus est ordinaria & apparens. Effectus de quo agimus non est contra actionem Dei mediatam in se & a parte rei consideratam. Quoties enim exeritur illa actio & per Angelos exercetur, non novæ eis communicantur vires, sed vires ipsis congenitas & nativas applicat Deus ad effectum ipsis germanum. Ergo Deus hunc effectum eodem modo eademque actione producit ac ceteros omnes effectus naturales qui a mediata ejus actione oriuntur. Præfatus ergo effectus non est contra mediatam Dei actionem in se & a parte rei consideratam. Restat ergo ut sit contra illam actionem apparentem, ac proinde ut miraculum in eo consistat quod nobis talis esse videatur, quod modo confutatum est velut sit contra illam actionem quatenus est ordinaria, ac consequenter ut miraculum sit quid rarum & infrequens, quod mox confutabitur. Ergo.

Prob. 3. Ex insufficientia & inutilitate hujus systematis. 1. Non assignat causam efficientem miraculi. Mediata enim illa Dei actio ex qua oriuntur miracula

racula exeritur ope Angelorum. Vel ergo Angeli novam quam antea non habebat materia proportionem, materię communicant, vel Deus ipse ad Angelorum volitionem hanc ei inserit. Non primum sane. Ex eo quod enim orbis regendi provinciam Angelis demandaverit Deus, non inde sequitur eum ipsis concessisse aut a natura ipsis competere potestatem quæ eo usque se protendat ut talem proportionem materiæ superaddere valeant. Ergo eo tantum sensu Angeli miracula quæcunque operari possunt in Clarckii sententia, quod Deus ad eorum volitionem hanc det materiæ proportionem. Ergo tunc Angeli sunt tantum miraculorum causæ occasionales. Ergo non assignatur causa ejus efficiens. Causa enim illa esset Deus immediate agens ad volitionem Angelorum: sed negat idem Auctor ullum esse in tota Scriptura miraculum cui inserviat actio Dei immediata. Ergo. 2. Hæc sententia excogitata est ad declinanda incommoda aliorum systematum, & præcipue illius in quo miraculum dicitur superare vires totius naturæ creatæ & immediatam Dei importare actionem. Porro hæc incommoda non declinat. Dum enim appellat cursum naturæ, vel intelligit naturam nobis cognitam; & tunc solvenda habet argumenta impingitque in incommoda in sequentibus conclusionibus proponenda; vel intelligit cursum naturæ in se; & tunc non prius cognosci potest miraculum, quam cognoscantur omnes omnino totius naturæ vires. Ex ignorata Angelica potestate non magis sequitur miraculorum facultatem iis esse tribuendam, quam esse negandam. Temeritatem ergo incurrit affirmationis quam negationis aliis imponit: Angelus equidem ea omnia invisibiliter operari potest, quæ potest homo visibiliter, & hinc concludit opera illa Angelica esse, aut saltem videri & judicari debere miracula; sed hinc aliud in modum, nempe obsessiones, possessiones Dæmonum in miraculorum album recensenda esse, immo quoslibet effectus quorum causa erit invisibilis. Ex eo quod nullum legat in S. Scriptura miraculum cui producendo absolute necessaria sit creatio, concludit omnia mediatæ Dei actioni deberi; sed tunc miracula ceteris omnibus effectibus adequantur; quod aliud est incommodum.

Prob. 4. Ex incommodis quę duriora sunt in illa sententia, quam in quacunque alia. 1. Ratione naturæ miraculi cujus causam efficientem non assignat, & quod in ordinem aliorum effectuum rejicit: 2. Ratione efficientiæ quam ab ipsis nervis succidit. In hypothesi enim quod Dæmones inferiores cum superioris ordinis Angelis aut Dæmonibus pugnent, recurrit ad providentiam, quæ revera occurrere debet, modo miraculi natura sic se habeat, secus vero si res non ita sit. Prius ergo unus ordo stabiliendus erat. 3. Ex parte notarum. Omnes enim qui hoc systema amplectuntur, hoc primo principium ponunt: non prius dogmata esse discutienda; attamen priusquam de miraculo pronuntietur, volunt dijudicari doctrinam an indifferens, an evidenter falsa, vel vera. Circulum ipsis oppositum quantumvis transilire velint, minime possunt, ut postea patebit ubi de solutione objectionum, sicut etiam quantum ad notarum insufficientiam.

CONCLUSIO V.

Notio Miraculi male desumitur ex operis difficultate.

PRob. Difficultas illa se teneret vel ex parte Dei, vel ex parte hominis. Quidquid dicatur, jam vel nullum est miraculum, vel omnia sunt miracula. Si enim ex parte Dei se teneat illa difficultas, jam sicut nihil Deo difficile est, nihil etiam erit miraculum. Quæ enim in se & a parte rei possibilia sunt, id est quæ realem non involvunt repugnantiam, ea Deo æque sunt facilia: Ad solem movendum aut sistendum æqualis requiritur & sufficit potestas. Mortuum suscitare non magis est difficile quam hominem producere. Ergo tunc nullum esset miraculum. Si vero ex parte hominis, jam nihil fere in toto terrarum orbe quod non sit homini ex æquo difficile. Tum naturalia plurima, tum supernaturalia opera, homini sunt dif-

ficillima. Vires ejus & cognitionem hæc æquo passu fugiunt. Ergo omnia intra miraculorum ordinem recensenda essent; nec ullum erit inter utrumque discrimen nisi quod rarum sit unum, frequens vero alterum. Præterea Christi productio in Altari, & hominis justificatio sunt sane quid arduum homini; nec tamen sunt miracula, saltem sensu in præsenti quæstione proposito. Ergo male definitur miraculum opus arduum.

CONCLUSIO VI.

Miraculum male definitur opus insolitum, aut rarum.

PRob. Cujuscumque rei natura independens est omnino ab ejus frequentia vel insolentia. Mortui resurrectio est sane, omnibus fatentibus, miraculum quo nullum aliud majus. Jam vero si quotidie Deus mortuum suscitaret, sicut Christus Lazarum, quæro an foret miraculum; Sane. Ergo miraculum non ideo est miraculum quia insolitum est & rarum. Nec dicere est Deum istud facere non posse; nam infinita ipsi subest potentia. v. g. Ad confirmandam realem Christi in Eucharistia præsentiam vel infallibilitatem in Ecclesia Romana, Deus potuisset miraculum aliquod perpetuum quotidianum & frequens in signum veritatis proponere. Toto suæ mortalis vitæ curriculo tot, ac tam frequentia edidit Jesus signa, ut si scriberentur singula, nec ipse mundus caperet libros qui scribendi essent, teste S. Joanne. An ideo miraculosa esse desinebant hæc Christi Jesu opera? Uno verbo sive miraculum sit legum generalium exceptio, sive sit earum suspensio ac interruptio, sive denique sit earum effectus, in quacumque tandem sententia & hypothesi, eo ipso quo adest legum illarum vel exceptio, vel interruptio, &c. rarus sit, vel frequens ille effectus, nihil interest, eo ipso quo vera adest legum generalium exceptio, eo ipso independenter ab infrequentia, vel frequentia adest id quod veri miraculi naturam & essentiam constituit. Ergo verum & proprie dictum adest etiam miraculum. v. g. Solis ortus & occasus naturalis dicitur, non ex eo quod frequenter eveniat, sed ex eo quod sequatur ex lege naturæ generali. Ergo a pari si miraculum esset effectus legum generalium, ex singulari sua cum illis legibus affinitate suam haberet naturam, licet frequenter eveniat. Creatio mundi, incarnatio Verbi sunt quid insolitum; nec tamen sunt miracula de quibus agitur. Unde sic breviter resumo. Illud non constituit verum & proprie dictum miraculum quo sublato non semper abest miraculum, quo posito, non semper adest: atqui. Ergo.

Obj. Miraculi natura recte desumitur vel ex absoluta difficultate, vel ex insolentia operis. Nam ex S. Thoma, p. q. 105. art. 7. ad 2. miraculum est opus arduum ex eodem Doctore Angelico & S. Aug. tum l. 1. Civ. Dei, c. 8. tum l. 8. de Trin. c. 4. miraculum est opus insolitum.

R. n. ant. Ad probationem, ad S. Thom. dicitur ex ipso miraculum opus arduum, quia excedit facultatem naturæ, quod idem est in ejus principiis ac esse supra vires totius naturæ creatæ. Similiter etiam pergit; „ insolitum dicitur, non quia frequenter non eveniat, „ sed quia est præter naturalem consuetudinem. „ Consuetudo autem illa naturalis Sylvio, immo eodem S. Thoma alibi interprete, est consuetus causandi modus, id est, ratio uniformis effectus creatos producendi. Nec dispar est S. Aug. sententia. Citato enim l. de Trin. 1. Principium generale ponit Deum uti ad nutum creaturis omnibus spiritualibus & corporalibus; unde concludit voluntatem Dei esse primam & summam omnium motionum corporalium causam. 2. Discrimen inter pluviam ab Helia obtentam & quotidianos Cæli influxus inde sumit, quia isti vi quidem divina totam spiritalem corporalemque creaturam administrante, omnium annorum certis diebus advocantur; illa vero, qua hora servus Dei oravit, tum ceciderit, cum longa præcessisset serenitas quæ famem inferebat, nec aer pluviæ futuræ signa daret. Idem est ac si miraculum istud repeteret ex voluntate Dei extraordinaria, & ex defectu proportionis causas secundas inter & pluviam.

viam. Sic etiam addit Deum per singulos annos fulgura & tonitrua operari, at quia in Monte Sina insusitato modo fiebant fulgura & tonitrua, miracula fuisse concludit. Insusitato, dicit, modo, seu ait S. Thom. non juxta consuetum causandi, seu operandi modum. Uno verbo Deus tunc alio operatus est modo; quodque per causas secundas alias producit, illud tunc sine causis illis fecit. Ita etiam l. de Civit. Dei prolato. In illo statuit voluntatem conditoris rei conditæ naturam esse; per naturam hic sane intelligens non primarias rerum essentias. Consequenter ad istud principium, stellæ quæ Varroni cuidam apparuit magnitudinem & fulgorem repetit ex voluntate Dei quę cursum & ordinem consuetum mutavit. Possibilitatem miraculi ex infinita Dei potentia evincit. Gentiles miraculum repugnare volebant, quia divinitus fieri non posse asserebant aliquid contrarium ei quod in rerum natura per humanam experientiam noverant. E contra instat S. Aug. Deum, sicut potuit, quas voluit, instituere naturas, ita posse eas in quidquid voluerit mutare. Unde S. Aug. miraculi naturam non in effectus absoluta difficultate aut infrequentia reponit, sed miraculum refundit ex una parte in omnipotentem Dei voluntatem, ex altera verò in diversitatem operationis ejus.

Inst. Ex dictis, nomen miraculi ab admiratione sumitur. Sed, ex S. Aug. locis citatis, admirationem non excitant nisi quę rara sunt. Ergo.

R. dist. min. Admirationem non excitant ex consuetis hominum moribus: c. Ex rei ipsius natura: n. Ibi S. Doctor non tam loquitur de eo quod exigit rei natura, qúam de eo quod solet fieri, loquiturque ex aliorum sententia. Totus est inibi S. Aug. ut probet Gentilibus ea quę rara sunt, & contra humanam experientiam, nullam involvere repugnantiam, quod evincit multis comparationibus & exemplis. Ideoque effectus insolentiam tantopere urget, non quia id tantum ádmiratione dignum judicat quod rarum est, sed quia illud solum mirari homines solent. Sed illam hominum agendi rationem inordinatam impugnat ex comparatione opera Dei naturalia inter & supernaturalia, quorum utrunque ęqualem requirere asserit potentiam, & admirationem legitimam ex magnitudine operis nasci debere inde concludit. Ac consequenter contendit opera Dei naturalia immerito sordescere. Ergo nedum admirationem soli effectus insolentiæ deberi existimet, immo admirationem veram & proprie dictam ac proinde & miraculi proprie dicti naturam ab illa insolentia independentem esse existimat.

CONCLUSIO VII.

Miraculum verum & proprie dictum non videtur dimanare ex legibus generalibus incognitis ad mentem celeb. Houtevillii.

PRob. 1. Ex fragilitate rationum quibus innititur hæc sententia. Illa enim sententia nititur triplici fundamento eoque falso; nempe. I. Deum via simpliciori semper incedere. II. Legum generalium systema solum esse viam simpliciorem. III. Inter leges illas generales aliquas esse incognitas. Porro nihil horum legitima ratione fundatur aut probari potest. Non primum; ideo enim Deus via simpliciori semper incederet, vel quia via simplicior esset perfectior, vel quia foret brevior: atqui 1. probari non potest viam simpliciorem esse perfectiorem, non absolute; solus enim Deus est absolute perfectissimus, nec aliunde licet via simpliciori non incedat, ullum suæ naturæ lædit attributum. Non etiam relative; etenim via simplicior esset perfectior vel relative ad Dei mentem & consilium, vel ad totam pręsentis mundi compagem; sed neutrum satis novimus ut asseramus viam simpliciorem esse perfectiorem relative vel ad Dei consilium, vel ad totam hujus orbis compagem. Ergo. Immo probari non potest Deum via simpliciori semper incedere, etiamsi via simplicior sit perfectior. Probari enim non potest Deum semper manifestare suam sapientiam aut quamlibet perfectionem quantum potest & in ultimo possibili perfectionis gradu. 3. Probari non potest viam simpliciorem esse breviorem in omni hypothesi. Licet enim talis sit in se, forsan talis non

non est relative ad has vel illas circumstantias, ad hæc vel illa impedimenta, v. gr. Brevius forsan fuisset vires hominis labefactatas in eodem ordine augere & cuilibet operi producendo pares, potiusquam vires supernaturales addere. At fortasse obstabat creaturæ conditio; nec via ista tunc erat brevior. 4. Probari non potest Deum viis simplicioribus semper insistere, quia via simplicior est brevior. Verum quidem est hominem laboris impatientem, boni alicujus cupidum quod sibi tanquam finem ultimum exoptat, viis simplicioribus insistere debere, tum ad defatigationem, tum ut mentis ac virium distractionem, divisionem & exhaustionem præcaveat. At Deus qui sibi perfecte sufficit, eam omnem quæ ipsi placuerit viam incedere potest, nec vires aut labefactatas, aut exhaustas timere habet. II. Falsum est alterum illud quod supponit D. Houtevillius, nempe systema legum generalium solam esse viam simpliciorem; ideo enim istud contendit celeb. ille Abbas, quia supponit in opposito systemate Deum duplici actu decernere leges & earum exceptionem: porro istud etiam gratis supponitur. Licet enim res ita se habeat juxta nostrum concipiendi modum, tamen in Deo unicus est actus. III. Falsum est etiam aliquas leges generales esse ignotas; vel enim leges illæ sunt incognitæ eo sensu, quod licet actu non cognoscantur, tamen cognosci possunt, aut cognoscendæ sunt aliquando, vel eo sensu quod nec cognoscantur, nec cognoscibiles sint. Primum verum est, sed nihil ad rem facit. Secundum aut falsum est, aut temerarium; aut enim stat decretum ex parte Dei quo caveatur ne cognoscantur leges illę, aut non stat tale decretum; si primum, ostendant illud; alias temeraria erit assertio. Si secundum, ergo falsum est leges illas esse incognoscibiles. Nam ex natura sua proportionem habent cum intellectu humano, tamque cognoscendi possunt, licet adhuc incognitæ, quam leges electricitatis.

Prob. 3. Ex absurdis & incommodis. Nam 1. sequitur ex illa sententia miracula esse effectus mere naturales. Quantumvis enim ignotæ sunt nobis leges illæ generales, sunt tamen naturales; Ergo earum effectus sunt tantum naturales. Hinc 2. sequitur miracula omnem suam vim & auctoritatem amittere. Eo ipso enim quo sunt naturales naturalisque ordinis, jam majorem testimonii vim & energiam habere non possunt quam ceteri effectus naturales. Eam enim majorem probandi vim haberent vel ex natura sua, vel ex determinatione Dei; porro non haberent ex natura sua. Quod est enim naturale naturalisque ordinis nullam habet ex natura sua cum veritatibus supernaturalibus proportionem. Non etiam ex determinatione Dei; ubi enim legitur illa determinatio? Undenam edisci vel sciri potest Deum hos vel illos effectus naturales potius quam alios selegisse ad manifestandam suam voluntatem extraordinariam & supernaturalem ordinationem? v. g. Si cæci nati illuminatio aut eclypsis tempore Christi mortis futura erat legum generalium fœtus, jam opus istud divinam Christi missionem non magis evincebat quam oculorum quælibet sanatio, aut vulgaris solis eclypsis. Et vero effectus qui oritur ex legibus generalibus non superat vires naturæ. Porro miraculum ex se est effectus qui superat vires naturæ. Miraculum enim omnipotentis Dei manum indicat: sed manum omnipotentis non indicat, nisi ipsi sit proprium, & aliter ab eo emanet quam ceteri effectus. Ergo cum alii effectus oriantur a legibus naturæ, miraculum ab iisdem oriri non debet: sequitur 3. miracula Christi suum nomen debere soli Judæorum ignorantiæ, Christumque nihil aliud fuisse quam peritiorem legum naturalium indagatorem. Sequitur saltem Christum immerito provocasse ad operum suorum substantiam & inde suam æqualem cum Patre potentiam non evicisse. Opera enim illa non magis vere & efficienter operabatur quam sancti qui dum miracula edunt, nihil efficienter & physico influxu producunt. Christi autem argumentum supponit æqualitatem potentiæ, ac proinde æqualitatem influxus & efficientiæ. Sequitur denique miraculum ab aliis effectibus naturalibus distingui non posse, nisi vel quod rarum sit, vel quod homini sit impossibile,

ſibile, quia leges ex quibus reſultat ſunt ipſi imperviæ; quod utrunque jam confutatum eſt.

Prob. 3. Ex unanimi omnium hominum conſenſu. Scilicet hæc miraculi notio tum Judæo, tum Chriſtiano incognita omnino fuit, nec in Gentilium mentem unquam venit.

Prob. 4. Ex inutilitate & inſufficientia hujus ſententiæ. Nullatenus enim evolvit naturam miraculi, tum quia formalem ac conſtitutivam ejus rationem repetit ex legum generalium ignorantia; ignorantia enim noſtra eſt quid naturæ miraculi omnino extrinſecum; tum quia evidens eſt miracula eſſe legum generalium exceptionem manifeſtam; tum quia ſupponitur eſſe in rerum natura quaſdam leges quas nunquam cognoſcemus, quod ad minus dubium eſt & incertum; tum quia hæc notio ad varias miraculorum ſpecies applicari nequit. Qua enim naturali motus communicatione eo uſque ſeptem panes multiplicati ſunt ut innumera hominum millia ſaturarentur? Qua mechanica corpus jam putrefactum revixit? Quo novo harmoniæ cæleſtis ſyſtemate, abſque ulla ordinis aſtronomici immutatione aut perturbatione inſolitam moriente Chriſto eclypſim ſol expertus eſt? Quænam legum generalium combinatio Chriſtum ad lucem revocavit?

Prob. 5. Ex Chriſti & Moſis miraculis. Miracula ſane illa ſunt vera: jam verò miracula illa non fuere combinationes aut effectus legum generalium. Combinationes enim & effectus legum generalium reſultant ex variis & innumeris naturæ legibus quæ ſibi mutuo occurrunt & ſe invicem modificant: porro Chriſti aut Moſis miracula non reſultant ex naturæ legibus quæ ſibi mutuo occurrant & ſe invicem modificent. Illa enim miracula non reſultant ex illis legibus quæ non habent characteres quibus veſtiuntur effectus ex legibus prædictis dimanantes: atqui miracula Chriſti & Moſis illos characteres non habent. His enim indiciis ſe prodit effectus legum generalium, his veſtitur characteribus; in effectibus qui ex legibus generalibus incognitis reſultant, leges cognitæ combinantur, ſuſpenduntur, limitantur per alias leges quæ manifeſtæ ſunt per ipſammet exceptionem & limitationem quam præcedentibus legibus apponunt. Uno verbo effectus legum generalium facile cognoſcitur vel per ſe, vel quia deducitur ex legibus cognitis certo quodam modo diſpoſitis & attemperatis, vel novam legem prodit quæ alias ſuſpendit & cum iis conjungitur. Sic v. g. ferrum attrahit & ſuſpenſum tenet lapis magneticus: tuncque nemo non videt gravitationis legem ſuſpendi per aliam legem quæ eſt in ordine phyſico. Jam vero characteres illi non occurrunt in miraculis Chriſti & Moſis. In iis enim interrumpitur ordo naturæ, nec patet per quod interrumpatur; non ſolum nulla occurrit aut manifeſtatur lex antea incognita nullum agens naturale, quod applicetur, nulla cum aliis naturæ effectibus cognitis analogia deprehenditur, nulla conſtans & uniformis prodigiorum illorum ſucceſſio; verum etiam omnia deprehenduntur contraria. Relationem dicunt ad meros & ſimplices voluntatis actus, ad nutum operantium producuntur & ab eorum conſiliis pendent. Ergo in miraculis Chriſti & Moſis nullus occurrit character effectus a legibus generalibus dimanantis. Ergo non ſunt combinatio aut effectus legum generalium, nec ex iis dimanant. Hæc ſunt generalia quaſi argumenta. Hæc ſufficiant pro confutanda hac ſententia in quantum diceretur ordinatio actu exiſtens. Sed cum poſſit propugnari ut mera hypotheſis, poſſintque ſupponi leges illæ decretæ vel antecedenter, vel conſequenter ad prævisas liberas creaturarum actiones, operæ pretium eſt duplicem illam hypotheſim ſollicitare. Unde ſit

CONCLUSIO VIII.

Miraculum non rectè ſupponitur effectus legum generalium, ſi leges illæ ſupponantur ſtabilitæ ante prævisas liberas creaturarum actiones.

Prob. 1. Ex fine & ſcopo miraculi. Scopus & finis miraculi eſt manifeſtare ſpecialem & extraordinariam Dei volitionem: atqui effectus fluens ex legibus generalibus ſuppoſitis antecedenter

ter ad prævisas liberas creaturarum actiones non potest inservire ad manifestandam specialem & extraordinariam Dei volitionem. Effectus enim qui nullam designat in particulari volitionem Dei specialem, non talem potius quam talem, non hanc potius quam aliam, effectus inquam ille non potest supponi inservire ad manifestandam specialem & extraordinariam Dei volitionem; porro effectus dimanans ex legibus generalibus positis antecedenter ad prævisas liberas creaturarum actiones nullam specialem & extraordinariam Dei volitionem designat. Etenim effectus qui nullam dicit connexionem cum tali volitione non potest eam designare: atqui effectus dimanans ex legibus generalibus suppositis antecedenter ad prævisas liberas creaturarum actiones nullam dicit connexionem cum speciali & extraordinaria Dei volitione. Nam eo ipso quo effectus deduci potest ex primario ac generali decreto quo universim & in perpetuum ordinatus est ordo præsens, jam non oritur ex voluntate speciali; jam scopus illius, qualiscunque tandem sit, confunditur quoad nos cum generali totius orbis ordine. Ergo effectus ille nullam dicit cum speciali ordine & Dei voluntate connexionem. Ergo non potest inservire ad manifestandam specialem Dei volitionem. Nam volitio illa intimam dicit cum libera creaturæ actione connexionem. Leges generales ad edendos effectus miraculosos determinantur per liberam creaturæ acturæ actionem aut volitionem.

Et vero effectus qui ortus fuisset independenter a quacunque nova doctrina, & sive prædicata fuisset sive non, inservire non potest ad obfirmandam illam doctrinam: sed effectus qui oritur antecedenter ad prævisas liberas hominum actiones hoc ipso ortus fuisset independenter a nova doctrina. Ergo inservire non potest, &c.

Prob. 2. Ex Christi & Apostolorum miraculis. In illa hypothesi miracula Christi & Apostolorum extitissent infallibiliter tam seposita quam posita eorum actione, volitione & oratione, ut patet ex dictis; atqui repugnat miracula Christi & Apostolorum extitisse infallibiliter tam seposita quam posita Christi & Apostolorum actione, &c. Nam repugnat asserere effectus qui non extitere, nisi consequenter ad liberas Christi & Apostolorum actiones, &c. independenter tamen ab illis extitisse: atqui præfata miracula non extitere nisi consequenter ad liberas Christi & Apostolorum actiones, &c. Sancta enim Scriptura hoc ubique constanter & uniformiter exhibet. Sic v. g. leprosi mundatio, illuminatio cæci nati, panum multiplicatio, & alia innumera.

Prob. 3. Ex omnium Thaumaturgorum declaratione. Illa hypothesis non est admittenda in qua omnes Thaumaturgi, ne excepto quidem Christo, fuissent impostores: atqui in ea quam refellimus hypothesi omnes Thaumaturgi, ne excepto quidem Christo, fuissent impostores. Qui enim asserit miracula a se pendere, dum tamen ab eo non pendent, qui contendit se miracula facere, quia vult, dum miracula cum ejus volitione nullam dicunt connexionem, ille est impostor: atqui omnes ad unum Thaumaturgi, ne excepto quidem Christo, id asseruerunt; ergo fuissent impostores.

Prob. 4. Ex absurdis. Illa hypothesis non est admittenda ex qua sequuntur absurda: atqui ex præsenti quam impugnamus hypothesi sequuntur absurda. 1. Enim miracula tam forent effectus naturales quam prima & qualibet vulgaris solis eclypsis; orirentur enim ex legibus naturalibus, ex generali Dei voluntate, nullo habito respectu ad speciale Dei consilium, ad liberas creaturarum actiones. Hinc 2. nulla posset reddi ratio cur frequentiora fuerint miracula in Judæa v. g. quam ubicunque alibi.

CONCLUSIO IX.

Miraculum supponi non potest fluere ex legibus generalibus, etiamsi leges illæ supponantur condita consequenter ad prævisas liberas creaturarum actiones.

PRob. 1. Ex probatis & concessis. Etenim concedunt hujus sententiæ pa-

patroni miraculum fore effectum naturalem si flueret ex legibus generalibus antecedenter ad prævisas liberas creaturarum actiones : atqui pariter miraculum est effectus naturalis etiamsi leges illæ supponantur latæ consequenter ad illas actiones. Si quid enim obstaret quominus miraculum foret effectus naturalis in illa hypothesi, sane respectus quem dicit ad actiones creaturarum liberas, & voluntas Dei specialis quæ hunc respectum ordinavit : atqui istud non obstat. Respectus enim ille est quid omnino extrinsecum tum primario illi ac generali decreto, tum miraculo. Ergo posito etiam illo respectu, tum decretum, tum miraculum manent id quod erant antea. Sed antea decretum erat quid naturale, absente illo respectu, effectus ejus fuisset naturalis, ut fatentur. Ergo posito etiam illo respectu ad liberas creaturarum actiones, miraculum tam est naturale quam primarium decretum, seu quam leges generales a quibus fluit.

Prob. 2. Ex impossibilitate discernendi miraculi. Deus non potuit ansam nobis præbere confundendi miraculi cum aliis effectibus naturalibus: atqui in præsenti hypothesi Deus ansam nobis præbuisset confundendi miraculi cum aliis effectibus naturalibus ita ut utriusque distinctio foret impossibilis. Si enim in illa hypothesi distingui posset miraculum ab effectibus naturalibus, sane juxta auctores illos, ex respectu illo ad liberas creaturarum actiones, & ex voluntate speciali hunc respectum statuente : atqui inde distingui non potest miraculum. Nam respectus ille, voluntas illa nos latet. Ergo respectu nostri est quasi non esset. Sed si deesset ille respectus, miraculum, fatentibus iis a quibus hic dissentimus, foret effectus naturalis. Ergo saltem quoad nos tunc miraculum debet esse effectus naturalis, nec distingui potest ab effectibus naturalibus.

Prob. 3. Ex incommodis. Scilicet in illa hypothesi idem incurritur incommodum quod oppositæ sententiæ supponunt ii quos hic impugnamus. Ideo enim præsentis hypothesis patroni oppositam respuunt sententiam quia in opposita sententia contendunt admittendum esse duplicem ex parte Dei actum, ubi unus sufficit ; I. quo leges condidit Deus. II. Quo earum exceptionem & interruptionem decrevit : atqui pariter in eorum hypothesi duplicem actum in Deo admittere coguntur ; I. quo leges generales condidit. II. Quo voluit specialiter tales leges tali loco, tali tempore miracula sortiri : volitio qua leges condidit distinguitur ab ea qua miracula illis legibus alligavit, sicut voluntas generalis a speciali: sicut voluntas qua leges condidit distinguitur ab ea qua iis exceptionem apposuit per miracula. Uno verbo eodem jure quo unicus est & simplex voluntatis actus quo & effectus naturales & prodigia ex legibus generalibus decrevit Deus, eodem & leges generales & earum exceptiones mandasse dicimus; aut si duplicem actum in Deo nos admittere pertinaciter contendant, eodem jure telum istud adversus Houtevillium retorquebimus.

Et vero voluntas qua miracula legibus generalibus ascripsit vel est generalis, vel est specialis: atqui sane est specialis. Nam vel omnibus legibus generalibus, pro omni loco & tempore miracula alligavit, vel tantum quibusdam legibus pro certo quodam loco & tempore: atqui sane non primum. Ergo posterius. Ergo voluntas illa est specialis dum prima est generalis. Ergo distinguuntur. Ergo duplex est actus sicut in opposita sententia.

Prob. 3. Arg. ad hominem. Ii quos hic impugnamus nolunt admittere sententiam Houtevillii ut actualem & actu vigentem ordinationem, sed admittendam volunt ut hypothesim & ut ordinationem possibilem; jam vero si respuatur ut actualis ordinatio, debet respui etiam ut hypothesis. Posito enim possibili in actu, nihil sequitur absurdi. Ergo si sententia Houtevilli possit admitti ut hypothesis possibilis, poterit supponi actu existens; vel si nolint concedere illam ordinationem esse actualem, negent etiam eam ut possibilem. Norunt enim omnes momenta & causas ex quibus nemo audeat sententiam illam

illam propugnare ut actualem ordinationem. Sed eadem momenta obstant ne propugnetur ut hypothesis.

CONCLUSIO X.
ET COROLLARIUM.

Systema celeberrimi Houtevillii nullo sensu propugnari potest.

PRob. Systema illud propugnari posset vel ut actu existens inordinatio, vel ut mera hypothesis; porro neutrum propugnari potest. Non primum, ut patet ex conclusione tertia superiori. Non secundum; nam tunc supponeret leges conditas vel antecedenter vel consequenter ad prævisas liberas creaturarum actiones: atqui ex duplici mox proposita conclusione neutrum propugnari potest. Ergo systema illud, &c.

CONCLUSIO. XI.

Miraculum non recte definitur effectus derogans omnibus naturæ legibus cognitis eoque ipso cognoscibilibus.

Prob. Hæc definitio vel nihil dicit, vel ipsissima est Houtevillii definitio aliis verbis reddita, iisdemque confutatur argumentis.

Obj. 1. Miraculum potest definiri opus ex legibus generalibus incognitis dimanans. Suppono 1. Deum posse sequi vias simpliciores, non dico eum ad id teneri, sed tantum posse; Deus enim tam potest viis simplicioribus insistere, quam ab iis declinare; nullum læditur ejus attributum ex eo quod vias illas sequatur. Immo quod Deus sic se gerat magis ipsum decet. Deus enim, utpote simplex in natura, debet esse simplex etiam in actione; perfectius est esse simplicem sub utroque respectu quam sub uno tantum. Suppono 2. Deum leges generales condere potuisse satis fœcundas ut ad effectus extraordinarios assurgere possent; potuit enim Deus leges illas perfectiores condere quam nunc sunt, vimque majorem quam nunc habent ipsis communicare. Quo magis fœcundas leges condiderit, eo magis suam manifestabit potentiam; Suppono 3. Deum effectus illos non nisi certis casibus alligasse, ad significandam volitionem aliquam extraordinariam. His positis, sic argumentor. Illa sententia præ ceteris est admittenda quæ est clarior & facilior, id est, quæ miraculi naturam clarius evolvit & oppositæ cujuscunque sententiæ tollit incommoda: porro talis est sententia celeb. Houtevillii. 1°. Miraculi naturam clarius evolvit quam quælibet altera sententia. Nihil enim simplicius quam certam & determinatam miraculi causam assignare. Porro recurrendo ad leges generales, datur causa miraculi certa & determinata dum in aliis systematibus constituitur miraculum vel in aliquo extrinseco, vel in aliquo intrinseco quidem, sed inintelligibili. Et si quid obstaret quominus leges naturales possint e sinu suo educere miracula, vel quia sunt naturales, vel quia sunt generales, vel quia sunt incognitæ: jam vero nihil horum obstat quominus ex legibus generalibus possint miracula prodire. 1. Non quia sunt naturales; tam enim Deus potest leges illas, licet naturales, ordinare ad significationem supernaturalem, quam Iridem determinavit ad manifestandam volitionem extraordinariam & supernaturalem. Non 2. quia sunt generales. Nam licet sint generales, earum actio potest esse specialis & particularis; ergo & earum effectus potest esse particularis. Hoc etiam patet exemplo Iridis. Non denique ex eo quod sint incognitæ. Immo id apprime consonat principiis oppositæ sententiæ quæ ad miraculum requirit ut ignotus sit ordo juxta quem fit miraculum. 2. Facilior est; 1. enim nullam secum involvit incommoda; ut patet ex modo dictis. Deinde futilia sunt illa incommoda quæ ipsi supponuntur. Primum; non ideo Deus vias simpliciores tenet quia defatigationem reformidat, sed quia repugnat ut actum inutilem eliciat, & faciat per plus quod æque potest per minus. Majorem inde gloriam sibi conciliabit. Gloria enim Dei ex operis excellentia resultat. Nam ex concessis, simplicius est facere per minus quam per plus; ex concessis etiam plus est derogare

gare legibus, quam ex iis producere. Ergo simplicius est miracula ex legibus generalibus educere. Sed opus simplicius est etiam perfectius & magis excellit: ergo ex viis simplicioribus majorem gloriam sibi conciliat Deus. Unde, quod Deus viis simplicioribus insistat, id oritur ex natura entis simplicis, ex simplicitatis essentia & legum generalium constitutione. Discrimen inter miracula & ceteros effectus naturales desumitur in illa sententia, non ex eo quod miraculum sit rarum aut homini impervium, sed ex eo quod sit fœtus combinationis specialis quæ homini omnino ignota est. Hæc sententia tollit etiam incommoda adversæ cujuslibet sententiæ. Tollit impossibilitatem cognoscendi miraculi. Ubicunque enim cognoscuntur leges juxta quas fit effectus aliquis, ibi certo pronuntiare possumus non adesse miraculum; ubicunque e contra non cognoscuntur leges juxta quas producitur effectus, ibi certo certius pronuntiare possumus adesse miraculum. Hinc evanescit prætensa illa oppositio miraculorum cum Deo a Spinosa tantopere decantata. Ex his omnibus resultat sententiam Houtevillii & clariorem esse & faciliorem ac consequenter sententiam ejus esse amplectendam. Itaque illa sententia est præ ceteris admittenda quæ & clarior & facilior: atqui & clarior & facilior est sententia quæ miraculum ascribit legibus generalibus. Ergo.

R. 1. n. maj. Ut enim aliqua præ ceteris admittatur sententia, non sufficit eam esse clariorem & faciliorem, sed præterea requiritur ut certis & inconcussis nitatur principiis. Porro talis non est præfata sententia. Ergo.

R. 2. n. min. 1. Allata miraculi definitio non est clara, seu non clare determinat naturam miraculi. Nam non determinatur utrum leges illæ sint cognoscibiles nec ne. Deinde cum leges illæ sint nobis saltem actu incognitæ, in earum natura non clare percipimus earum vim & energiam ad miraculum se extendere. 2. Allata sententia non est facilior; tum quia sua sibi habet propria incommoda, tum quia ea quibus premuntur aliæ sententiæ non satis declinat aut removet.

Inst. Atqui præfata sententia certis nititur principiis. Nam illa miraculi notio sequitur ex suppositionibus antea datis: atqui suppositiones illæ sunt veræ & certissimæ. Ergo.

R. n. min. Scilicet verissimas & certissimas esse suppositiones quæ præfato systemate præeunt. 1. Non adeo certum est Deum viis simplicioribus semper insistere, viis, inquam, simplicioribus & absolute & in se. Nam clare concipitur fieri posse ut viæ illæ in se simpliciores cum conditione creaturæ & multis aliis circumstantiis non compatiantur. Si vero agatur de viis simplicioribus relative & in præsenti hypothesi, certi esse non possumus has vel illas vias esse simpliciores relative ad præsentem hypothesim cujus omnes combinationes non cognoscimus. Denique certo constare nobis non potest Deum semper insistere viis simplicioribus sive absolute, sive relative ad præsentem hypothesim; nam certum non est Deum teneri ad optimum & perfectissimum. 2. Immerito supponitur Deum potuisse condere leges generales satis fœcundas ad producenda miracula. Juxta multos enim videtur repugnare causas mere naturales vi sibi propria & innata ad effectus supernaturales assurgere. 3. Denique supponitur Deum effectus illos certis quibusdam casibus alligasse. Sed ubinam legitur, aut undenam concluditur talem divinæ voluntatis determinationem revera existere? Conditur systema sine ullo fundamento.

Et vero hæc omnia vel intra meram possibilitatem hærent, vel talia esse actu supponuntur. Si intra meræ possibilitatis sphæram hæc circumscribantur, partim nihil probant, partim falsa sunt. Quantum enim ad primum principium, scilicet Deum viis simplicioribus semper insistere, 1. libenter fatemur Deum posse vias simpliciores præ compositis eligere; at negamus eum ad id teneri ex necessitate naturæ suæ. Ex eo quod porro Deus possit vias simpliciores usurpare, nihil inde sequitur. 2. Systema Houtevillii sibi contradicit. Ex una enim parte Deus necessitate naturæ suæ ad vias simpliciores tenetur, ex altera vero omnium effectuum qua naturalium,

qua supernaturalium ex legibus generalibus eductio est via simplicior. Ergo systema illud non jam ut mera hypothesis possibilis, sed ut vera actualitas propugnari debet. 3. Deum ex necessitate naturæ suæ ad vias simpliciores teneri non magis probari potest quam eum ad optimum teneri. Porro principium illud est basis & fundamentum quo nititur secunda assertio, leges nempe generales potuisse effectuum naturalium & supernaturalium duplici fœtu gravidari. 4. Etiamsi posset, immo teneretur Deus viis simplicioribus insistere, non sequitur miracula e sinu legum generalium educi. Requiritur prætereа ut possibile sit his viis naturalibus produci miraculum, seu requirirur prætereа ut viæ naturales, quantumvis simplices, possint producere miracula & hanc habeant efficaciam. Porro repugnat Deum communicare legibus generalibus, utpote naturalibus, vim & energiam producendi miracula. Etenim miracula in se sunt effectus entitative supernaturales. Vel ergo virtus producendi miracula foret naturalis, vel foret supernaturalis. Si supernaturalis, tunc accidens seu modificatio est subjecto longe nobilior, cum tamen quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur. Uno verbo, absurdum est legibus naturalibus communicari vim supernaturalem. Ergo. Si vero legum generalium efficacia sit naturalis, jam quid sibi vult causa & efficacia, seu virtus naturalis & effectus supernaturalis? Undenam enim foret supernaturalis, saltem intrinsece & entitative? 5. Implicat in terminis leges generales vi & efficacia naturali effectus supernaturales producere, ut patet ex sola terminorum expositione. Effectus enim supernaturalis tunc est effectus qui superat nativas causæ naturalis vires. Miraculum ergo foret ex hypothesi, effectus supra vires legum generalium, & simul etiam non foret supra illas easdem vires, nam ex nativis legum generalium virtutibus oriretur. 6. Efficacia & virtus producendi miracula sive naturalis, sive supernaturalis non potest communicari legibus generalibus. Etenim creatura non potest elevari ad producendos effectus quoscunque nisi eos cum quibus habet proportionem aliquam saltem habitudinis remotam. Sic v. g. Deus non potest uti lapide ad eliciendam visionem beatificam; materia non potest cogitare quin statim in naturam spiritualem convertatur: sic leges generales non possunt producere miracula, v. g. operari resurrectionem quin statim in naturam causarum supernaturalium convertantur. Nec profecto leges illæ ullam etiam remotam habitudinis proportionem cum resurrectione mortui præ se ferunt. 7. Virtus producendi miracula non posset non esse naturalis legibus generalibus, tum quia a primo institutionis instanti vis illa impressa est; tum quia oritur necessario, posito decreto Dei, ex tali legum generalium naturali combinatione; tum denique quia ejusdem ordinis videtur ac vis producendi effectus supernaturales.

Inst. Atqui præsens illa sententia clarior est & facilior. Juxta illam sententiam miraculum est specialis combinatio legum generalium: atqui 1. his verbis clare evolvitur natura miraculi. Ergo.

R. n. min. Miraculi natura non dare evolvitur ex combinatione etiam speciali legum generalium; tum quia quælibet combinatio legum generalium ad certos, ac distinctos effectus est speciali: tum quia combinatio illa licet specialis, nulla ex parte sui quantum ad suam naturam determinatur ad miraculum; tum quia miraculum in ratione miraculi constitui videtur ex specialitate modi, quo producitur, magis quam e specialitate combinationis. Ergo posita speciali combinatione legum generalium non statim dare intelligitur miraculum.

Inst. Illa definitio est clara quæ clare & diserte miraculi naturam evolvit & illud sufficienter distinguit ab aliis effectibus naturalibus: atqui res ita est. Per illas enim voces, combinatio legum generalium tam clare exprimitur miraculi natura quam quando dicitur effectum naturalem esse combinationem vel fœtum legum naturalium; per illas vero voces, combinatio specialis sufficienter distinguitur a quolibet effectu naturali. Unde illa definitio est clara quæ clare & dilucide miraculi naturam ex-

primit

primit & illud secernit a quolibet alio effectu naturali: atqui talis est præsens hæc definitio. Ergo.

R. n. min. quoad utramque partem. Ut enim clare exprimeretur natura miraculi, deberet clare exprimi ut est effectus supernaturalis & distinctus ab aliis effectibus naturalibus. Jam vero eo ipso quo miraculum est effectus & combinatio legum generalium, miraculum est tantum effectus naturalis; nec potest satis distingui ab aliis effectibus naturalibus ex eo quod sit combinatio specialis. Combinatio illa enim sit specialis nec ne, ejusdem tamen remanet naturæ; nullam habet proportionem cum veritatibus supernaturalibus & extraordinariis Dei voluntatibus. Sic ipse habet celeberrimus ille Abbas. „ Unde „ fit, ut prodigia non comprehenderen- „ tur, & ante statuta non essent in ge- „ nerali naturæ, ordine veluti cum en- „ tia informata præparata sunt, conti- „ nenturque in primo suæ speciei ente? „ Unde fit, ut hic haberetur quid am- „ plus, quam evolutio? Quodnam ergo „ discrimen invenitur nisi hoc, isthæc „ minus usitata esse, illa vero usitatio- „ ra. „ Hæc ille ex quibus manifestum est effectus miraculosos in legibus naturalibus præcontineri, sicut individua in primo individuo, illos effectus nihil aliud esse quam leges naturales magis ac magis evolutas & explicatas, ac proinde effectus miraculosos esse naturales naturalisque ordinis. Ergo licet combinatio sit specialis, semper est naturalis, nec ab ea distinguitur nisi ut specialis & major evolutio. Deinde effectus supernaturalis a naturali distingueretur vel per voluntatem, seu combinationem specialem, ut specialis est, vel per ordinem & proportionem causæ a qua dimanat, vel per modum quo dimanat a causa. Porro nihil horum dici potest. Non primum; nam voluntas specialis legibus naturalibus non indit vim distinctam ab ea quam antea habebant. Etiam posita illa voluntate speciali, leges illæ agunt ex voluntate generali & efficacia quam Deus ipsis indiderat ex voluntate ordinis naturalis. Voluntas illa specialis se habet ad illos effectus ut voluntas generalis & ipsis est omnino extrinseca. Nec sane effectus est eo ipso præcise naturalis quod oriatur ex voluntate generali, sed ex nativa causarum secundarum efficacia. Non secundum; id est, non ab ordine & proportione legum illarum. Nam leges illæ sunt eædem. Denique non per modum. Nam etiam posita illa voluntate speciali, effectus semper producuntur eodem modo quo naturales. Specialitas enim voluntatis non cadit in modum quo produci debet effectus, nec in modum quo agere debent leges illæ; neque in specialem combinationem, sed in effectum quem producere debent eodem modo, eadem efficacia ac naturales effectus. Hinc proprie loquendo non adest combinatio specialis, sicut in eclypsi solis non adest combinatio specialis eo sensu quo hic requiritur: hinc nullum ex citato Auctore discrimen inter naturales & supernaturales effectus, nisi quod illi frequentiores, hi vero rari sint.

Inst. Si quid obstaret quominus definitio allata clare exprimeret naturam miraculi & illud a quocumque alio effectu naturali discerneret, vel quia leges illæ sunt generales, vel quia sunt naturales, vel quia sunt incognitæ: atqui nihil horum obstat. Ergo.

R. n. min. Et dico hæc omnia obstare quominus clare evolvatur miraculi natura per allatam definitionem. 1. Quia cum leges illæ sint naturales, jam earum effectus est ejusdem naturæ ac leges illæ; ac consequenter est naturalis. Deinde quia sunt generales & fluit ab illis quatenus sunt generales, jam non concipitur quomodo combinatio possit esse specialis. Demum cum leges sint incognitæ, jam certo pronuntiare non possumus leges illas eo usque sese extendere, & in earum natura non detegimus vim & energiam illam.

Inst.

„ D'où vient que les prodiges ne seroient pas compris & préétablis dans l'ordre general de „ la nature, à peu près comme des Etres organisés sont preparées & contenus dans le premier indi- „ vidu de leur espece? D'où vient qu'il y auroit ici quelque autre chose qu'un developpement? „ Quelle difference y decouvre-t-on, si ce n'est que ceux-ci sont plus rares, celles-ci plus communes?

Inst. Atqui saltem illa sententia est facilior. Illa enim sententia est facilior quæ nulla sibi annexa habet incommoda quæ occurrunt in aliena sententia: atqui 1. sententia celeb. Houtevillii nulla sibi annexa habet incommoda; nam incommoda huc usque recensita sunt 1. quod supponat defatigationem in Deo. 2. Quod miraculum non possit discerni nisi quia rarum est aut homini impervium: atqui hæc omnia vana sunt. Non ideo enim Deus viis simplicioribus insistit quia defatigationem timet, sed quia ita postulat ejus natura. Cum enim Deus sit simplex natura, debet esse simplex in actione; perfectius enim est esse simplicem sub utroque respectu, quam sub unico. 2. Discernitur miraculum ex eo quod sit combinatio specialis legum generalium. Ergo nulla sunt incommoda recensita.

R. n. min. quoad utramque partem. 1. Non probatur sufficienter Deum teneri ad vias simpliciores. Equidem simplex est in natura, quia est spiritus; at non magis tenetur esse simplex in actione quam perfectissimus. Esse simplicem in actione, nihil aliud est quam manifestare per actionem simplicitatem quam habet in natura. Porro Deus non magis tenetur simplicitatem suam manifestare quam quamlibet aliam perfectionem. Deinde actio vel desumitur ex parte principii, vel ex parte termini, vel in se. Ex parte principii, semper est simplex: Deus enim talis est natura & essentia sua. Ex parte termini, non est simplex semper pro ratione objectorum. In se vero nihil est a Deo & termino distinctum. 2. Si bene intelligatur vox illa *specialis*, manifeste patebit illam vocem idem sonare ac *rarus*.

Inst. Atqui immerito supponitur Christum juxta Houtev. systema suam divinitatem insufficienter comprobasse. Ex data enim hypothesi, leges illæ sunt omnibus ignotæ. Nunc itaque quærere liceat undenam Christus leges illas cognoverit, vel undenam tam dociles ac secundæ fuerint ad ejus nutum; vel enim eas per se & sagacitate cognovit, vel cognitio illa fuit ipsi adventitia & divinitus concessa. Si primum: ergo Deus est qui creaturæ qualibet incognita virtute propria detegit. Verbo dicam; ex hac cognitione se Deum esse evincit. Quanto validius fieret argumentum si leges illæ nulli creaturæ cognoscibiles supponerentur! Si vero dicatur cognitionem illam fuisse Christo divinitus concessam, tunc par est argumenti robur. Cum enim Christus hinc se Deum assereret & probare vellet, Deus, salva providentia, ipsi talem cognitionem concedere non potuisset, si Deus non fuisset revera. Ergo ex utraque parte vincit systema Houtevillii. Hac eadem ratione ex summa Dei veracitate desumpta, fieri non potuit ut leges illæ tam secundæ & opportunæ in effectus miraculosos eruperint eo præcise instanti quo Christus, etiam inscius loquebatur. Unde sic argumentor. Tunc Christus suam divinitatem sufficienter probat quando ejus miracula intimam in omni hypothesi connexionem dicunt cum ejus divinitate: atqui etiam juxta Houtevil. systema miracula Christi intimam connexionem dicunt cum ejus divinitate: Ergo.

R. n. min. Et 1. quidem supponamus hic agi de legibus incognitis simpliciter. Supponamus etiam Christo non precariam, sed propriam ac nativam fuisse hanc generalium combinationum cognitionem. Nutat adhuc argumentum. Ex illa enim cognitione probaretur Christi divinitas vel directe, & ex illa ipsa cognitione per se, vel indirecte ipsum esse Deum & hanc cognitionem ut Deum habuisse: porro neutrum valere potest; non primum: tunc enim probandum esset hanc cognitionem esse specialem ac propriam solius divinitatis appendicem; alias evinceretur tantum Christum intelligentiam Homini & Angelo superiorem habuisse. Non etiam secundum: non potest enim evinci Christum esse Deum per miracula, in præsenti systemate, nisi probetur nativam ipsi ac propriam fuisse hanc cognitionem; nam probari non potest, juxta præfatam sententiam, opera a Christo patrata vera fuisse miracula, nisi probetur Christum hanc ex se & per se habuisse cognitionem. Ergo fit necessario circulus vitiosus; nempe probatur Christum esse Deum quia facit miracula, seu quia prædictam habuit ex se &

a se

à se cognitionem; & probatur aut supponitur Christum hanc à se habuisse cognitionem, quia Deus est. Si vero combinationum illarum cognitio Christo fuerit precaria & à Deo revelata, manifestum est quod ex ista revelatione gratuito concessa Christus, ut à Deo quidem missus & ut alter Moyses, agnosci potuerit; neutiquam vero ut Deus. Immo contrarium deduceretur, cum debitam divinitati cognitionem à se non habere & aliunde sibi accersere ex revelatione divinitus concessa convinceretur. Quidquid sit, in ea quam impugnamus sententia Christus non tam fecisset miracula, quam fieri cognovisset; consequenter non potuisset dicere, *facio*: attamen revera & proprie faciebat dicebatque: *opera quæ ego facio*. Fuisset enim tantum causa occasionalis vel moralis. Vincatur quantumvis Spinosa, non vincuntur Deistæ qui perfricta fronte negant ulla existere miracula & nulla revera esse ex eo deducunt quod omnes omnino effectus quos miraculi nomine donamus, incognitis materiæ legibus, proprietatibus & combinationibus debeantur; quod si leges illæ non solum incognitæ, sed etiam incognoscibiles prætendantur, præterquam quod gratis & absque ullo legitimo argumento, ex probatis, istud supponitur, manifestum est nihil inde concludi posse pro divinitate Christi decretorium. Licet enim supponantur leges illæ generales cuilibet enti creato imperviæ, saltem potest Deus eas alicui revelare potuisse aut de facto revelasse. Jam vero, ex probatis & eo quo Deus Christo v. g. leges illas extraordinarie revelaverit, non inde invicte probatur ejus divinitas, nec probatur legum illarum cognitionem omnibus aliis imperviam, Christo fuisse propriam ac specialem.

Inst. Atqui Christus sufficienter suam divinitatem comprobasset in Houtevilliana hypothesi. Nam divinitatem illam passim eruit Christus in Scripturis ex æqualitate, seu identitate potentiæ cum Patre: *Pater meus usque modo operatur & ego operor*. Deinde ex suprema auctoritate qua naturam flectit ad effectus extraordinarios, unde supremum prodebat quod in omnia habebat dominium. Si ergo in Houtevillii systemate hæc sufficienter comprobata maneant per miracula, invicta pariter manebit Christi divinitas; porro res ita est. Ex iteratis enim toties à Christo miraculis pronum erat concludere Christum leges illas sic combinare & ad nutum temperare; ergo pronum erat concludere Christum illum esse cui leges illæ suam debebant energiam, & à quo summe pendebant. Ergo pronum erat concludere illum esse Deum. Nec quicquam vetat quominus dicat *facio*, nam perinde facit sive per actionem immediatam, sive per leges generales agat, dummodo leges illæ suam ab eo efficientiam mutuentur; sicut Deus æque agit in frumenti productione & in miraculo. Hæc in varia sic distribuo argumenta. Ille suam divinitatem sufficienter probat qui evincit se illum esse cui leges generales suam debent vim & energiam & à quo summe pendent: atqui in Houtevilliana hypothesi Christus hæc sufficienter evincit: ergo.

R. n. min. Jussio qua Christus miracula edidit, locum habere potest etiamsi leges generales suam ipsi energiam non debeant, nec ab ipso pendeant. Nullum in sanctis, v. g. in Moyse & in aliis Thaumaturgis, arguit in leges illas dominium, nisi forte precarium, ergo nec in Christo. Ergo ex illa præcise jussione non evincitur leges generales suam Christo debere energiam; aut Christum revera agere, sicut Pater in rerum naturalium, v. g. in frumenti productione agit. Deinde vel Deus legum illarum efficientiam stabiliendo respexit ad contingentem & liberam Christi volitionem, vel non. Si primum; potuit Deus hanc stabilire energiam, licet Christus non foret Deus. Si secundum; ergo independenter à voluntate Christi positiva & contingenti effectus illi oriri debebant, seu voluntas Christi physice & efficienter non influit in horum effectuum productionem. Hinc dicere non poterat: *facio*, *operor*, quia leges illæ effectus illos edere debebant independenter ab ejus voluntatis influxu.

Inst. Saltem negari non potest, posita Dei providentia; Christi divinitatem, etiam in opinione Houtevillii, invictam manere, cum Christus opera illa se propria

propria & divina virtute facere afferet, & se Deum esse inde deduceret. Ergo in prædicto systemate sufficienter probatur Christi divinitas.

R. 1. n. ant. Ex providentia divina nascitur tunc pro Christi divinitate argumentum indirectum. Miracula enim non tam probant quam ipsa providentia. Porro certum est miracula a Christo patrata directe & per se probare. Ita omnes Theologi; ita ipsemet Christus: *opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me*. 2. n. conseq. Tunc enim liberatur Dei providentia, quando adest medium detegendi erroris. Porro si Christus fuisset impostor, adfuisset medium erroris detegendi. Cum enim leges generales facile cognosci possint ut naturales, vel per se, vel per suos effectus, vel per connexionem quam cum aliis legibus naturalibus habent, jam quilibet, data attentione, potuisset facile detegere effectus illos esse naturales, ac proinde divinæ providentiæ parum interesse ad quid applicarentur.

Inst. Atqui Christus sufficienter comprobavit suam divinitatem ex miraculis quæ fluant ex legibus generalibus incognitis. In illa enim sententia miracula fluunt quidem ex legibus generalibus incognitis, sed derogant legibus cognitis: jam vero hujusmodi miracula sufficienter probant divinitatem Christi; habent enim connexionem necessariam cum illa divinitate. Miracula enim illa divinitati, quæ falsa esset, patrocinari non possunt quin errorem necessarium importent. Dum enim effectus derogant legibus cognitis, jam prudenter judicantur esse contra leges cognitas; dum vero prudenter judicantur esse contra leges cognitas, jam idem est, saltem respectu nostri, ac si essent contra omnes leges. Effectus vero contra omnes leges importarent errorem necessarium, si verum non esset dogma in cujus confirmationem fiunt; ergo important eundem errorem, etiamsi fiant tantum contra leges cognitas. Sic itaque resumo argumentum. Miracula illa sufficienter probant divinitatem Christi quæ falsitati patrocinari non possunt quin importent errorem necessarium: atqui talia sunt miracula quæ fluunt ex legibus incognitis, derogant vero cognitis. Nam miracula quæ derogarent omnibus legibus & falsitati patrocinarentur, importarent errorem necessarium: sed miracula quæ derogant tantum legibus cognitis, idem sunt, respectu saltem nostri, ac si derogarent omnibus legibus; ergo miracula quæ derogant tantum legibus cognitis & falsitati patrocinarentur, important errorem necessarium. Ergo miracula Christi sufficienter probant ejus divinitatem, etiamsi derogent tantum legibus cognitis, fluant vero ex incognitis.

R. n. ult. min. Et dico miracula quæ derogant tantum legibus cognitis, non idem esse etiam respectu nostri, saltem quantum ad errorem necessarium, ac miracula quæ derogant omnibus omnino legibus. Idem prorsus est ac si quis contenderet sophismata seu evidentiam fucatam & apparentem idem esse, respectu nostri, ac evidentiam veram. Itaque in miraculis quæ derogant quibusdam tantum naturæ legibus, adest medium detegendi erroris, nempe legitima suspicio illos effectus oriri ex legibus incognitis, quæ licet sint incognitæ, sunt tamen naturales, & attentio ad principium a quo fluunt illa miracula. Scilicet omnium animis insitum est miracula esse effectus supernaturales & a naturalibus longe diversos. Ergo quoties legitima occurret suspicio eos effectus esse naturales, toties etiam aderit medium contra errorem necessarium. Jam vero quamdiu effectus orientur ex legibus naturæ incognitis, licet derogent legibus cognitis, tandiu erit legitima suspicio, immo ratio judicandi illos effectus esse naturales. Deinde vel leges illæ incognitæ cognoscibiles sunt, vel non. Si primum; adest medium detegendi erroris & effectus supernaturales a naturalibus discernendi. Si secundum, undenam istud constat?

Inst. Atqui Christus sufficienter divinitatem suam probavit ex miraculis sensu exposito intellectis. Etenim duo, ut jam sæpe diximus, in miraculo sunt hic distinguenda quæ tamen confundi videntur; nempe 1. miracula possunt considerari ut fœtus legum generalium incognitarum. II. Ut legibus quas novimus opposita. Non contendimus miracula

vim

vim probandi habere ex eo quod sint fœtus legum incognitarum, sed ex eo quod legibus cognitis derogent. Sic itaque resumo. Ut miracula sufficienter probent Christi divinitatem, satis est quod, quocumque modo tandem derogent naturæ legibus: atqui in præsenti sententia miracula, licet fluant ex legibus naturæ cognitis, aliquo tamen modo naturæ legibus derogant; derogant enim legibus cognitis. Ergo sufficienter probant divinitatem Christi.

R. n. maj. Ut miracula sufficienter probent, debent manum omnipotentis indicare; debet Deus agere distincta ab effectibus naturalibus. Jam vero licet miracula derogent quibusdam naturæ legibus, eo ipso quo fluunt ab aliis legibus, jam non distinguuntur ab effectibus naturalibus. Ergo.

Inst. Atqui ut miracula sufficienter probent, satis est quod qualicunque tandem modo naturæ legibus derogent. Certum est enim quod qua parte effectus derogant legibus naturæ, jam non sint naturales; unde cadit ratio in responsione allata. Certum est etiam quod quamdiu non cognoscantur leges illæ, jam miraculum habendum sit ut effectus supernaturalis. Unum ergo timendum est, nempe, ne aliquando tandem detegatur connexio leges inter illas & miracula. Porro tuto affirmari potest nunquam detegendam esse illam connexionem. Scilicet legum generalium combinatio duplex. Actualis una, possibilis altera. 1. Quidem certum est nobis nec notam esse, nec notam fore unquam totam hujus mundi compagem; ergo omnes actuales combinationes non attingemus; ergo aliquæ sunt inter illas quæ perpetuo ignotæ nobis manebunt. combinationes possibiles numero sunt infinitæ; ergo omnes nec cognoscimus, nec cognoscere possumus. Nec ad hoc requiritur miraculum; sufficit vero ut Deus prævideat has vel illas combinationes, illas ipsas fore quas perpetuo ignorabimus, deinde ut eas eligat ad miraculum. Non ergo timendum ne detegatur connexio leges generales inter & miraculum. Sic itaque prob. maj. neg. scilicet, ut miracula Christi sufficienter probent ejus divinitatem, satis esse quod qualicumque tandem modo legibus generalibus derogent. In tantum miracula non sufficienter probarent Christi divinitatem, in quantum aliquando detegeretur eorum connexio cum legibus generalibus: atqui nunquam detegetur, immo nunquam poterit detegi illa connexio. Non magis enim detegi poterit illa connexio quam detegi possunt variæ legum generalium combinationes sive actuales, sive possibiles: atqui combinationes illæ nunquam omnes detegentur, immo nunquam poterunt detegi: ergo non est timendum ne detegatur connexio miraculorum cum legibus generalibus.

R. 1. n. maj. Non ideo præcise miracula vim probandi amittunt in sententia celeb. Houtevillii, quia aliquando tandem posset detegi eorum connexio cum legibus generalibus, sed quia eo ipso quo revera fluunt ex legibus generalibus, eo ipso sunt effectus mere naturales, non miracula. Deinde undenam nobis constabit Deum elegisse leges illas nunquam cognoscendas ad miraculum producendum?

R. 2. n. min. Saltem quantum ad potentiam cognoscendi leges illas. Licet enim omnes adæquate & collective sumptas cognoscere non possimus, nulla est tamen distributive sumpta quam cognoscere non possimus, saltem si decretum divinum removeatur.

Inst. Contra neg. maj. Illi effectus non eveniunt nisi propter voluntatem Christi supernaturalem: atqui tales effectus sunt supernaturales. Ergo.

R. n. min. Voluntas enim Christi est quid extrinsecum naturæ illorum effectuum. Ergo exinde non mutatur eorum natura, & tales sunt consequenter ad illam voluntatem quales erant antecedenter, sed antecedenter ad illam voluntatem erant naturales. Ergo.

Inst. Atqui effectus illi forent supernaturales. Nam combinatio cujus fœtus sunt illi effectus cognosci non potuit, nisi per prophetiam: sed prophetia aliquid supernaturale & divinum in effectus illos refundit. Ergo effectus illi sunt supernaturales.

R. n. min. Divinitas & supernaturalitas illa quam in effectus illos refundit

prophetia est ipsis omnino extrinseca. Nullam vim in rei veritate ipsis communicat ad probandum, nullam mutationem in eorum naturam introducit. Tunc prophetia probat, non effectus. Idem prorsus est ac si quis spiritu prophetico prænuntiaret effectum aliquem libere & contingenter ponendum. Effectus ille foret semper idem posita ac absente prophetia, uno verbo foret naturalis.

Inst. Miraculum potest fluere ex legibus generalibus. Certum est enim miraculum eo destinatum esse ut significet voluntatem Dei extraordinariam. Voluntatem illam inter & signum ejus aliqua intercedere debet germanitas & relatio; porro relatio illa in eo consistere debere videtur quod sicut voluntas illa est specialis, ita signum sit etiam speciale. Jam vero hæc miraculi notio nedum evertatur, immo optime servatur in systemate Houtevillii. Ut enim adsit miraculum, juxta posita mox principia, requiritur & sufficit signum speciale & extraordinarium voluntatis Dei; porro in prædicto systemate adest signum speciale & extraordinarium. In illo enim systemate miraculum est combinatio specialis legum generalium; sed ubi adest combinatio specialis, adest signum speciale. Nam ideo sic combinantur leges generales, quia sic eas disposuit Deus voluntate & decreto speciali. Hinc absente illo decreto, nusquam leges illæ tales sortitæ fuissent effectus. Ergo eo ipso quo adest legum generalium combinatio specialis, adest signum speciale voluntatis alicujus extraordinariæ. Nec obstat quod combinatio illa sit combinatio legum generalium; nam iris in cælo est mera legum generalium combinatio, atqui tamen data fuit a Deo ut signum speciale volitionis illius specialis mundi nunquam ultra aquis delendi. Hæc itaque sic proponere licet. Verum & genuinum miraculum nihil aliud est quam signum speciale & extraordinarium volitionis alicujus divinæ: atqui ubi adest specialis combinatio legum generalium, ibi adest signum speciale & extraordinarium divinæ volitionis. Ergo ubi adest combinatio specialis legum generalium, adest verum & genuinum miraculum.

R. n. min. Effectus non habet ut sit miraculum ex eo quod sit combinatio specialis legum generalium, sed ex eo quod distinguatur ab aliis effectibus naturalibus, & alterius sit ordinis; inde enim relationem & consanguineitatem habet cum veritate quæ est supernaturalis, id est, ordinis superioris & distincti a veritatibus naturalibus. Uno verbo combinatio illa specialis semper est combinatio legum naturalium, ac proinde semper est naturalis, nec natura differt a combinatione generali. Ergo non majorem habet cum veritatibus & Dei voluntatibus supernaturalibus affinitatem.

Inst. Atqui combinatio specialis legum generalium, licet naturalis, potest esse signum speciale extraordinariæ Dei voluntatis. Iris in cælo est combinatio naturalis legum generalium: atqui tamen data est a Deo ipso in signum extraordinariæ voluntatis mundi nunquam aquis delendi; ergo combinatio legum generalium, licet naturalis, potest esse signum, &c.

R. 1. Retorqueo arg. Iris in cælo est combinatio naturalis legum generalium, sed generalis: atqui tamen Iris data est in signum voluntatis Dei extraordinariæ; ergo combinatio etiam generalis legum generalium esse potest signum, &c. Hoc itaque argumentum nimis probaret, nec evinceret tantum combinationem specialem, sed etiam generalem posse esse signum voluntatis Dei extraordinariæ ac proinde miraculum; quod est extra thesim.

R. 2. n. min. Iris in cælo data fuit a Deo, ex textu sacro, in signum fœderis Deum inter & Noachum; sicut diurnum solis & lunæ cursum postea dedit in signum constantis amoris erga Israel. Non proposita fuit ad manifestandam voluntatem ignotam, sed comparata fuit certitudo voluntatis jam notæ cum firmitate & constantia illius iridis.

Inst. Ad miraculum requiritur influxus immediatus omnipotentiæ divinæ: sed in combinatione speciali reperitur influxus immediatus omnipotentiæ divinæ. Nam ad combinationem specialem requiritur voluntas specialis; sed voluntas specialis non potest esse sine in-

influxu immediato omnipotentiæ divinæ. Ergo.

R. n. min. In combinatione legum generalium, etiam speciali, nullus reperitur influxus immediatus potentiæ divinæ; Deus enim tunc agit non per se immediate, sed per leges naturæ quæ ex viribus impressis effectum producunt. Voluntas est specialis, non in ipsa effectus productione, sed quoad combinationem solam.

Obj. 2. Tempestatum sibi invicem æquo ordine succedentium mira varietas, motus syderum adeo constantes & cætera opera naturalia oriuntur ex legibus naturalibus ac generalibus. Ergo etiam & opera supernaturalia ex iisdem legibus dimanare possunt. Nulla potest reddi ratio cur leges illæ supernaturalibus producendis operibus insufficientes sint, dum naturalibus effectibus sufficiunt.

R. 1. Esto totum. Non enim hic præcise agitur de eo quod esse aut fieri potest, sed de eo quod revera & actu existit. Ex eo quod leges naturales effectibus naturalibus sufficiant concludit celeberrimus Houtevill. leges illas posse etiam effectibus supernaturalibus sufficere. Sed supponit semper, nunquam vero hanc suam consequentiam probat.

R, 2. n. conseq. & par. Disparitatis ratio ex diversitate naturæ effectuum reperitur; eo ipso enim quo constat aliquem effectum esse supernaturalem, jam constat etiam inter effectum illum & leges naturales nullam esse proportionem, ac consequenter effectum illum non solum non oriri, sed nec oriri posse a legibus naturalibus.

Inst. Atqui miraculum est tantum legum generalium fœtus. Nam miraculum est tantum respectu nostri, non vero respectu Dei: atqui ideo miraculum est respectu nostri tantum, quia sequitur ex legibus generalibus nobis ignotis. Nam si omnes naturæ leges intime cognosceremus, jam nihil esset miraculum; si vero omnes illas leges omnino ignoraremus, jam qualibet res esset miraculum. Ergo eo ipso quo miraculum est tantum respectu nostri, jam est tantum legum generalium incognitarum fœtus.

R. n. min. Ex eo quod miraculum sit tantum respectu nostri, non sequitur oriri illud ex legibus generalibus incognitis, sequeretur tantum & ad majus leges quarum est effectus, qualescumque tandem sint, nobis esse ignotas, non vero leges illas naturales esse & generales. Scilicet in miraculo duo sunt distinguenda, voluntas nempe specialis, seu actio Dei effectum producentis independenter a causis secundis, & ignorantia ordinis ad cujus normam actionem illam componit. Itaque etiamsi leges omnes naturales ad amussim perspectas haberemus, esset tamen ex parte Dei actio illa & voluntas specialis, & quantum ad hoc esset miraculum. Tunc cognosceremus quidem actionem illam Dei specialem esse, consuetumque ordinem huic effectui producendo imparem fuisse; & possemus adhuc cognoscere ordinem juxta quem actionem suam elicuit. Si vero leges naturales nobis omnino forent ignotæ, cum non semper adesset actio & voluntas Dei specialis, non semper etiam adesset miraculum. In allata hypothesi verum erit rem quamlibet esse miraculum in scientia ideali; non vero in scientia experimentali & in rei veritate. Porro aliud est credi, & aliud est revera esse miraculum. Hinc manifestum est celeberrimum Abbatem Houtevill. sua semper supponere, non vero probare principia.

Inst. Ex dictis ideo solum miraculum proprie dictum est legitima mirandi causa, quia solus Deus qui illud operatur, nobis est proprie loquendo ignotus, seu ordo juxta quem agit, nobis est obscurus. Ergo saltem in eo consistit miraculum quod sit supra vires & leges naturæ manifestissime cognitas.

R. n. conseq. Ex modo dictis duo importat miraculum proprie dictum, excessum nempe supra vires totius naturæ creatæ, seu specialem Dei actionem & voluntatem a causis secundis independentem, & ignorantiam ordinis juxta quem agit. Illud posterius, seu ignorantia illa in nostris principiis est potius sequela & effectus prioris, & quasi conditio sine qua non ad miraculum, non vero ratio ejus formalis & constitutiva saltem primaria, & sola. Itaque ad miracu-

raculum proprie dictum requiritur 1. actio Dei supra vires & ordinem totius naturæ creatæ. 2. Requiritur ut ignoretur actionis illius modus & ordo. Modus ille ignoratur quia actio Dei est supra vires & ordinem totius naturæ creatæ. Ac proinde cognosci non potest nisi, vel Deo ipso comprehensive cognito, vel Deo revelante. Jam vero ex eo quod ordo ad cujus normam specialis illa Dei actio & voluntas componitur sit nobis omnino ignotus, non sequitur miraculi naturam ex eo non repetendam esse quod superet leges naturæ manifestissime cognitas; nec in hoc præcise consistit miraculum quod leges illæ nobis sint ignotæ; tunc enim miraculum consisteret in mera negatione; sed requiritur ut effectus superet omnes & totius naturæ vires, deinde ut lex illa a naturalibus legibus distincta, cujus est effectus, nobis sit incognita. Si ergo nihil aliud sibi velint oppositæ sententiæ Auctores, nisi miraculum esse supra leges, id est, vires totius naturæ, & leges illas esse ignotas, immo cognosci non posse quia ordo divinæ actionis, seu potius Deus ipse est incomprehensibilis, jam nobiscum consentiunt, nec ullam litem iis ultra movebimus.

CONCLUSIO XII.

Notio Miraculi non videtur repetenda ex eo quod superet naturæ vires, sive leges manifestissime cognitas; ac proinde non recte definitur cum Lockio opus quod spectator ut divinum considerat supra suas vires & contrarium illi quod legibus naturæ stabilitum indicat.

PRob. 1. Ex proxime præcedenti conclusione. Ex probatis enim in illa Conclusione, miraculum non bene definitur effectus dimanans ex legibus generalibus: atqui tamen in ea quam nunc refellimus sententia miraculum debet dimanare ex legibus generalibus. Eo enim ipso quo asseritur miraculum derogare legibus sive viribus naturæ manifestissime cognitis, eo ipso supponitur esse in rerum natura alias vires seu leges quibus non derogat miraculum; sed eo ipso quo miraculum non derogat legibus illis, jam ab illis oritur. Ergo.

Prob. 2. Ex proprietatibus miraculi, seu ex ejus efficacia. Inde enim vim & efficaciam suam desumit miraculum quod sit in se & in rei veritate aliquid supernaturale, Deo proprium & quid singulare: jam vero in sententia Lockii miraculum tale non est in se & in rei veritate. Videtur effectus supernaturalis, dum tamen naturalis est; videtur naturæ legibus derogare, dum revera est earum effectus. Novi etenim illi effectus qua proportione se produnt e sinu naturæ in quo delitescebant, in ordinem naturæ sponte relabuntur: ergo effectus illi in rei veritate sunt naturales; ex eo quod enim observentur, naturam suam non variant: hinc Deum quodammodo mendacem facit hæc sententia, qui ad manifestandam voluntatem suam extraordinariam, uti videtur signis extraordinariis & supernaturalibus quæ tamen ordinaria sunt & naturalia; fingit se illa usurpare signa, & alia ostentat. Videtur miracula edere, prodigia operari, potentiam splendidiori modo exerere, dum tamen constanter agit ut auctor naturæ. Ergo.

Prob. 3. Ex ignorantia Elenchi qua laborat illa definitio. Natura miraculi debet constitui 1. in aliquo intrinseco. 2. In aliquo fixo, certo & determinato: porro præsens hæc sententia naturam miraculi reponit 1. in aliquo extrinseco. Spectatoris enim admiratio & scientia sunt quid extrinsecum miraculo: jam vero in illam admirationem & scientiam recumbit miraculi natura juxta Lockium; adeo ut hæc definitio nostram potius ignorantiam probet quam miraculi naturam evolvat: ideo enim hos vel illos effectus pro miraculis habemus, quia ignoramus leges juxta quas fiunt, licet leges illas naturales esse supponamus. Uno verbo spectatoris admiratio & stupor ex ignorantia legum est ultima & formalis ratio cur hi vel illi effectus sint miracula. 2. Constituit naturam miraculi in aliquo incerto & mutabili. Tunc enim miraculum æstimatur non ex natura rei, sed ex varia hominum indole, ex eorum genio & sagacitate; quod est omnino mobile & incertum. Licet enim naturæ ordinem sufficienter, saltem aliquo modo, perspectum habeamus, non tamen innote-

scit

ſcit nobis, niſi paulatim & per gradus, adeo ut multa quotidie antea incognita detegamus. Supponamus ergo quo volueris ſæculo oriri effectum aliquem naturalem quidem, ſed novum & antea incognitum; effectus ille derogat naturæ legibus manifeſte cognitis. Eſt ergo miraculum, ſaltem reſpectu eorum qui leges illas ignorant. Poſtea vero penitus introſpecta natura, manifeſte patet illum ipſum effectum qui miraculorum albo inſerebatur, oriri ex certis quibuſdam legibus quæ tunc primum deteguntur. Ergo quod olim fuera miraculum, jam deſinit eſſe miraculum. Iterum: dum effectus ille primum oritur, vulgus ignobile miraculum acclamat, dum ſapiens rerum & naturæ indagator nihil niſi naturale detegit, novamque naturæ & legum ejus evolutionem deprehendit. Ergo natura miraculi non erit quid certum & determinatum. Idem prorſus ac ſi diceretur miraculum effectus ſupernaturalis qui millies & innumeris aliis in caſibus naturalis eſt, ac proinde qui millies non eſt miraculum.

Prob. 4. Ex difficultate diſcernendi miraculi. Nam in illa ſententia, notæ ad diſcernendum verum miraculum a falſo ſunt extra conflictum veritas, ſeu poſſibilitas & probabilitas doctrinæ; in conflictu vero, numerus & ſplendor miraculorum: jam vero notæ illæ non poſſunt inſervire ad diſcernendum verum miraculum a falſo. Nam in illa ſententia verum miraculum per hoc conſtituitur in ratione veri miraculi, quod deroget legibus manifeſte cognitis: ſed vera ſit necne doctrina, quovis numero aut ſplendore edantur effectus, non minus derogant legibus manifeſte cognitis miracula oppoſita. Verbo dicam; notæ illæ non obſtant quominus effectus oppoſiti derogent legibus manifeſte cognitis, aut ſaltem videantur illis derogare. Ergo non obſtant quominus ſint vera miracula. Equidem per prædictas notas diſcerni poteſt miraculum divinum a diabolico; ſed hic non agitur de conſtituendo miraculo divino, bene vero de determinando miraculo vero; prius eſt enim eſſe miraculum vere & eſſentialiter, quam eſſe miraculum divinum.

Obj. 1. Ex S. Aug. l. de Civit. & de Trin. jam cit. „ Portentum fit non contra naturam, ſed contra quam eſt nota natura. „ Ergo ex illo S. Doctore, miraculum in eo conſiſtit quod ſit contra leges manifeſtiſſime cognitas.

R. n. conſeq. ad probationem diſt. S. Aug. loquitur relative & argumento ad hominem: c. Abſolute: n. Itaque explico citatum S. Aug. locum. Totus eſt S. ille Doctor libro illo 21. de Civ. Dei in vindicanda æternitate ſuppliciorum quæ in altera vita imminent. Pagani autem hanc æternitatem negabant quia noverant humanæ carnis iſtam non eſſe naturam ut in æternum dolorem patiatur. *Si autem propterea reſpondet*, inquit S. Aug. *ſe non credere quæ de humanis ſemper arſuris, nec unquam morituris corporibus dicimus, quia humanorum corporum naturam novimus longe aliter inſtitutam, &c.* Itaque S. ille Doctor hac poſita notione, & in his principiis de quibus nihil pronuntiat, S. inquam, Doctor probandum ſuſcipit ex celeberrimis Paganorum Auctoribus fieri poſſe ut res qualibet aliter ſe habeat quam prius innotuerat determinata a natura, ſeu, quod idem eſt, aliquid fieri poſſe ſupra vires ſeu leges naturæ. Arguit itaque ex Varrone in ſuo opere de gente Populi Romani in quo refert ſtellam Veneris tantum portentum extitiſſe ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram & curſum. Ex quo ſic argumentatur S. ille Doctor, l. cit. 21. de Civit. Dei, c. 8. „ Quomodo eſt enim contra naturam „ quod Dei fit voluntate, cum voluntas „ tanti utique conditoris conditæ rei cu- „ juſque natura ſit! Portentum ergo fit „ non contra naturam, ſed contra quam „ eſt nota natura. Quid ita diſpoſitum „ eſt ab Auctore naturæ cæli & terræ „ quemadmodum curſus ordinatiſſimus „ ſyderum? Quid tam ratis legibus fi- „ xiſque firmatum? & tamen quando vo- „ luit qui ſummo regit imperio ac pote- „ ſtate, quod condidit; ſtella... ſui cur- „ ſus ordinem legemque mutavit... Non „ ergo de notitia naturarum caliginem „ ſibi faciant Infideles, quaſi non poſſit „ in aliqua re divinitus fieri aliud quam „ in ejus natura per humanam ſuam „ experientiam cognoverunt, quamvis

„ & ipsa quæ in rerum natura omnibus „ nota sunt, non minus mira fint, ef- „ sentque stupenda considerantibus cun- „ ctis, si solerent homines mirari nisi „ rara. „ Porro manifestum est S. Aug. in ista argumentandi methodo perpetuo arguere ad hominem. Eo enim recidit ejus argumentum. Ideo o Pagani negatis poenarum æternitatem quia est contra corporum naturam nobis notam, & quia nulla res fieri potest contra naturam nobis notam; atqui tamen etiam vestri Auctores testantur & fatentur rem aliquam fieri contra naturam nobis cognitam. Portentum enim quod Varro memorat, non erat in vestris principiis contra naturam, sed contra naturam nobis notam. Ergo etiam in vestris principiis possibile est carnem humanam perpetuo aduri igne, licet non cognoscatis humanæ carnis istam esse naturam. Ergo Deus potest agere contra naturam nobis notam. Ergo etiamsi miracula essent contra naturam nobis notam, Deus posset ea operari. In eo autem argumentandi genere observa, S. Augustin. non tam definire miraculum, quam ejus possibilitatem evincere per transennam, Paganorum principiis insistendo. 1. Sanctum Augustinum perpetuo ac constanter recurrere ad voluntatem specialem ac extraordinariam & omnipotentiam Dei. Nam in loco citato adest, 1. voluntas Dei generalis omnium rerum causa. Deinde adest alia voluntas quæ syderis alicujus particularis cursum immutat. Ideo enim ex S. illo Doct. nihil fieri potest contra naturam, quia nihil potest fieri contra voluntatem Creatoris; nam voluntas Creatoris est rei conditæ natura; nomine naturæ intelligens vires seu leges particulares, ut ex serie textus & totius libri patet. 3. Ex illo modo descripto S. Doct. textu, ea quæ in ipsa rerum natura nota sunt, æqualiter mira sunt, ac ea quæ fiunt contra naturam nobis notam, & ideo prima opera non miramur, quia non miramur nisi quæ rara sunt. Ergo ex Sancto August. ratio formalis miraculi non ex eo oritur quod miraculum sit opus rarum, vel ex eo præcise quod fiat contra, vel supra leges seu vires naturæ manifestissime cognitas, sed ex eo quod miracula oriantur ab omnipotentis Dei voluntate; ideo enim juxta S. illum Doctorem nihil fit contra naturam, quia in rei veritate nihil fit contra voluntatem Dei. Ergo miraculi notionem & possibilitatem repetit unice S. Aug. ex voluntate Dei. Denique perpetuo ac constanter recurrit S. ille Doct. ad omnipotentiam Dei, nec exempla naturalia & auctoritates Philosophorum profert, nisi quia, ut ipse ait, Pagani hujusmodi opera ad omnipotentis Dei potentiam referre nolebant. Ergo miraculi naturam præcipue repetebat ex omnipotentia Dei. Ergo non ex eo præcise quod miraculum superet vires seu leges manifestissime cognitas.

Obj. 1. Certum est omnes naturæ leges nobis non esse perspectas. Jam vero posita illa legum naturalium ignorantia, tuto affirmari non potest non latere aliquam legem, aliquam causam invisibilem, vi cujus v. gr. mortuus luci reddatur. Eo ipso enim quo ignoratur lex illa, eo ipso ignorantur ejus vires. Eo ipso quo ignorantur ejus vires, eo ipso certo affirmari non potest nullam esse satis foecundam ut ex ejus sinu erumpere possint miracula. Ergo immerito negatur illius hypotheseos possibilitas. Sic itaque resumo. Certum est nos multas naturæ leges ignorare: atqui ex illa ignorantia sequitur posse supponi aliquam legem producendis miraculis sufficientem. Ergo possibilis est D. Lockii hypothesis.

R. 1. Retorq. certum est nos multas naturæ leges ignorare; atqui ex illa ignorantia certo pronuntiare non possumus supponi posse aliquam legem producendis miraculis sufficientem. Si enim legem illam ignoremus, nihil de ejus efficacia affirmare licet.

R. 2. n. min. Licet enim legem illam ignoremus, scimus tamen eam esse naturalem. Ergo scimus eam producendis miraculis non esse parem. Nam inter causam & effectum debet esse proportio: sed inter causam naturalem & miracula, nulla est proportio. Alias lex naturalis, etiam cognita, posset parere miraculum, nec quicquam interest an cognita sit, an incognita, quod negabunt adversarii. Longe magis ad verum accede-

cedere videtur voluntatem Dei supernaturalem non posse manifestari nisi per effectum supernaturalem.

CONCLUSIO XIII.

Miraculum non bene definitur opus contra leges naturæ generales sive cognitas, sive incognitas.

ANtequam probetur Conclusio, observandum est leges naturæ alias esse generales, alias particulares. Leges naturales duplici sensu possunt dici generales 1. lato sensu, quia constanter & universim observantur: de legibus naturæ hoc sensu intellectis nulla hic controversia. Leges generales vero, stricto & proprio sensu sunt principia certa & inconcussa juxta quæ motus fiunt & corpora configurantur; nituntur primis scientiarum v. gr. Geometriæ, Metaphysicæ principiis. Ex. gr. ex duabus viribus major debet vincere minorem, motus quantitas ex mole & velocitate est repetenda. Leges particulares sunt legum generalium applicationes & determinationes ad particulares casus & ad particularia mobilia; cognoscuntur experimentis sensibilibus & supponunt vires corporum cognitas. Vires naturæ sunt effectus legum illarum seu potius vires naturæ sunt impressiones, figuræ & configurationes quas Deus corporibus induxit, dum mundi hujus fabricam constitueret. Sic juxta ordinem in rebus stabilitum, major est vis gravitans in plumbo quam in argento; major est in aqua quam in oleo fluiditas; alia est configuratio auri, alia lapidis. Hinc leges naturæ generales ab ejusdem viribus sedulo distingue. Hinc hæc est lex generalis: ex duabus viribus major debet vincere minorem. Inde sequitur alia: ex duobus corporibus levius graviori debet cedere. Quoniam vero certum est constanti & uniformi experientia plumbi volumen gravius esse pari volumine ferri, sequitur lex illa particularis: si duo plumbi & ferri æqualia volumina in libræ bilancibus hinc & inde reponantur, necesse est lancem in qua est plumbum, deprimi, alteram vero extolli. His positis.

Prob. Concl. Leges generales sunt vel prima scientiarum principia, vel corolloria ex illis principiis dimanantia: porro contra illas leges non magis fieri possunt miracula quam contra prima Geometriæ principia; jam vero contra hæc ultima principia fieri non possunt miracula; alias rerum essentiæ mutarentur: sic si fierent miracula contra hæc principia, totum est sua parte majus, bis duo dant quatuor, &c. everterentur essentiæ rerum. Ita de legibus generalibus dicendum quæ violari non possunt quin temerentur rerum essentiæ, his enim rerum essentiis nituntur & demonstrantur in Geometria & in Mechanica. Si Deus contra leges generales ageret, darentur casus in quibus falsæ forent leges illæ, seu dari posset aliqua hypothesis, aliquis casus in quo leges illæ falsæ forent. v. gr. Assignari posset casus in quo motus quantitas moli & velocitati non foret relativa, vel in quo ex duobus viribus inæqualibus major, remanens eadem, vinceretur a minori. Idem est ac si quis assereret esse casum in quo totum non esset sua parte majus.

Et sane cum Deus elegantem hujusce mundi fabricam adornavit legesque motuum particulares condidit, eas profecto ad normam sapientiæ suæ composuit, quæ quidem sapientia nihil aliud est nisi intellectus divini dictamen. Leges ergo generales sunt ipsamet Dei sapientia & ejus intellectus dictamen; sunt uno verbo ipsæmet ideæ divinæ; ipsemet Deus; ergo agendo contra leges generales, ageret Deus contra proprias ideas, contra propriam sapientiam & intelligentiam, contra se ipsum. Non posset Deus agere contra leges illas, quin faceret aliquid quod non est ab ipso cognitum aut volitum; quod repugnat. Miracula ergo fiunt contra vires & leges particulares naturæ. Sic cum lapis pendulus inter aera remanet, nihil tunc fit contra legem generalem, quivis major vincere debet minorem, sed supplet Deus vim gravitantem majorem, aut saltem æqualem in aere ac in lapide. Per miraculum ergo mutantur vires corporis, ac consequenter leges particalares his viribus innixæ, non vero leges generales.

esse quid unum & idem in se & a parte rei.

Prob. 2. Ex rei natura. Si enim existant miracula, non possunt constitui in suo esse & in ratione miraculi per aliquid ipsis accidentale & extrinsecum, aut per aliquid cum aliis effectibus naturalibus commune; sed per aliquid ipsis proprium ac singulare, per aliquid intrinsecum & essentiale. Ergo eo ipso quo miracula & effectus naturales non sunt quid unum & idem in se, jam inter utrumque intrinsecum & essentiale intercedit discrimen.

CONCLUSIO XVI.

Discrimen illud non potest repeti nisi ex modo quo uterque effectus producitur.

PRob. Discrimen illud oritur vel ex effectuum substantia, vel ex causa eos producente, vel ex modo quo producuntur: atqui discrimen illud erui non potest 1. ex effectuum substantia. Nam v. g. vita infantis a matre accepta ejusdem est substantiæ ac vita mortuo reddita. 2. Non ex causa eos producente; Deus enim est utriusque effectus causa. Deinde requiritur discrimen intrinsecum: sed causæ differentia non potest introducere in effectibus discrimen intrinsecum; est enim aliquod effectibus omnino extrinsecum. Ergo discrimen illud repeti non potest nisi ex modo quo uterque effectus producitur; seu ex modo quo influit causa in effectum.

CONCLUSIO XVII.

In Deo, ut in qualibet agente, duplex tantum concipitur agendi modus, vel immediatus, vel mediatus; seu, Deus agit vel independenter a causis secundis, vel mediantibus illis.

EXponitur. Non enim probatione indiget. Quando Deus agit, concipitur agere vel per se solum, independenter a concursu & actione causarum secundarum, vel concipitur agere mediantibus causis secundis, imperando, vel finendo eas uti virtute ipsis innata. Sic v. g. prima actionis species reperitur in creatione, in resurrectione mortui, in panum multiplicatione, &c. Altera vero in omnibus effectibus naturalibus qui in præsenti ordine oriuntur; Deus enim nihil creat novi, nihil producit per se & immediate in naturali ordine, sed agit ordinarie ut causa principalis ope causarum secundarum. Discrimen inter utrumque agendi modum hoc exemplo illustrari potest. Frumentum germinat quotidie terra, ope caloris, pluviarum, &c. modo arata & sulcis distincta fuerit & frumentum seminatum; in hoc casu Deus agit mediantibus causis secundis. At si supponatur nullum terræ concreditum fuisse frumentum aut semen, si inculta jaceat, si nullum fit tempus quo calor, pluviæ, &c. concurrere potuerint, & tamen oriatur frumentum, tunc manifestum est frumentum illud ortum esse sine causarum secundarum interventione, ac proinde actione Dei immediata & a causis secundis independente. Observare non pigeat inter utrumque istum agendi modum nullum apparere aut assignari posse medium.

CONCLUSIO XVIII.

ET COROLLARIUM I.

Verum & proprie dictum Miraculum est effectus sensibilis qui producitur independenter a concursu & actione causarum secundarum.

PRob. 1. Ex his quæ modo dicta sunt. Ex Conclusione XV. miraculum inter & effectus naturales intercedere debet internum & essentiale discrimen; ex Conclusione XVI. discrimen illud repeti non potest nisi ex modo quo Deus utrumque effectum producit; ergo discrimen illud in eo consistit quod dum effectus naturales producuntur ope & interventione causarum secundarum & mediantibus illis, miraculum e contra producatur independenter ab influxu & actione causarum secundarum. Nam ex Conclusione XVII. duplex iste tantum agendi modus reperiri potest. Ergo cum omnes effectus naturales sint fœtus causarum secundarum, miracu-

culum producitur independenter ab illarum causarum actione, vel cum effectibus naturalibus confunditur.

Prob. 2. Ex fine & usu miraculi. Eo scilicet inservit, ex omnium consensu, miraculum ut supernaturalem & extraordinariam Dei voluntatem manifestet: atqui effectus qui oritur a causis secundis & earum interventione non potest inservire ad manifestandam supernaturalem & extraordinariam Dei voluntatem. Inter enim signum & rem significatam debet esse aliqua connexio & proportio: atqui inter voluntatem supernaturalem & effectum productum influxu & interventione causarum secundarum nulla est connexio aut proportio. Voluntas enim supernaturalis est voluntas in ordine qui non subsistit causarum secundarum concursu & ordinatione: atqui effectus qui producitur influxu & actione causarum secundarum nullam dicit connexionem cum ordine qui extra causas secundas positus est, qui ipsis est superior, nec earum concursu & ordinatione consistit; connexionem enim tantum dicit cum ordine cujus est foetus & evolutio. Ergo effectus qui producitur influxu causarum secundarum, nullam dicit connexionem aut proportionem cum voluntate supernaturali; ergo non potest inservire ad eam manifestandam. Ergo miraculum quod ex se inservit ad manifestandam supernaturalem & extraordinariam Dei voluntatem, non producitur influxu causarum secundarum; ergo est effectus qui producitur independenter ab influxu & actione causarum secundarum. Caeterum recole quae diximus contra celeberrimum Houtevillium.

Prob. 3. Ex miraculis Christi. De miraculo in genere judicare possumus immo debemus ex miraculis Christi. Cum enim naturam miraculi quaeramus & eam supponamus ignotam, non in ipsa miraculi natura quaerenda est, sed in aliquo quod sit miraculo & ejus naturae extrinsecum; puta in usu & fine miraculi, ut jam fecimus; vel in aliquo effectu qui, omnibus fatentibus, sit miraculum & sit independens a causis secundis. Jam vero miracula Christi quae, omnibus fatentibus, sunt vera miracula, ut talia habita non fuere nisi quia putabantur fieri independenter ab influxu & actione causarum secundarum. Quoties enim Christianae Religionis Apologistae agebant causam miraculorum Christi contra ementita Paganorum prodigia, eo tota devolvebatur eorum assertio aut responsio, scilicet, vel praetensa illa prodigia non revera patrata fuisse, incertaque esse & dubia, vel extra naturae vires & causarum secundarum sphaeram non excurrere. Sic v. g. S. Chrysostomus occasione socrus Simonis sanatae & generatim de miraculis Christi pronuntiat: „ Non enim, natu„ ra duce, aut arte fiunt quae a Chri„ sto fiunt. „ His simillima habent S. Thom. Arnob. Tertull. juxta quos ideo miracula Christi sunt vera miracula & ab operibus Daemonum differunt, quia fiunt nulla arte nec natura duce, id est independenter a concursu & actione causarum secundarum. Ergo supponunt miracula esse effectus qui producuntur independenter ab influxu & actione causarum secundarum.

Prob. 4. Ex natura prophetiae. Prophetia est quaedam miraculi species; ergo de prophetia & de miraculo idem est dicendum: sed prophetia omnimodam dicit independentiam ab influxu & actione causarum secundarum. Ergo pariter miraculum.

Prob. 5. Ex unanimi omnium hominum sensu. 1. Quidem Judaeorum. 3. Reg. 18, cum cecidisset ignis de coelo, orante Elia, & devorasset holocaustum, exclamavit uno ore populus: *Dominus ipse est Deus*; nec sane alio motivo hic manum omnipotentis agnovit nisi quia persuasum habuit combustionem illam exarsisse independenter a causis secundis. 2. Christianorum, qui ideo miracula in medium proferebant, quia causae naturali ascribi non posse putabant; miracula vero Paganorum inde falsi arguebant quod a naturali industria proficiscebantur. 3. Denique Paganorum. Hinc sedulo causas effectuum occultabant, ut nullam naturalem causam suspicari quis posset. Hinc tunc tantum miraculum putaverunt, cum crediderunt effectus productos fuisse independenter a causis secundis. Sit in exemplum

plum Naman Syrus. 4. *Reg.* 5. Undenam Elizæi responsum indignatione excepit, & a sanatione desperavit? Quia sanationem naturalem ut a medico imaginabatur tantum & inde inter aquas Jordanis & sanitatem non majorem agnovit proportionem quam inter fluvios Damasci, id est, nullam omnino esse. Nec alio motivo, sanitate recepta, ex aquarum Jordanis contactu Deum Israel confessus est, nisi quia clare perspexit sanitatem sibi redditam fuisse independenter a quacumque causa secunda & naturali.

CONCLUSIO XIX.

Vires naturæ, seu causæ secundæ sibi mutuo sunt subordinatæ & a se invicem ita dependent, ut una causa per se sola & independenter ab alia agere non possit.

Exponitur. Ea est causarum secundarum actualis conditio & natura ut una non possit agere sine altera. v. g. Tales sunt vires terræ, ut si sit sola & defuerint aliæ causæ secundæ, v. g. calor solis, pluvia & cœli influxus, nusquam germinare possit. Sic etiam tales sunt vires solis ut, si solus fuerit, nec parata fuerit terra, nec sparsum semen, nihil crescat. Certum est & utrinque conceditur naturam certis quibusdam legibus esse adstrictam secundum quas operatur & a quibus recedere non potest; Fideli enim constat experientia naturam suas operationes ad legum illarum normam constanter & uniformiter exequi nec ab eis ne latum quidem unguem recedere. Non alia ratione, nisi quia natura extra circumscriptam sphæram nihil potest; vires ejus si dividantur aut decomponantur, otiosæ jacent ac inutiles, nec nativos antea sibi effectus edere possunt.

CONCLUSIO XX.

Effectus independens a causis secundis est supra vires totius naturæ creatæ.

Prob. Duplici sensu effectus dici potest independens a causis secundis. 1. ex natura sua; quia nempe talis est ex natura sua ut ab actione & concursu causarum secundarum pendere & oriri non possit; sic vita in mortuo. 2. Quia licet effectus in se oriri possit ab actione & concursu causarum secundarum, tamen independenter ab illis ortus est, vel ab iis oriri non potest eo modo quo productus est; sic pluvia quam Helias adduxit. Jam vero effectus utroque hoc sensu independens a causis secundis est supra vires totius naturæ creatæ. 1. Quidem sensu; alias effectus foret simul & non foret independens a causis secundis. Esset quidem; nam istud supponitur. Non foret autem; nam posset produci a causis secundis; causæ secundæ haberent tunc potestatem naturalem producendi effectum, vi cujus potestatis effectus penderet ab illis causis. 2. Effectus independens a causis secundis altero sensu est supra vires totius naturæ creatæ. Tum quia alias hypothetice foret ab iis causis independens simul & dependens, tum quia effectus ille licet in se & ex natura sua non sit independens a causis secundis, de facto tamen & in allata hypothesi existit sine illis causis & independenter ab earum concursu. Jam nullæ sunt nunc in tota natura vires quæ tali effectui sint pares & proportionatæ. Nullæ sunt enim in natura vires quæ possint, v. g. terram frumento fœcundare, dum non est parata, dum nullæ ex assignatis causis concurrunt. Probatum enim manet ex Conclusione secunda præcedenti vires naturæ & causas secundas ex se & ex natura esse sibi invicem subordinatas, ita ut una sine alia non possit agere. Ergo nulla creatura potest communicare terræ, v. g. vim & energiam germinandi sine concursu causarum secundarum quæ in effectum influere debent. Ergo omni sensu verum est effectum independentem a causis secundis esse supra vires totius naturæ.

CON-

CONCLUSIO XXI.

ET COROLLARIUM II.

Verum & proprie dictum miraculum est effectus sensibilis supra vires totius naturæ creatæ.

PRob. 1. Ex probatis. Ex Conclusione enim decima octava miraculum est effectus independens a concursu & actione causarum secundarum; ex Conclusione vero vigesima effectus independens a concursu & actione causarum secundarum est supra vires totius naturæ creatæ. Ergo miraculum est supra vires totius naturæ creatæ.

Prob. 2. Ex confutatione aliorum systematum. Vel enim admittenda est hæc sententia, vel aliqua ex præcedentibus: atqui ex probatis in superioribus Conclusionibus, nulla ex iis sententiis admitti debet. Ergo.

Prob. 3. Ex conditionibus ad legitimam definitionem requisitis. Illa enim definitio legitima est quæ convenit omni & soli definito: atqui præsens definitio competit omni & soli miraculo. Omni quidem. Inter miracula enim, alia sunt præter, alia contra, alia supra naturam, alia quantum ad substantiam facti, alia quoad modum faciendi. Porro his omnibus miraculi speciebus præsens competit definitio. Ibi enim effectus est supra vires, seu præter ordinem totius naturæ, ubi ipsum inter & totam naturam creatam vel nulla intercedit proportio, vel etiam contraria est huic in natura dispositio. Jam vero inter effectus tum supra, tum præter naturam & vires totius naturæ creatæ, nulla est proportio; effectibus vero contra naturam, adest in natura ipsa contraria dispositio. Ergo. Soli etiam convenit definito. Inter opera enim quæ miraculi nomine donantur, alia sunt opera Dei, alia opera Angelica. Porro allata definitio miraculum verum & proprie dictum sufficienter discernit ab his operibus. 1. Ab operibus divinis, quæ quidem sunt vel in ordine naturæ, vel in ordine gratiæ. Hæc omnia jam a miraculorum circulo exhorbitare diximus, eo quod non fiant præter ordinem naturæ; seu, quia non sunt præter usitatum modum quo hæc Deus producere solet; ordoque providentiæ juxta quam hæc Deus facit, nobis non est ignotus. Quantum vero ad opera Angelica, quidquid facit Angelus sive bonus, sive malus, virtute propria & naturali, hoc fit secundum ordinem naturæ creatæ, id est, secundum ordinem causæ naturalis ad effectum sibi germanum & proprium; nec potest fieri præter ordinem totius naturæ, cum sub illo ordine contineatur omnis virtus creata, ac proinde etiam Angelicâ. In hoc ergo peccare videntur præcedentes definitiones, quod miraculi naturam pendere faciant a nobis; v. g. a nostra ignorantia & sagacitate. At vero sicut prophetia, sic & miraculum tale est independenter a nobis, nec per extrinseca quædam in suo esse constituitur. Sicut enim prophetiam constituimus in excessu supra cognitionem naturalem, id est, supra vires totius naturæ creatæ in cognoscendo, sic & miraculum reponimus in excessu supra operationem naturæ, id est, supra vires totius naturæ creatæ in operando.

Prob. 4. Ex relatione miraculum inter & prophetiam. Prophetia enim est cognitio quæ superat vires totius naturæ creatæ in cognoscendo: ergo miraculum est effectus superans vires totius naturæ creatæ in operando; nam prophetia est miraculi species; ergo convenire debent in genere; ac proinde esse supra vires totius naturæ creatæ. Differentia specifica in eo consistit quod prophetia spectet cognitionem & intellectus vires, miraculum vero, operationem. Deinde nulla est ratio pro prophetia quæ non militet pro miraculo, & ex altera parte nulla difficultas contra miraculum quæ non pugnet adversus prophetiam, ut patebit ex solutione objectorum.

Prob. 5. Ex natura & destinatione miraculi. Nam omnes habent miraculum ut in se & per se infallibile veritatis testimonium. Porro sensum istum naturalem gerere non possunt, & simul aliam a nobis miraculi ideam imbuere. Detur enim miraculum esse tantum supra vires naturæ alicujus particu-

ticularis, jam miraculum non erit infallibile veritatis testimonium; non erit per se ad veritatem destinatum. Immo erit vel ad errorem destinatum, vel ad errorem & ad veritatem ex æquo indifferens. verbi gratia. Supponamus miraculum non excedere vires naturæ corporeæ & visibilis; cum homo sit liber, jam errori æque ac veritati ex miraculo patrocinari poterit. E contra si miraculum sit effectus humanis viribus quidem, at non Angelicis, aut Diabolicis impar; cum Dæmon ad malum usque sit obstinatus, jam non nisi erroris causa miraculum operabitur. Ergo in neutra hypothesi miraculum erit certum ac indubitatum veritatis signum. Eo ipso enim quo poterit oriri a Dæmonibus, jam non habebit cum veritate connexionem infallibilem.

Prob. 6. Ex miraculis Christi. Ut verum & proprie dictum miraculum sit effectus superans vires totius naturæ creatæ satis est, 1. quod miracula Christi, quæ certo certius erant vera & proprie dicta superarent vires totius naturæ creatæ; 2. ut hoc ipso quodcumque miraculum verum & proprie dictum superet vires totius naturæ creatæ: porro hæc duo vera sunt. 1. Quidem miracula Christi superabant vires totius naturæ creatæ. Illa enim miracula superabant vires totius naturæ creatæ quæ erant fœtus potentiæ infinitæ: atqui miracula Christi erant fœtus potentiæ infinitæ: nam Christus probabat identitatem essentiæ cum Patre ex æqualitate potentiæ; æqualitatem vero potentiæ ex operibus, nempe ex miraculis: jam vero æqualitatem potentiæ non probant miracula nisi sint fœtus potentiæ infinitæ. Miracula enim non possunt probare in Christo æqualitatem potentiæ cum Patre, id est, potentiam infinitam, nisi quia sunt effectus entitative infiniti, vel quia exigunt & supponunt in operante potestatem infinitam; vel licet non exigant hanc potentiam: atqui sane miracula Christi non erant entitative infinita. Ergo non inde probabant in eo æqualitatem potentiæ cum Patre. 2. Potentiam in Christo Patri æqualem, id est infinitam non poterant probare, licet hanc potentiam non exigerent. Nam miracula non poterant hanc probare potentiam si semel possibile foret ea oriri a pura creatura, si non forent opera Dei ipsique tam propria ut alii competere nequeant: atqui miracula quæ potentiam infinitam non exigunt necessario, possunt oriri a creatura æque ac a Deo, non sunt necessario opera Dei, ipsique propria. Ergo miracula Christi inde probabant æqualitatem illam quod exigerent necessario & supponerent in eo potentiam infinitam. Ergo in eo erant fœtus potentiæ infinitæ. Ergo superabant vires totius naturæ creatæ.

2. Hoc ipso quod miracula Christi superabant vires totius naturæ creatæ, jam quodcunque miraculum verum & proprie dictum essentialiter easdem vires superat. Dari enim non possunt vera & proprie dicta miracula diversæ speciei, quorum alia sint plus, alia sint minus miracula vera & proprie dicta; sicut non dantur homines diversæ speciei. Uno verbo dari non possunt effectus qui æqualiter nomine miraculi donentur licet opposita habeant attributa, opposita, inquam, ut ens & non ens, scilicet, ut esse & non esse dependenter a causis secundis, esse & non esse supra vires totius naturæ creatæ. Ergo vel nulla sunt vera & proprie dicta miracula, vel omnia vera & proprie dicta miracula sunt supra vires totius naturæ creatæ.

Et certe Apostoli & omnes Thaumaturgi miracula non sunt operati nisi virtute Christi; Christus eandem ipsis communicavit potestatem quam & ipse habebat; ergo miracula Christi & Apostolorum sunt ejusdem speciei & superant vires totius naturæ creatæ.

Quæres utrum miraculum dici possit contra naturam.

R. posse dici eo sensu quod in natura remaneat contraria dispositio effectibus quos Deus facit. Sic solis statio & retrogradatio; stetit enim sol sua ipsi remanente naturali virtute quæ exigebat ut cursum suum progrederetur. Cæterum monet hic Sanctus Thoma. Deum agere posse contra naturam particularem, non vero contra universalem-

Agit

Agit scilicet contra ordinem & inclinationem naturæ alicujus particularis, seu contra ordinem causæ particularis ad particularem effectum; id est producit effectum ad quem nulla causa particularis se extendit. Sed effectus non potest fieri contra naturam simpliciter & universaliter, seu contra naturam cujuscumque naturæ. Uno verbo, ut exponit Sylvius, cum Deus facit præter ordinem rebus creatis inditum, non facit contra earum naturam. Quamvis enim talis actio non fit naturalis rei, consideratæ ut est res particularis, non est tamen contra naturam ejus, consideratæ quatenus subest absolutæ potentiæ Dei, qui sicut creaturam illam fecit, ordinemque illum ipsi indidit, sic & dedit eidem potentiam obedientialem ad obediendum auctori suo.

CONCLUSIO XXII.

Miraculum verum & proprie dictum est divinitatis sigillum.

PRob. Sic Scriptura constanter & uniformiter miraculum nobis exhibet. *Exod.* 4. Mutationem virgæ in serpentem dat Deus Mosi & Israelitis in signum & testimonium divinæ missionis. „ Ut credant, inquit Deus, quod apparuerit tibi Dominus Deus Patrum „ suorum.. Si non crediderint, inquit, „ tibi, neque audierint sermonem signi „ prioris; credent verbo signi sequentis „. *Exod.* 11. Mortem primogenitorum Ægyptiorum, &c. 14. Transitum Maris Rubri dat Deus ut signa Divinitatis.

Nec aliter Christus suam probavit divinam Missionem. *Joan.* 6. 27. Fidem sibi deberi probat ex eo quod Deus miraculis illum confirmet. *Hunc enim signavit Pater Deus*, id est, eum authoritate sua comprobavit esse Filium suum, & sigillo suo munivit ut ei fides adhiberetur; comparatione ducta a Regibus qui litteris sigillum imprimere aut legatorum authoritatem obsignato diplomate munire solent, sicque firmitatem addunt. Sigillum hic sunt miracula; & *Joan.* 4 36. „ ipsa opera quæ ego facio „ testimonium perhibent de me, quia „ Pater misit me „; & v. 10. Se Deum dicendo non blasphemare hoc probat ratiocinio. „ Si illos dixit Deus.... „ Quem Pater sanctificavit & misit in „ mundum, &c. Si non facio opera Pa„ tris mei, nolite mihi credere. Si au„ tem facio, & si mihi non vultis cre„ dere, operibus credite. „ Inde ergo probat Christus se a Patre sanctificatum, id est, sacro messiæ muneri deputatum quia facit opera Patris sui, seu miracula vera & proprie dicta. Ergo Christus dat miracula ut divinæ missionis & legationis signa ac Divinitatis sigilla.

Et sane cum missio fit quid incertum & incognitum ac insensibile, hujus debet esse argumentum certum ac sensibile quod sit mittenti proprium & singulare. Jam vero tale est miraculum. Est enim, ex probatis, Deo soli proprium & singulare; eo constanter usus est Deus ad stabiliendam auctoritatem eorum quos ad nos mittit. Sic illud omnes habent. v. g. *Joan.* 6. 30. Christo dicunt Judæi: „ Quod ergo tu facis signum ut videa„ mus & credamus tibi? Quid operaris „? *Idem*, v. 2. 18.

Obj. 1. Contra Conclusionem decimam octavam miracula non fiunt necessario independenter a causis secundis. Et quidem libenter fatemur effectus independentes ab illis causis fore vera & proprie dicta miracula; at negamus nulla esse talia miracula nisi sint effectus independentes a causis secundis. Certum est Deum operatum esse plures effectus qui sunt veri nominis miracula ad quos tamen effectus vere & physice concurrerunt causæ secundæ. v. g. *Joan.* 5. Refertur fuisse Hierosolymis probaticam piscinam in qua qui prior descendebat, sanabatur ægrotus quilibet. Aquam illam concurrisse vere & physice ad sanitatem suadent multa, præsertim motus in ea ab Angelo excitatus quo hanc ei virtutem communicabat. Deinde *Joan.* 9. Luto & aqua piscinæ Siloe sanatur a nativitate cæcus. Immo, *Marc.* 8. refertur cæcum sputo Christi sanatum in Betsaida; huicque sanationi favisse sputum Christi adeo certum est ut non statim, sed paulatim omnimodam sanitatem receperit. Unde sic argumentor: ut effectus dependentes ab actione & concur-

su causarum secundarum sint veri nominis miracula, satis est quod dentur vera & proprie dicta miracula quæ tamen patrata sunt ope causarum secundarum: atqui. Ergo.

R. n. min. Cujus veritas non evincitur ab allatis exemplis. 1. Enim gratis supponitur causas secundas memoratas, scilicet aquam, sputum, lutum concurrisse physice & efficienter ad prædictas sanationes: Nihil enim vero in prolatis textibus indicat istum concursum. Nemo sane concipiet aquam ex motione tanquam ex causa formali attemperatam fuisse quibuslibet sanandis morbis. Motio enim illa non mutat essentialem partium aquæ dispositionem; saliva non tollit luti cum oculis oppositionem. Uno verbo, in aqua etiam post motionem, in luto etiamsi sputo diluatur, nulla detegitur proportio, immo eadem deprehenditur oppositio cum morborum curatione.

2. Si Christus sanavit ope & concursu causarum secundarum, vel ex proportione quam antea habebant, vel novam quam non habebant pro instanti inserendo, vel denique manente licet causarum illarum cum illis curationibus oppositione: atqui nihil horum dici potest. Non primum; alias curationes illæ fuissent, ut volunt Deistæ, effectus proprietatum materiæ ignotarum. Deinde nulla erat in causis memoratis proportio. Non etiam secundum; gratis enim istud fingitur, nec ullo potest astrui momento. Nec quidquam inde moliuntur. Nam inde non probatur miracula produci dependenter a causis secundis, quales nunc sunt & in præsenti ordine de quo agitur, cum ordo ille supponatur mutatus. Non quæritur utrum alium ordinem instituere non potuerit in quo adesset remedium naturale curando cæco nato. Sed agitur de rebus ut sunt. Id unum ad majus evinceretur, miraculum non fuisse in sanatione, sed in mutatione & attemperatione materiæ. Deinde dato quod Deus ita causas secundas disposuisset ut physice ad illas curationes concurrerent, sane nunquam potuissent operari in instanti. Allata vero cæci per varia temporis instantia curatio non probat lutum concurrisse physice, sed Christum suam temperasse potentiam, nisi forte Christum peritiorem tantum medicum esse contendatur. Non tertium; repugnat enim causas physice concurrere ad effectum cum quo habent oppositionem.

Inst. Atqui dantur vera & proprie dicta miracula patrata ope & concursu causarum secundarum. Sic enimvero se habent omnia miracula a Deo patrata. Scilicet cum Deus miracula operatur, non agit contra leges generales, ex probatis, sed tantum contra leges particulares; jam vero eo ipso quo non agit contra leges generales, sed contra particulares tantum, jam agit ope & concursu causarum secundarum. Eo ipso enim quo miraculum non operatur Deus nisi agendo contra leges particulares, jam miraculum non operatur nisi supplendo in natura vires effectui producendo pares & idoneas; v. gr. aquam pedibus calcandam non præbet nisi augendo volumen aquæ. Jam vero posito isto virium augmento & supplemento causæ secundæ concurrunt physice ad effectum producendum. Nam si vires naturæ ita dispositæ fuissent absque ulla nova Dei præparatione, certe physice & sufficienter concurrissent ad effectum: ergo etiam physice concurrunt posito illo ex parte Dei augmento. Nihil enim ad rem facit quod Deus vires de novo suppleverit; naturale est enim aquæ tanti vel tanti voluminis & sic vel sic condensatæ, tale vel tale pondus sustinere. Sic itaque resumo. Cum Deus miracula operatur, agit tantum contra leges particulares: atqui effectus contra leges particulares tantum fiunt ope & concursu causarum secundarum. Ergo dantur miracula vera & proprie dicta patrata ope & concursu causarum secundarum.

R. n. min. 1. Exemplum allatum non est omnino ad rem. Nam probaret tantum dari quædam opera Dei quæ possunt dici miracula quidem divina, non tamen proprie dicta; at non probat miracula proprie dicta fieri ex actione & concursu causarum secundarum. Porro libenter agnoscimus quædam miracula quæ non sunt nisi improprie dicta. Hinc assignamus characteres his discernen-

nendis idoneos. 2. A circulo quæstionis exorbitat allata hypothesis. Probandum enim incumbit causas secundas per vires suas naturales influere physice in miracula, eo ipso quo fiunt contra leges particulares tantum: atqui allata hypothesis istud non evincit. Non probat scilicet aquam per impressiones, figuram & varias ejus configurationes quæ sunt ipsius vires, influere physice in prædictum effectum. Manente enim eadem impressione, eadem figura, eadem configuratione, nihil percipitur in aqua nisi repugnantia cum deambulantis hominis sustentatione. Vires illæ quas supplet Deus, sunt æque omnino extrinsecæ. Non mirum ergo si post earum additionem aqua non concurrat physice, licet concurrisset physice, si absque supplemento vires illæ fuissent naturales.

Inst. Atqui effectus contra leges particulares tantum fluunt ex concursu & actione causarum secundarum. Ideo enim non penderet ab illo concursu, licet sit contra leges particulares tantum; quia licet foret tantum contra leges illas, tamen vires naturæ servant semper suam cum miraculis repugnantiam & insufficientiam; porro hæc ratio nulla est. Namque ut vires naturæ non habeant, illam repugnantiam ad agendum physice, satis est quod Deus possit augere cujuslibet causæ secundæ vires eo usque ut producant physice & efficienter effectum vel quoad naturam, vel quoad modum a se independentem. Porro istud negare nemo potest. Sicut enim vires illas libere dedit, sic mutare potest & augere; sic poterat facere ut ignis refrigeraret, ureret vero aqua; ergo illud etiamnum potest augendo, minuendo & diversimode componendo. Unde sic breviter resumo. Ut effectus contra leges particulares tantum producantur ope & concursu causarum secundarum, satis est quod Deus augeat causarum illarum vires eo usque ut producant illos effectus physice & efficienter: atqui Deus vires illas eo usque augere potest. Ergo effectus contra leges particulares tantum possunt produci ex concursu & actione causarum secundarum.

R. n. min. Deus enim vires illas augeret vel naturaliter, vel ex gratia; porro non potest augere 1. naturaliter. Non potest enim augere modo qui contradictionem involvat: porro modus ille augendi vires causarum secundarum contradictionem involveret: tunc enim causa secunda naturaliter esset simul dependens & independens ab aliis causis secundis. Esset quidem dependens; est enim ejus natura, ut probavimus: esset vero independens. Nam vires illius causæ augerentur naturaliter, & ex illo augmento influeret physice in effectum a se & ab aliis causis secundis independentem. Ergo ex illo naturali augmento esset naturaliter independens; ergo esset contradictio. Deus 2. non potest augere ex gratia. Nam gratia supponit aliquam proportionem, saltem habitudinis: porro inter vires causæ secundæ ex gratia ampliatas & effectum contra leges particulares nulla est omnino proportio, præsertim si agatur de effectu qui natura sua sit a causis secundis independens, v. g. si agatur de resurrectione mortui. Deinde quæstioni omnino peregrina est illa hypothesis. Si enim vires illæ augeantur ex gratia, ergo potestas & actio causarum secundarum est ex gratia: sed quæstio est de potestate & actione naturali; quæritur utrum causæ secundæ possint naturali efficacia influere in miracula.

Inst. Atqui Deus potest augere causarum secundarum vires eo usque ut physice agant in effectu contra leges particulares, id est in miraculo. Sic enim habet Christus, *Joan.* 14. „ Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse „ faciet, & majora horum faciet. „ Sunt „ ergo ex his verbis miracula alia aliis majora. Porro majora esse non possunt nisi pro majori vel minori influxu & actione causarum secundarum quibus utitur Deus ad miracula. Si enim miracula forent effectus independentes a causis secundis & supra vires totius naturæ creatæ, essent omnia æqualia; esse enim independens a causis secundis sicut esse supra vires totius naturæ creatæ non suscipit majus vel minus. Ergo miracula non possunt dici majora nisi pro gradu quo influit causa secunda. Un-

Unde; dari non possunt miracula alia aliis majora nisi pro vario gradu quo in miraculum influunt causæ secundæ. Ergo Deus potest augere vires causarum secundarum eo usque ut agant physice in miraculo.

R. n. ant. Nam ut habet S. Thomas, miracula dicuntur & sunt majora relative ad nos & ad facultatem naturæ creatæ quam excedunt, non relative ad Deum & ad ejus potentiam cui omnia sunt æqualia.

Inst. Ex his omnibus quæ huc usque dicta sunt sequitur absurdum, nempe actionem Angeli hominem super aquas aut inter aera sustentatis non magis esse miraculum quam actionem hominis lapidem jacientis aut inter aera retinentis. Nam ex dictis, miraculum excludit essentialiter concursum causarum secundarum. Ergo cum in utroque casu concurrant causæ secundæ, jam in primo non magis adest miraculum quam in secundo. Itaque ex dictis sequitur utramque prædictam actionem non esse miraculum: falsum consequens; ergo & antecedens.

R. n. min. Non enim magis est miraculum in præfata Angeli actione quam in Dæmonis impetu obsessorum corpora rapientis & in summa altitudine retinentis. Ratio generalis hæc est quod miraculum nobis fingere debeamus diversi ordinis ac effectus naturales. Porro in duplici casu assignato non adest diversus. Ordo enim de quo agitur nihil aliud est quam proportio causæ alicujus particularis ad particularem aliquem effectum. Inter sustentationem hominis inter aera ab Angelo & Angelum adest proportio sicut inter hominem & jactum aut sustentationem lapidis. Ideo enim actionem Dæmonis obsessorum corpora rapientis miraculorum albo non inserimus, quia omnibus aperta est proportio causæ ad effectum. Ergo a pari idem dicendum de actione Angeli; ergo duplex prædicta actio miraculum verum & proprie dictum vocari non potest. Et ce.te argumento ad hominem uti licet. Juxta Auctores enim hujus difficultatis miraculum est contra consuetum naturæ cursum & ordinem; juxta eosdem naturę cursus & ordo est voluntas Dei seu actio ejus vel immediata vel mediata qua hunc mundum vel per se, vel per Angelos regit; sed prædicta actio non est contra actionem Dei neque mediatam, neque immediatam. Ergo non est miraculum. Uno verbo non mutatur hic agendi aut causandi modus aut ordo.

Inst. Illa sententia non est admittenda in qua miraculi natura constituitur in aliquo extrinseco: atqui res ita est. Nam modus quo actio aliqua producitur, est omnino actioni extrinsecus. Ergo produci independenter a causis secundis est quid miraculo extrinsecum.

R. n. min. ad prob. dist. Produci independenter a causis secundis est quid miraculo extrinsecum, sed quod transit in essentiam effectus: c. nec transit in essentiam effectus: n. Modus ille, sit necne in se miraculo extrinsecus, transit in essentiam effectus; sicut transitus localis sine ullo medio hoc ipso differt essentiali a transitu qui fit percurrendo medium.

Obj. 2. Contra Conclus. XXI. 1. Miraculum male omnino definitur opus supra vires totius naturæ creatæ. Illa enim definitio non est admittenda, qua posita, de nullo miraculo possemus esse certi; jam vero, posita illa miraculi definitione, de nullo miraculo certi esse possumus. In tantum enim de aliquo miraculo certi sumus, in quantum 1. certi sumus hunc vel illum effectum esse supra vires totius naturæ creatæ; 2. dari quosdam effectus supra vires totius naturæ creatæ. Jam vero 1. Hæc duo dari miracula & dari effectus supra vires totius naturæ creatæ non sunt æque certa. Non tam enim certum est extitisse vera miracula, quam extitisse effectus supra vires totius naturæ creatæ. Deinde ut asseratur miraculum esse supra vires totius naturæ creatæ, debent cognosci vires illæ, & quidem omnes; jam vero quis tali cognitione gloriari possit: sunt enim vires quas naturæ Deus indidit & quę vires naturæ dici possunt. Sunt aliæ vires quas quidem inseruit naturæ, sed quæ ampliantur per artem quæ vires artis dici possunt. Item in unoquoque ente sicut sunt proprietates incognitæ, ita sunt vires insensibiles.

Denique inter entia quæ actu existunt, non solum est materia quam vix perspectam habemus, non soli existunt homines qui nova & inexpectata quotidie produnt, sed sunt etiam Angeli sive boni, sive mali qui homini & natura & operatione præstant, quorum vires penitus ignoramus. Ergo cum vires illæ sint nobis omnino ignotæ, certi esse non possumus vires illas huc usque se non extendere, & dari effectus his viribus superiores. Quem enim effectum his præcellere judicabimus, is forsan viribus incognitis debebitur: v. g. demus semel nos non satis perspectas habere luti, vel sputi vires tum sensibiles, tum insensibiles, forsan naturæ fœtus est illuminatio cæci nati. Conjicere enim nobis licet posse esse in luto motum insensibilem & incognitum curando huic morbo proportionatum. Idem dic de cometis quarum leges ignoravimus, quæ supra vires naturæ esse videbantur. Uno verbo, ut possimus esse certi de aliquo miraculo, debemus illum secernere ab effectibus naturalibus; non possumus autem effectum illum secernere ab effectibus naturalibus & ab illis diversum esse asserere quin vires naturæ intus extraque cognoscamus: non cognoscimus; ergo. Unde sic resumo. Illa definitio non est admittenda qua posita de nullo miraculo certi esse possumus: atqui, posita allata definitione, de nullo miraculo certi esse possumus. Ergo.

R. dist. min. De nullo miraculo in particulari & quoad existentiam certi esse non possumus: c. de nullo miraculo in genere & quoad essentiam: n. Definitio rei non est ad cognoscendam rerum singularum existentiam; neque enim, v. g. per definitionem hominis cognosco statim utrum objectum quod a me certo distat intervallo, homo sit, necne; sed opus est accessu, visu cæterisque mediis & signis quibus certo judicem de præsentia & natura objecti in particulari. Ita quoque ubi agitur de miraculo; ubi quæritur an caractéres in definitione assignati in tali, vel tali opere deprehendantur, quæstio tunc pertinet ad existentiam miraculi in particulari, & dirimi debet per notas vero miraculo proprias; quemadmodum aliud est quærere quid sit linea recta, & aliud quærere an talis linea sit recta. Cæterum si propius res attendatur, hoc vitium, si vitium sit, in omnibus fere allatis antea miraculi definitionibus reperitur. Manifestum est ergo allatum Spinosæ argumentum a quæstione de existentia miraculi in genere transire ad quæstionem de certitudine & existentia miraculi in particulari, quæ duo sunt valde diversa, & dispari methodo inquirenda. Quin ipsemet Spinosa fatetur miraculum in sua notione importare aliquid non relative tantum, sed absolute supra vires naturæ.

Inst. Atqui de nullo miraculo etiam in genere & quoad essentiam certi esse possumus ex allata definitione. Ut enim certi simus de miraculo in genere, debet constare dari effectus supra vires totius naturæ: atqui 1. non æque constat existere miracula, & dari effectus supra vires totius naturæ; immo posterius nullatenus constare potest. Ergo.

R. n. min. Ex dictis enim omnes omnino populi & nationes uno ore & sensu dixerunt & putarunt miraculum esse essentialiter diversum ab effectibus naturalibus, ordinem intra quem continetur, esse essentialiter diversum ab ordine præsenti; uno verbo, esse supra vires totius naturę creatę.

Inst. Atqui nullatenus constat dari effectus supra vires totius naturæ creatæ. Ut constet dari tales effectus, debet constare eos esse diversos ab effectibus naturalibus: atqui nunquam constare potest dari effectus diversos ab effectibus naturalibus. Ut enim constet dari effectus ab effectibus naturalibus diversos, debet constare dari effectus qui non continentur intra leges & vires naturæ; porro istud constare non potest. Nam ad hoc cognosci deberent omnes proportiones, relationes, vires & effectus naturæ. Quod cognitu impossibile est. Unde ut cognoscatur dari effectus supra vires totius naturæ, debent cognosci omnes vires totius naturæ: atqui cognosci non possunt vires omnes totius naturæ. Ergo.

R. 1. Esto totum; nihil juvat hic Deistarum caussam, nec quicquam movent con-

contra miracula in genere. Esto enim quod non omnes naturæ leges & vires perspectas habeamus, saltem quæ contraria erunt paucissimis illis viribus quas in natura cognoscimus, certo certius erunt vera miracula: non cognoscimus quidem leges omnes quibus volvuntur revolvunturque annuis orbibus sol, luna & terra, scimus tamen eclypses lunæ oriri ex interpositione terræ lunam inter & solem: eclypses vero solis ex interpositione lunæ solem inter & terram, illas quidem non nisi plena, has vero non nisi nova luna accidere. Ergo si ordine illo inverso ac mutato eclypsim videas qualis contigit moriente Christo, tunc rem præter ordinem naturæ peragi, Deumque hanc eclypsim modo insolito caussasse nobis jure ac merito erit concludere.

R. 2. n. maj. Ut asseramus dare effectus diversos ab effectibus naturalibus, nec contineri illos effectus intra vires naturæ, necesse non est ut omnes naturæ vires & proportiones perspectas habeamus. Ut enim illud asseramus, duo sufficiunt & requiruntur. 1. Ut constet dari effectus independentes a causis secundis. 2. Illos effectus hoc ipso a naturalibus esse diversos: porro hæc duo constant, licet omnes totius naturæ vires non cognoscamus. Primum quidem. Nam constat Deum posse agere, immo revera agere aliquando per se, immediate & independenter a causis secundis. Certum est pariter caussas secundas habere potentiam finitam & limitatam, ac proinde certos esse generatim effectus ad quos se non extendunt, quosque potest Deus. Certum est adhuc non ita immensas esse naturæ vires ut extra se excurrere possit. Denique evidens est effectus illos esse a naturalibus diversos ratione modi quo producuntur. Ergo.

R. 3. dist. min. Cognosci non possunt positive omnes totius naturæ vires: c. Cognosci non possunt negative: n. Itaque quamvis quousque pateant agentium naturalium vires, semper & præcise determinare non possimus, sunt tamen quæ ex ipso rationis lumine & communi hominum judicio ac experientia quotidiana viribus tum naturę, tum artis impervia esse constat: sic ad quem gradum celeritatis pervenire homo possit currendo, prorsus me latet: at optime novi illum non posse uno die iter Parisiis Constantinopolim conficere. Nescio quem gradum virium habere possit homo: at optime novi illum non posse montem humeris ferre. Sic quamvis definiri nequeat, quousque in sanandis morbis sese protendat hominum industria, attamen citra temeritatem affirmare possumus morbos quoscunque solo verbo & nutu, & quidem ex tempore, naturaliter sanare non posse: multo minus defunctos ad lucem revocare. Pariter quamvis mechanicę artis auxilio ingentia pondera medio in aere, aut super aquas suspendi possint, certum est tamen absque ulla machina, absque ullo corpore interjecto suspensionem in aere, aut super aquas deambulationem vires omnes naturales superare. Ergo quamvis non cognoscamus quousque pateant vires naturę createę, possumus tamen asserere miraculum esse supra vires, &c.

Inst. Et prob. maj. scilicet ut asseratur dari effectus supra vires totius naturæ creatæ, debere cognosci omnes totius naturæ creatæ vires. Dum enim asseritur dari effectus qui non continentur intra leges & vires naturæ, istud asseritur, vel quia percipitur & tunc cognoscuntur omnes totius naturæ vires: vel licet ignorentur vires illæ, & tunc latius patet Conclusio quam premissę. Ergo ut asseratur effectum dari, &c.

R. eidem argumento eadem solutio. Asserimus dari effectus supra vires totius naturę createę, non quia positive percipimus omnes illas vires & omnes terminos ad quos se extendunt, sed quia cognoscimus vires naturę ad tales effectus sese non extendere.

Inst. Atqui ut asseramus dari effectus supra vires totius naturę createę, seu quod idem est, miracula esse illos effectus, debemus cognoscere omnes totius naturę vires. Sit in exemplum illuminatio cæci nati quem luto sanavit Christus. Cum non satis cognoscamus vires insensibiles cujuscunque corporis, aut partium ejus motus insensi-

biles; nec omnes omnino effectus qui inde oriri possunt, jam nobis conjicere licet motum curando cæco idoneum forsan esse unum ex illis quos in luto ignoramus. Sit alterum istud exemplum. Cometæ suas certo certius leges habent haud secus ac alia sydera. Attamen quando leges illas ignorabamus, ac eorum planetarum phænomena aut prænuntiare, aut evolvere nondum licebat, cometam intra miraculorum ordinem vulgus recensebat. Denique quot & quam mira quamque stupenda ope mechanices, hydraulyces aut optices quotidie fiant, nemo ignorat. At ubi hæc primum inventa sunt, pronum fuit vulgo existimare divinum quid in iis artibus inesse. Ergo quamdiu quo se extendant naturæ & artis vires ignorabimus, tamdiu etiam ignorabimus an ad miraculum usque sese extendant. Sic itaque prob. maj. neg. Tamdiu asserere non possumus miracula esse supra vires totius naturæ creatæ, quandiu possumus judicare illos effectus oriri ex corporum virtutibus insensibilibus & proprietatibus incognitis: atqui quandiu vires & proprietates illas ignoramus, tamdiu possumus judicare ex illis viribus insensibilibus & proprietatibus incognitis oriri miracula. Ergo ut asseramus miracula esse effectus supra vires naturæ creatæ, debemus omnes illius naturæ vires cognitas habere.

R. dist. maj. Tamdiu asserere non possumus miracula esse supra vires totius naturæ creatæ, quamdiu possumus judicare legitime miracula oriri ex corporum viribus insensibilibus & proprietatibus incognitis: c. Quamdiu possumus judicare etiam sine legitima ratione: n. legitima ratio hic est percepta aut possibilis aut actualis proportio causam inter & effectum. Legitima deest ratio ubi nulla percipitur proportio, & præsertim si manifesta sit repugnantia. Enim vero ut aliquid de materiæ effectibus tuto pronuntiemus, necesse non est ut ejus naturam intus extraque notam habeamus, v. gr. ut cogitationem a materia excludamus, non requiritur ut omnes & singulas ejus proprietates cognoscamus, sed sufficit ut attributis materiæ cognitis vel repugnet vel dissimilis sit cogitatio. Ita a pari de miraculo hic ratiocinamus. Certum enim ac evidens est quemcunque mechanismum quantumvis delicatum ac subtilem non alios sortiri posse effectus nisi sibi suæque virtuti proportionatos; & qua proportione evidens est aut dubia proportio aut disproportio materiæ cum tali effectu, eadem & nos certi aut dubii esse debemus an materia hos vel illos effectus producere possit, necne. v. g. Corpus quodlibet in alia non agit nisi motu & contactu physico. Ergo ubi solo nutu aut vocis sono pelluntur morbi, non adest effectus naturæ viribus proportionatus; præterea corpus quodlibet motus vel nimium remissos ac tenues, vel nimium vehementes ac citatos producere non potest. Hinc instantanee & subito operari non valet. Sic pharmaca tali vel tali mensura apponi debent, nec nisi certo temporis intervallo effectus suos producunt. Hinc corpus diffutas fibras resarcire, humoris elementarias partes dividere, montem vel civitatem transferre non potest. His positis, nemo non videt inter lutum & visus restitutionem nullam intercedere proportionem, præsertim si agatur de cæco nato & de repentina sanatione. Immo manifesta patet repugnantia. Effectus naturæ semper aliquo indicio sese prodit. Sic v. g. docet experientia quinquinatum febri promptum afferre remedium. Qua virtute id præstet ignoramus omnino; at nullam aliam hic intercedere causam nisi naturalem sine mora pronuntiat quilibet sanæ mentis. Assertionis hujus ratio est tum manifesta cum aliis effectibus ejusdem ordinis relatio, tum generalis quædam idea possibilem esse combinationem agentium naturalium his effectibus proportionatam. Frustra hujus difficultatis auctores tantopere instant, ad sanandum cæcum a nativitate sufficere certum cujusdam materiæ motum, inde enim sequeretur omnia corpora eosdem effectus posse producere; omnia enim corpora moveri possunt omni & quolibet motu. Ex eodem argumento sequeretur hominem posse montes transferre, undas maris sedare & dividere; ad hæc enim omnia requiritur & sufficit motus. Quæ omnia absurda sunt. Ergo.

Inst.

Inst. Atqui ut asseramus miracula esse supra vires totius naturæ, debemus cognoscere omnes illas vires. Nam cometarum cursus oritur ex legibus quæ quidem nobis sunt ignotæ, sed quæ tamen naturales sunt: atqui illuminatio cæci nati, v. g. tam potuit esse effectus virium luti insensibilium, quam cometarum cursus oriri ex legibus naturalibus & incognitis. Ergo.

R. n. min. Inter subitam enim illuminationem cæci & vires luti insensibiles nulla etiam generalis & remota detegitur aut intercedit proportio. Quæcumque enim vires in luto supponantur, quantumvis juxta naturalem ordinem augeantur, nec talem, nec tam subito effectum operari possunt. E contra vero licet assignare non possimus præcise & determinate leges quibus servit cometa, inter leges tamen naturales jam cognitas & orbes quos volvit & revolvit cometa, evidens detegitur proportio. Itaque ex cometarum cursus irregularitate nihil aliud concludi debet nisi miraculi naturam non in eo reponendam esse quod legibus manifestissime cognitis deroget; minime vero sequitur miraculum non esse supra vires totius naturæ.

Inst. Novi quotidie se produnt effectus, novæ deteguntur proprietates mechanicæ, hydraulicæ & opticæ quæ omnia a natura dimanant: atqui illuminatio cæci nati poterit aliquando detegi ut effectus virium luti insensibilium & incognitarum. Ergo ut asseratur miracula esse supra vires totius naturæ creatæ, debent cognosci vires ejus, v. g. luti, insensibiles. Alias certo pronuntiari non potest [illegible]es naturæ, etiam insensibiles, ad miraculum se non extendere.

R. n. min. & parit. Nullus enim est ex allatis effectibus cum quo aliqua causa physica aliquam non habeat connexionem & proportionem. Hæc quidem proportio homines diu fugere potuit, nec nisi post longum temporis successum detecta est. Scilicet eo modo notus est naturæ ordo qui sufficiat ad discernendos effectus qui naturæ fetus sunt genuini, ab aliis effectibus qui ab ea oriri non possunt. Ordo enim naturæ nihil aliud est quam combinatio plurium legum quæ se invicem modificant, suspendunt & limitant, & sic effectus naturales se ipsos produnt per ipsammet limitationem & exceptionem quam aliis legibus apponunt. Varii illi effectus in illo ordine detecti, nihil aliud sunt quam natura accuratius evoluta & clarius cognita. Effectus illos facile cognoscere est vel per se, vel ex eorum cum aliis legibus connexione, vel denique novam aliquam declarant legem quæ aliarum actionem suspendit. Sic ex. gr. lapis magneticus cognitis aliis gravitationis legibus non derogat nisi consequenter ad aliam legem naturalem; cognitisque magnetis effectibus lex iis relativa statim occurrit. Sic itaque concludo: Inter allatos mechanicæ effectus & legem aliquam naturalem aliqua intercedit proportio quæ se aliquo modo semper prodit: at inter miracula & vires seu leges naturæ, inter luti vires & illuminationem cæci nati non solum nulla patet proportio, sed maxima oppositio. In miraculis enim gradum sistit consuetus naturæ ordo, nec tamen ulla patet causa quæ ordinem illum sistat; nulla applicantur agentia corporalia; nulla detegitur analogia cum aliis effectibus cognitis; ad nutum voluntatis, ad arbitrium auctorum suorum prodeunt. Quid hæc cum viribus naturæ, etiam incognitis & insensibilibus commune habent?

Inst. Miracula esse supra vires naturæ totius creatæ, & non contineri intra leges naturæ, sunt quid unum & idem: atqui ut asseratur miracula non contineri intra leges naturæ, debent omnes leges naturæ cognosci; forsan enim lex aliqua incognita eo instanti operatur, & in ea continetur miraculum, ergo ut asseratur miraculum esse supra vires totius naturæ, debent cognosci omnes illæ vires.

R. n. min. Et dico hypothesim legis illius novæ quæ pro instanti tantum alias sic destrueret, esse absurdam, fictitiam & omnino periculosam. 1. Absurda est. A recta enim ratione absonum est leges naturales sic supponere quæ cum suis effectibus nullam habeant naturalem connexionem aut proportionem, qua vel antequam oriantur, prævideri,

ri, vel postquam orti sunt agnosci aut conjici possint. 2. Fictitia est eadem hypothesis. Dum enim omnes leges cognitæ, omnes causæ physicæ mortui resurrectioni opponuntur, gratis supponitur lex quæ per annorum millia iners & otiosa omnes antea cognitas leges & earum activitatem devinciret & mortuum resuscitaret, statim primævæ reddenda inertiæ. Denique periculosa est prætensa novæ & instantaneæ illius legis suppositio. Is enim est legum naturalium caracter ut sint simplices, constantes & uniformes; alias auctoris sui scopum non attingerent finemque non implerent. Scopus ille est creaturarum facilitas, adeo ut deficientibus illis legibus, totus universus orbis in antiquum cahos relabatur necesse sit. Jam vero huic legum naturalium simplicitati & uniformitati detrahit lex illa nova & instantanea; immo eam omnino evertit. Si Lazarus novam suam vitam debuit legi alicui incognitæ quæ sterilis in sinu naturæ delitescebat, quis legum illarum incognitarum influxum & actionem coercebit? Cujus sunt utilitatis leges cognitæ?

Inst. Miraculum leges naturales suspendit, nec tamen absurdum aut periculosum dicitur. Ergo nec absurda aut periculosa dici potest lex illa nova & instantanea.

R. n. conf. & paritatem. Miraculum quod est omnium omnino legum exceptio, eo ipso quo est supra vires totius naturæ creatæ, excipiendo ab omnibus naturæ legibus, omnem legum illarum usum & auctoritatem servat ac munit dum suam sibi habet vim & energiam. At longe alius esset effectus legis incognitæ quæ miraculum operata supponeretur: lex illa non ut legem naturalem se proderet, & tamen alias leges suspenderet: hinc ex una parte labyrinto inextricabili nos includeret; ex altera vero & miraculorum & legum generalium utilitate nos defraudaret. Uno verbo lex naturalis legi naturali opposita contradictionem involveret; exceptio legibus naturalibus apposita per voluntatem Dei supremam & extraordinariam supponit & obfirmat legum naturalium vim & existentiam.

Inst. Ideo inter alia argumenta miraculum est supra vires totius naturæ creatæ, quia alias nullam vim probandi haberet: jam vero ut miraculum vim sibi habeat, necesse non est ut superet vires totius naturæ creatæ. Vel enim miracula improprie dicta, cognita ut divina, vim probandi habeat, vel non. Si primum; jam non requiritur opus quod superet vires totius naturæ creatæ. Jam vero nemo diffiteri potest quin miraculum improprie dictum, agnitum ut divinum, per se probet. Nam habet essentialem cum veritate connexionem. Scilicet miraculum improprie dictum, agnitum ut divinum, habet eandem connexionem cum veritate ac miraculum proprie dictum; connexionem enim habet fundatam summa Dei veracitate. Nec movere debet quod miraculum improprie dictum non agnoscatur ut divinum, nisi ex certis quibusdam caracteribus & notis; miraculum enim proprie dictum pariter non agnoscitur ut tale nisi ex notis & caracteribus. Sic itaque paucis urgere licet, Miracula improprie dicta, cognita ut divina, legitime probant. Ergo ut miraculum probet necesse non est ut sit supra vires totius naturæ creatæ.

R. 1. dist. ant. Legitime probant propter relationem ad Deum, id est, propter divinitatem operis: c. propter operis entitatem & substantiam, per se: n. Aliter dist. conseq. Necesse non est semper; c. aliquando: n. Itaque non negamus opera illa quæ superant vires naturæ alicujus particularis, si certos divinitatis caracteres præ se ferant, vim ad probandum maximam habere; at 1. Id non habent, nisi quia certo cognoscuntur habere Deum auctorem; non vero præcise quia superant vires naturæ alicujus particularis; uno verbo non probant ex entitate operis: at miraculum proprie dictum probat præcise ut tale & ex sola operis entitate. 2. Non semper cognoscuntur, immo non semper cognosci possunt ut divina. 3. Sunt quædam circumstantiæ ubi tum ob rei credendæ difficultatem, tum ob conflictum, vix plene sufficerent miracula improprie dicta, etiam agnita ut divina. Nec enim assignari possunt notæ ita

evi-

evidentes quibus constet miracula improprie dicta esse divina, ut certitudinem metaphysicæ æquiparam producant ut producit miraculum proprie dictum, seu effectus supra vires totius naturæ. Uno verbo non rari occurrunt casus in quibus Deus, ad plenam fidem sibi faciendam, scopum suum assequi non potest nisi eliciendo opus quod superando vires omnes creatas ipsis ascribi non possit & manum omnipotentis evidenter prodat.

Obj. 2. Priusquam afferatur miraculum esse supra vires totius naturæ creatæ, constare debet vel Deum nulli creaturæ hanc naturalem communicasse potestatem, vel communicatam ita arctis limitibus, severisque legibus restrinxisse, ut nusquam in actum erumpere possit. Jam vero neutrum constare potest. Non primum; tunc enim certi esse deberemus non majorem Angelo, quam homini competere potestatem; inter utrumque limites potestatis accurate essent fingendi: atqui limites illi accurate assignari non possunt. Non secundum; nullum enim proferri potest argumentum quo evincatur illius potestatis restrictionem perpetuam esse, universalem & sine exceptione. Nullum adest factum, nullus Scripturæ sacræ textus in quo hæc restrictio legatur. Hanc exceptionem non præ se fert aut natura operis, miraculi nempe, aut natura creaturæ, præsertim Angelicæ. Ergo.

R. 1. retorq. Ut negetur miraculum esse supra vires totius naturæ creatæ, constare debet Deum hanc potestatem naturæ alicui concessisse, concessamque nullis restrinxisse limitibus: atqui nullo argumento certo hæc possunt probari. Neque enim hæc aperit aut Scriptura, aut Traditio, ut fusius deinceps patebit; nullus est Scripturæ textus, nullum factum quo id constet. Ergo.

R. 2. n. maj. Ut afferatur miraculum esse supra vires totius naturæ creatæ, necesse non est ut constet majorem Angelo quam homini non esse potestatem; sufficit ut in idea clara & distincta miraculi detegatur illud esse effectum supra vires totius naturæ creatæ, independenter ab illa quæstione an possit necne communicari; sicut ut constet creationem esse eductionem rei ex nihilo tum sui tum subjecti, necesse non est ut constet majorem Angelo quam homini potestatem non competere, sed sufficit ut hanc notionem præ se ferat clara & distincta creationis perceptio. Et sicut ex data creationis definitione non sequitur Angelum majorem homine potestatem non habere, licet ad creationem potestas illa non extendatur; sic ex nostra miraculi definitione non sequitur Angelo majorem quam homini potestatem non competere, licet ad miraculum se non extendat potestas illa.

R. 3. n. min. Et dico: etiamsi potestas illa foret Angelicæ creaturæ naturalis, certis quibusdam legibus illam compositam esse, nobis ex multis argumentis conjicere est. 1. Argumento facti. Constanter enim Scriptura docet arctis compagibus constrictam esse naturalem quam Dæmon habet potestatem ad movenda corpora. Id patet ex historia Job, ex Magis Pharaonis, & S. Joan. asserente in Apocalypsi ligatum esse Satanam. Ergo etiamsi potestas miraculorum Dæmoni naturaliter communicata esset, certo concludere possumus laxatas non esse ad libitum hujus potestatis habenas. Deinde illa restrictio clarius adhuc legitur in natura tum operis miraculosi, tum creaturæ; ex una parte enim miraculum proprie dictum, de quo solo hic agitur, est Divinitatis sigillum & testimonium ac consequenter ad veritatem per se destinatum est, ex altera vero parte inter creaturas, alia est ad malum obstinata, ut Dæmon, alia ad verum & ad falsum ex æquo indifferens, ut homo; ergo ut sua stet miraculo essentia, uterque ab eo constanter arceri debet; ille quidem, quia semper, hic vero quia quandoque miraculo ad errorem & mendacium uteretur; sicut innata libertate Dæmon semper, homo quandoque ad malum utitur.

Inst. Atqui ut afferatur miraculum esse supra vires totius naturæ creatæ, constare debet miraculorum potestatem nulli creaturæ naturaliter fuisse communicatam, immo non posse communicari. Ideo enim istud non esset necessarium, quia miracula hoc ipso quod superant vires totius naturæ, hoc ipso exigunt

potentiam infinitam, quæ sola incommunicabilis est: atqui miracula non exigunt potentiam infinitam. Ergo eorum potentia communicari potest. Ergo ut afferatur miracula esse supra vires totius naturæ creatæ, constare debet, &c.

R. 1. n. maj. Ideo ut afferatur miracula esse supra omnes naturæ vires, necesse non est scire miraculorum potestatem nulli communicatam fuisse aut communicari posse, quia istud posterius sequitur ex priori. Ratio enim ultima cur creaturæ communicari non possit naturalis miraculorum potestas, & ut causæ efficienti, est quod miracula ex se & ex natura sua sint effectus independentes a causarum secundarum actione & eo ipso sint supra vires totius naturæ, ex quo ulterius sequitur eorum potestatem nulli creaturæ naturaliter communicari posse. Miracula ergo possent non exigere potentiam infinitam, & tamen communicari non posse creaturæ. Ratio est quod possunt supponi multa supra vires totius naturæ, cum sint finitæ, quæ tamen non exigant potentiam infinitam; v. g. facultas visiva superat vires lapidis, ipsi communicari non potest, nec tamen est infinita. Cognitio adæquata totius naturæ actu existentis superat vires hominis; non tamen ideo quia est infinita.

R. 2. n. min. Nam ad agendum independenter a causis secundis requiritur potentia infinita. Requiritur enim potentia causis secundis & earum efficaciæ non alligata, ac proinde independens a causis secundis, potentia quæ sibi sufficiat: porro potentia quæ sibi sufficit, merito dici potest infinita. Ergo potest dici miracula exigere & importare potentiam infinitam. Præterea miracula debent indicare potentiam Dei. Ergo.

Inst. Atqui miracula non important potentiam infinitam. Nam sola creatio requirit & importat potentiam infinitam: sed ex omnibus miraculis quæ in S. Scriptura leguntur, ne unum quidem est quod sit creatio aut eam supponat. Ergo.

R. 1. n. maj. Ex ratione mox data quidquid importat supremum in causas secundas dominium & potentiam ab earum actione independentem, jam supponit & importat potentiam infinitam.

R. 2. n. min. Gratis asseritur Christum ne unum quidem miraculum operatum fuisse per creationem, aut per opus creationi æquale; saltem operari potuit per reproductionem; v. g. cum panes multiplicavit; sic etiam corpus Lazari jam fœtidum & dissolutum resarcivit.

Inst. Atqui ne unum quidem miraculum creationem importat; miraculum quodcunque a Christo patratum supponit & importat tantum novam modificationem variamque materiæ partium dispositionem. Ergo.

R. n. ant. Cujus falsitas patet ex modo dictis, scilicet Lazari resurrectio, panum multiplicatio, cæci nati illuminatio non sunt tantum nova modificatio, non important solum novum motum; præterea motus localis instantaneam resurrectionem aut curationem producere non potest.

Inst. Atqui ut afferatur miracula esse supra vires totius naturæ debent cognosci omnes illæ vires. Nam ex dictis contra celeb. Houtevill. ut posset asseri miracula esse fœtum legum generalium, deberent cognosci leges illæ. Ergo a pari ut afferatur miraculum esse supra vires totius naturæ, debent cognosci omnes totius naturæ vires.

R. n. conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est quod in sententia Houtevillii leges generales producunt miracula physice & efficienter. Jam vero ut afferatur hanc vel illam causam talem habere vim & proprietatem, debet positive cognosci & percipi illa proprietas vel per se, vel per alia cum quibus connectitur. At ut dicatur leges generales non posse producere miraculum, satis est quod non percipiatur in illis ista proprietas; tunc enim deest assertionis motivum.

Obj. 3. Illa definitio non est admittenda in qua aut agitur tantum de nomine, aut supponitur id quod est in quæstione. Atqui in assignata definitione, aut agitur de nomine, aut supponitur, &c. Si enim miracula supponantur supra vires

res totius naturæ creatæ, sive corporeæ, sive incorporeæ, jam supponitur mira culi potestatem Dæmoni non inesse, quod est ipse-met quæstionis status. Si vero intelligas miraculum supra vires naturæ corporeæ tantum, sed nolis hæc dici miracula divina & vera, jam de nomine decertas. Verum est enim miracula Angelica non esse æqualia divinis operationibus; at omnes fatentur miracula alia aliis majora esse. Et sicut Angelus multo plura quam homo, ita etiam Deus multo plura quam Angelus potest; at nolle hæc omnia nomine miraculi ex æquo donare, iterum dico, quæstio est de nomine.

R. n. 1. min. 1. Enim licet ex hac definitione sequatur Dæmonem non posse facere vera & proprie dicta miracula, non supponitur id quod est in quæstione, tum quia hic miraculi naturam per principia ipsi intrinseca discutimus; tum quia Dæmones miracula proprie dicta patrare non posse, aliis argumentis in posterum probabitur. 2. Non hic est quæstio de nomine. Si enim effectus supra vires solius naturæ corporeæ pro veris ac proprie dictis miraculis habere renuamus, id ex rationibus deductis concludimus, ubi miraculum probavimus non esse illud quod fit supra vires naturæ alicujus particularis. Et sane, ut jam dixi, obsessiones ac possessiones Dæmonum pro veris & proprie dictis miraculis nemo habet; attamen sunt supra vires naturæ corporeæ. Quam rationem hic reddent, eam non amplectemur ad asserendum miracula vera & proprie dicta non esse supra vires naturæ tantum corporeæ. 3. In allata definitione aperitur natura miraculi tum ab effectu, tum ex natura operis. Ab effectu quidem; quia opus miraculosum debet esse tale ut per se, ex natura sua, non vero ex hominum ignorantia admirationem ingerat. Ex ipsa vero natura operis. Nam minime a nobis concipitur miraculum esse ex naturalibus causis.

Inst. In his omnibus responsionibus semper supponitur id quod est in quæstione, nempe miraculum esse supra vires & præter ordinem totius naturæ creatæ.

R. n. ant. Probavimus tum ex confutatione aliorum systematum; tum specialibus argumentis allatam miraculi definitionem esse admittendam. In hisce difficultatibus non impugnatur definitio nisi ab extrinseco. Eadem via nos quoque insistimus, negamusque, posita nostra definitione, prætensa sequi absurda & incommoda. Immo addimus quod si in nostra definitione irrepsisset circulus vitiosus, ex utraque parte teneri se debeat.

CONCLUSIO XXIII.

Miraculum improprie dictum est effectus sensibilis supra vires & præter ordinem naturæ alicujus particularis per virtutem creatam nobis ignotam.

ASsertio ista probatione non indiget. Nemini enim dubium est quin inter varias naturas quæ existunt, aliæ aliis prævaleant & viribus præpotentiores sint. Quod si effectus naturæ potentioris miracula vocare placeat, licet, modo dicantur miracula improprie & lato sensu.

SCHOLIUM.

Quæcumque tandem admittatur sententia circa metaphysicam miraculi naturam, nullum inde Religio patitur detrimentum. Iis enim caracteribus vestiuntur miracula quibus nititur illa Religio ut in omni systemate obtineant, nec a Diabolo, sed a solo Deo oriri possint. Fatendum tamen causam Religionis difficiliorem fieri in aliis systematibus, ut patere potest ex iis quæ in præsenti quæstione disputavimus, & patebit adhuc postea.

QUÆSTIO II.

De Miraculi possibilitate.

MIraculi possibilitatem negavit Spinosa. Dissimulare sibi non potuit larvatus ille Judæus, stupendi hujusce operis naturam in notione sua aliquid importare non relative modo, sed absolute supra vires naturæ; sed hinc miraculi possibilitatem impugnandi an-

sam

sam arripuit. Leges, viresque naturæ sicut decreta Dei, juxta Spinosam, nullam pati possunt mutationem quin vicissitudinis umbra in Deum ipsum reflectat. Cum itaque vires naturæ sint Dei ipsius, naturæque divinæ vires, contra primas agere non magis potest quam contra secundas. Hinc nullum concedit effectum vel supra, vel præter, vel contra naturæ vires. Contra eum sit

CONCLUSIO.

Miracula possibilia sunt.

PRob. Illud est enim possibile quod in suo conceptu nullam involvit repugnantiam & contradictionem. Atqui tale est miraculum. Nam miraculum est effectus sensibilis supra naturæ vires & præter ordinem totius naturæ creatæ. Porro illud possibile concipitur. Eo ipso enim quo intelligitur natura creata & finita, jam concipitur possibilis effectus ad quem se non extendat, quique causam toti naturæ creatę superiorem postulet. Ergo.

Et sane miraculum utpote effectus sensibilis consistit ut plurimum in variis modificationibus, variaque ac nova materiæ partium dispositione. Ad miraculum ergo requiritur & sufficit ut Deus novas, insolitas, causisque secundis impervias formas in materiam introducere possit. Unde illud est possibile, quod nullam involvit repugnantiam sive ex parte Dei, sive ex parte materiæ, sive ex parte virium a Deo rebus inditarum. Atqui miraculum nullam involvit repugnantiam. 1. Ex parte Dei. Deo enim existente; ut fatentur Deistæ, jam existit Ens omnipotens, ergo pro nutu & arbitrio materiæ partes varie inter se disponere, mutuumque earum ad invicem ordinem mutare potest; materiam & corpora, unico voluntatis actu, infinitis ac extra causarum secundarum aleam positis modis movere, determinare & configurare potest. Quam enim libere creavit materiam, hanc libere sustentat, fovet ac informat. Ergo. 2. Ex parte materiæ. Materia enim ex se iners & otiosa est, omnis figuræ capax, nullius vero tenax, ad motum & quietem, immo ad talem vel talem motus gradum ex ęquo indifferens; nullas habet necessarias vires aut configurationes, nullum essentialem situm, aut motum, aut ordinem. Ergo divinæ actioni & impressioni nullatenus resistere potest materia. Ergo tunc facillime concipitur eam hoc vel illo modo moveri ac determinari posse, hanc vel illam de novo induere posse formam & configurationem, novumque posse servare ordinem & situm, novas denique vires suscipere, & sic ad miracula flecti posse. Ergo materia necessario sequetur Dei quascumque determinationes. 3. Nec ex parte virium rebus inditarum. Nam vires illæ sunt contingentes, ex se ad talem vel talem motus determinationem indifferentes, rebus inditæ sunt ex libero Dei decreto; ergo possunt augeri, vel minui, novasque habere determinationes.

Præterea ut Deus possit miraculum operari juxta datam definitionem, satis est quod possit producere sine causis secundis effectum vel ipsis germanum, vel etiam eum qui ipsis peregrinus sit, & ad quem se non extendunt. Porro ex natura Dei illud sequitur. Potentia enim ejus est infinita; ergo causarum secundarum actioni minime alligata, aut intra earum orbem non est ita circumscripta ut ab iis activitatem suam emendicare cogatur. Earum ordini non servit, immo ille ipse ordo divinæ voluntati mancipatur. Ordinem ergo illum immutare, suspendere & interrumpere potest, effectusque ab illo ordine independentes producere. Solus hæc neget qui supremam Entis supremi potentiam, summumque ejus in omnia dominium aut non concipiat aut inficietur. Quis sane supremæ illi obniteretur potentiæ? An homo? an materia? an spiritus Angelicus? an natura, id est series & cursus causarum naturalium? Minime profecto. Quidquid habent virium & sagacitatis hæc omnia entia, illud ab illo ente habent cui obsistendum esset. Agunt, existunt hujus primi Entis virtute & voluntate. Sua jura non abdicavit Ens supremum, ubi certa quadam proportione sua dona partitus est. Ergo Deus potest, &c.

Denique, fatentibus Deistis, effectus natu-

naturales nullam involvunt contradictionem. Ergo nullam quoque effectibus supernaturalibus ascribere est repugnantiam. Quid enim vero, num planetam movere facilius est quam eam sistere? Mortuum suscitare difficilius ne est quam vitam primum dare? Deum per se ac immediate quinque panes in quinque millia virorum multiplicare, aut ipsum pauca frumenti grana ope terræ fæcundare, hæc Deo æque facilia videntur, nec unum altero operosius videtur. Causæ enim secundæ quarum ministerio secundum opus operatur, per se inertes sunt & otiosæ. Agunt, pariunt sola virtute divina motæ & directæ. Unicum ergo discrimen est inter utrumque opus quod Deus in uno, virtute sibi propria solus & per se immediate agat, in altero vero virtute etiam sua causas secundas quasi induat & fœcundet. Quod si causæ illæ virtute divina ad tales effectus assurgant, quid ni tales audeat eadem virtus sola & per se.

Obj. 1. Miraculum est effectus contingens: atqui in rerum natura nullus dari potest effectus contingens. Ibi enim dari non potest effectus contingens, ubi omnia ex necessitate naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum: atqui in rerum natura omnia determinata sunt, &c. Ergo.

R. n. min. & prob. In rerum natura dari potest effectus contingens, nec omnia ex necessitate naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum. Nam existunt creaturæ contingentes; certum est Deum esse liberum. Constat etiam hominem esse liberum; constabit denique ex probandis existere miracula. Ergo.

Inst. Ut detur effectus contingens debet esse aliqua causa, aliquod agens cujus influxus & actio sit etiam contingens, nec pendeat ut producatur a causis necessariis: atqui nulla est causa cujus actio non pendeat a causis necessariis. Ergo.

R. n. min. Actiones enim Dei quas vocant ad extra, actus qui humani dicuntur, pendent a causis liberis, nempe a libera Dei & hominis voluntate. Ergo.

Inst. Causa illa sane esset Deus; ex assertis enim & probatis solus Deus potest facere miraculum: atqui omnis actio Dei pendet & producitur a causis necessariis. Ut enim Deus faceret miraculum quod est opus contingens, deberet illud velle; voluntas enim Dei esset causa efficiens miraculi & illud operaretur, nec Deus potest facere miraculum nisi volendo illud: atqui Deus non potest velle opus contingens quale est miraculum. Ille enim non potest velle opus illud contingens, scilicet miraculum, qui nihil potest velle nisi quod necessarium est necessitate ineluctabili: atqui Deus nihil potest velle nisi, &c. Cum enim intellectus & voluntas in Deo non distinguantur, sed sint quid unum & idem, Deus non potest velle aliquid quin illud prius intelligat, nec alio modo velle potest, quam quo intelligit: sed res intelligit tantum ut in se sunt; ergo vult eas tantum ut in se sunt; nec potest eas aliter velle. Ergo Deus nihil potest velle nisi quod est necessarium necessitate ineluctabili. Ergo omnis actio Dei pendet a causis necessariis.

R. 1. retorqueo arg. Deus nihil potest velle nisi eo modo quo illud intelligit; atqui res intelligit tantum ut in se sunt; Ergo non potuit mundum creare, aut velle ejus creationem. Namque non potuit velle mundum nisi eo modo quo eum intelligebat; atqui ante creationem mundi non intelligebat mundum nisi non existentem: ergo non potuit velle nisi mundum non existentem. Ergo non potuit velle ejus existentiam, ac proinde nec potuit eum creare.

R. 2. dist. Deus nihil potest velle nisi eo modo quo intelligit, intelligit inquam vel in statu actuali, vel statu possibili: c. Nisi eo modo quo intelligit in statu actuali: n. Sub duplici itaque respectu Deus potest aliquid intelligere & velle; nempe sub respectu entitatis quam actu habet, & sub respectu entitatis quam acquirere potest per influxum omnipotentiæ divinæ. Nemini enim dubium esse potest quin potentia Dei sit infinita. Termini itaque hujus potentiæ sunt numero infiniti, & omnes ac singulos illos terminos videt ac cognoscit intellectus divinus. Deus ergo intelligit res non tantum ut in se sunt, id est, non tantum quantum ad gra-

dus

dus perfectionis & entitatis quos actu habent, sed etiam quantum ad illos gradus quos habere possunt ex influxu omnipotentiæ divinæ. Deus videt res illas ut in se sunt, id est, ut sunt in suis ideis, in sua potentia. Ergo intellectus divinus potest cognoscere modum producendi quosdam effectus diversum ab eo quo ordinarie producuntur, ac consequenter voluntas divina potest velle illum ipsum modum extraordinarium. Ergo Deus potest intelligere & velle miraculum & quemcunque alium effectum contingentem.

Inst. Atqui Deus nihil potest velle nisi quod intelligit & eo modo quo intelligit, ac proinde actio Dei pendet & producitur a causis necessariis. Scilicet est in Deo necessitas quæ ab ejus essentia, natura & perfectione oritur. De essentia enim Dei est ut sit simplex, nec ulla sit in eo compositio; ac consequenter quidquid est in Deo, Deus est, & cum eo identificatur. Hinc sequitur omnia quæ sunt in Deo, necessaria esse, quia essentia Dei est necessaria. Ac proinde necessaria sunt in Deo tum ejus intellectus & voluntas, tum harum facultatum actus. Ex quo sequitur intellectum & voluntatem Dei pendere a causa necessaria, nempe ab essentia & perfectione ejus; pendere, inquam, tum quoad existendum, tum quoad operandum; ergo facultates illæ ad unum necessario & invincibiliter determinatæ sunt. Ergo omnis actio Dei pendet a causis necessariis, nec quicquam velle potest nisi eo modo quo intelligit, immo nec intelligere potest nisi illud etiam velit. Unde sic in forma. Omnis actio Dei pendet ab ejus intellectu & voluntate: atqui intellectus & voluntas Dei sunt modificationes necessariæ & ad unum invincibiliter determinatæ. Nam sunt quid unum & idem cum essentia divina: sed essentia divina est necessaria: ergo intellectus & voluntas sunt modificationes necessariæ. Ergo necessarii sunt earum actus & termini. Ergo omnis actio Dei pendet & producitur a causis, &c.

R. n. min. Nempe intellectum & voluntatem Dei esse ad unum invincibiliter determinatas. Equidem totum hoc Spinosæ argumentum supponit modificationes attributi cogitationis in unica illa quam excogitavit substantia esse necessarias & necessario determinatas ad certum modo existendum & operandum; at illud non probat Spinosa nisi supponendo unicam esse in mundo substantiam cujus attributa modificantur necessario necessitate naturali & ineluctabili, quod falsum ex Philosophis confutatur.

Deinde ex eo quod intellectus & voluntas in Deo sint quid unum & idem, nec a se aut ab essentia divina distinguantur, minime sequitur aut Deum nihil velle nisi eo modo quo intelligit, ad sensum Spinosæ, aut Deum nihil posse cognoscere quin illud velit. Hoc falsum est tum in se, tum in sententia Spinosæ. In systemate Spinosæ nulla est divina intelligentia præter intelligentiam entium particularium: atqui tamen particulares illæ intelligentiæ, non diffitente Spinosa, multa cognoscunt quæ sunt tantum possibilia, aut pendent a cognitione nunquam ponenda. Ita etiam in eodem systemate nulla est Dei voluntas distincta a particularibus entium particularium voluntatibus: atqui tamen, fatente Spinosa, voluntates illæ particulares non omnia volunt quæ ab intellectu cognoscuntur: ergo etiam in principiis Spinosæ falsum est intellectum & voluntatem Dei esse ad unum determinatas. Falsum est etiam in se. Ex hoc enim argumento: intellectus & voluntas in Deo non distinguuntur; ergo quidquid est objectum intellectus, est etiam objectum voluntatis: ex illo, inquam, argumento sequeretur omnia Dei attributa & eorum actus confundi & ad unicum attributum reduci debere. Sequeretur, v. g. illud quod est objectum misericordiæ, esse objectum justitiæ divinæ. Immo sequeretur intellectum, voluntatem, justitiam, misericordiam, singula uno verbo Dei attributa in Deo sterilia esse & otiosa. Attributa enim illa nihil possunt & otiosa sunt, eo ipso quo nihil possunt agere, nisi in quantum unum & idem efformant attributum, præsertim cum effectus unius attributi differant ab effectibus alterius & sese mutuo excludant.

Fatendum ergo, quod posita etiam omnimoda Dei simplicitate, attributa illa pos-

possint agere eodem modo ac si essent distincta; ac consequenter quod est objectum intelligentiæ divinæ, potest non esse objectum divinæ voluntatis. Idem sit judicium de Deo ac de nobis. Illud quod in nobis cogitat, gaudet, tristatur, &c. Nedum facultatum ejus multiplicitas partium multiplicitatem in eo arguat, immo inde evincitur entia simplicia habere attributa quæ cum iisdem sunt quid unum & idem, sed quæ nihilominus eodem modo agunt ac si realiter tum a se, tum a communi subjecto distinguerentur. Gaudere enim & tristari non videntur posse exerceri per unicum ens, sed plura entia videntur exigere. His tamen omnibus sufficit unicum ens; ergo a fortiori pluribus exercendis actibus sufficit Deus. Dum ex summa Dei simplicitate concludit Spinosa Deum nihil cognoscere quin velit, idem incurrit absurdum ac si diceret nos nihil cognoscere quin illud simul velimus, quia intellectus & voluntas sunt animæ nostræ attributa & cum ea identificantur. Intelligentia enim non est voluntas, sicut nec facultas videndi non est facultas audiendi. Quomodo ergo facultates illæ cum anima nostra identificantur, nec tamen inter se identificantur? Aut quomodo anima simplex facultates adeo distinctas & diversas habet illæsa simplicitate? Id sentimus quidem, at evolvere aut concipere non possumus; ergo a fortiori id de Deo aut evolvere, aut concipere non valemus. Ergo unumquodque Dei attributum actum sibi proprium habet. v. g. Actus misericordiæ non est actus justitiæ; actus potentiæ non est actus intelligentiæ. Nec ex eo quod attributa illa cum essentia Dei identificentur, concludendum est actus illorum attributorum sibi identificari, ac quidquid de uno dicitur, de altero dici posse absque ulla limitatione & exceptione. Alias posset dici actum justitiæ quo Deus Judæam damnavit, esse illum ipsum misericordiæ actum quo pium Latronem servavit, aut actum justitiæ esse ipsammet misericordiam, sicut dicitur Deus misericordia infinita; quod absurdum est. Ergo licet intellectus & voluntas in Deo sint quid unum & idem, non sunt tamen necessario & invincibiliter ad unum determinatæ. Ergo actio Dei non pendet a causis necessariis.

Obj. 2. Ut miracula fiant, debent mutari ordo, leges & cursus naturæ: atqui hæc mutari non possunt. Ergo nec possibile miraculum.

R. dist. min. Si hanc mutationem ab æterno non decreverit: c. Si decreverit: n. Porro hæc mutatio ab æterno decreta fuit pro tempore quo patrarentur miracula. Ut aliquid probaret Spinosa, deberet probare Deum non potuisse ab æterno sibi reservare jus leges illas immutandi, aut mutationem illam ab æterno non decrevisse. Atqui neutrum probare potest Spinosa. Leges illas libere posuit Deus, libere eas suspendere potest ex dictis. Leges quasdam sibi fingit spurius ille Philosophus, juxta quas effectus quidam necessario sequantur; intimam, propriamque corporibus nescio quam activitatem supponit, quæ nisi ab alio corpore impediatur, suspendi aut retardari non potest. At vero quidnam sunt tandem leges illæ? Si dotes sint a corporibus indistinctæ, jam nihil magis poterunt quam corpora cum quibus identificantur; ac proinde sicut corpora, sic sunt ipsæ ad motum & quietem indifferentes. Ergo corpora ad certum finem dirigere, ordinemque inter ea certa lege componere non poterunt. Itaque si ad ideas claras confugere velimus, certo compertum habebimus vires corporum nihil aliud esse quam eorum motum. Motus vero corporum est successiva eorum positio. Ordo juxta quem fit illa positio, est actio Dei constans & uniformis, seu est voluntas ejus libera qua vires impressit & disposuit; sive enim mediate, sive immediate res a Deo in hoc mundo peragantur, Deus primi agentis & motoris semper vices gerit. Ergo vires illas corporum vel augere, vel minuere pro nutu suo potest Deus; ergo & ordinem mutare.

Inst. Ex data responsione sequitur ordinem naturæ nihil esse quam decreta & voluntatem Dei: atqui decreta aut voluntas Dei mutari non possunt. Ergo.

R. dist. maj. Ordo naturæ nihil aliud est quam decreta Dei terminative sumpta;

pta: c. principiative sumpta: n. Itaque ordo ille est terminus, seu effectus decretorum Dei, quia, ut jam multoties diximus, Deus libere motum & motus gradum corporibus impressit. Corpora enim nihil aliud sunt quam extensio mobilis & configurabilis; virtus corporum est varia eorum partium dispositio. Ergo cum decreta illa quorum hæc dispositio est effectus, sint libera, jam illam dispositionem ac consequenter corporum virtutem mutare potest Deus. At vero absurdum est ordinem illum naturæ esse Dei decreta principiative sumpta. Cum enim ordo ille naturæ sit ipsamet corporum & partium eorum dispositio, jam sequerètur corpora illa esse Deum ipsum. Nam dispositio partium corporis est corpus ipsum; decreta vero Dei principiative sumpta sunt Deus ipse. Ergo.

Inst. Atqui licet ordo ille sit decretum Dei terminative tantum, tamen Deus illum ordinem mutare non potest. Nam effectus ordinis mutari non potest quin mutetur ipse ordo. Ergo a pari effectus decretorum Dei mutari non potest quin hoc ipso mutentur & ipsa-met Dei decreta.

R. n. conseq. Effectus mutari non potest quin suspendatur causarum secundarum activitas & dispositio; ac proinde quin mutetur ordo. At non ita de Dei decretis. Eodem enim decreto quo Deus vim corporibus impressit & eorum ordinem, seu proportionem cum aliquo effectu sancivit, eodem stabilivit hanc virtutem tali vel tali casu suo effectu frustrandam fore. Ergo effectus mutatur, non vero decretum Dei.

Inst. Atqui hoc ipso quod effectus mutari non potest, quin mutetur ordo, jam nec effectus mutari potest quin mutentur decreta Dei. Sicut enim ordo ille unum & idem est cum suis effectibus, adeo ut mutatis effectibus mutetur necessario ordo, ita a pari ordo idem cum decretis Dei iis connectitur vinculis ut mutari non possit quin mutentur decreta Dei.

R. n. ant. & parit. Evidens enim est mutari non posse effectum naturalem quin mutetur ordo naturæ, id est, quin suspendatur activitas aut proportio causæ ad effectum; ut modo diximus. At non ita effectus divinæ voluntatis; est enim quid extrinsecum huic voluntati. Ordo naturæ arctissimis quidem vinculis cum decretis Dei connectitur, eo sensu quod sine Dei voluntate non possit ordo ille consistere; at non eo sensu quod ordo sit ipsummet decretum Dei principiative sumptum & vice versa.

Inst. Atqui hoc ipso quod effectus mutari non potest quin mutetur ordo, jam effectus mutari non potest. Nam ordo ipse mutari non potest. Ad hoc enim satis est quod ordo ille fluat ac dimanet & quidem necessario ex essentia Dei: atqui hoc verum est. Nam ordo ille, seu decretum Dei fluit ex necessitate & perfectione naturæ divinæ; fluit enim ex voluntate Dei. Sed voluntas Dei est ejus essentia; ergo Deus agendo contra decretum suum & ordinem naturæ, ageret contra voluntatem suam, contra naturam suam & contra seipsum; ergo ordo naturæ & ordinis hujus effectus mutari non potest quin mutetur Deus. Ergo nec potest agere contra ordinem naturæ. Unde sic. Ille ordo mutari non potest qui est necessarius: atqui ordo naturæ est necessarius. Nam ille ordo fluit ex necessitate & perfectione naturæ divinæ. Ergo hoc ipso quod effectus mutari non potest quin mutetur ordo, jam effectus est impossibilis.

R. n. min. Leges enim particulares tales sunt, quia tales esse voluit Deus. Potuit ergo sibi proponere harum legum mutationem. Contrarium non probat, immo nec probare suscipit Spinosa. Ordo itaque naturæ fluit a voluntate Dei libera; ergo non ex necessitate naturæ divinæ. Jam exposuimus quomodo voluntas Dei, licet Deo essentialis, possit habere liberos & contingentes effectus. Nec in hoc quidquam sit contra Dei voluntatem. Deus enim voluit simul & leges illas, & earum suspensionem. Rerum itaque essentias cum motus determinationibus turpiter confundit Spinosa. Rerum essentiæ sunt quidem immutabiles; sic v. g. circulo auferri non potest rotunditas; at leges juxta quas variæ componuntur determinationes, ac determinationes, ipsæ sunt omnino Deo liberæ.

Inst. Atqui ordo naturæ est necessarius. Nam

Nam potestas naturæ est potestas Dei ipsius & ejus virtus: atqui potestas Dei est ejus essentia. Ergo effectus supra vires aut ordinem naturæ esset supra Dei essentiam. Ergo.

R. dist. maj. Potestas naturæ est potestas Dei effective: c. Principiative & substantialiter: n. Itaque potestas naturæ est potestas Dei effective, id est, est effectus potentiæ divinæ. Virtutem enim suam Deus entibus creatis communicavit, dum certum ordinem & motum certamque motus determinationem ipsis indidit. At nullo sensu dici potest potentiam naturæ esse potentiam Dei principiative & substantialiter sumptam, nisi forte apud Spinosam, juxta quem Deus nihil est quam putidum quoddam ex omnibus entibus aggregatum. Porro eadem potentia qua Deus ordinem illum ac motum materiæ impressit, eadem potest alium ordinem, aliamque motus determinationem in materiam introducere. Dei enim potentia naturæ potentia superior est, & ulterius extenditur, ac proinde multa potest quibus natura non sufficit. Ergo aliquid agendo contra potestatem naturæ, non agit contra potentiam aut essentiam suam.

Inst. Hæc responsio supponit naturam non se extendere ad quosdam effectus: atqui hoc falsum est. Nam potentia naturæ est infinita: ergo ad omnes effectus se extendit.

R. n. min. Potentia quidem naturæ est infinita in spurio Spinosæ systemate, quia juxta eum est ipsa-met Dei potentia; at in rei veritate est finita. Non nisi enim modo & gradu finito suam potentiam entibus creatis communicavit.

Inst. Ex his responsionibus sequitur Deum creavisse naturam mancam & impotentem & leges stabilivisse adeo steriles ut ad earum conservationem & earum effectus producendos singulo instanti illis subvenire, & novum ac extraordinarium auxilium conferre cogatur. Absurdum consequens: ergo & antecedens.

R. n. min. Absurdum non est Deum pro ea qua gaudet infinita potestate multo plura posse quam naturam creatam quæ est finita & limitata; aut Deum pro summo quod in omnia obtinet dominio quosdam effectus sibi reservasse quos naturæ imperio veluti substraxit. Naturam creare non potuit Deus nisi finitam; naturæ ergo sufficiat quosdam effectus producere cum quibus proportionem habet.

Inst. Atqui Deus non potest ordinem naturæ infringere. Nam leges hujus ordinis fundantur in earum essentia & natura: ergo sunt immutabiles.

R. dist. Leges generales fundantur, &c. c. Leges particulares: n. Leges generales sunt illæ quibus rerum essentiæ continentur; sunt prima principia per se nota; talia sunt pro animabus: virtus amanda, vitium est fugiendum. Talia sunt pro corporibus: linea recta est omnium brevissima, si ex æqualibus æqualia demantur, residua sunt æqualia. Contra leges illas nihil potest Deus quin evertantur essentiæ rerum. Sic v.g. non potest producere miraculose effectum in quo totum non sit sua parte majus. At cum Deus operatur miraculum, agit tantum contra leges particulares; ut jam multoties diximus.

Inst. Atqui leges, etiam particulares, fundantur etiam rerum essentiis. Nam leges illæ a Deo stabilitæ sunt juxta ideas rerum æternas & immutabiles. Ergo non magis mutari possunt quam leges generales.

R. dist. ant. Leges particulares stabilitæ sunt remote & ultimate: c. Proxime & immediate: n. Itaque leges particulares nihil aliud sunt quam legum generalium applicationes. Applicationes illæ nituntur quidem in ideis rerum immutabilibus, quia in eas ultime refunduntur, at cum ideis illis aut legibus generalibus non identificantur. v. g. Ideo plumbum in bilance positum petram attollit, quia habet majorem molem, & juxta legem generalem corpus mole minus majori cedere debet; at plumbum mole majus esse non est lex generalis.

Inst. Atqui licet leges particulares nitantur remote tantum rerum ideis & essentiis, eas infringere non potest Deus. Nam agere non potest contra ordinem justitiæ, licet plures ejus leges sint principiorum generalium applicationes. Ergo nec potest agere contra ordinem naturæ.

R. dist. conseq. Contra ordinem naturæ uni-

universalem & prout pendet a prima causa: c. Contra ordinem particularem, & in quantum pendet a qualibet causa secunda: n. Deus non potest agere contra ordinem naturæ in quantum ordo ille pendet a prima causa; tunc enim, ut jam diximus, ageret contra suam voluntatem & præscientiam. At potest agere contra ordinem causæ particularis ad effectum aliquem particularem, effectum illum producendo per se & independenter ab illa causa particulari. Porro ordo justitiæ est secundum relationem ad primam causam quæ est regula omnis justitiæ. Ita S. Th. 1. p. q. 105. ar. 6.

Obj. Certum est naturam regi legibus naturalibus, id est, legibus quæ nunquam falluntur aut deficiunt: certum est pariter ex illarum legum serie non interrupta efflorescere testimonium divinum quoddam generale ac universale. Porro hoc posito repugnat miraculum. Miraculum nihil aliud esset quam testimonium divinum quoddam speciale. Sed repugnat testimonium divinum speciale oppositum testimonio divino generali. Miraculum enim non potest esse exceptio legum generalium, quin eo ipso aliquam gerat oppositionem cum legibus generalibus. Immo etiamsi foret mera & nuda exceptio, repugnat adhuc. Nam repugnat quælibet exceptio legibus moralibus apposita; ergo & legibus physicis. Si enim posset admitti in legibus moralibus exceptio aut oppositio, possent esse falsæ saltem pro eo instanti; hinc Deus nos falleret: atqui pariter si apponeretur exceptio legibus physicis, falsæ fierent pro eo instanti; hinc enim Deus vanum & irritum faceret unicum illud medium quod discernendis objectis destinavit: uno verbo, eo ipso nos falleret Deus. Ergo tam repugnat exceptio in legibus physicis, quam in moralibus; ergo repugnat miraculum. Quod sic in forma propono. Miraculum esset testimonium Dei speciale, dum e contra series legum generalium est testimonium Dei universale: atqui repugnat testimonium Dei speciale. Nam tunc testimonium universale infringeretur per testimonium speciale. Ergo.

R. n. min. Ad prob. dico miraculo non infringi nec destrui leges generales. Cum enim earum sit tantum transitoria interruptio, intactas relinquit leges generales. Testimonium quod resultat ex legibus generalibus, fidem facit quidem existere legem & Dei voluntatem generalem, vi cujus hoc vel illud tali vel tali casu evenire debet, sed quantum ad eventum ipsum, v. g. quantum ad eventum crastinum rationalem quidem dat certitudinem, non eam tamen qua repugnet etiam divinitus contrarium fieri; ac proinde nec eam certitudinem qua repugnet miraculum.

Inst. Repugnat quælibet exceptio apposita legibus moralibus; ergo a pari repugnat quælibet exceptio legibus physicis.

R. n. conseq. & parit. Ratio disparitatis est quod leges physicæ, licet sapientissimis rationibus innixæ, aliquid tamen liberum & arbitrarium in sua institutione includant; e contra vero leges morales ipsismet natura hominum, constitutione & informatione ac rerum essentiis nituntur; unde non magis mutari aut exceptionem pati possunt quam rerum essentiæ.

Inst. Deus nos falleret & certitudinis leges inverteret per exceptionem legum physicarum. Ergo repugnat illa exceptio.

R. n. ant. Certitudo quam pariunt leges physicæ quoad futuros eventus, reducitur ad maximam probabilitatem qua constat hunc vel illum effectum futurum esse, licet absolute loquendo contrarium accidere possit: miraculum quidem interveniens expectationem nostram deludit, sed nullum parit errorem necessarium, quandoquidem non opponitur maximæ quam habebamus probabilitati. Sive enim fiat, sive non fiat miraculum, maxime semper probabilis est effectus futuritio. Probabilitas illa eo nititur non quod contrarium aut nunquam accidat, aut nunquam accidere possit; sed quod ordinarie & fere semper res ita eveniat. Hæc itaque sic paucis resumere licet. Duo in miraculo distinguenda sunt, ejus nimirum possibilitas & existentia. Quantum ad miraculi possibilitatem, non repugnat mi-

ra-

raculum utpote quod non legum certitudini, sed actuali earum exercitio opponatur; existentia vero, nam certa fit ex legibus quas Deus mutare aut suspendere non potest, nempe legibus moralibus.

QUÆSTIO III.

De causa Miraculi.

OMnis effectus aliquam necessario exigit causam; alias aut seipsum fecisse, aut a nihilo ortum ducere dicendus est; quorum utrumque est absurdum. Causa autem multiplex pro varia ratione & diverso modo influendi in effectum. Alia nempe physica, alia moralis; illa vel principalis, vel instrumentalis; vel prima est, vel secunda.

Causa efficiens est ea quæ aliquid producit, & a qua fit effectus aliquis. Physica dicitur, vel ratione effectus, quia scilicet producit effectum physicum & realem, vel ratione modi quo influit in effectum, ubi nempe physice & realiter, seu per se, reali ac physico influxu in effectum influit. Moralis vero dicitur, quæ influit objective tantum, causam efficientem movendo, excitando & determinando ad producendum effectum, suo situ, sua positione, suo consilio, suasu vel imperio, aut prece. Sic Sancti miracula operantur, Deum ad ea facienda movendo suis orationibus, benedictionibus, &c.

Causa efficiens principalis propria virtute & auctoritate operatur; instrumentalis vero alieno nomine extrinsecaque virtute operatur & causat. Causa efficiens prima effectum producit independenter ab alia superiori causa efficiente, omnes vero aliæ causæ dependenter ab ea agunt. Nullam agnoscit sui causam, ab ea omnes aliæ causantur. Causa secunda producit effectum dependenter a superiori causa efficiente. Causa secunda vel libera, ut homo, vel necessaria & naturalis, ut res materiales, v. g. medicamenta. Juxta ergo has divisiones multiplex distinguenda venit virtus, facultas & potentia: alia nempe propria & naturalis, alia instrumentalis & principalis; alia item physica & moralis.

Inter varia quæ in toto orbe cognoscuntur entia, duplicis generis occurrunt, materia nempe & spiritus. Hic est substantia simplex & partium expers; spiritus vero vel increatus, Deus nempe, vel creatus. Hic vel corpori alligatus, ut mens humana, vel a corpore separatus, ut Angelus sive bonus sive malus.

Ex dictis duplex distingui debet miraculum, proprie & improprie dictum. Item in miraculo duo possunt considerari, substantia nempe, vel materia operis, & ejus forma seu modus. Substantia operis est effectus qui ex miraculo resultat, ut vita in resurgente; immo materiæ nomine hic intelligi possunt quæ ad miraculum concurrunt vel ut prævia ejus conditio, vel ipsum concomitans. Sic materia miraculi dici possunt precum fusio, verborum prolatio; sic in ultima resurrectione cinerum & membrorum collectio quæ fiet ab Angelis, juxta quosdam. Forma vero seu modus miraculi est modus quo fit opus & miraculum. Sic febrem sanat Sanctus, sanat & Medicus; ille invocationibus, hic medicamentis; ille subito, hic cum proportionato tempore. Præterea aliud entitas miraculi, aliud finis ad quem refertur.

Certum est 1. materiam pure passivam esse, intelligentiæ expertem, & ad omnia indifferentem; ac consequenter miraculi causam esse non posse. Constat 2. hominem per se & virtute propria miraculo producendo imparem esse. Propria unicuique dictat conscientia nihil ipsi, præter proprium corpus, ad nutum servire; nec posse præter totius naturæ ordinem agere. 3. Certum est Deum posse uti creatura tum humana, tum Angelica, tanquam causa instrumentali ad patrandum miraculum. 4. Deum in confirmationem erroris miraculum operari non posse nemo sanæ mentis inficias ire potest. Tota ergo præsens difficultas eo unice devolvitur, an scilicet Angelus sive bonus, sive malus virtute naturali & sibi propria possit miracula operari, aut saltem an Deus Angelo malo utatur ut causa instrumentali ad miraculum quod fieret in confirmationem erroris. Quæritur itaque an Deus potentiam miraculorum Angelo vel communicaverit tanquam naturæ appendicem, vel com-

communicet aliquando extraordinarie & ut causæ instrumentali.

Nec omittendum quod sicut in Dæmonibus integra mansere naturalia post lapsum, sic omnis virtus & potestas operandi ad extra, quæ Angelis est naturalis, mansit integra in Dæmonibus post peccatum. Attamen virtus illa fuit læsa & labefactata in Dæmonibus, sicut læsæ sunt naturales facultates in homine lapso, aut saltem exercitium illius potestatis impeditur in supplicium culpæ. Hoc suadet constans & uniformis Scriptura quæ exhibet nobis Dæmonem ut servum ab ore heri sui in omnibus pendentem, adeo ut nihil possit, vel audeat nisi ex Dei vel jussione, vel expressa concessione. Insigne exemplum hujus rei nobis subministrat historia Job *cap.* 1. & 2. Expressa eget Diabolus permissione ad singula ibi memorata quæ tamen videntur ejus potentiæ proportionata ac connaturalia; immo ita voluntati divinæ addictus est, ut præscriptos limites transgredi non possit. Refertur etiam, *III. Reg.* 22. conciliatos inter se coram Deo malignos spiritus ad decipiendum Achab, unumque ex illis rem in se suscepisse, sed Deo concedente. Et S. Joannes exhibet nobis Apocalyp. 20. Satanam ligatum.

In memoriam denique revocandum est quam late pateat Angelorum etiam malorum cognitio. Amplam enim habent & longe nobis perfectiorem scientiam totius naturæ. Patent ipsis omnium rerum arcana & proprietates quas omnino ignoramus. Ut in quæstione tam obscura & intricata simplicissime ac dilucidissime quam fieri potest procedatur; observ. 1. quando Deus varia entia creavit, alia voluit esse aliorum causas, alia vero eorum effectus.

2. Hinc inter alia adest manifesta proportio causæ ad effectum, inter alia vero proportio effectus ad causam. Hæc portio non a rebus ipsis, non a fortuito casu, sed ab ipsomet & quidem solo Auctore naturæ rebus est indita.

3. Hæc proportio nihil aliud est quam vis, efficacia ac energia quædam qua ens aliquod physice & efficienter influit in aliud. Hinc vires naturæ.

4. Ex hac sola proportione agunt causæ; hac sublata, agere non possunt.

5. Ergo ut producatur effectus miraculosus ab aliqua causa, si cum eo nullam habeat causæ seu efficientiæ proportionem, debet suppleri illa proportio.

6. Suppletur autem vel quia causa superior per se & per suam activitatem deficientis causæ vices gerit agendo & producendo per se, vel quia causæ deficienti communicat quam antea non habebat porportionem, sive per simplicem ac totalem concessionem, sive per augmentationem & additionem. In priori casu sola causa superior physice influit in effectum; tunc enim nulla causæ deficienti communicatur proportio, seu vis efficiens.

Hinc quando quæritur utrum causa aliqua creata sive humana, sive Angelica nativam habeat potestatem in miraculorum confectionem, idem est ac si quæreretur utrum causa illa creata possit nativa potestate vel producere effectum independenter a concursu & actione causarum secundarum, vel causarum illarum proportionem supplere, proprio nutu soloque voluntatis imperio eorum vires augendo, minuendo & resarciendo. His positis, efficientem miraculorum causam sequentes evolvunt Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Angeli possunt movere corpora localiter.

PRob. Hæc propositio manifesta est ex multis Scripturæ locis & quotidiana constat experientia; nec legitima deest ratio. Sic Daniel 14. 34. Angelus apprehensum Habacuc in vertice, portavit & posuit ad lacum Babylonis. Sic Job 1. Diabolus concussit quatuor angulos domus ubi erant filii Job congregati. *Genes.* 3. Diabolus per serpentem locutus est. *Act.* 5. & 12. Angelus Apostolos educit e custodia. Hoc quotidiana obfirmat experientia in obsessis, quorum corpora a Dæmone moventur, agitantur, transferunturque. Innumera occurrunt exempla in N. T. Porro horum omnium concessa veritate, sic ex his ratiocinari nobis licet. Illud pro certo tenendum est quod constans experientia & facta tum in veteri, tum

tum in novo testamento relata testantur. Atqui, &c. Ergo, &c. Et certe sensu intimo unicuique nostrum constat animam nostram motum aliquem sanguini, animalibus spiritibus, cunctisque membris imprimere. Nulla tamen nobis patet proportio animam spiritalem inter & substantiam corpoream; nulla intercedere videtur relatio inter animæ volitionem & motum in corpore. Ex illa vero disproportione inter utramque substantiam, ex quotidiana experientia concludimus intercedere decretum ex parte Dei quo voluit ita uniri duas illas substantias ut unius affectiones inter & alterius motus tale intercederet commercium. Porro hic eadem viget argumentandi ratio. Etenim Angeli, utpote ex natura sua spiritales, non possunt movere materiam nisi ex Dei decreto & voluntate: at quotidie Angeli agunt in corpora ea movendo localiter: ergo stat ex parte Dei decretum quo sancivit ad Angeli volitionem excitari motum in materia. Unde sic in forma. Ut Angelos corpora movere tuto asseratur, satis est quod ad eorum volitiones possint moveri corpora: atqui occasione volitionis Angelicæ corpora moveri possunt. Ut enim istud asseratur, satis est quod adsit legitima ratio qua supponatur decretum Dei istud jubentis. Atqui adest talis ratio. Ideo enim unicuique constat corpus proprium a propria anima moveri, ex decreto Dei, quia animam corpori motum imprimere certa constat experientia, licet nulla videatur proportio inter animæ volitiones & motus corporis; atqui pariter licet inter volitiones Angelorum & motus corporum nulla videatur proportio, certa tamen constat experientia Angelos corpora movere. Ergo adest legitima ratio supponendi decretum, &c. Inter Angelos autem & animas nostras hoc intercedit discrimen, quod virtus animæ contrahatur ad corpus unitum; Angeli vero habeant virtutem minus contractam; non est enim alicui corpori alligata. Hinc possunt corpora, etiam sibi non conjuncta localiter movere. Duobus autem modis motum illum producere possunt. Vel uniendo & adaptando sibi corpus aliquod cujus ope cætera moveant; vel intellectu & voluntate; intelligendo scilicet actu mobile aliquod, locum a quo, locum ad quem & spatium, ac deinde volendo, id est, voluntatis imperium adhibendo ad hoc ut tale corpus, a tali loco, ad talem locum, tali spatio & tempore ac motu feratur.

CONCLUSIO II.

Angeli ex hac corpora movendi potestate multa possunt supra vires Naturæ corporeæ & visibilis, scilicet humanæ.

PRob. Hæc propositio sequitur ex præcedenti. Sicut enim anima quæ unita est corpori sano ac robusto, multo plura potest in alia corpora & ad opera externa, quam altera anima quæ consociata est corpori invalido & inerti, sic a fortiori Angelus cujus virtus ad aliquod corpus non contrahitur, multo plures effectus sensibiles & externos potest, quam anima cujus virtus contrahitur ad corpus unitum. Quæcumque prætera potest homo modo visibili, illa potest Angelus modo invisibili. Itaque mediante motu locali possunt, v. gr. ignem de cælo immittere ad comburenda & inflammanda ædificia; turbulentos ventos, validas tempestates excitare, ut patet ex Job, 1. Possunt motus ciere & in mari & in terra agitando ventos & exhalationes in terra inclusas. Possunt morbos afferre & removere per naturales herbas & medicinas & occultas earum virtutes.

CONCLUSIO III.

Ex eadem facultate movendi Corpora, Angelus potest facere Miracula improprie dicta.

PRob. Hæc iterum propositio proxime præcedentis est sequela. Nam ex dictis antea, miraculum improprie dictum, seu late sumptum, est opus superans vires naturæ alicujus particularis. Ergo eo ipso quo Angelus multa potest ex prædicta facultate, quæ superent vires naturæ humanæ, jam potest miracula improprie dicta. Uno verbo, in omni-

omnibus hisce effectibus eorum causa non est simpliciter & omnibus occulta; ergo proprie loquendo non est legitima admirabilis causa; ergo nec miraculum proprie dictum. Ubi Dæmon torquet obsessos, ubi nos miris & ineffabilibus fere modis tentat, nullum prætendimus miraculum; quia primum operatur innata ac naturali potestate movendi corpora, alterum vero eo modo quem ipsi nativum ac proportionatum esse constat. Ergo licet alia multa possit supra vires naturæ humanæ, ea miraculi proprie dicti nomen sibi vindicare non videntur. Hinc per scientiam totius naturæ a Deo sibi insitam multas & miras in rebus corporeis mutationes possunt efficere, quæ ob defectum hujusmodi scientiæ fieri nequeunt ab hominibus. Aliquando summa ac imperceptibili celeritate, sublato aliquo corpore, aliud substituunt, adeo ut recenter ac subito generatum censeatur; aliquando etiam sensibus tum interioribus tum exterioribus illudunt, ipsis objiciendos species & phantasmata rerum quæ vel nusquam sunt, vel non sunt præsentes. Aliquando denique sua operantur prodigia applicando activa passivis, ut vel generetur aliquid novum & insolitum, vel aliquid solitum quidem & vulgare, sed novo & inusitato atque hominibus incognito generationis modo. Cum enim Dæmones rerum naturalium proprietates ac vires multo norint certius quam homines, etiam talium rerum, ut humana fert conditio, expertissimi; & cum præterea non impediantur naturaliter ne occulta rerum semina hinc & inde in vastissimo terrarum orbe dispersa e locis suis transferant, colligant, componant & contemperent, fit ut multa ab iis effici videantur præter naturæ ordinem, quæ tamen in rei veritate naturaliter fiunt. Dæmonum potentiam late explicat Tertull. *Apolog. c.* 22. „ Corporibus „ quidem, inquit, & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; ani„ mæ vero repentinos & extraordinarios „ per vim excessus. Suppetit illis ad u„ tramque substantiam hominis adeundam „ subtilitas & tenuitas sua. Multum spi„ ritualibus viribus licet, ut invisibiles „ insensibiles in effectu potius quam in „ actu suo appareant, si poma, si fru„ ges nescio quod auræ latens vitium in „ flore præcipitat, in germine exami„ nat.... Eadem igitur obscuritate con„ tagionis aspiratio Dæmonum & Angelo„ rum mentis quoque corruptelas agit.... „ Omnis spiritus ales. Hoc & Angeli & „ Dæmones. Igitur momento ubique sunt. „ Totus orbis illis locus unus est, quid „ ibi geratur tam facile sciunt quam re„ nuntiant. Velocitas Divinitas credi„ tur, quia substantia ignoratur.

CONCLUSIO IV.

Angelus Materiam movere non potest ad nutum & omni motu.

PRob. Diximus modo eandem Angelis in omnia corpora potestatem competere, quæ animæ competit in proprium corpus. Inde concludimus quod sicut anima proprium corpus agitare non potest omni motu, sed tantum eo motu qui sua virtuti & naturæ proportionatur, sic Angelus corpora movere potest tantum motu suæ virtuti proportionato. Hinc 1. non omnia corpora movere possunt, sed tantum ea quæ sunt eorum virtuti proportionata. Sic, omnibus faventibus, nec unus Angelus, nec omnes simul sive boni, sive mali possunt virtute naturali terram aut sistere, aut motu contrario movere, aut orbem terræ, vel aliud quodcumque corpus a loco suo avellere. Cujus quidem ratio est connexio scilicet, & ordo universi semel a Deo instituti, quem immutare, aut abolere nulla potest causa particularis. Rationem reddit S. Thom. *q* 16. *de Malo, art.* 10. *ad* 8. *& Opusc. c.* 11. *&* 14. Licet enim idem sit naturalis motus totius & partis, non tamen eadem vis sufficit ad movendum totum, quæ sufficit ad movendam aliquam partem. Unde licet Dæmones possint movere partem aliquam terræ, non sequitur quod possint movere totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, ut mutent ordinem elementorum mundi. Angeli possunt tantum movere corpora cælestia secundum motus convenientes naturæ ipsorum, aliis autem motibus

tibus ea movere non possunt, secundum propriam virtutem, sed tantum divinitus. 2. Eadem proportio exigit ut corpora sint Angelis præsentia & sufficienter approximata. Hinc corpora hominum non vexant, nisi per obsessionem & possessionem. 3. Materiam mutare non possunt, nisi secundum naturalem capacitatem, non secundum potentiam obedientialem. Unde transmutationem quæ foret ad formam præter motum localem facere non possunt Angeli per se & virtute propria, sed tantum applicando agens quod virtutem habeat naturalem ad talem formam introducendam. 4. Possunt Angeli corpora movere magna & mira celeritate & quasi in tempore imperceptibili, non tamen in instanti. Motus enim localis instantaneus repugnat corporibus. Sequeretur enim eo motu aut nullum pertransiri medium, aut idem corpus pluribus, immo infinitis in locis simul esse, quod utrumque naturaliter est impossibile.

CONCLUSIO V.

Ex illa potestate movendi Corpora nihil efficere possunt Angeli nisi quod fieri potest per virtutes rerum naturales.

PRob. vel nihil amplius possunt, vel aliqua possunt producere independenter a causis secundis & naturalibus earum virtutibus; atqui posterius non possunt. Ad tales enim productiones requiritur potentia infinita, absolutumque in omnia dominium; requiritur enim dominium & potentia quæ non pendeat a causis secundis, quæ earum virtuti & actioni non sit alligata; jam vero Angeli talem potentiam, tale dominium sibi connaturale non habent: ergo nihil producere possunt nisi per naturales rerum virtutes, requiruntque ac præsupponunt aliquam in rebus proportionem ad effectus quos intendunt. Sic, v. g. nullum corpus producere possunt sine præjacente materia; alias creare possent, quod tamen solius Dei proprium est, nec creaturæ saltem hucusque communicatum est.

Et sane si semel Angelus non præsupponat inter operandum proportionem causarum secundarum ad hos vel illos effectus, jam ergo proportionem illam ac efficaciam causis illis inserere debet: atqui solus Deus sicut creare, sic rerum omnium proportiones & vires ordinare ac disponere potest. Ergo.

Tandem præcipuum, immo solum discrimen divinam inter & creatam potentiam in hoc consistit quod Deus non solum possit effectus operari ad quos causæ secundæ sese non extendunt, sed etiam in eo quod effectus causis illis germanos & naturales sine illis producere valeat. Ergo si Angelus alia possit præter virtutes rerum naturales, & nisi proportionem aliquam in causis secundis cum tali vel tali effectu præsupponat, jam æqualem cum Deo naturaliter sortitur potentiam.

CONCLUSIO VI.

Angeli sive boni sive mali non possunt esse causa moralis Miraculi proprie dicti.

PRob. In omnibus Conclusionibus quæ hanc aut antecedunt aut sequuntur, semper suppositum est agi de causâ efficiente physica. At plures contendunt nullam esse causam vere & proprie physicam præter Deum, omnes alias causas esse tantum morales. Supponit hæc sententia Deum decreto generali statuisse miraculum operari occasione volitionis Angelicæ. Quo posito eo tota devolvitur nunc præsens quæstio utrum Deus decreverit miraculum operari ad volitionem Angeli sive boni, sive mali. Quod si res ita sit, jam cadunt pleraque argumenta in præsenti quæstione proposita, nec quicquam obstare videtur quin Dæmones possint operari miracula proprie dicta. In quæstione sic exposita duo occurrunt quæ seorsim sunt discutienda. I. Decretum quo Deus statuit operari miraculum occasione volitionis Angelicæ. II. Dei & Angeli influxus in miraculum. Hic iterum Lectorem moneo agi de solo miraculo proprie dicto.

Quoad I. nempe, quoad decretum operandi miraculum occasione volitionis Angelicæ.

I. Decretum illud nullo legitimo argu-

mento adstrui potest. Non Scriptura, quæ de eo altum & omnino silet, nec illud etiam indirecte innuit. Non ratione, quæ hic mere se negative habet. Non experientia; non ex omnibus effectibus qui Diabolo adscribuntur & miraculi nomine donantur, nullus est qui istud evidenter sibi vindicet. Ex nativa enim Dæmonum potestate movendi corpora, illegitima esset ad miraculorum potestatem conclusio; cum aliud sit motus, aliud sit miraculum proprie dictum. Ex eo quod anima moveat corpus constanter & uniformiter, concludimus intercedere decretum generale vi cujus fit ille motus, nullatenus vero miraculorum potestatem deducimus. Ita a pari quoad Dæmones adest quidem experientia localis corporum motus, nulla vero miraculi. 2. Non solum decretum illud gratis supponitur nullumque hujus proferri potest argumentum, sed stat e contra argumentum huic oppositum, ut patet ex innumeris probationibus in decursu hujus quæstionis prolatis & ut mox patebit ex discussione secundi principii. Hic enim recurrunt argumenta desumpta ex attributis Dei quæ obstant ne Dæmon navitam habeat quocumque sensu potestatem operandi miraculum in patrocinium erroris. Deinde sibi contradicit agendi ratio divina nec Deus facit aliquid frustra. Deus enim instituit miraculum ut criterium veræ ac divinæ revelationis: sibi contradicit Deus eo ipso quo decreto generali & immoto se adstrinxit ad miraculum ex volitione Angelica necessario mala ac proinde in confirmationem erroris; nam tunc miraculum fit omnino inutile. Pone miraculum verum & proprie dictum esse semper veritatis signum; facilis cognitu veritas. Pone miraculum verum & proprie dictum a Deo & Dæmone ex æquo oriri & veritati ac mendacio subservire peræque posse, jam ex miraculo cognoscendæ veritatis crescit difficultas. Jam vero quis credat Deum ex instituto miraculo veritatem cognitu difficiliorem facere voluisse?

3. Deus certe non potuisset condere decretum dandæ evidentiæ ad volitionem diabolicam; evidentia enim illa vel veritati, vel errori faveret. Non primum; ad talis enim evidentiæ concessionem non moveret mendacii pater. Si secundum; a fine suo excidit evidentia, ejus destruitur essentia. Frustra profecto evidentiam dedisset Deus ut naturalis veritatis tesseram, si errori potuisset patrocinari & necessarium fuisset aliud medium quo evidentiæ error detegeretur. Ita a pari de miraculo quod Deus ut revelatæ veritatis sigillum proposuit. Quod si recurratur ad aliud miraculum splendidius quod anteriori fidem faciat, jam de posteriori miraculo eædem ac de priori instaurabuntur quæstiones. Quæretur nempe an miraculum illud posterius & splendidius vim & auctoritatem suam desumat ex summa Dei veracitate, nec ne. Si primum, vel dæmon potest esse causa moralis posterioris hujus miraculi, licet summam Dei veracitatem sponsorem habeat, tuncque priori miraculo nullam fidem facit. Vel dæmon non potest posterioris miraculi esse causa moralis eo ipso quo est a Deo summe veraci, & tunc nec prioris miraculi licet minus splendidi dæmon potest esse causa moralis; prius enim miraculum summa quoque Dei veracitate muniebatur. Aut utrumque, aut neutrum sufficit miraculum. Si vero posterius miraculum splendidius vim & auctoritatem suam a solo splendore independenter a summa Dei veracitate desumat, jam absurdum dicitur. Splendor per se ordinem dicit ad omnipotentiam; nec splendor, nec omnipotentia Dei fidei nostræ sunt motivum, sed sola summa Dei veracitas in loquendo: miraculum denique spendidius est magis fulgida evidentia. Sed Dæmon non potest esse causa moralis minus fulgentis evidentiæ quæ nos in errorem induceret. Ergo nec miraculi in eundem finem. Nam evidentia non est naturalis veritatis tessera ex eo quod majorem emittat fulgorem, sed ex eo quod sit evidentia, ex eo quod impossibile sit rem simul percipi & talem non esse qualis percipitur. Ita a pari de miraculo quod totum suum pondus hauriat ex eo quod sit Dei summe veracis testimonium. 4. In hoc systemate vana est distinctio inter miraculum divinum & diabolicum,

inter miraculum quod Dæmon operari potest, & quod non potest. Cum enim ex una parte Dæmon sit tantum causa moralis, Deus semper agit ut causa physica: quodcunque miraculum est a Deo ut causa physica; ergo quodcunque miraculum est divinum. Pariter nullum est miraculum cujus dæmon non possit esse causa moralis. 5. Decretum illud vel est universale pro omni tempore & miraculo, vel pro certa quadam temporis circumstantia & miraculi specie. Si primum; ergo Deus, velit nolit, a miraculo abstinere non poterit nisi per novum miraculum; a decreto enim generali recedere non potest nisi per decretum speciale & exceptionem, seu specialem & extraordinariam voluntatem ac proinde nisi per miraculum. Præterea decretum generale duo supponit. 1. Exigentiam creaturæ. 2. Naturalem in ea cum re decreta proportionem. Jam vero hæc duo desunt in creatura etiam Angelica. 1. nulla est miraculi exigentia. Etiamsi enim supponatur deputata ad mundi physici regimen, ad illud non requiritur miraculorum potestas. 2. Non naturalis proportio; cum miraculum sit supernaturale. Si secundum; decretum illud speciale adhuc fictitium est. 1. enim determinatio illa specialis non nititur Scriptura, quæ hic silet; non Angelorum natura, quæ hoc non indiget ad sui integritatem privilegio; non Religionis constitutione, ad cujus promulgationem non sunt deputati. Deinde hæc constitutio exigeret tantum miracula ad sui confirmationem. Ex eo quod Angeli sint Ministri Dei, sequitur eos posse esse causas instrumentales miraculi, non vero causas morales. 2. Decretum illud speciale tale foret ex parte Dei: volo facere miracula ad Angelorum volitionem, non quoties volent, sed in tali vel tali circumstantia. Porro hoc non solum fictitium est, sed & absurdum, præsertim si ad Dæmones extendatur. Tunc enim eo resolvitur illud decretum: volo facere miraculum ad volitionem Dæmonum, non semper, sed tantum in circumstantia confirmandi erroris. Jam vero hujus decreti quis finis? an Religionis bonum? minime. Hinc enim destruitur. An hominum probatio? hæc locum habet tantum ubi Deus se habet permissive solum; hic vero se gerit active. Ipse efficienter producit miraculum. 3. Non magis potuit Deus condere decretum operandi miraculum ad volitionem Diaboli in tali circumstantia in qua hinc Dæmon vellet confirmare errorem, quam simili decreto statuere concessionem evidentiæ, cum Dæmon ex illa errorem stabilire vellet: talem enim dare evidentiam non est tantum facere ut percipiamus dum revera non percipimus, quod in se repugnat, tum ex natura rei, tum etiam ex evidentiæ fine & destinatione: ita etiam posita miraculi institutione fini ejus repugnat tale decretum sicut & ejus naturæ hypotheticæ. 4. Deum posse facere ut percipiamus simul & non percipiamus repugnat. 1. Ex rei natura. 2. Ex fine & destinatione evidentiæ, ex qua Deus foret auctor erroris. Deum posse miraculum operari ad volitionem Diaboli repugnat. 1. Miraculi naturæ hypotheticæ, id est, posita ejus destinatione. 2. Ejus fini ex quo Deus fieret Auctor erroris. Consequenter ad Dei institutionem evidentiæ & miraculo repugnat error. 5. Decretum illud circa miraculum vel ante, vel post prævisum Angelorum lapsum conditum fuisset: non ante; nam miraculum locum non habet nisi ex præsentis status imperfectione. Non post; nam prævisa Angeli malitia non potuit condere decretum homines ad errorem impellendi per id quod veritati destinatum est, & præcise ex volitione diabolica. 6. Decretum illud vel fuisset necessarium; quod absurdum est: vel gratuitum; sed nemo concipiat Deum Dæmonibus talem concedere voluisse gratiam cum tanto hominum damno.

Quantum ad secundum; nempe, influxum Dei & Angeli in miraculum, manifestum est Angelum nullo modo in miraculum influere vero, proprio & intrinseco influxu. Determinat tantum causam efficientem ad agendum, nec nisi improprie effectus tribuitur causæ morali; hinc Deus solus est causa immediate producens miraculum. Hoc posito, non video quomodo Deus non sit Auctor erroris ex miraculo resultantis.

Quæcunque tandem eligatur sententia & notio miraculi, certum est adesse miraculum verum; certum est miraculum illud in errorem inducere; certum est errorem illum esse invincibilem. His tribus in aprico positis, puto demonstratum iri ex tali miraculo everti summam & inviolabilem Dei veracitatem, ac proinde demonstratum iri Dæmonem non posse dici causam moralem miraculi in favorem erroris. 1. Miraculum illud verum est proprie dictum. 1. enim alias extra quæstionem excurreretur. Agitur non de ementito, non de improprie dicto, sed de vero miraculo. Non quæritur utrum Diabolus possit falsa operari miracula, quasdam nempe præstigias, sed an quæ miracula potest Deus vera & genuina, operari possit Dæmon, saltem ut causa occasionalis. 2. Miraculum de quo agitur, est a Deo ut causa efficienti; Dæmon enim est tantum causa moralis; Deus autem nullum potest operari miraculum ut falsum, quod tamen ut miraculum proponat. Ergo quando asseritur Dæmonem esse causam moralem miraculi, intelligitur miraculum verum. 3. Supponamus miraculum esse cum Lockio effectum in mente spectatoris contrarium legibus naturæ cognitis. Hoc ipso quo adest talis effectus, adest miraculum verum. De hoc miraculo quæritur an Dæmon possit esse causa hujus moralis; & responsio est affirmativa in eo quod refellimus systemate. Ergo miraculum de quo agitur, est miraculum verum. 4. Miraculum in ratione veri miraculi constituitur vel ex natura sua, vel ex Auctore a quo editur. Si primum; ergo eo ipso quo adsunt quæ in quacunque sententia ad verum miraculum requiruntur, jam illud adest miraculum. Ergo licet Dæmon sit hujus causa moralis, adest tamen verum miraculum, v. g. effectus vere supra vires & spem spectatoris. Si secundum; miraculum illud est a Deo ut causa efficienti; ergo Deum habet auctorem; ergo divinum est; ergo si nullum aliud sit miraculum verum nisi divinum, miraculum cujus Dæmon erit causa moralis, est verum.

Deinde miraculum illud per se in errorem inducit. Nam 1. miraculum verum debet esse per se veritatis tessera in omni systemate. Ex modo probatis miraculum cujus Dæmon dicitur hic causa moralis, est miraculum verum. Ergo miraculum illud per se est veritatis tessera. Ergo si fiat in confirmationem erroris, in errorem per se inducet. 2. In hoc a falso & ementito miraculo verum differt quod illud non nisi ignaros ac incautos fallat. Si quis circulator actionis subtilitate deludat, nemo, etiam bardus, miraculum inclamat. Si vero aliquis inter aera suspensus maneat; incautus aut ignarus quisque miraculum judicat, nemo vero emunctæ naris & sibi cavens. E contra si adsit miraculum verum, omnes cogit ad assensum qua proportione percipitur nullam fraudem aut artem humanam irrepsisse. Ergo solum miraculum verum assensum rapit. Ergo in errorem inducit.

Denique error ille est invincibilis. Ad eum enim assensum erroneum rapit per se; non soli indocti & præcipites, sed & ipsi doctiores & sibi attenti, omnes uno verbo ad assentiendum flectunt animos. 2. Nullum datur medium ex illo errore emergendi; quodnam enim esset illud medium? An revelatio expressa de proposito miraculo? Sed revelatio illa miraculum exigit sui confirmativum, an aliud miraculum? Eadem semper manet quæstio. 3. Propensio quam cuique spectatori indit miraculum divinum cujus Dæmon est causa moralis, est a Deo, in nobis sine nobis, hujus Domini non sumus. Quoties videmus effectum a Deo miraculosum & illud constat, toties inviti ad assensum ferimur: ergo cum hic miraculum sit a Deo, & illud constet, licet Dæmon Deum ad illud determinaverit, assensum cohibere non possumus qua proportione nobis constat Deum a Dæmone determinari non posse ad suscipiendum erroris patrocinium. Ergo independenter ab hac circumstantia Dæmonis ut causa moralis, miraculum in errorem invincibilem detrudit. 4. Deus ex volitione & petitione Angeli mali non magis determinari potest ad miraculum errori secundum quam ex se ipso. 5. Inutiles fiunt quicunque plerumque distinguendo miraculo assignantur

tur characteres. Proferuntur enim ut discernatur opus divinum a diabolico. Hic autem quodcumque miraculum est a Deo. Nullus ex his characteribus indicat an dæmon ad tale miraculum concurrerit ut causa moralis, nec ne. Splendor, v. gr. nihil dicit ad discernendam causam moralem. Ex his itaque sic concludo: miraculum cujus dæmon dicitur causa moralis, non potest non esse divinum ac proinde est verum miraculum. Sed miraculum verum præsertim divinum per se in errorem, & quidem invincibilem trahit, si fiat in confirmationem erroris.

Non me latet præsentis sententiæ patronos contendere errorem non esse a Deo. Quod ut probent, comparationem instituunt inter præfatam miraculorum potestatem & concursum a Deo ad actum etiam peccaminosum hominibus datum. Quinimmo contendet aliquis non repugnare Deo quemlibet errorem, sed tantum invincibilem.

At 1. Hic error a miraculo separari nullatenus potest, quia nempe miraculum ex se veritati asserendæ destinatum est. Relege quam cum evidentia & gratia instituimus comparationem. Concipimus quidem Deum potuisse condere decretum generale concurrendi cum creatura ad actus naturales quin tamen sit auctor peccati, tum quia concursus datur ad exigentiam creaturæ, tum quia concursus ille datur ad physicum actus cujus indifferentia ad malum ab ipsa creatura determinatur. Hic vero agitur de actibus supernaturalibus, de eo quod de se a Deo ipso ad verum determinatum est, de ipso miraculi formali, de creatura denique quæ nihil exigit. 3. Supponitur, non probatur, errorem a miraculo separari posse, sicut peccatum a concursu. Error tamen non magis potest a miraculo separari quam ab evidentia aut ab unanimi sensuum testimonio, si alterutrum falleret. In utroque enim casu adest eadem ad verum destinatio & ad assensum propensio. Ergo sicut Deus non potest ad volitionem diaboli aut evidentiam procreare, aut sensus adunare quibus dæmon in errorem nos induceret, ita a pari, &c. 4. Denique ubi agitur de erroris permissione, fateor solum errorem invincibilem repugnare. At hic agitur de miraculo in confirmationem erroris, de miraculo cujus Deus est caussa efficiens, & quidem solus. Ubi vero agitur de Deo positive, agente, non magis potest nos in errorem etiam vincibilem inducere quam in tentationem cui resisti potest. Allicere enim aliquem ad errorem & ad peccatum æque Deo repugnant.

Arguet forsan aliquis in allatis probationibus semper & unice decidere quæstionem ad miraculum in confirmationem erroris, cum tamen generatim tantum quæratur an Deus præfatum decretum tulerit, aut saltem ferre potuerit abstrahendo a quacumque erroris circumstantia.

At 1. observet qui hæc respondebit dæmones ad malum obstinatos nunquam miraculum morali influxu producturos nisi in confirmationem erroris. 2. nullum ex probatis manere legitimum hujus decreti argumentum. 3. Decretum illud supponere semper in Angelis connaturalem cum confectione miraculi proportionem. Jam vero nulla est in Angelis hujusmodi proportio. Non naturalis, ut per se patet. Non supernaturalis; nam licet in Angelis bonis absolute reperiri posset, in malis deesse debet, cum sint reprobi, & qui omnia amiserunt supernaturalia. 4. Potestas illa non fuit concessa post rebellionem, ut patet. Quis enim credat tanto decore tunc ornatos fuisse: Privilegium istud non hanc rebellionem præcessit, fuisset enim vel generale, vel particulare. Generale quidem his verbis expresso decreto, quidquid petieritis, & volueritis, illud exequar, quod sane fictitium videtur: particulare vero sic: quotiescumque miraculum expetiveritis, vel saltem in tali, & tali circumstantia, illud exequar. Porro decretum illud prævisam creationem, & lapsum hominis antecessit, vel subsequutum est. Antecessitne? Cui bono hoc privilegium, cum miraculum non sit necessarium nisi in præsenti ordine? quod si decretum illud præviso hominis lapsu posterius est; ergo posterius est etiam lapsu Angelorum decretum illud; ac proinde ipse

idem est, ac si esset posterius eorum rebellione. 5. Nihil agit Deus nisi vel in gloriam suam, vel in creaturæ commodum cedat: jam vero privilegium istud nedum in hominum utilitatem vergat, immo maxima iis procreat incommoda, inter cætera præsertim anxietatem, & dubium in dignoscenda Dei loquela. Quantum ad Dei gloriam & dæmonum utilitatem, Deus utrumque procurare non solet extraordinario, & supernaturali, ac indebito privilegio, quod in hominum perniciem vertatur. Quidquid extraordinarium agit, illud extraordinario creaturarum amore exequitur.

CONCLUSIO VII.

Potestas agendi independenter a causis secundis est de se infinita & illimitata, vel saltem ipsi æquivalet.

PRob. 1. Ex natura & notione potentiæ infinitæ. Illa enim potentia est infinita quæ habet rationem infinitudinis constitutivam: atqui potentia agendi independenter a causis secundis habet rationem infinitudinis constitutivam. Potentia enim infinita æstimatur ex independentia, seu ex eo quod agens nullius alterius, nisi sui ipsius indigeat ad agendum, sibique sufficiat; hæc est ratio infinitam potentiam constituens. Jam vero potentia agendi independenter a causis secundis talis est, sibi sufficit, nec alterius cujusquam indiget ad agendum. Eo ipso enim quo independens est a causis secundis, ac proinde a cunctis causis creatis; jam sibi ipsi sufficit, nec ullius alterius indiget ad agendum. Ergo potentia agendi habet rationem infinitudinis constitutivam.

Prob. 2. Ex objecto potentiæ infinitæ. Illa potentia est infinita quæ ex se se extendit ad tot tum numero, tum specie effectus quot possunt produci a potentia infinita: atqui potentia de qua agitur, ex se se extendit ad tot tum numero, tum specie effectus quot possunt produci a potentia infinita. 1. Quidem ad tot effectus numero. Vel enim omnes omnino effectus possibiles potest producere, vel in uno aut altero hæret & sistitur: atqui posterius dici non potest: si enim res ita se haberet, esset aliqua ratio cur in tali effectu hæreret illa potestas: ratio enim illa vel esset quia effectum illum intelligere aut velle non posset, vel quia effectum illum intellectum, licet & volitum producere non posset: atqui neutrum dici potest. Non primum; nam si non potest ex se intelligere & velle hunc effectum, jam non habet potentiam agendi independenter a causis secundis. Potentia enim agendi dependenter ab illis causis importat potentiam intelligendi & volendi omnes effectus ab illis causis dependentes. Ergo a pari de effectibus qui ab illis causis non pendent. Uno verbo nulla est ratio specialis pro uno aut altero effectu quæ pro omnibus afferri nequeat. Ergo aut omnes effectus a causis independentes ex se intelligere & velle potest aut nullos. Quod si dicatur impediri potentiam a causa aliqua externa superiori ne intelligat & velit hunc effectum, illud per accidens est & omnino potentiæ illi extrinsecum. Semper remanet potentiæ agendi independenter a causis secundis per se annexam esse virtutem intelligendi & volendi omnes effectus ab illis causis independentes. Hinc producere potest, nam producit volendo. Ergo 1. se extendit ad tot numero effectus, &c.

2. Se extendit etiam ad tot specie effectus. Sunt enim naturales vel supernaturales. Quoad naturales, si potentia illa se extendat ad effectus supernaturales. Ergo etiam se extendit ad naturales. Omnes effectus naturales prærequirunt vel materiam, vel ejus proprietates, & ut ita dicam, activitatem causarum secundarum. Nulla afferri potest ratio cur potentia pendeat a materia, & ejus existentiam prærequirat, dum independens est ab ejus proprietatibus ab actione causarum secundarum. Ergo eo ipso quo independens est ab activitate causarum secundarum, jam independens est ab existentia materiæ. Ergo ad omnes effectus naturales se extendit. Ita etiam de effectibus supernaturalibus. Eo ipso enim quo potentia non indiget causis naturalibus, iisque superior est, eo ipso ad effectus supra naturam positos assurgere potest. Idem sit

sit judicium de omnibus effectibus supernaturalibus ac de resurrectione mortui quatriduani. In illa resurrectione duo sunt, organorum restitutio & animæ revocatio. De primo præcipue agitur. Ideo judicatur cuilibet enti creato impossibilis, quia superat vires naturæ creatæ, seu quia inter causas secundas nulla occurrit par & proportionata huic effectui producendo. Ergo si detur potentia ab his causis independens, earum ope, auxilio & concursu non indigens, certe nulla remanebit ratio cur hunc effectum producere non possit. Ergo organorum penitus dissolutorum restitutio possibilis est potentiæ a causis secundis independenti; quod spectat ad animæ revocationem, etiamsi foret impossibilis, hoc fieret ex causa prædictæ potentiæ omnino extrinseca. Deinde merito conjici potest illam revocationem esse, ex decreto Dei, necessariam appendicem & sequelam restitutorum organorum. Ergo potentia agendi independenter a causis secundis sese extendit ad tot tum numero tum specie effectus, quot possunt produci a potentia infinita.

CONCLUSIO VIII.

Potestas agendi independenter a causis secundis nulli creaturæ ut causæ efficienti communicari potest.

PRob. 1. ex mox dictis, potentia illa est infinita. Ergo nulli creaturæ communicari potest.

Prob. 2. Ex natura & notione illius potestatis & creaturæ. Etenim potentia agendi independenter a causis secundis importat potentiam agendi effectum supra vires & præter ordinem totius naturæ creatæ: jam vero pugnat in terminis creaturam habere potentiam producendi effectum præter ordinem totius naturæ creatæ. Ex una enim parte creatura illa contineretur intra ordinem naturæ creatæ; esset enim creatura, ut supponitur; ex altera vero parte extra illum ordinem excurreret, cum haberet potentiam illi ordini superiorem.

Prob. 3. Ex natura causæ efficientis. Causa enim efficiens debet continere, saltem eminenter, perfectiones suorum effectuum: jam vero nulla creatura potest continere, etiam eminenter, perfectiones suorum effectuum qui a causis secundis sunt independentes. 1. Enim creatura inde intelligeretur posse esse causa plurium & plurium perfectiorum & perfectiorum in infinitum effectuum, intelligeretur posse plura & plura in infinitum producere, ac proinde intelligeretur continere plures & plures in infinitum realitates & perfectiones. Sicut enim infinita sunt numero entia producibilia intra ordinem naturæ, sic infinitæ sunt numero formæ in materiam introducibiles, sic infiniti sunt numero effectus supra naturam & independenter a causis secundis producibiles. Deinde inter effectus a causis secundis independentes multos sane reperire erit a creatura producente diversos. Ergo creatura deberet producere naturas a natura sua diversas. Quod repugnat. Ergo.

CONCLUSIO IX.

Angelus virtute propria & naturali & ut causa efficiens non potest facere miracula proprie dicta.

PRob. Illud evidenter sequitur ex dictis. Ex probata enim & stabilita definitione miraculum proprie dictum est opus sensibile supra vires & præter ordinem totius naturæ creatæ. Ex conclusione vero præcedenti Angelus præter dictum ordinem agere non potest. Ergo nec miracula proprie dicta patrare. Uno verbo Angelus non habet supremum in omnia dominium sibi connaturale. Ergo ea quæ supremum illud exigunt dominium, non potest naturali potestate. Sed miracula proprie dicta supremum illud exigunt dominium. Ergo Angelus non potest miracula proprie dicta. Miraculum enim proprie dictum importat effectum præter ordinem totius naturæ creatæ; id est, effectum vel qui producitur sine causis secundis, vel etiam effectum ad quem se non extendunt. Ergo requirit potentiam causarum illarum virtuti non alligatam, postulat dominium ab earum

actio.

actione independens: ergo & dominium absolutum, supremum & infinitum exigit.

Et certe Angelum constitutum esse sub illo ordine quem Deus instituit, nemo sane inficias ibit. Porro, hoc posito, Angelus miracula proprie dicta operari non potest virtute naturali & sibi propria; illud enim contradictionem involvit, nempe Angelum sub ordine illo esse simul & non esse. Esset quidem, ut conceditur. Et praterea virtus particularis creata cum agit, agit secundum ordinem & inclinationem suam; sed ordo ille continetur sub ordine universali quem Deus rerum universitati indidit, sicut pars continetur in toto. Ergo Angelus est in illo ordine. Non erit tamen, si possit miracula proprie dicta. Ad talia enim opera necesse est ut Angelus agat præter ordinem totius naturæ creatæ. At non potest agere præter dictum ordinem, quin ab illo exorbitet. Non potest enim præter ordinem illum operari, quin efficiat illud ad quod nulla virtus in hoc ordine contenta sese extendit. Ergo tunc Angelus secundum suam virtutem extra totum ordinem illum sit necesse est. Ergo. Quoniam autem ubi agitur de potestate naturali Angelorum, vox illa naturalis duplici sensu a quibusdam intelligitur, evolvenda & discutienda est ejus significatio. Naturale itaque illud dicitur. 1. Quod est rei alicui essentiale adeo ut sine illo nec esse nec concipi possit; sic rationalitas in homine. 2. Naturale dicunt quod a voluntate Dei habetur ut permanens & superadditum. Accuratius forte dividere tur naturale contra primum membrum illud quod proportionem habet cum constitutione essentiæ alicujus rei & intra eumdem ordinem includitur; sic facultas videndi in homine. Licet enim sine ea facultate & esse & concipi possit homo, habet tamen proportionem cum constitutione ejus essentiæ quoad corpus. His positis, sic statuimus.

CONCLUSIO X.

Angelus non habet potestatem naturalem primo sensu patrandi miracula.

PRob. 1. Ex dictis ad miraculum requiritur actio independens a causis secundis: sed, ex probatis, effectus independens a causis secundis est supra vires totius naturæ creatæ. Ergo Angelus non potest supponi habere potestatem naturalem ad miraculum. Nam sine hac potestate & esse & concipi potest.

Prob. 2. Nullatenus probari potest in Angelo hæc potestas. Non ex natura Angelica in qua quantumvis attendatur, non deprehenditur hæc potestas sive ut attributum primarium, sive ut attributum secundarium. Non ex revelatione; quæ enim Angelis in S. Scripturis tribuuntur, opera æquivoca sunt, nec miraculum proprie dictum produnt. Nullus præterea proferri potest textus quo id expresse definiatur; immo multi occurrunt in quibus istud negatur, ii nempe quibus astruitur Deum solum illa miracula operari. Hinc fatetur Clericus ejus solius esse novas leges ponere qui ordinarias semel stabilivit.

CONCLUSIO XI.

Angelus non habet potestatem naturalem secundo sensu intellectam patrandi Miracula.

PRob. Quidquid sit de prætensa vocis naturalis definitione, Deus non potest quidquam naturæ alicui superaddere tanquam naturale, nisi inter naturam illam & rem superadditam intercedat proportio saltem habitudinis: porro inter naturam Angelicam utpote creatam & actionem independentem a causis secundis ac consequenter miraculum, nulla est proportio, ut supra probavimus. Ergo.

CONCLUSIO XII. ET COROLLARIUM.

Angelus non potest esse causa physica Miraculi proprie dicti.

PRob. Causa physica importat secum potestatem naturalem effectum producen-

ducendi: sed, ex probatis, Angelus nullo sensu dici potest habere potestatem naturalem patrandi miracula. Ergo. Et vero si Angelus posset esse causa physica miraculi proprie dicti, vel quia naturaliter posset causis secundis potestatem quam antea non habebant, communicare, vel quia possent per se & independenter ab illis causis illos effectus physice producere: atqui neutrum naturaliter possunt Angeli. Primum quidem; nam Angeli non agunt nisi nutu & voluntatis imperio. Porro solo nutu & voluntatis imperio naturaliter non possunt vires naturæ augere aut minuere & supplere defectum proportionis inter causas & effectus, sicut non potuerunt eam primitus dare. Secundum etiam falsum patet ex dictis, & patebit adhuc ex dicendis Conclus. seq. Utrumque illustrari potest exemplo resurrectionis mortui. In illa resurrectione duo sunt, 1. organorum restauratio & animæ revocatio. Secundum non potest Angelus naturaliter & physice; nam nullum jus naturale habet in animas hominum. Primum nec potest; nulla est enim causa secunda, v. gr. nullum est secretum in natura quo dissoluta restitui possent organa; ut ergo hæc restitueret Angelus, deberet hanc proportionem causis secundis supplere, vel illud præstare per se & independenter a causis secundis quorum neutrum naturaliter potest Angelus. Obs. enim quod resurrectio mortui non superet Angelorum facultatem præcise quoad animæ revocationem; sed etiam quoad organorum penitus dissolutorum restitutionem.

CONCLUSIO XIII.

Deus solus est causa prima & principalis efficiens Miraculi proprie dicti.

PRob. 1. Ex Scriptura quæ constanter & uniformiter Deum solum agnoscit ut causam miraculi primam & principalem efficientem. 1. In veteri Testamento. *Ps. 71. v.* 18. „ Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus. *Ps. 76. v.* 15. Quis Deus „ sicut Deus noster? Tu es Deus qui „ facis mirabilia. *Ps. 135. v.* 4. Qui „ facit mirabilia magna solus. „ Ex his testibus sunt quædam miracula quæ solus Deus facit. Jam vero miracula illa vel sunt improprie, vel proprie dicta. Non primum: evidens est enim & ipsa testatur experientia ea ab Angelis fieri posse. Ergo miracula quæ soli Deo tribuit Scriptura, sunt proprie dicta. Ergo solus Deus facit miracula. 2. Ex Novo Testamento. *Marc. 2. 7.* Christum Paralitico peccata dimittentem blasphemiæ incusant Scribæ; calumniam sic depellit Christus. „ Quid est facilius di- „ cere: Dimittuntur tibi peccata tua; „ an dicere? Surge, tolle grabatum „ tuum & ambula. Ut autem sciatis, „ &c. „ In hoc argumento supponit Christus utrumque istud, nempe & peccati remissionem & Paralytici sanationem, id est verum miraculum neminem posse nisi solum Deum. *S. Joan. c. 5. 17.* & passim toto ejus Evangelio idem confirmat. „ Pater meus usque modo ope- „ ratur, inquit Christus de Infirmo 38. „ annorum, & ego operor: *Act. 10.* „ *v.* 38. Pertransiit benefaciendo & sa- „ nando omnes; Deus enim erat cum „ eo. *Act. 3.* 12. Viri Israelitæ, quid „ miramini? aut nos quid intuemini, „ quasi nostra virtute aut potestate fe- „ cerimus hunc ambulare. Et antea *v. 6.* „ In nomine Jesu Christi Nazaræni sur- „ ge & ambula, inquiunt SS. Petrus & „ Joannes Claudo: *Act. 9.* Sic S. Paulus: „ Ænea, sanat te Dominus J. C. „ Ex his omnibus sic breviter concludo. Miracula a Christo & Apostolis patrata erant sane proprie dicta: sed illa miracula Deo soli tribuuntur ut causæ efficienti: ergo. Nota textus Scripturæ S. non hic proferri nisi contra Christianos aliter sentientes. Asserta Librorum sacrorum Divinitate, poterunt textus illi majori cum auctoritate proferri.

Prob. 2. Illud confirmat unanimis omnium hominum sensus. Ita enim homines sunt affecti ut ad Deum recurrant ad obtinenda miracula, ipsique ut miraculorum auctori gratias agant. Ad Deum enim recurrebat Judæus, recurrit Christianus, ad sua numina recurrit Gentilis, sive miraculum exoraturus, sive de eo obtento gratias acturus.

Prob. 3. Sæpe sæpius Deus hinc verum

rum Deum se comprobat ex eo quod cælos & terram fecerit solus. Idem confirmat ex eo quod solus futura cognoscat & annuntiet. His omnibus miracula sæpe conjungit: ita *Isa. cap.* 41. 42. 43. & 45. Ergo. Quemadmodum creatio & futuri cognitio solius Dei est, ita miracula proprie dicta solius Dei sunt. Hinc Christus sæpe in Evangelio, præcipue *Joan. c.* 5. 10. 14. suam divinitatem ac cum Patre æqualitatem comprobat ex æqualitate potentiæ; æqualitatem vero potentiæ ex miraculis astruit. Ergo miracula quæ faciebat & consequenter miracula omnia proprie dicta a solo Deo oriri posse supponit.

Prob. 4. Ex data definitione miraculum proprie dictum est opus supra vires & præter ordinem totius naturæ creatæ: porro solus Deus potest talem elicere effectum. Nam ad tale opus requiritur ut effectus producatur sine causis secundis; at ex ratione jam allata istud importat supremum in omnia dominium.

Et sane ad verum & proprie dictum miraculum requisivimus ut vera & legitima sit admirandi causa; porro observavimus nullam esse legitimam admirationis causam nisi ubi causa effectus est omnino, simpliciter & omnibus occulta. Porro causa illa solus est Deus; solus est enim cujus omnem ordinem ad effectum cognoscere non possimus, cum sit infinitus & incomprehensibilis. Ergo.

CONCLUSIO XIV.

Angelus sive bonus sive malus potest esse causa instrumentalis Miraculi proprie dicti.

PRob. Res est evidens. Causa efficiens Omnipotens potest uti quolibet instrumento; præsertim cum donum miraculorum nullam supponat ex se in illud operante propriam & internam sanctitatem. Hinc frustra inde suam causam tuebuntur olim mali homines membra diaboli his verbis: „ Nonne in nomine „ tuo prophetavimus, & in nomine tuo „ dæmonia ejecimus, & in nomine tuo „ virtutes multas fecimus? „

CONCLUSIO XV.

Angelus malus non potest esse causa instrumentalis Miraculi proprie dicti in confirmationem erroris.

PRob. 1. Hujus Conclusionis basis & fundamentum est quod ex una parte miraculum fit Dei ipsius sigillum & testimonium, ex altera vero quod Deus hujus sit causa principalis. Hinc enim Deus falsi & mendacii testis esset, & simul nos per se in errorem induceret. Unde. Illud non potest Angelus quod divinis attributis, veracitati scilicet, sapientiæ & bonitati adversatur: atqui Angelum causam esse instrumentalem veri & proprie dicti miraculi in confirmationem erroris repugnat 1. veracitati divinæ. Huic enim veracitati repugnat Deum esse erroris testem & causam principalem: porro res ita se haberet in casu proposito. Esset enim Deus causa principalis miraculi quod fit expresse & decrete in confirmationem erroris. Ergo & erroris ipsius esset causa principalis. Et sane fatentibus omnibus, Deus non potest per se ipsum solum & immediate miraculum patrare in confirmationem erroris, quin eo ipso causa sit erroris ipsius. Ergo nec potest, ut causa principalis, uti ministerio creaturæ ad tale miraculum, nisi fiat erroris causa. Non enim ideo præcise causa est erroris in primo casu, quia intendit errorem, sed quia agit ut causa efficiens producendo miraculum directe & per se in tali vel tali circumstantia erroris confirmativum & ipsi conjunctum. Ergo pariter & in secundo casu, &c. Ex dictis miracula sunt ex Dei institutione signa quædam & testimonia alicujus veritatis a se prolatæ. Per hæc signa Deus dictum agnoscit pro suo & illud in suum adoptat. Porro, ut habet Sanct. Augustin. *Epistola* 8. *ad Sanct. Hieronym.* „ Quam mendacia testimonia esse non debent, „ tam non debent favere mendacio. „ Præterea in casu proposito Deus nos invincibiliter ad errorem determinaret. In errorem enim inducere, non est tantum ad eum sollicitare & hortari, sed parare ad eum determinationem neces-

sa-

sariam & infallibilem. Atqui Deus pararet talem determinationem ad errorem: determinaret enim per medium quod ex natura sua ad veritatem destinatum & determinatum est, quod ex se necessariam dicit cum veritate connexionem: porro tale est miraculum, utpote Dei sigillum & testimonium.

2. Bonitati. Deus enim in illa hypothesi homines in miseriam quasi invitos & obtorto collo detruderet. Ita enim a natura facti sunt homines ac compositi ut ex una parte nullam doctrinam nisi veram, aut saltem veritatis colore illitam admittere velint, ex altera vero alto infixum animo habeant miraculum verum & proprie dictum esse certum veritatis signum. Jam vero repugnat divinæ bonitati, hac perspecta hominum dispositione, ipsius manu eorum cordibus impressa, iis propinare, tanquam causam principalem, vera miracula in confirmationem erroris. Talia enim miracula operando Deus ut causa efficiens, jam creaturam ineluctabiliter detrudit in errorem. Ergo in miseriam. Error enim malum est hominis veraque ejus miseria. Ergo.

3. Denique sapientiæ. Ex illa enim sapientia quæ sibi non mentitur, quæ seipsam negare non potest, quæ est infinita, ex illa inquam sapientia Deus miraculum elegit ordinavitque ut veritatis signum per se confirmativum, ut quid discretivum inter obscuram veritatem & falsitatem. Ergo divinæ huic sapientiæ repugnat ad errorem concurrere ut causam principalem per miraculum quod in erroris destructionem institutum est. Et sane ipso fatente Clarkio insanum est supponere dæmonem miraculis in confirmationem veritatis ut causam principalem allaborare; tunc enim in propriæ potestatis destructionem operam suam impenderet: ergo a pari absurdum est Deum ut causam principalem miracula operari in confirmationem erroris. Sapientiæ est scopo collimare per media proportionata: ergo miraculum veritati detegendæ a Deo destinatum, veritati debet esse ex se compositum ac contemperatum: tale non est in præsenti systemate. Ergo.

Prob. 2. Deum miraculorum proprie dictorum potestatem dæmoni communicare non potuisse neque ut naturæ appendicem & tanquam causæ efficienti, neque ut potestatem moralem, id est, tanquam causæ instrumentali in confirmationem erroris; probatur, inquam ex efficacia miraculi, quæ in hac sententia omnino destruitur; in illa enim hypothesi miraculum non probat nec per se, nec ex circumstantiis. Non per se; nam fatentibus hujus systematis auctoribus in miraculis præcise & in se sumptis ac consideratis nihil est unde distinguere valeamus an a Deo sint, an a dæmone. Unde sic argumentor: illa miracula in se sumpta nihil probant, quæ in se nihil habent intrinsecum ac specificum unde cognoscantur esse divina: atqui in illo systemate res ita se habet: ergo miraculum per se non probat in illa sententia, nec certa fieri potest propositio per miraculum attestata. Et sane quod veritati simul & errori commune est, ac cum utroque conjungitur, illud per se non certam habet cum veritate connexionem, nec est certum veritatis indicium; porro tale est miraculum in præsenti sententia; utpote a Deo æque & a dæmone promiscue proveniens. Nullius ergo usus & roboris erunt apud homines miracula si semel animo imbuant errori & veritati ex æquo ea famulari posse.

Non probat etiam ex circumstantiis; nam circumstantiæ illæ sunt vel veritas doctrinæ, vel numerus aut splendor miraculorum: atqui ex nullo horum probat miraculum ut postea probabitur Quæstione V.

SCHOLIUM.

In præsenti systemate locum habere non potest distinctio Miraculi primi, secundi & tertii ordinis, bene vero distinctio Miraculi proprie & improprie dicti.

EXponitur. Effectus qui miraculi nomine donatur, vel superat vires totius naturæ creatæ, vel non. Si primum; jam omnia miracula sunt ejusdem ordinis. Si secundum; jam non modo

modo non sunt miracula secundi & tertii ordinis, sed potius nullatenus, & nullo sensu sunt miracula.

E contra si effectus superet vires totius omnino naturæ creatæ, jam est miraculum proprie dictum; sin vero superat tantum vires naturæ alicujus particularis, v. gr. humanæ tantum, est miraculum improprie dictum.

Et certe in sententia opposita, resurrectio mortui etiam quatriduani, non magis potest referri in primum quam in secundum ordinem. Si enim res accurate perpendatur in quacumque alia miraculi notione & definitione, nulla est ratio cur effectus ille sit primi ordinis & vires dæmonum superet, nisi quia dantur effectus quidam viribus etiam Angelicis, ac proinde viribus totius naturæ creatæ superiores. Sed nulla est ratio specialis cur resurrectio mortui vires etiam Angelicas superet potius quam multa alia opera; saltem nulla est ratio allatam miraculi notionem respuendi.

Obj. 1. Ex Scriptura sacra; quæ modo multa memorat miracula a dæmone patrata, modo ea diserte affirmat quæ evidenter supponunt hanc potestatem in Diabolo. Et quidem quoad facta, ea commemorare sufficiat quæ majoris sunt momenti. Sic *Genes.* 3. legitur serpentem cum Heva locutum fuisse. Serpentem illum non fuisse verum, nec vere locutum, nulla suadet ratio legitima; nec profecto minus requiritur miraculum ad illudendum sensibus quam ad efformandam veram loquelam in vero serpente. Sit secundum exemplum, *Exod.* 7. & 8. Moses nomine Dei Pharaonem jubet dimittere Israel, Pharaoni renuenti Moses objicit miracula. Eum in tribus prioribus imitantur Magi Ægyptiaci. Magos illos non vana phantasmata; sed res veras objecisse constat 1. ex ipsa narratione sacra. Nullum enim narratio illa discrimen possit inter opera Mosis & opera Magorum. Nec magis concludere est hæc fuisse falsa quam illa, nisi narratio ipsa in discrimen adducatur. 2. Ex modo loquendi ipsius historiæ. Nam asserit Magos fecisse *similiter*. Porro verba Scripturæ sacræ nativo & obvio sensu intelligi debent nisi obstet aliqua legitima ratio quæ hic omnino deest. Ergo opera Magorum tam fuerunt vera miracula quam opera Mosis. Alterum exemplum exhibet nobis 1. *Reg.* 28. mulier Pythonissa Samuelem ab inferis revocavit; non sane umbratilem, sed realem & verum. 1. Enim is unanimis fuit sensus hæc posse Pythonissas, ut patet ex Saulle qui eam nunquam inquisisset nisi hoc persuasum habuisset. 2. Mulier expavit cum a Samuele Saulem præsentem esse agnovisset. 3. Samuelem referebat solita vestis, aspectus, vocis sonus, ministerium propheticum, res annuntiat soli Deo pervias. 4. Samuelem Saul agnovit; nam reverentiam ei exhibuit. Porro maximum est miraculum mortuos ad vitam revocare. Denique *Apocalyps.* 13. refertur bestiæ caput occisum vitæ redditum esse; immo secundam bestiam vitam & loquelam imagini bestiæ restituisse. Sic itaque singula urgebis. Diabolus serpenti loquelam inspiravit: atqui sine miraculo proprie dicto loquela serpenti inspirari non potest. Ergo diabolus potest facere miracula vere & proprie dicta.

R. n. min. Ex dictis enim Diabolus potest movere corpora citra miraculum. Jam vero ad inspirandam serpenti loquelam sufficit ut diabolus agitaverit linguam serpentis ad verba proferenda. Obsessorum sane & quorum possidet corpora, linguam movet sicut alia eorum membra, nec in hoc ullum miraculum.

Inst. Et proferes, *Exod.* 7. Magorum Ægyptiacorum opera. Namque opera Mosis fuere vera & proprie dicta: sed opera Magorum fuere similia operibus Mosis; nam *fecerunt similiter*. Ergo.

R. n. min. ad prob. dist. Fecerunt similiter quantum ad res productas: c. quantum ad modum producendi: n. similiter, id est, similia; adverbium pro adjectivo, more Hebraico. Itaque quantum ad res productas, id est quantum ad serpentes, opera fuere hinc & inde æqualia; fuere enim reales & veri serpentes; at non fuit idem modus producendi.

cendi. Deus enim ranas. v. gr. producebat per creationem; serpentes eduxit per substantiarum mutationem. Non ita dæmones. Pro innata potentia possunt rerum semina huc & illuc sparsa colligere; potuerunt etiam materiam proxime dispositam ad formam serpentis reducere applicando activa passivis; potuerunt denique serpentes agitare & movere. Jam vero in his nihil occurrit præter consuetum naturæ ordinem, nihil quod agatur independenter a causis secundis. Juxta consuetum enim naturæ ordinem ubi rerum semina materiæ dispositæ & proportionatæ apponuntur, tunc naturale est ea sese explicare. Sed audiamus S. Aug. *l. 3. de Trin. c. 8. & 9.* „ Omnium quippe rerum, inquit ille „ Doctor, quæ corporaliter visibiliter- „ que nascuntur, occulta quædam semi- „ na in istis corporeis mundi hujus ele- „ mentis latent. Sicut ergo nec paren- „ tes dicimus creatores hominum, nec „ agricolas creatores frugum, quamvis „ adhibitis eorum extrinsecus motibus „ ista creanda Dei virtus interius ope- „ retur: Ita non solum malos, sed nec „ bonos Angelos fas est putare creatores. „ Si pro subtilitate sui sensus corporis „ semina rerum istarum nobis occultio- „ ra noverint, & ea per congruas tem- „ perationes elementorum latenter spar- „ gant, atque ita gignendarum rerum „ & accelerandorum incrementorum præ- „ bent occasiones. „ Unde sic argumentor. Miraculum proprie dictum in eo tunc fuisset quod veros serpentes per veram creationem produxissent Magi: atqui sane nihil tunc vere crearunt Magi; immo juxta S. Aug. dæmones virgas in serpentes mutando, nihil aliud fecerunt, nisi semina hinc & inde dispersa & formandis serpentibus idonea colligere & componere. Atqui in ista collectione aut compositione nullum est miraculum. In istis enim operationibus adest tantum & ad eas sufficit motus localis causis secundis & earum effectibus ac virtuti proportionatus; & ex probatis virtus motus hujus localis est Angelis naturalis: ergo. Comparat deinde idem S. Doctor mutationem virgarum in serpentes, a Magis patratam, cum ovium Jacob varietate ex virgarum diverso colore, sicque inde concludit. „ Si Jacob qui virgas illas „ sic posuit, dici non potest creator co- „ lorum in agnis & hædis... multo mi- „ nus dici potest ranarum serpentiumque „ creatores Angelos malos per quos Ma- „ gi Pharaonis tunc illa fecerunt. Aliud „ est enim ex intimo ac summo causa- „ rum cardine condere atque administra- „ re creaturam, quod qui facit, solus „ creator est Deus; aliud autem pro di- „ stributis ab illo viribus & facultati- „ bus aliquam operationem forinsecus „ admovere. „ Hæc August. Unde habemus 1. Magos veros quidem serpentes verasque ranas dedisse. 2. Nihil operari posse Angelos sive bonos sive malos nisi virtute causarum secundarum. 3. Effectus inde dimanantes miraculi veri nomine donari non magis posse, quam varietatem conceptuum in ovibus Jacob, nec Magos aut Angelos prodigiorum magis fuisse causas, quam Jacob causa erat conceptuum. 4. In his operationibus Angelos malos creaturæ administros aut gubernatores non fuisse, sed effectus produxisse suos juxta vires & facultates a Deo distributas. Unde illi miraculum verum & proprie dictum non fecerunt, qui nihil operati sunt nisi naturali virtute causarum secundarum, & juxta vires & facultates ipsis a Deo distributas & impressas. Atqui, &c. Ergo. Quod si quis quærat cur Magi scinifes educere non potuerunt, sed exclamaverint: *Digitus Dei hic est*. Facilis est ex antea dictis responsio. Scilicet hæc verba significant compressam fuisse tunc a Deo naturalem dæmonum potestatem, ac divinitus limitatam fuisse jam permissionem quæ antea a Deo iis concessa fuerat utendi nativa potestate. Hinc constat opera illa nullatenus fuisse miracula proprie dicta, sed tantum effectus Angelorum illorum viribus pares, licet humanis conatibus essent impervii. Quod si quis a nobis quærat quonam medio effectus illos naturales a supernaturalibus discernere potuerit Pharao, illud ex regulis infra assignandis æstimandum est.

Inst. Mortuos ad vitam revocare est sane miraculum proprie dictum: atqui dæmon per Pythonissam Samuelem ad vitam revocavit. Ergo.

R. 1. In eo totum est hujus argumenti robur quod supponat Samuelis personam ipsam apparuisse; quod ad minus incertum est. Ut enim mox videbimus, nihil ex narratione certum deduci potest. Vide Synopf. *Criticorum S. August. ad Simplicianum, l. 2. ad Dulcitium q. 6. De Doctr. Christ. l. 2. c. 26. Tertull. lib. de anima*. Porro ex argumento incerto nihil certi concludi potest.

R. 2. Vel Samuel cum corpore apparuit, vel Samuelis figura umbræ imagine involuta: Si primum; quomodo Saul Samuelem non agnoscit? Si enim Saul testis oculatus Samuelem agnovisset, profecto non interrogasset: *quid vidisti?* Si Samuel incorporeus apparuit, quomodo eum agnovit Saga? Quomodo asseruit a se videri hominem rectum, &c.? Si Samuel incorporeus visus est, non ergo Samuelem, sed ejus figuram & spiritum suscitavit Pythonissa. Ad quid tunc pallium & Sacerdotalia insignia? Hæc omnia umbratilia etiam debuerunt esse. Si vero supponatur pallium reale quod Prophetæ viventi proprium fuerat, nemo concipiat pallium vermibus absumptum tunc resarcitum esse. Dicit Samuel: *quare inquietasti me?* Ergo non sponte, sed invitus Samuel veniebat. Porro cogebatur vel a Deo, vel a dæmone. Si a Deo, quare conqueritur? Si a dæmone, ergo jus in SS. animas habet dæmon; cum e contra dæmon piorum hominum ditioni subjiciatur, ab iis ejiciatur, &c. Dæmonis potestati non subjicitur nequidem anima formicæ aut pulicis, a fortiori nec SS. animæ. Quod si nullum jus habeat dæmon in illas animas, & tamen eas evocet, jam id non præstat nativa potestate, sed moraliter & Deo ita expresse volente. Quod si non nativa potestate id operetur, nihil inde contra. Addit Samuel: *Cras ... mecum eritis*. Veritati historiæ melius consuluisset verus & persona Samuel. Juxta narrationis enim historicæ seriem Saul non nisi tertia die mortuus est Saul. Die enim sequenti jejunus permansit, altera die cibo sumpto exercitum repetiit. Deinde juxta narrationem sacram, 1. per illam consultationem diabolicam, aut saltem statim post eam David recedit ab Achis. 2. Die tertia venit Siceleg. 3. Expugnatis Amalecitis redit Siceleg. 4. Ex his tres aut quatuor solidi dies intercedere debuerunt inter præfatam responsionem, seu consultationem & mortem Saul. Præterea vox illa, *filii tui*, omnes Saulis filios complecti videtur: atqui tamen Isboseth patri suo superstes fuit. Ergo.

R. 3. n. min. Sed multa suadent non Samuelem ipsum, sed ejus phantasma, ut loquitur S. Aug. tunc apparuisse; vel enim anima sola, vel corpus solum, vel anima & corpus Samuelis simul apparuit: atqui nihil horum probabile est. 1. Quidem: nam justorum animæ in manu Dei sunt; ac consequenter nullum jus naturale in eas exercere potest dæmon. Quis credat Necromantiam & mera verba tantum valere in animas Sanctorum? Hinc S. Chrys. *Hom. 29. in Matt.* „ Non anima est defuncti quæ dicit, „ anima talis ego sum, sed dæmon qui „ hanc, ut homines decipiat, confingit. „ Deinde ad præsentiam animæ tantum, formam corporalem Samuelis Saul agnoscere non potuisset. 2. Non corpus solum, tum quia nihil prodesset cadaver inane & exanime, tum quia cum Samuel a biennio mortuus foret, jam corpus ejus computruerat, aut saltem ita deformatum fuerat ut Samuelem referre & verba proferre potuisse vix concipiatur. Eo usque patere non videtur dæmonum potentia. 3. Non anima & corpore simul redditus est Samuel. Alias foret resurrectio quæ profecto dæmonum potestatem superat. Et certe vel Deus, vel Pythonissa Samuelem a mortuis excitasset. Atqui neutrum probabile est: non primum; nam ut ratiocinatur S. Aug. historia testatur Deum Sauli neque per somnium, neque per Prophetam, neque ullo alio modo respondere voluisse. Jam vero hoc posito, probabile non est Deum respondisse excitando & mittendo Samuelem. Necromantiam quam prohibuerat, inde approbare visus fuisset. Ergo non Deus Samuelem excitavit. Non etiam Pythonissa ope dæmonum, ut probant argumenta allata.

R. 3. Etiamsi persona ipsa Samuelis præsens fuisset, non inde sequeretur aut dæmonem id præstitisse aut id effecisse vir-

virtute naturali. Etenim nihil in toto hoc historico textu istud definit. Observat P. Houbigant in suis Bibliis Sagam illam obstupuisse quia Samuel insperato veniebat & antequam magicas artes suas absolvisset. Hinc vult hac de causa Samuelem non Sagæ, sed Sauli objecisse sese exturbatum fuisse. Quamquam stuporem mulieris ad Saulis agnitionem referunt quidam non improbabiliter. Quid quid sit nihil hic determinat quæ virtute dæmon operatus fuerit an naturali, an instrumentali. Jam diximus id virtute naturali repugnare; alias jus naturale haberet dæmon in animas Sanctorum. At Deus in pœnam Saulis potuit uti dæmone veluti instrumento ad manifestandam veritatem ex cujus cognitione ac prævisione magis cruciaretur Saul. Si stupor Pythonissæ ex assignata mox causa oriatur, jam obstupuit effectum sine sua arte productum; ergo nihil inde pro nativa in SS. animas potestate. Si vero stupor ille referatur in agnitionem Samuelis a dæmone manifestati; ergo non Samuel ipse apparuit.

Inst. Scriptura tum hic, tum Eccli. 46. constanter vocat Samuelem eum qui apparuit: ergo judicavit Samuelem ipsum apparuisse.

R. n. conseq. Et dico cum Sanct. Augustino Scripturam Samuelem vocasse eum qui apparuit ex constanti & apud omnes recepto usu imagines rerum earum nominibus appellandi quarum imagines sunt. Frequenter istud in S. Script. occurrit.

Inst. Multa prænuntiat qui apparuit quæ a solo Deo & Propheta ab eo misso prævideri possunt. Ergo Samuel ipse apparuit.

R. 1. neg. anteced. Dæmon enim tum ex præsenti tunc Saulis rerum statu, tum ex præcedentibus oraculis, tum præsertim ex repulsa quam novissime passus fuerat Saul à D. prænoscere potuit mortem Sauli & filiis ejus imminere.

R. 2. n. conseq. Nam ut ait S. Aug. ad Dulcit. Simplic. „ Per quam voluerit creaturam cui voluerit creaturæ „ ubique præsens veritas loquitur, nec „ propterea magni meriti est cui loquitur Deus. Ad pœnam consulentium „ vera ediscunt ut malum futurum præ- „ noscendo patiantur.

Inst. *Apocalyps.* 13. legitur caput bestiæ occisum vitæ redditum fuisse; immo secunda bestia vitam & loquelam restituit imagini bestiæ. Ergo.

R. In textu haberi caput illud fuisse non mortuum, sed quasi mortuum. Vulnus itaque illud mortiferum insanabile erat respectu artis humanæ, non vero diabolicæ. Dæmoni totum corpus humanum pervadenti, occultasque vires herbarum & pharmacorum penetranti, naturaliter erat curabile. Eodem modo loquelam bestiæ inspiravit, quo eam serpenti dedit.

Inst. Multis in locis Scriptura supponere videtur dæmoni competere potestatem miraculorum. *Deuteron.* 13. 1. sic Populum suum præmonet Deus. „ Si „ surrexit in medio tui Prophetes, qui „ somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & „ evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur Deos alienos; non audies verba Prophetæ „ illius, &c. „ In his verbis 1. agitur de oraculo & miraculo in confirmationem erroris. 2. Sicut agitur de vera prophetia; agitur enim de prophetia eventu completa, sic quæstio est de vero miraculo. Tum quia vox hebraica quam vulgata nostra reddidit per miraculum, constanter in tota Scriptura designat miraculum verum & proprie dictum, sicut Propheta hic in Hebræo verum Prophetam ubique significat, tum quia hæc duo prophetia & miraculum sic serie continua conjungi non potuerunt, quin utraque vox eodem sensu usurparetur: ergo cum ibi agatur de prophetia vera & proprie dicta, agitur etiam de miraculo vero & proprie dicto; tum quia non major est difficultas pro miraculo quam pro oraculo. Ergo si unum possit Diabolus, alterum etiam poterit. 3. Casus in textu propositus possibilis est, immo debuit evenire, nec potuit Deus præmonere Populum suum de casu chimerico & impossibili. Deus enim sicut nihil facit, sic nihil dicit frustra. Unde sic. Hic agitur de vero & proprie dicto miraculo: atqui hic agitur de miraculo in

confirmationem erroris, nec hic quæstio est de seductione chimerica & impossibili: ergo dæmones possunt facere miracula vera & proprie dicta in confirmationem erroris.

R. Jam difficultatem præsentem maxima ex parte præoccupavimus ubi de prophetiis. Hæc addere juvat. 1. Hæc spectant prophetiam potiusquam miraculum; agitur de prædictione, non de editione signi & portenti. 2. Ex loco incerto nihil certi concludere licet. Ut valeret contra nos textus allatus, deberet certo constare hic agi de vero & proprie dicto miraculo, oraculo & Propheta; item deberet certum & fixum esse miraculum aut prophetiam fieri aut proponi, antequam fiat in confirmationem erroris; denique constare deberet hic agi de hypothesi possibili. Porro nihil horum ratum fixumque est. Non primum; vox enim Propheta, ut hic in Hebræo est, modo verum, modo falsum Prophetam designat; idem dicendum de somniatore. Immo hic, ut alias sæpe hoc postremo sensu sumitur, & designat prophetiam improprie dictam. Videri potest imprimis *Jer. c.* 27. 28. & 23. Nec obstant verba immediate sequentia: *Et evenerit quod locutus est*. Cum enim ex antea probatis hic agatur de prophetia improprie dicta, nihil concludi potest ex eo quod evenerit quod prædictum est. Eventus enim non est character nisi prophetiæ proprie dictæ. Ita etiam vox *Prodigium* sæpe saltem apud Vulgatam designat rem mirabilem qualiscumque tandem sit. Hic in Hebræo proprie significat signum rei futuræ. At non definit contextus loci hujus, neque vis vocis modum quo cognoscitur res illa futura. Immo multa contrarium suadent. Nam vel hujus miraculi causa est physica diabolus, vel est causa tantum moralis & instrumentalis. Si primum jam nulla reddi potest ratio cur non sit causa physica oraculi proprie dicti, quod tamen nemo hucusque dixit, & quod jam confutatum est. Deinde si naturalis sit dæmoni potestas edendi miracula proprie dicta, & pandendi oracula etiam proprie dicta, ut naturali consequentia sequitur, jam Deo & diabolo æqualis conceditur & futuri contingentis liberi scientia & etiam potentia; uno verbo supponitur diabolo naturaliter inesse infinitam potestatem & scientiam. Si secundum; ergo Deus per seipsum immediate tentat Israelitas. Nam statim additur: *Tentat vos Dominus*. Non ageretur ergo de tentatione quam permitteret, sed quam ipse faceret & induceret. Deinde eodem modo prophetiam istam intelligere debemus quo eventu completa est. Atqui quandiu stetit res Judaica, nunquam per talia miracula aut oracula proprie dicta Populum suum tentavit Deus, sed tantum per Pseudoprophetarum artes & falsi ac improprii nominis miracula. Non secundum, id est, non constat miraculum illud fieri aut proponi in confirmationem erroris. Potest enim non improbabiliter dici hic fortasse designari Prophetam qui miracula operetur, & deinde erroris prurigine deceptus, miracula jam antea a te patrata, in falsitatis & idololatriæ patrocinium advocet. Non tertium: id est, non constat in textu allato agi de hypothesi possibili, ut supra diximus, ex comparatione inter præsentem textum & locum Apostoli *Gal.* 1. Nec respondere est maximam inter utrumque locum disparitatem esse, cum in textu Apostoli agatur de Angelo cælesti, ac proinde bono & fallere nescio; e contra vero *Deuter.* 13. agatur de Propheta aut falso, aut qui fallax esse possit. Nam hac etiam admissa responsione, sequitur Apostolum loqui in hypothesi impossibili; ac proinde absurdum & Deo indecens non esse loqui *Deut.* 13. in hypothesi impossibili. Deinde addidit S. Paul. *licet nos*, *&c.* Porro æqualiter repugnare videtur verum Prophetam uti vero aut miraculo aut oraculo ad Idololatriam, & unum ex Apostolis dicere contraria doctrinæ quam ipse tradiderat. Brevem itaque regulam, facile ac utilissimum veritatis criterium uterque, Moses scilicet & S. Paulus præscripsit ille Judæis, hic Christianis. Vult uterque innuere regulam a se stabilitam nullas exceptiones pati. Decebat sane ut tum unitas Dei, ac fides in Messiam venturum, tum fides in eundem Messiam jam natum & doctrina ab ipso tradita æquali muniretur propugnaculo, custodiretur-

returque regula quæ plana esset & omnium captui accommodata. Hoc unum itaque sibi vult Moyses, Deum, permittendo ut Pseudo-Prophetæ in Populo suo oriantur, & res quasdam stupendas vel edant, vel prænuntient, quibus incautis fucum faciant, exploraturum num Israelitæ fidem sibi debitam ac datam servent. In qua exploratione Deum nihil dedecet.

Inst. *Matth.* 24. „ Surgent... Pseudo-„ Christi & Pseudo-Prophetæ, & da-„ bunt signa magna & prodigia, sed ut „ in errorem inducantur, si fieri potest, „ etiam electi. „ Et 2. *Thessal.* de Antichristo sic scribit Apostolus. „ Et tunc „ revelabitur ille iniquus.... cujus erit „ adventus secundum operationem Sata-„ næ in omni virtute & prodigiis & „ signis mendacibus, & in omni sedu-„ ctione iniquitatis. „ Ergo Pseudo-Christi, Pseudo-Prophetæ & Antichristus facient vera & proprie dicta miracula in confirmationem erroris.

R. n. conseq. Ad primum: hoc loco prænunciat Christus excidium Hyerosolimitanum & omnes ejus circumstantias. Ibi ergo agitur de miraculis Impostorum tunc temporis, qui, referente Josepho, turbas post se trahebant in solitudines, promittentes se eis ostensuros manifesta signa & prodigia. Sed ut constat ex Historia & ex eodem Josepho, nulla vera aut oracula, aut miracula ediderunt, immo qui eos secuti sunt, debitas stultitiæ suæ pœnas dederunt. Tales fuere Theodas & Judas Galilæus de quibus habet Gamaliel in Concilio Sacerdotum, *Act.* 5. Quod si quis velit prædictionem illam spectare novissima mundi tempora, dico 1. Nihil esse in textu allato quod clare exhibeat miracula proprie dicta. 2. Equidem Christus Fideles contra illa prodigia præmunit, immo affert talia fore ut in errorem inducantur etiam electi, si fieri potest, quia scilicet miracula & oracula illa, licet sint ementita, tantam tamen verisimilitudinem induent, ut vix ac ne vix a veris discerni possint, nisi monuisset Deus. Per Pseudo-Prophetas intelligit Maldonatus ex contextu orationis eos qui in favorem Pseudo-Christorum sanctarum litterarum interpretationibus abutebantur ut Populo persuaderent hunc aut illum Impostorem promissum esse Messiam. Ad secundum: jam diximus voces illas miracula & prodigia ambiguas esse in Vulgata & modo pro veris, modo pro falsis miraculis sumi. Quod observari debet ad locum antecedentem. Hebraismus esse videtur in textu Græco juxta quem legimus miracula mendacii. Non nunquam enim adjectiva per ipsamet substantiva exprimunt Hebræi. Sic dicitur apud ipsos. Jud. 7. *Panis hordei*, id est panis hordeaceus. Agg. 2. *Veniet desideria omnium gentium*, id est, veniet desideratus cunctis gentibus. Luc. 16. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*; id est, de corpore hoc mortali? Jac. 1. *Similis est viro consideranti vultum nativitatis*, id est, faciem suam nativam, naturalem; sic loc. citat. v. 3. *revelatus fuerit homo peccati*, id est, homo peccator. Hoc & ipsi Latini imitati sunt.

Pateris libamus & auro.

Potest ergo & debet locus ille sic reddi in prodigiis & signis falsis, non quæ ad falsitatem & errorem ducunt, sed melius ad mentem & genium linguæ, quæ falsa sunt, id est, quæ non erunt vera miracula, sed eorum speciem tantum gerent. His igitur verbis non exprimitur finis, sed substantia & natura illorum operum. Sic itaque concludo. Scriptura evidenter & constanter Deo tribuit vera & proprie dicta miracula. Nullibi evidenter enuntiat opera quæ diabolo ascribit, esse miracula vera & proprie dicta. Ergo.

Obj. 2. Quod potest a causa finita produci, Deum solum non habet ut causam efficientem: atqui miraculum produci potest a causa finita: ergo.

R. dist. min. Miraculum improprie dictum: c. Proprie dictum: subdist. Tanquam a causa instrumentali: c. Tanquam a causa efficiente & physica: n. Solutionem repete ex antea dictis.

Inst. Atqui miraculum etiam proprie dictum potest esse a causa finita tanquam a causa efficienti & physica. Creatura enim vim physicam operandi habet, nec

nec est causa mere occasionalis; hanc vim agendi physicam servat & exercet etiam inter operandum miraculum proprie dictum: ergo causa finita & creata potest esse causa physica miraculi proprie dicti. Unde sic in forma. Illa creatura potest esse causa physica miraculi proprie dicti, quæ inter operandum miraculum proprie dictum habet & servat nativam & physicam vim agendi: atqui creatura inter operandum miraculum, &c. Ergo potest esse causa physica, &c.

R. dist. min. Creatura vim physicam habet agendi operationes sibi connaturales, eandemque vim servat inter operandum miraculum; servat, inquam, quantum ad easdem naturales operationes quæ sunt materia miraculi: c. Vim illam habet etiam quantum ad formam miraculi: n. Duplex ita distinguenda est actio. Alia homini nativisque ejus viribus naturalis & proportionata: alia vero vires illas excedit. Item in miraculo proprie dicto aliud est materia, aliud forma. Materiam miraculi voco preces quæ funduntur, vocem prolatam qua jubetur vel mortuus resurgere, vel claudus recto gressu ambulare, &c. Forma vero est modus quo hæc fiunt, qui quidem modus in eo ex dictis consistit quod effectus producatur sine causis secundis. Homo itaque vim habet physicam agendi etiam inter operandum miraculum quantum ad operationes homini connaturales & proprias quæ sunt veluti materia miraculi; physico enim motu benedictiones facit, preces fundit, vocem profert. At vim agendi physicam non servat creatura, quantum ad formam miraculi, id est, quantum ad id quod ejus essentiam & rationem formalem constituit; quia quantum ad hoc nullam vim physicam & sibi naturalem usquam habuit creatura. Immo vim illam agendi physicam extendere etiam ad operationes quæ sunt miraculi forma, nihil aliud est quam statum quæstionis repetere, & propriam ac naturalem homini supponere potestatem faciendi miracula. Quod nemo huc usque dixit, quodque jam satis confutatum est.

Inst. Causa finita potest, nisi arceatur, illum effectum producere cui producendo vires habet pares & idoneas: atqui creatura producendo miraculo etiam proprie dicto vires habet pares. Causa enim finita effectui finito producendo vires habet pares & proportionatas: atqui miraculum est effectus finitus: ergo.

R. 1. dist. maj. Causa finita habet virtutem parem effectui finito intra limites suæ potentiæ contento: c. Cuilibet effectui finito producendo: n. Effectus debet esse naturæ agentis accommodatus & proportionatus. Homo non potest ea quæ sunt propria spiritus Angelici, sicut in corpore humano manus non potest audire, nec gustus ambulare, sicut etiam puer non habet pares giganti vires. Deus omnium conditor quaslibet res creatas particularibus subjecit legibus, & intra eas vim earum agendi circumscripsit, ultra quas nihil possunt, eo fere modo quo singulis corporis membris singula munia distribuit.

R. 2. dist. min. Miraculum quantum ad substantiam est effectus finitus: c. Quantum ad modum: n. Substantia miraculi est effectus physicus & sensibilis ex miraculo resultans. Talis est vita per resurrectionem mortuo reddita. Miraculum ex hac parte semper est effectus finitus; vita enim redivivo reddita est finita. Modus miraculi in eo positus est quod effectus producatur sine causarum secundarum actione & interventione. Effectus ergo ex miraculo resultans expectat potentiam quæ agere possit in materiam independenter a causis secundis: expectat ergo potentiam infinitam & supremam.

Inst. Atqui miraculum etiam ratione modi est effectus finitus. Quod enim potest obtineri mediis naturalibus, illud est finitum ratione modi: atqui effectus miraculi proprie dicti potest obtineri mediis naturalibus, v. gr. Sanationes a Christo peractæ fuerunt miracula proprie dicta, & tamen multæ sunt quæ mediis naturalibus obtineri possunt. Ergo miraculum est finitum etiam ratione modi.

R. n. maj. Aliud est effectum posse obtineri medio naturali, & aliud effectum qui mediis naturalibus haberi potest, his revera mediis obtentum esse, aut independenter a naturalibus illis me-

mediis obtentum, naturalem esse. Fatemur aliquos esse effectus qui per media naturalia & sine iis mediis ex æquo haberi possunt; ex modo quo sunt obtenti effectus naturales, a miraculis distinguimus. At non sequitur effectum datum sine illis mediis naturalibus eundem esse ratione modi ac effectum ex illis mediis resultantem. Ergo.

Inst. Modus miraculi in eo sæpe consistit quod effectus fiat repente. v. gr. Curatio repentina febris, aut alterius morbi, ut miraculum etiam proprie dictum vulgo habetur. Porro nihil in ea infinitum occurrit quoad modum, nihil in ea est quod Angelici spiritus creatam & naturalem virtutem superet. Immo talia præstitit vel ipsa natura, aut humana industria sola & sibi relicta, ut multa & frequens docet experientia. Unde. Modus quem plerumque assequitur aut Angelus aut natura ipsa, non est infinitus. Atqui. Ergo.

R. n. min. Et dico modum quo hæc prædicta fiunt, nunquam eumdem esse omnino ac modus quo fiunt per miracula. 1. Enim modus infinitus non in eo consistit solum quod effectus fiat repente, sed quod fiat sine mediis naturalibus. Ad miracula enim hujusmodi requiritur & ut subito & ut sine ullo naturali medio proportionato fiant. 2. Ubi vel Angelus, vel humana industria, vel natura ipsa agunt, certum est inter earum actionem & effectum adesse aliquam proportionem saltem inchoatam. Sic cum quis febre aut aliquo morbo correptus, urgente incendio e lectulo excutitur & sanatur; novimus inter agitationem illam ex timore ortam & quorumdam morborum curationem aliquam esse proportionem, quam & Physici & Medici evolvunt; at quod subito, solo nutu & imperio vocis omnia omnino morborum genera fugiant, ibi miraculum agnoscimus. Inter vocis enim imperium & subitam cujuscumque morbi curationem non solum nulla nobis nota est proportio, sed nullam esse omnino videmus. Cæterum hocce argumento evinceretur non solum Angelum, sed & naturam solam, immo & industriam humanam ad miracula sibi sufficere; ac proinde nimis probaretur.

Obj. 3. Ex principiis positis, ibi est miraculum proprie dictum, ubi causa effectus est simpliciter & omnibus occulta: sed ex concessis, ignoramus quousque se extendant vires Angelorum: ergo ex concedendis opera eorum possunt esse miracula proprie dicta.

R. dist. min. Ignoramus quousque se extendant præcise & determinate: c. Omnino & generice: n. Novimus inter Angelicam potentiam & certos quosdam effectus nobis impervios adesse proportionem naturalem. 2. Certo scimus nullam intercedere proportionem inter Angelicam potentiam & certos quosdam effectus vel quantum ad eorum substantiam, ut est resurrectio, vel quantum ad modum, ut sunt morbi subito, solaque voluntate curati; nam, ut jam diximus, morbos subito curare non potest Diabolus, quia eos curare non potest nisi per motum: sed repugnat motus instantaneus. Ergo morbos non potest curare subito. 1. Certi etiam sumus generatim Angelos nihil posse nisi naturali suæ & corporum virtuti proportionata: hinc licet quousque præcise & determinate se extendant eorum vires ignoremus, novimus tamen eam hucusque, nempe ad miraculum se non extendere. Sed ex eo quod hæc determinare ad amussim non valeamus, non sequitur causam esse simpliciter & omnibus occultam.

Inst. Quidquid in hoc mundo fit, est a Deo vel immediate, vel mediate & ministerio creaturæ alicujus intelligentis, v. gr. ministerio Angeli. Hinc Angelus sub Deo regit hunc mundum visibilem, ac consequenter agit in materiam ut certum ac determinatum in ea motum introducat & conservet. Jam vero sicut creatura illa intelligens potestate naturali potest agere in materiam, sic potest hanc suam actionem suspendere, aut retardare, aut mutare; quod sufficit ad miraculum. Prima actio & potestas sane naturalis est; ergo secunda etiam naturalis est. Posterior eorum a prima fluit & dimanat. Porro ad miraculum sufficit ut actio motrix Angelica suspendatur, aut retardetur, aut denique immutetur. Tunc enim res aliter evenit quam antea ex consueto or-

ordine fiebat ; nec alio modo Deus facit miracula, nisi effectum quem antea juxta ordinem causarum secundarum operabatur, alio actionis genere & ordine producendo. Unde sic arguere licet. Angeli possunt natutaliter suspendere aut retardare, aut mutare actionem qua regunt materiam; atqui illud sufficit ad miraculum: ergo Angeli possunt naturaliter facere miracula.

R. dist. maj. Possunt mutare, suspendere, & juxta leges sibi præscriptas, & modo tum suæ virtuti, tum materiæ & corporum naturæ proportionato: c. Secus: n. Itaque 1. esto quod Deus Angelos deputaverit lege constanti & uniformi ad regendum mundum, hoc enim ad minus incertum est. 2. Fatemur quidem Angelos potestate naturali agere in corpora, & eadem potestate posse actionem suam immutare aut suspendere; at inde non sequitur eos habere potestatem quæ a causarum secundarum influxu & actione esset independens; nam ex eo quod Deus nativam Angelis concesserit potestatem agendi in materiam modo materiæ proportionato, ac in eam introducendi motus aut formas cum quibus habet proportionem, non sequitur Deum ipsis fecisse potestatem eosdem aut alios producendi effectus cum quibus aut Angeli, aut materia ipsa nullam habent proportionem. Aliud profecto est leges a Deo latas ad executionem cogere, & aliud eas abrogare ac ab executione suspendere; primam potestatem concedere potuit Deus, altera non concessa, nec ab una ad alteram legitima videtur consequentia. 3. Ex eo quod Angelus nativa potestate valeat actionem suam mutare, aut suspendere, aut retardare juxta leges sibi & materiæ præscriptas, negamus inde enasci miraculum proprie dictum. Ut enim adsit miraculum proprie dictum, requiritur ut in re nulla, immo contrária videatur & sit dispositio ad effectum producendum. Ideo socrus Simonis sanata a Christo est miraculum proprie dictum, quia inter vocem prolatam & febrem subito sanatam, nulla videtur & in rei veritate nulla est proportio, ac dispositio. Ideo lignum super aquas natans sub Elisæo Propheta fuit miraculum proprie dictum, quia lignum ad natandum nullam, immo contrariam dispositionem habet. In data ergo hypothesi adesse tantum poterit miraculum improprie dictum. Hinc non valet comparatio instituta Deum inter & Angelos. Miraculum enim non in eo præcise consistit quod Deus juxta alium ordinem illud producat, sed in eo quod ordo ille ab actione causarum secundarum sit independens. Ut itaque Angeli possint facere miracula proprie dicta, non sufficit quod actionem suam mutent aut suspendant, sed requiritur ut agant independenter a causis secundis; quod falsum esse probavimus, nec contrarium hucusque probatum est.

Inst. Ex concessis Angeli possunt agere in corpora ad motum localem. Ergo micula possunt edere etiam proprie dicta. Plurima enim miracula etiam proprie dicta non consistunt nisi in certa quadam & nova partium materiæ dispositione. v. g. Qualitates morbidæ non consistunt nisi in mechanica partium perturbatione, in humorum mala temperatione. Hæc omnia & iis proportionata remedia novit spiritus Angelicus, & pro sua agendi subtilitate ea remedia opportune applicare potest. Ad eam enim applicationem requiritur & sufficit motus & nova partium dispositio. Jam vero novam illam materiæ dispositionem efformare potest Angelus. Sola enim voluntate potest movere corpora. Ergo sola voluntate potest mutare ordinem & dispositionem partium materiæ.

R. dist. ant. Possunt Angeli agere in corpora ad motum localem aliquem & certo quodam modo: c. Ad omnem & omnimodo: n. Solutio patet ex supra positis principiis. Miraculum non in eo præcise consistit quod effectus sola voluntate fiat; anima enim humana sola voluntate movet proprium corpus, absque miraculo. Sed requiritur ut sola voluntate applicentur corpora ad effectus ad quos aut nullam, aut contrariam habent dispositionem.

Inst. Ex dictis, miraculum non est nisi contra leges particulares; atqui Angelus potest naturali potestate agere contra leges particulares. Leges enim illæ sunt vires naturæ: porro contra vires natu-

naturæ agere possunt Angeli. Possunt enim dividere, minuere & augere, vires illas. Ergo.

R. dist. ult. ant. Possunt augere vel minuere, sed non eodem modo quo Deus: c. Eodem modo: n. Solutio patebit ex mox dicendis.

Inst. Atqui eodem modo. Supponamus ex una parte aliquem virtute divina super aquas deambulantem, ex altera vero vel Simonem Magum, vel quem liberit alium possessum a Dæmone inter aera sublimem raptum, suspensum remanere. In utroque casu neque Deus, neque Dæmon agunt contra hoc generale principium quo constat vim minorem a majori vinci debere; manifestum est ergo vim gravitantem majorem aut certe æqualem fore tum in aqua, tum in aere, quam in corpore humano. Primum opus est ex omnibus miraculum proprie dictum; ergo & secundum. Unde sic. Utrumque opus fit per virium utrique corpori additionem. Ergo fit eodem modo.

R. 1. n. suppositum argumenti. Miraculum illud in utroque casu non est proprie dictum. Jam diximus, Dæmonem posse operari miracula improprie dicta: nec mirum, Deum quandoque, aut etiam semper eos effectus eodem modo operari, quo Dæmon. Ex hoc nihil contra nos. Horum enim miraculorum nota vis pendet ab eorum non natura, sed divinitate. R. 2. n. conseq. Forsan æqualia sunt ex utraque parte duo prædicta miracula quantum ad certum quemdam operandi modum, non vero quoad omnem totaliter. Scilicet uterque Deus, & Dæmon sola voluntate agit, effectum uterque producit volumen aquæ aut aeris augendo; omnis hactenus paria. Sed modum quo actionem suam immediatam exercuerit, ignoramus. Immo potuit id præstare aquarum vel reproductione, vel creatione, quod Dæmon non potest quodque tunc foret miraculum proprie dictum. R. 3. n. conseq. Additio enim non fit utrimque eodem modo. Fit a Deo sola voluntate, sine interventu caussarum secundarum, & ex supremo quod in omnia habet dominio; fit a Dæmone ope caussarum naturalium; alia nempe corpora undequaque accercendo & aeri adjungendo, vel corpus ipso aere delicatius sibi efformando quod sit effectui intento proportionatum, cujus ope corpus humanum raptet ac retineat; sicut aquila, v. g. cætera rapit animalia, & inter aera sustentat absque miraculo. Haud improbabiliter potest dici in casu assignato effectum utrumque eodem modo produci. At observandum est, tunc miraculum esse tantum improprie dictum. Totam ergo suam vim desumit ex auctore, a quo oritur, confugiendumque est ad characteres. Dixi non improbabiliter; forsan enim sic Deus operatus supponi potest; at forsan etiam egit per creationem, aut reproductionem, quorum neutrum potest Dæmon.

Inst. Saltem Angeli possunt modo invisibili ea omnia agere quæ facere non possunt homines nisi modo visibili & conspicuo: ergo aut miracula, aut quæ miracula nobis videantur, operari poterunt.



R. n. conseq. quoad primam partem & concedo ant. cum secunda parte conseq. In iis operibus nunquam extra virium suarum naturalium sphæram excurrent Angeli. Quoties in materiam agit Angelus, nusquam agit præter ordinem totius naturæ creatæ. Vel enim agit in materiam mediante assumpto corpore, vel sola voluntate. Si primum: præter ordinem naturæ non est si corpus ab alio corpore tali vel tali gradu, actione agitatum moveatur motu huic actioni proportionato. Quod si sola voluntate; hoc non magis est præter ordinem naturæ quam si anima humana corpus suum moveat. Sicut enim volitio animæ naturalem habet cum proprii corporis motu proportionem, sic eandem dicit Angeli volitio cum motu cujuscunque corporis etiam sibi non conjuncti, ut patet ex superiori expositione. Sed sicut anima corpus suum movere non potest nisi motu sibi suæque virtuti & corporis conditioni proportionato, sic Angeli alia corpora movere non possunt nisi motu sibi suæque virtuti & corporum naturæ proportionato. Poterunt ergo Angeli miracula improprie tantum dicta. Quod si hæc opera angelica vocare quis voluerit miracula proprie dicta; 1. de nomine disputare mihi videbi-

bitur. 2. Sicut fatemur Angelum plura posse quam hominem, ita concedi debet plurima posse Deum angelicæ potestati naturaliter impervia. Quod si hoc concedatur, jam dedecet negare ea quæ solus Deus potest, esse proprie dicta miracula; ergo quæ Angelus præ homine potest, sunt tantum miracula improprie loquendo. Nec res est quod saltem videri nobis possint miracula etiam proprie dicta. Aliud enim rem videri, & aliud ita esse; sicut aliud aliquid verum videri, & aliud verum esse.

Obj. 5. Tota præsens hæc controversia hoc veluti cardine volvitur, nempe conferri non posse ulli creaturæ miraculorum potestatem, quia concedi non posset nisi conferretur potestas infinita supremumque dominium. Porro hoc falsum est gratisque supponitur. 1. Enim ad miraculum non requiritur potentia infinita. Namque ad effectum, sicut ad actum supernaturalem, sufficit potentia & facultas supernaturalis; jam vero conferri potest alicui facultas supernaturalis nulla concessa potestate infinita. Enimvero naturales hominis facultates evehit Deus ad actus supernaturales per gratiam, nec tamen homini inde concedit potentiam infinitam. 2. Non requiritur dominium supremum. Anima enim humana a natura habet dominium in proprium corpus, nec sane supremum. Jam vero Deus potuisset idem ei concedere dominium in alia corpora extrinseca sicut Angelis concessit. Hoc dominium potuit ita augere & perficere ut usque ad miraculum extenderetur. Sicut enim anima ex dominio in proprium corpus ejus inertiæ supplet & vires ei mutuatur; ita ex simili in alia corpora dominio materiæ inertiæ suppleret ac vires & proportionem ad varios effectus communicaret, ac proinde produceret effectus ad quos se non extendebant vires causarum secundarum. Et vero quamvis creatura ageret sine causis secundis & independenter ab illis, non tamen inde probaretur eam habere potentiam infinitam. Namque in effectibus naturalibus, in quibus Deus agit interventu causarum secundarum, potentia Dei est finita, & ut observat Sanctus Augustinus *in Joann. tract.* 24. n. 1. Non minor est quam in miraculis. Ergo potentia non eo ipso arguitur infinita, & talis est sive cum causis secundis, sive sine illis agat.

2. Etiamsi potentia miraculorum foret infinita in se, posset concedi creaturæ. Quid enim magis arguit potentiam infinitam quam creatio? atqui tamen multi Philosophi contendunt Deum creaturæ posse communicare vim creandi. Quidni etiam communicare posset vim agendi independenter a causis secundis? Nec profecto hac communicata potentia communicaretur supremum dominium. Cum enim hanc potentiam a Deo accepisset creatura, sufficienter penderet a Deo tum ratione acceptæ potentiæ, tum quia quod libere Deus dedisset, libere posset auferre, ac proinde dici non posset creaturam sibi sufficere & esse ab alio independentem. Hæc sic per partes resumo. Ideo creaturæ communicari non potest miraculorum potestas, quia communicari non posset quin conferretur potentia infinita aut supremum dominium: atqui communicata miraculorum potestate non confertur potestas infinita nec supremum dominium. Ergo communicari potest creaturæ miraculorum potestas.

R. n. min. Ad communicandam miraculorum potestatem, communicari debet potestas vel agendi independenter a causis secundis, vel iis supplendæ proportionis ad certos quosdam effectus; sed ad utrumque requiritur potentia infinita supremumque dominium, ex probatis: ergo communicari non potest miraculorum potestas nisi communicetur potentia infinita, &c.

Inst. Atqui communicari potuit miraculorum potentia, non communicata potentia infinita. Nam gratia confert vires ad actus supernaturales, nec tamen confert potentiam infinitam. Ergo a pari communicari potest potentia ad effectus supernaturales, nempe ad miracula, non communicata potentia infinita.

R. n. conseq. & parit. Homo habet proportionem habitudinis cum gratia; nullam vero cum potentia miraculorum; actus ad quos confertur gratia, non important potentiam infinitam: e contra miracula.

Inst.

Inst. Atqui communicata miraculorum potestate non communicaetur supremum dominium. Nam dominium quod habet anima in proprium corpus, extendi potuit ad alia corpora ipsi extrinseca: atqui dominium istud extendi potuit ad miraculum, nec inde conferretur ipsi supremum dominium; adest hic mox desiderata proportio habitudinis. Ergo.

R. n. min. Equidem Deus potuisset, & etiam nunc posset extendere ad alia corpora dominium quod habet anima in proprium corpus, sed dominium istud ampliare non potuit ad miraculum usque, quin potentiam infinitam supremumque dominium in materiam communicaret homini; deinde ex eo quod Angelo idem in omnia corpora dominium concessum fuerit, quod animæ in proprium corpus, non sequitur tamen Angelum posse operari miracula proprie dicta. Hac scilicet ratione quod dominium illud Angelo proprium terminetur ad motum localem in alia corpora introducendum; sed motus localis non sufficit ad miraculum.

Inst. Ad miraculum sufficit ut suppleatur in causis secundis proportio ad certos quosdam effectus: atqui ex illo animæ in alia corpora dominio suppleret anima hanc proportionem in causis secundis; nam supplet proprii corporis inertiæ. Ergo dominium illud animæ in alia corpora extendi potest ad miraculum.

R. n. min. Ex dominio animæ in proprium corpus, anima supplet ejus inertiæ; quia scilicet corpus, licet iners ex natura sua, natum est moveri ab aliqua causa intelligenti: Sic movetur materia a Deo, immo ab Angelo sine miraculo. At ex inde non sequitur animam posse supplere in proprio corpore omnem omnino proportionem ad quoslibet effectus. Quantumvis ergo augeat Deus dominium illud, non potest illud extendere usque ad miraculum, quia non potest dare creaturæ potentiam infinitam aut supremum dominium.

Inst. Atqui nec potentia foret infinita, nec supremum foret dominium. Ideo res ita esset quia quicumque agit & agere potest independenter a causis secundis jam sibi sufficit: atqui creatura instructa potentia agendi independenter a causis secundis non sibi sufficeret. Illa enim creatura sibi non sufficeret quæ semper penderet a Deo tum ratione acceptæ potentiæ, tum ratione concursus quo indigeret ut virtus accepta in actum erumperet: atqui creatura tunc semper penderet a Deo ratione acceptæ potentiæ. Ergo non sibi sufficeret.

R. n. min. ad prob. n. maj. Hæc enim circumstantia acceptæ potentiæ est huic potentiæ & ejus naturæ omnino extrinseca, nec eam mutat. Alias sequeretur Deum quamlibet proprietatem & potentiam infinitam posse communicare creaturæ; quod falsum est. Idem dic de concursu qui præterea supponit in agente virtutem agendi. Sed virtus patrandi miracula efficienter non potest supponi quin supponatur quæstio. Quidquid sit, creatura foret saltem independens & sibi sufficeret 1. relative ad Deum quoad ipsammet actionem. Non penderet enim a Deo nisi quia accepisset potentiam. 2. Sibi sufficeret relative ad alias causas secundas a quibus esset omnino independens, cum ageret independenter ab illis. Sed neutram independentiam communicare potest Deus creaturæ. Recole quæ supra diximus Conclusione XX.

Inst. Atqui creatura sibi non sufficeret, etiam quoad actionem. Illa enim sibi non sufficeret, saltem relative ad Deum, & quoad actionem, cujus virtus posset impediri a Deo: atqui virtus illa & ejus exercitium potest impediri a Deo; ergo virtus illa non esset ex se infinita, nec creatura sibi sufficeret quoad actionem.

R. transf. min. n. maj. Etiamsi enim Deus sibi reservaret jus potestatis illius impediendæ, nihilominus potestas illa foret de se & ratione principii infinita. Deus enim non posset impedire exercitium potestatis illius nisi denegando concursum suum sive ad cognoscendum, sive ad volendum: sed illa concursus denegatio foret tantum per accidens & præter naturam potestatis.

Dixi ad min. transf. Quia contendi omnino posset Deum non posse impedire exercitium potestatis de se infinitæ,

nec

nec coercere virtutem quæ omnipotentiam arguit.

Inst. Illa potentia non est, aut saltem dici non debet infinita quæ non probatur esse infinita: atqui non probatur potentiam miraculorum esse potentiam infinitam. Ideo enim probatur infinita quia actum suum exerit independenter a causis secundis; atqui hæc ratio nulla est. Nam in effectibus naturalibus Deus agit cum causis secundis, & tamen potentia ejus evincitur infinita. Ergo effectus hoc ipso non arguit potentiam infinitam quod producatur independenter a causis secundis. Sic itaque in forma. Potentia Dei evincitur infinita etiam ubi agit cum causis secundis: ergo non evincitur talis ex eo quod agat independenter ab illis causis.

R. n. conseq. Jam diximus infinitudinem potestatis ex ejus independentia æstimandam esse. Hinc quamvis Deus sæpe agat mediantibus causis secundis, non minus infinita tunc est ejus potentia. Ita enim agit cum illis, ut non ab eis pendeat aut agendi vim mutuetur. Quando dicimus potentiam quæ agit independenter a causis secundis esse infinitam, non intelligimus potentiam illam fieri finitam si agat cum illis causis; fieri enim potest ut illa potentia, etiam dum agit ope causarum secundarum, ab iis sit independens. Id ergo tantum volumus inde infinitam probari potentiam, quod, dum agit, fit a causis secundis independens, sive cum illis, sive absque illis agat, quia inde cognoscitur independens ac proinde infinita.

Inst. Deus potuit aliam partium configurationem variis entibus dare. Sic potuit luto quinquinati figuram dare & sic febri fugandæ attemperare. Quod in primitiva rerum ordinatione potuit, hoc etiam nunc potest, mutata scilicet partium luti dispositione. Jam vero in ista hypothesi qui luto uteretur ad febrem fugandam, non usurparet potentiam infinitam. Potest ergo Deus luti vires augere eo usque ut a febre liberare possit. Ita a pari, quidni poterit, præsente luti partium dispositione ut nunc est remanente, vires creaturæ Angelicæ aut humanæ eo usque perficere & augere ut possit producere effectum cui impares sunt causæ secundæ naturales? Sic itaque argumentor. Potest Deus vires luti augere usque ad sanandam febrem. Ergo a pari potest Deus augere vires Angeli aut hominis usque ad miraculum utendo luto.

R. n. conseq. 1. Non agitur utrum mutatis luti viribus & partibus citato effectui par fieri possit; sed utrum eo in suo statu remanente Angelus vel homo possit eo uti ad sanandam febrem. 2. Deus potest equidem eo usque luti vires augere ut quinquinati vices gerat, ac proinde ut eodem modo a febre liberet. At ut homo vel Angelus febrem fuget ope luti quod nullam habet cum illo effectu proportionem, requiritur ut homini vel Angelo communicetur potentia agendi independenter a causis secundis, vel iis supplendi proportionem quam non habent; quod multoties repugnare diximus & probavimus.

Inst. Atqui potentia illa non foret saltem omnimode infinita. Illa potentia non foret saltem omnimode infinita quæ sibi ad omnia non sufficeret: porro talis foret prædicta potentia; potentia enim omnimode independens ac sibi sufficiens, nec materiam, nec ejus proprietates prærequirit ad actionem; sed potentia agendi independenter a causis secundis materiam præsupponit & requirit. Ergo non est omnimode independens & sibi sufficiens. Unde sic: potentia agendi independenter a causis secundis pendet a materia præexistente. Ergo non omnino sibi sufficit.

R. transf. ant. n. conseq. 1. Hinc sequeretur saltem creaturæ naturaliter competere posse potestatem ea omnia operandi quæ operari potest Deus, excepta creatione; quod falsum est. 2. Hinc sequeretur forsan independentiam esse majorem extensive, id est, ad plura se extendere; minime vero majorem esse intensive & in se, ratione causarum secundarum. 3. Materia quæ nullam habet proportionem cum effectu producendo, eadem est ac si nulla omnino esset respectu potentiæ quæ materiæ proprietates requirit; eademque necessaria est virtus ad supplendam proportionem ac ad supplendam materiam. Ergo saltem potentiæ infinitæ æquivaleret ista potentia.

Di-

Dixi ad ant. transf. Quia quod in casu proposito materiam præsupponat; hoc ex natura operis provenit, non ex necessitate operantis. Deus enim, v. gr. quando miracula operatur, materiam præsupponit, non quia agere non potest nisi præsupponatur materia, sed quia in miraculo agitur tantum de effectu qui supponit ex se materiam. Ergo ex eo quod agens independenter a causis secundis præsupponat materiam, non sequitur eum pendere a materia præexistente.

Obj. 6. Dæmon potest esse causa instrumentalis miraculi proprie dicti quod fiat in confirmationem erroris. Donum enim miraculorum nullam ex se supponit sanctitatem, bonis & malis commune est. Unde. Tam potest Deus uti Dæmone tanquam instrumento ad miraculum patrandum, quam homine improbo: atqui Deus uti potest homine improbo, &c. Ergo.

R. dist. Tam Deus uti potest, &c. extra propositum confirmandi erroris: c. Dæmone sibi inde proponente confirmationem erroris: n. Hæc duo distinctim supra stabilivimus 1. Deum uti posse quacumque creatura velut instrumento ad operandum miraculum generatim. 2. Deum non posse uti Dæmone, idem dic de quavis alia creatura, ut instrumento ad miraculum quod fit in confirmationem erroris.

Inst. Atqui id potest etiam ubi miraculum fit in confirmationem erroris. Deus confert Sacerdoti potestatem supernaturalem consecrandi, licet ea potestate male usurum prævideat; immo donum miraculorum largitur aut saltem largiri potest homini, licet videat eum dono illo abusurum ad vanam gloriam, ad propriam famam, &c. Ergo & illud donum potest Dæmoni committere, etiamsi videat eum dono illo abusurum in confirmationem erroris.

R. n. conseq. & parit. quoad utrumque exemplum allatum. Confectio Sacramentorum non est instituta a Deo in confirmationem alicujus veritatis; in miraculo autem evidens est & apud omnes notum, Deum aliquid dicere, aliquid hominibus significare velle. Vana gloria & fama quam ex miraculo aucupatur homo, est quid extrinsecum miraculo & ejus fini, nempe confirmandæ veritati.

Inst. Propria gloria & erroris confirmatio sunt fines æqualiter perversi: ergo cum utroque compati potest donum miraculorum.

R. transf. ant. nego conseq; Paritas hic æstimari non debet ex æqualitate vel inæqualitate actionis in genere criminis, sed ex æqualitate relationis & respectus ad Deum, seu potius ad finem a Deo intentum. Disparitas itaque est in eo quod Deus diversimode se habeat ad vanitatem & confirmationem erroris intentam per miraculum. In secundo casu Deus testis esset mendacii, quia criterium est veritatis miraculum. At miraculum non est criterium humilitatis.

Inst. Ideo Deus non potest uti creatura instrumentaliter ad miraculum in confirmationem erroris, quia tunc Deus esset causa erroris, cum sit causa principalis hujus miraculi: atqui hæc ratio nulla est. Deus enim est causa principalis actuum hominis, nec tamen est causa principalis peccati: ergo potest esse causa principalis miraculi, nec tamen esse causa principalis erroris.

R. n. min. ad prob. n. paritatem. Disparitas se tenet ex triplici parte. 1. Ex parte medii quo Deus concurrit ad actum humanum & ad miraculum. Deus enim est causa principalis actus humani vel per concursum, vel per præmotionem physicam; est autem causa miraculi per voluntatem specialem quæ directe & immediate fertur in effectum quatenus supernaturali modo productum in signum veritatis alicujus. Porro inter utrumque illud medium latissima est disparitas, nam concursus, aut præmotio spectat tantum physicum actus humani, ac proinde indifferenter se habet ad actus bonos & malos; oritur a voluntate generali qua Deus generatim decrevit juvare creaturam ad actionem. Hinc concursus datur ad exigentiam creaturæ; præmotionem vero physicam advocat homo lege non minus certa & immobili. At vero voluntas specialis miraculi effectrix cadit in effectum supernaturalem, quatenus supernaturalem & veritatis alicujus per se significativum; mere

re gratuitum est illud donum, nec datur ad exigentiam creaturæ, nec ulla lege donum illud advocare potest homo. Jam vero mirum non est Deum non fieri auctorem peccati per voluntatem generalem, seu per medium quod afficit tantum aliquid physicum & indifferens ad bonum aut ad malum, licet idem ille Deus auctor fiat erroris per voluntatem specialem, seu per medium quod directe & immediate spectat aliquid formaliter ut veritatis significativum per se & ex natura sua, si signum illud errori deserviat. Tunc enim Deus necessario & ex natura rei, seu effectus illius significat errorem; ergo necessario & ex natura rei fit auctor erroris. Rem exemplis illustremus. Supponamus Deum esse causam principalem evidentiæ quæ nos in errorem inducat, fieret sane auctor erroris; istud profecto concedent qui nobis hic opponuntur. Quod si quis iis objiciat Deum tunc fore tantum evidentiæ causam, non vero erroris, id quod tunc respondebunt, & nos iis pro miraculo respondebimus. Quod enim est evidentia in ordine naturali, hoc est miraculum in ordine supernaturali. Sit istud aliud exemplum. Si Deus concurreret ad actus malos per gratiam, fieret auctor peccati, quia gratia determinata est ex natura sua ad bonum, nec afficit solum actus humani physicum, sicut concursus aut præmotio physica naturalis: ita a pari de miraculo pronuntiare debemus. Secunda disparitas se tenet ex natura actus humani & miraculi. Actus enim humanus sive bonus, sive malus, sive in se, sive ratione bonitatis aut malitiæ consideratus, non est ex natura sua, aut ex primæva sua institutione ad confirmandam aliquam veritatem destinatus, aut ad bonitatem moralem determinatus. Ergo nec malitiæ, nec erroris principalis causa censeri debet Deus, licet actus illius sit causa principalis. At e contra miraculum ex natura sua ad significandam veritatem est destinatum. Porro ex eo quod Deus non sit auctor peccati concurrendo ad id quod ex se indifferens est, non sequitur Deum non fore auctorem erroris si ad illum concurrat per id quod ex natura sua ad veritatem destinatum est. 3. Ex parte modi quo miraculum & concursus aut præmotio & actus humanus se habent tum ad Deum tum ad homines. Deus enim miraculum instituit hominibusque proposuit ut sigillum ac divinum veritatis testimonium. Homines eodem pretio miraculum unanimiter habent. Ergo ex una parte Deus falsitatis testis esset, ex altera vero homines in errorem & quidem invincibiliter inducerentur. Undenam enim ex tali errore emergere possent? An ex revelatione aliqua? Sed nova illa revelatio miraculo ipso obsignanda esset. An ex novo miraculo? Sed circa posterius miraculum eadem ac circa prius occurrit difficultas. Eo ipso quo a Dæmone oriri potest opus illud, vel homines semper Dæmonem suspicabuntur, & tunc ne veræ quidem ac divinæ revelationi credent: Vel Deum solum semper hujuscemodi operis causam credent, & tunc spuriæ & adulterinæ doctrinæ assensum dabunt. Nec recurrere est ad circumstantias aut characteres. Jam enim evicimus ea omnia nihil probare.

Inst. Atqui Deus potest esse causa principalis miraculi in confirmationem erroris, nec tamen esse causa principalis erroris; sicut est causa principalis actus humani, nec tamen est causa principalis peccati. Ideo enim Deus est causa principalis actus humani, nec tamen peccati, quia concurrit ad physicum actus humani, non vero ad formale peccati: atqui pariter Deus poterit concurrere ad physicum miraculi, licet non concurrat ad errorem ex eo intentum. Ergo Deus potest esse causa principalis miraculi in confirmationem erroris, nec tamen, &c.

R. n. min. & parit. Ratio disparitatis in eo consistit quod, ex jam dictis, concursus aut præmotio dentur ad solum actus physicum; at voluntas specialis & extraordinaria qua Deus concurrit ad miraculum proprie dictum, non cadat tantum in physicum miraculi, sed cadat directe & immediate in ejus formale. Quod ut pateat, tria in miraculo accurate distinguenda sunt. 1. Materia Miraculi, preces nempe, benedictiones, verba, &c. Hæc sunt quidem quid physicum, ad quæ sufficit voluntas seu concursus generalis qui ad omnes actus hu-

ma-

manos generatim sufficit, sed de hoc physico non agitur. 2. Effectus miraculi, v. g. vita redivivo reddita, sanitas ægro restituta, &c. Hæc sunt etiam quid physicum, & de iis hic agitur. 3. Modus quo effectus ille producitur, qui quidem in eo consistit quod effectus producatur sine interventione causarum secundarum. Et hic modus constituit formam miraculi, & vocatur ejus formale. Porro observandum est vitam aut sanitatem illam non esse effectum miraculi, nisi ratione modi quo utraque restituitur. Ergo Deus non potest concurrere ad effectum, sed ad physicum miraculi, quin concurrat ad ejus formale: sed non potest concurrere ad formale miraculi in confirmationem erroris, quin concurrat ad errorem, eodem modo quo concurrit ad miraculum ipsum. Nam formale miraculi, id est, effectus modo supernaturali obtentus, est ex se & ex natura sua veritatis sigillum; ergo si fiat in favorem erroris, Deus non potest concurrere ad formale miraculi, quin concurrat ad errorem. Exemplo jam allato uti liceat. Si Deus, per impossibile, fieret causa principalis evidentiæ quæ nos deciperet, esset auctor erroris ipsius, independenter ab allata distinctione inter physicum & formale; quia scilicet evidentia per se destinatur ad docendam veritatem. Ergo a pari de miraculo.

Inst. Atqui Deus potest esse causa principalis miraculi, nec tamen esse causa principalis erroris. Miraculum enim debet distingui ab ejus fine extrinseco, nempe a confirmandi erroris intentione; ex se enim & ex natura sua non sunt duo illa secum invicem conjuncta. Deus utpote causa libera influit in id quod vult, & quomodo, ac quantum vult. Potest ergo influere in miraculum in se, non vero in errorem, seu in miraculum quatenus erroris confirmativum; sicut influit in actum, quatenus physicum, non vero quatenus peccaminosum. Unde miraculum a suo fine distinguitur: ergo Deus potest influere in miraculum, nec tamen in errorem, aut ejus intentionem: ergo Deus potest esse causa principalis, &c.

R. n. conseq. Et dico Deum non posse in miraculum influere, quin in ejus finem simul influat. Nonne si Deus ipse immediate & nullius creaturæ intercedente ministerio miraculum operaretur in confirmationem erroris, utriusque tum miraculi, tum erroris esset causa efficiens physica? Ergo a pari de præsenti argumento. Quod enim Deus facit per Angelum in rebus quarum Angelus naturalem non habet potestatem, Deus per seipsum facit, & facere censetur. Per miraculum, sive per se immediate, sive ministerio Angeli peractum Deus doctrinam aliquam adoptat ut suam, censeturque loqui & agere quod loquitur & agit Angelus. Ergo posita præsenti ordinatione in qua Deus miraculum elegit ut veritatis ac Divinitatis sigillum, jam falsi testis esset; ac proinde non potest esse causa principalis miraculi, quin sit & erroris. Miraculum & ejus finis separari possint, vel non, Deus errorem formaliter intendat nec ne, nihil ad rem, certum est miraculum & errorem actu conjungi, certum est Deum mendacio suum sigillum actu apponere; ergo tale miraculum operando ut causa principalis, non potest non esse testis mendacii. Deus quidem influere potest & in id quod voluerit, & ut placuerit, sed rerum naturam non potest mutare. Penes liberam ejus voluntatem non stat ut miraculum non fecerit proprium Divinitatis sigillum; donec aliud edat decretum quo primam mutet dispositionem, sua semper miraculo manet natura. Uno verbo intentio nihil facit; omnia pendent a connexione. Utrobique eadem est connexio cum veritate, sive Deus per se, sive per Diabolum operetur miraculum proprie dictum. Supponamus Deum uti Dæmone velut instrumento, & ejus ope creare in nobis evidentiam quæ ex malitia Dæmonis nos in errorem induceret. Nonne Deus ipse erroris hujus causa esset principalis? Profecto; quia scilicet evide[...] data est homini ut veritatis regula. E[...]

Inst. Ex concessis Dæmon virtute [...]turali potest operari miraculum improprie dictum etiam in confirmationem erroris. Atqui tamen concurrit Deus ad miraculum illud ut causa principalis, non vero ad errorem: ergo potest esse

Deus

Deus causa principalis miraculi proprie dicti in casu præsenti, nec tamen erroris.

R. dist. min. Concurrit diverso modo & ad diversum opus: c. Eodem modo, & ad idem opus: n. 1. Potestas prædicta Dæmonum est naturalis. Deum ad physicam hujus actus entitatem posse concurrere illæsa veritate, eadem probant momenta quibus jam usi sumus modo, & quibus utuntur Theologi & Philosophi ut probent Deum ex libertatis concessione & concursu aut præmotione physica non esse auctorem peccati. Ad miraculum improprie dictum sicut ad omnia munia naturalia naturali potestate sibi sufficit Angelus. Ac proinde vitium & abusus hujus potestatis in creaturam solam refundi potest. 2 Miraculum improprie dictum non est ad veritatem semper decretorie significandam destinatum.

Inst. Miracula illa improprie dicta eandem aliquando, immo majorem in homines impressionem agunt; videnturque vera & proprie dicta miracula; ergo in principiis stabilitis Deus per utraque miracula in errorem invincibilem induceret. Ergo illæsa veracitate neutra concedere potest.

R. n. utramque conseq. Argumentum allatum nimis probat. Evinceret enim Deum removere debere ab homine quidquid per ementitam veri aut boni similitudinem, in errorem inducere potest. Si quis per vana sophismata deludatur, sibi ipsi imputet. Deus rationem homini dedit cujus ope fucatam evidentiam a vera secernere possit. Cum sophismata illa non sint a Deo data homini veritatis regula, & aliunde error per media a Deo proposita detegi possit, jam error in Deum cadere non potest. Ita si quis per præstigias, aut per stupenda Dæmonum opera nomine tenus miracula deludatur, sibi irascatur. Habet [illegible]tas regulas quibus vera miracula ab [illegible]proprie dictis distinguat.

Inst. Atqui Deus miracula proprie dicta concedendo Dæmoni ut causæ instrumentali in favorem erroris, media etiam detegendi erroris proponeret: ergo tunc in errorem saltem invincibiliter non determinaret.

R. 1. Esto totum. Propositio nostra duplici nititur momento. 1. Quod Deus esset tunc testis mendacii. 2. Quod in errorem & quidem invincibilem induceret. Esto quod secundam rationem solvat præsens hæc difficultas, primam non destruit.

R. 2. n. conseq. Media illa nusquam paris, nedum majoris roboris forent ad detegendum errorem quam miraculum proprie dictum ad errorem propinandum. Miraculum enim illud infallibilem ac necessariam ex natura sua cum veritate connexionem habet. Ergo invincibiliter homines in errorem induceret. Ergo media illa etiamsi ex natura sua ad detegendum errorem essent destinata, non majorem vim haberent quam ipsum miraculum.

R. 3. Invincibilitas erroris ab errore ipso distingui debet. Prima ex natura causæ præcise non oritur, sed ex ejus efficacia. Ex eo quod Deus apponat media, sequitur quidem Deum non inducere in errorem invincibilem, sed remanet tamen erroris causa. Porro Deo & ejus veracitati non tantum repugnat error invincibilis, sed repugnat etiam vel error quicumque, sicut Deo & ejus bonitati aut sanctitati adversatur non solum quod ad malum & peccatum nos ineluctabiliter trahat, at vero etiam Deum dedecet ut nos simpliciter trahat ad peccatum. Ergo cum media illa erroris invincibilitati, non errori opponantur, difficultatem non solvunt.

Obj. 7. Clarkiano systemati immerito imponitur circulus vitiosus. Circulus vitiosus in eo consistit quod probetur idem per idem & sub eodem respectu; ideo hoc circulo concluderetur Clarkius quod & miraculi veritatem ex doctrinæ veritate, & doctrinæ veritatem ex veritate miraculi erueret. Porro id gratis huic opponitur systemati. Neque enim doctrinæ veritatem ex miraculi veritate probat, neque miraculi veritatem ex doctrinæ veritate concludit. 1. Non miraculi veritatem ex doctrinæ veritate deducit, ut ipse diserte affirmat in suo opere. Id unum asserit miracula nihil probare nisi in antecessum doctrina sit probabilis, id est, talis sit ut per miraculum probari possit, seu ut miracula probent,

beant; requiritur ut possibile sit doctrinam probari; si enim repugnet doctrinam probari, jam miracula nihil probare vult. Hinc doctrina evidenter falsa aut evidenter vera tales non sunt ut possint probari per miraculum. Illa quidem, ut patet; hæc vero, quia hujus veritati nihil adderet miraculum. Requiritur ergo ut doctrina possit esse vera, & ut sit possibiliter vera, quo certo semel cognito, miraculum probabit eam revera & actu esse veram. Hinc miraculi veritatem deducit ex doctrinæ possibilitate quidem, non ex ejus veritate: quod in omni sententia obtinet. Etenim ponamus doctrinam Christi absurdam aut contradictoriam fuisse, quid pro eo potuissent miracula? Idem prorsus occurrit in sententia S. Thomæ. In ea enim sententia nihil faciunt miracula vel pro doctrina evidenter vera, vel pro doctrina evidenter falsa quæ aut principiis naturalibus evidentibus, aut anteriori revelationi pugnet; nec tamen circuli vitiosi incusatur illa sententia. Ergo 1. Clarkius non probat miraculorum veritatem ex veritate doctrinæ. 2. Non probat etiam veritatem doctrinæ ex miraculorum veritate. In ea enim sententia duo distinguenda veniunt, possibilitas doctrinæ, & ejus veritas. Veritas doctrinæ per miraculum constat: non item possibilitas quæ in eo consistit, ut post eum modo diximus, quod doctrina possit esse vera. Doctrinam enim posse esse veram constat eo ipso quo non constat evidenter eam esse falsam, licet non percipiatur evidenter & positive eam esse veram; porro solo rationis lumine, per propriam scientiam & evidentiam certi sumus talem vel talem doctrinam non evidenter repugnare, licet evidenter non percipiatur vera, ac proinde sola ratione duce & independenter a miraculo cognoscitur talem doctrinam esse possibilem, seu probabilem & indifferentem. Jam vero hæc doctrinæ probabilitas sola est miraculi nota per quam probatur veritas miraculorum. Unde in systemate Clarkii, doctrinæ possibilitas solo rationis lumine probatur; veritas miraculi constat ex doctrinæ probabilitate. Veritas vero doctrinæ ex miraculi veritate eruitur. In hoc nullum aliud vitium nisi quod incurrunt omnia alia systemata, ne excepta quidem sententia S. Thomæ apud quem certo certius constare debet doctrinam miraculis muniendam, neque rationi, neque anteriori revelationi contradicere, priusquam miraculis fides adhibeatur. Hæc paucis sic resumo. Ideo recurreret circulus in systemate Clarkii, quia veritatem miraculi ex veritate doctrinæ, & vice versa doctrinæ veritatem ex miraculi veritate probaret: atqui hoc falsum est. Probat enim veritatem miraculi non ex veritate, sed ex possibilitate doctrinæ; sed illa possibilitas doctrinæ non ex veritate miraculorum, sed sola ratione & evidentia independenter a miraculo constat. Ergo.

R. n. min. Et dico aut esse circulum vitiosum, aut nihil probari ex miraculo. Supponamus enim prædicari doctrinam quam vocant possibilem, probabilem & indifferentem. Supponamus ad hujus confirmationem proferri miraculum. Quæstio tunc erit & veritatem doctrinæ simul & originem miraculi definire. Miraculum dijudicabitur divinum ex veritate, vel ex indifferentia doctrinæ. Si ex primo, jam circulus vitiosus ut fateri videtur ista objectio. Et sane veram esse doctrinam & divinam esse, seu Deum illam docere ac jubere, unum & idem sunt in præsenti hypothesi. Ergo probatur divinum esse, id est, a Deo oriri miraculum, quia divina est, id est a Deo venit doctrina, & vice versa. Ergo est circulus vitiosus. Jam vero ex indifferentia doctrinæ nihil probari potest, nec certo concludi divinam esse miraculi originem. 1. Enim eo ipso quo doctrina est indifferens, eo ipso necessariam ac certam non habet cum veritate connexionem, ac proinde tam falsa quam vera esse potest; eo ipso etiam tam vera quam falsa, id est tam divina, quam diabolica fieri possunt pro ea miracula. Ergo miraculum tunc nihil probat. Supponamus enim doctrinam illam indifferentem, revera falsam esse. Miraculum tunc nihil evincit. Ergo ubi doctrina est indifferens & potest esse tam vera quam falsa, miraculum nihil probat, donec certo constet doctrinam illam veram esse. Ut enim aliquid evinceret, deberet vel probare in-

dependenter a doctrina, ac proinde per se; vel nusquam posse fraudi & mendacio inservire: Sed in sententia Clarkii miraculum per se nihil probat; ex se veritati & falsitati ex æquo deputari potest. Ergo non magis probat pro doctrina indifferenti quam pro doctrina falsa. Deinde cum doctrina sit indifferens & indeterminata, jam eam miraculum itidem ex se indifferens determinare non potest ad veritatem. Ut enim definiatur miraculum ex doctrina, doctrina ipsa jam deberet esse determinata ad veritatem independenter a miraculo; sicut ad dijudicandam doctrinam ex miraculo, miraculum debet esse determinatum ad veritatem independenter a doctrina; ex duobus enim æqualiter indifferentibus, nihil potest fixum & determinatum haberi. Ergo veritas doctrinæ indeterminata non potest determinari per miraculum, nisi supponatur miraculum ex se ad veritatem determinatum, ac proinde per se probare. Aut ergo miraculum verum, id est, divinum ex veritate doctrinæ judicatur; & est circulus vitiosus, aut miraculum tale esse concluditur ex indifferentia doctrinæ, & tunc nihil probatur, sed supponitur quod est in quæstione.

Inst. Atqui nullus est circulus vitiosus. Nam probatur veritas miraculi ex indifferentia, seu possibilitate & probabilitate doctrinæ; veritas vero doctrinæ ex veritate miraculi jam stabilita per indifferentiam doctrinæ: atqui in hoc nullus volvitur circulus vitiosus. Ergo.

R. n. min. Et dico ex doctrina nihil inferri posse pro miraculo nisi ex ejus veritate arguatur. Nam in hac sententia miraculum ex se indifferens est ad veritatem & falsitatem, quandoquidem a Deo, ab Angelo bono & a malo per æque oriri possunt. Sed quod ex se indeterminatum est & indifferens ad veritatem sicut ad falsitatem, determinari non potest ad veritatem per aliquid quod æque ac miraculum est indeterminatum & indifferens ad veritatem; ergo ut ex doctrina aliquid concludatur pro miraculo, doctrina supponi debet aliquo saltem modo determinata ad veritatem; sed non potest supponi quocumque modo determinata ad veritatem, nisi supponatur vera, nec vera quin describatur circulus vitiosus. Ergo.

Inst. Indifferentia miraculi determinatur ad veritatem per indifferentiam & probabilitatem doctrinæ tanquam per conditionem, non tanquam per notam; seu indifferentia doctrinæ est tantum conditio sine qua miraculum nec esse verum nec probare posset, non vero est nota veri miraculi positive distinctiva.

R. Quid ad rem? Quamcumque assignaveris doctrinam indifferentem, pro ea & contra eam sicut fieri possunt, sic fiunt miracula; idem dicendum, licet doctrina indifferens quoad vos sit in se falsa. Undenam dignoscentur divina? ex possibilitate doctrinæ? Æque possibilis est doctrina respectu miraculorum omnium, quæ tamen supponuntur opposita. Quandiu doctrina remanet indifferens, nihil facit pro miraculo, cum pro ea, & contra eam fieri possint miracula. Ultro fatemur ad exerendam vim quam habet miraculum ad probandum, prærequiri ut doctrina quam astruit, possit probari & probationis sit capax; fatemur doctrinam a Christo evulgatam miraculis nusquam fulciri potuisse si fuisset absurda; sed 1. fatendum est meram conditionem determinando ad veritatem miraculo inservire non posse. 2. Licet indifferentia doctrinæ sit tantum conditio, quæro an determinet miraculum ad veritatem, nec ne. Si primum: ergo jam ipsa determinata debet esse, non indifferens. Si secundum: semper remanet requiri aliquid quod miraculum e nativa sua indifferentia excutiat. Illud quod miraculum sic ex se indifferens determinat, debet esse simul & ab eo distinctum & veritati intrinsecum. Quodnam illud erit? An numerus? an splendor miraculorum? Hæc a miraculo non distiguuntur & ejus veritati sunt extrinseca. Possunt quidem evincere fraudem in actione non irrepsisse, opus revera fuisse patratum, testes ejus uno verbo non fuisse deceptos; at nihil ultra. Cæterum quidquid sit, semper concludendum maneret ex doctrina nullam erui posse miraculi veritatem eo ipso quo est indifferens, & nisi supponatur aliquo saltem modo ipsa ad veritatem jam determinata.

Inst.

Inst. Atqui sufficienter determinatur veritas miraculi per indifferentiam doctrinæ. Etenim et iamsi absolute loquendo fieri possint miracula pro doctrina indifferenti, sed falsa in rei veritate, Deus pro sua providentia ea permittere non posset. Ergo veritas miraculi sufficienter determinatur ex indifferentia doctrinæ juncta cum divina providentia.

R. 1. Jam monui gratis hic advocari providentiam Dei. In tantum divinæ interest providentiæ arcere miracula a doctrina indifferenti primo aspectu, sed falsa in rei veritate, in quantum summa ejus veracitas sponsor esset veritatis in tali miraculo; sed cum miraculum nullam habeat veritatem sibi essentialem, sed ad eam indifferens sit, jam Deus ejus sponsor non est; penes hominem stat miraculum discutere. Uno verbo, eo ipso quo miraculum est de se ad veritatem indifferens, jam non est per se tessera veritatis, per se non impellit ad assensum; eo ipso quo miraculum non est per se tessera veritatis, nec per se ad assensum impellit, jam in discrimen non adducitur Dei providentia. Ergo hæc immerito hic prætexitur, nisi prius miraculum ad veritatem sit determinatum. Absente enim hac determinatione, error non est necessarius, nec in Deum, sed in homines & in eorum præcipitationem aut præjudicia refundendus.

2. Eo ipso quo Deus pro sua providentia ne permittere quidem potest ut fiant miracula pro doctrina quæ videtur indifferens, sed quæ falsa est in rei veritate, jam inutile est tantopere ad indifferentiam doctrinę recurrere; sufficiebat simpliciter assumere momenta quæ astruunt impossibilitatem miraculi pro doctrina falsa. Non ideo indifferentia doctrinæ veritatem miraculi probat ac determinat, quia Deus non potest permittere miracula pro doctrina indifferenti, sed falsa realiter; sed quia simpliciter ac independenter ab illa determinatione Deus non potest istud permittere. Ratio enim impossibilitatis hujus permissionis desumitur ex falsitate doctrinæ.

3. Via æque plana & facilis fuisset, si cum S. Thoma dictum fuisset miraculum a Deo errori concedi non posse, quia miraculum per se veritati deputatur. Longe enim facilius & rationi consentaneum magis providentiam Dei usurpare ex principio certo ac inconcusso & intime cum ea connexo, quam ex re dubia & providentiæ omnino peregrina. Porro certum est, ex probatis, & ex unanimi omnium sensu ac propensione, ex primæva ac omnibus congenita idea miraculum verum ac proprie dictum esse per se tesseram veritatis; e contra novum est & dubium quidquid hic commemoratur de doctrina illa indifferenti & miraculo ad veritatem indeterminato. Deinde principium illud veritatis miraculo intrinsecæ intime connectitur cum impossibilitate miraculi cum falsa doctrina conjuncti, cum impossibilitate, inquam, tum ex natura miraculi, tum ex providentia Dei, quia Deus non potest nos impellere ad errorem invincibilem, non ita principium adversariorum.

4. Denique eadem momenta quæ astruerent Deum non posse permittere miraculum pro doctrina indifferenti, sed falsa in se, eadem momenta evincunt Deum simpliciter & in nullo casu posse permittere miracula in patrocinium doctrinæ falsæ. Momenta illa sunt ex una parte natura miraculi & ejus destinatio, ex altera vero propensio invincibilis ad assentiendum miraculo vero, ex alia demum summa Dei veracitas, justitia, sapientia, &c. quæ momenta obtinent in omni hypothesi & independenter ab influxu indifferentiæ doctrinæ. Ergo.

Inst. Idem circulus reperitur in sententia quæ miracula proprie dicta Diabolo negat. Nam in illa sententia miracula quæ fierent pro falsa doctrina, nihil pro ejus veritate evincunt; si vera sit doctrina, aut si nec vera nec falsa appareat, tunc tantum probant miracula. Ergo.

R. n. ant. In nostra sententia miraculum contra doctrinam vel evidentia naturali, vel anteriori revelatione notam, nullius est roboris, non quia verum & proprie dictum miraculum fieri possit contra talem doctrinam; sed quia ex eo quod fiat contra eam, jam certum est indicium miraculum illud non esse verum & proprie dictum. In alieno systemate, contra hujuscemodi doctrinam di-

vinam fieri potest miraculum, non quidem divinum, sed miraculum proprie dictum. Apud nos omne miraculum proprie dictum veritatis est tessera; nullum miraculum proprie dictum, nisi divinum; nullum consequenter fieri potest tale miraculum contra doctrinam veram vel ex evidentia vel ex revelatione notam. Melius nostram sibi cohærere putavimus sententiam. Cæterum, modo veritas & Religio sint in tuto, contraria sentienti, nullam litem nisi Theologicam movebimus.

Obj. 8. Deus permittendo miraculum contra veritatem permitteret errorem invincibilem: atqui id potest Deus salva sua veracitate. Tam enim potest Deus permittere errorem invincibilem, salva sua veracitate, quam permittere motus indeliberatos salva sua sanctitate.

R. n. min. & prob. Errorem ex miraculo non tantum permitteret, sed etiam positive ac directe efficeret Deus. Deinde permittendo motus indeliberatos, permittit id quod fluit ex natura & constitutione hominis: sed error in casu proposito nedum fluit ex hominis constitutione, immo ipsi repugnat. Ergo. Nunc miraculi energiam sollicitemus.

QUÆSTIO IV.

De vi & efficacia Miraculi ad probandum.

Miraculo vim inesse probandi, nemo sanæ mentis negaverit aut huc usque negavit. Undenam autem oriatur, cui, & quomodo miraculo conveniat hæc efficacia, hæc est quæstio hic jam discutienda & dirimenda. Ex iis quæ jam disputavimus patet in eo positum esse inter Theologos de miraculo dissidium quod alii velint illud a Deo solo oriri posse, alii vero nativam ejus patrandi potestatem Dæmoni adscribant. Hinc qui pro ultima stant sententia distinguunt inter miraculum divinum & diabolicum, voluntque soli miraculo divino vim inesse probandi, ac proinde miraculum per se nullam vim aut efficaciam habere, sed eam totam ab ejus authore, seu ex eo quod sit divinum mutuari. E contra qui miraculi veri ac proprie dicti potestatem Dæmoni omnino denegant, contendunt miraculo sic concepto congenitam & per se efficaciam competere; licet fateantur miraculum improprie dictum totam suam vim probatricem ab authore suo, id est a divina sua origine habere. Hic ergo agitur tantum de miraculo proprie dicto. Hinc

CONCLUSIO.

Verum & proprie dictum Miraculum per se habet vim probandi.

Prob. 1. Ex textibus hucusque prolatis. Hoc argumento in se sumpto usus est Christus, usi sunt Apostoli, usi sunt etiam omnes Religionis nostræ Apologistæ & defensores; huic argumento etiam in se sumpto consenserunt omnes quotquot Christo nomen dederunt, ac proinde totus orbis. Jam vero nisi miraculum per se probet, fieri non potest ut ex una parte inani argumento tam assidue hæserint primi, ex altera vero huic cedere coacti fuerint secundi. Ergo.

Prob. 2. Ex probatis miraculum proprie dictum ex nativa sua significatione veritati testificatur: est a Deo solo ut causa efficienti; Dæmoni committi non potest, etiam ut causæ instrumentali, in confirmationem erroris. Ergo certam per se & ex natura sua cum veritate habet connexionem. Ergo per se probat.

Et certe illa miracula per se probant, id est, per se vim probandi habent quæ sunt per se Dei ipsius loquela & testimonium: atqui miracula sunt per se Dei ipsius loquela & testimonium: Ad hoc enim satis est quod Deus possit uti miraculis veluti signis quibusdam exterioribus ad manifestandas sublimes quasdam veritates, & hoc ipso miraculum fiat per se & ex natura rei Dei ipsius loquela & testimonium: atqui hæc duo vera sunt.

1. Quidem potest nobis manifestare, &c. Ad hoc enim satis est quod multæ sint veritates cognoscibiles quæ naturali nostro lumini sint imperviæ, & Deus possit velle nobis eas manifestare, atqui hæc duo vera sunt. Primum: multæ sunt veritates quibus attingendis

ibi non sufficit lumen naturale. Negare enim non possunt Deistæ Deum posse exigere a nobis cultum & magis determinatum & magis perfectum eo quem nos docet ratio naturalis; nemo etiam audeat asserere Deum nihil amplius a nobis expostulare posse quam quod lumine naturali innotescit. Multa equidem nobis tradit lex & Religio naturalis; at multo plura ac nobiliora cognoscenda relinquit ac subodorari facit. Ergo plures sunt veritates quibus detegendis impar est ratio naturalis. Secundum: Deus potest velle sublimes illas veritates nobis manifestare per miracula. Ut enim jam probavimus, Deus rebus humanis præsidet; fatentur recentiores Deistæ Deum rerum nostrarum curam gerere; observandam esse legem naturalem, & huic & ejus observationi Deum invigilare. Jam vero, ex modo probatis, multo plura potest Deus manifestare quam quæ ratione naturali nota sunt. Ergo Deus ex cura quam rerum nostrarum gerit, potest velle nobis ista manifestare. Et certe Deum non dedecet plura & uberiora auxilia homini impertiri quam ea quæ haurit ex lege naturali, quibus clarius, promptius & perfectius sibi data officia cognoscat. Denique jam probavimus, ubi de possibilitate revelationis, Deo parem ac sufficientem inesse potentiam excogitandis signis quibus cogitationes suas homini tradat. Ergo Deus potest velle nobis manifestare veritates illas sublimes. Jam vero cum veritates illæ sint supernaturales, eas non potest Deus transmittere nobis nisi signis supernaturalibus. Cum enim veritates illæ sint supernaturales, eas penetrare non potest ratio. Ergo nec signum naturale potest eas manifestare. Uno verbo veritates illæ sunt distinctæ & diversæ a veritatibus naturalibus: ergo ad eas tradendas requiruntur signa & media extraordinaria a mediis & facultatibus nostris naturalibus distincta & diversa. Ergo Deus potest velle nobis manifestare veritates illas sublimes per miracula.

2°. Hoc ipso miracula fiunt per se Dei ipsius loquela & testimonium. Nam hoc ipso quo Deus miraculum elegit in signum supernaturale & extraordinarium quo veritates illas nos docet, jam miraculum fit Dei ipsius loquela. Porro Dei loquela & testimonium per se probat. Ergo & miraculum proprie dictum per se probat.

Prob. 3. Opera Dei naturalia per se divinam evincunt sapientiam, potentiam, &c. Ergo a pari opera supernaturalia & præter ordinem totius naturæ per se probant manum Dei omnipotentis. His argumentis hæc duo adde. I. Ex probatis miraculum proprie dictum esse ex se & ex natura sua veritatis & divinitatis sigillum. Ergo ex se & ex natura sua vim probandi habet. II. Pagani non alia ratione tantam fidem suis prodigiis adhibebant, nisi quia intime persuasi erant miracula vera per se probare.

Obj. 1. Illud per se non probat, quod per se nullam habet connexionem cum veritate: atqui miraculum nullam per se habet connexionem cum veritate. Illud enim nullam per se habet connexionem cum veritate, quod cum doctrina consociatur ex solo hominis testimonio: atqui miraculum cum doctrina consociatur ex solo hominis testimonio. Ergo miraculum nullam per se habet connexionem cum veritate.

R. n. secund. maj. Miraculum proprie dictum, de quo solo hic agi monuimus, per se habet connexionem cum veritate, licet doctrinam & miraculum consociet hominis testimonium. Quamvis enim miraculum per se & independenter ab hominis testimonio connexionem non dicat cum tali vel tali doctrina, posito tamen illo testimonio, connexionem dicit cum veritate hujus vel illius doctrinæ. Ex probatis enim miraculum per se est Dei ipsius loquela & testimonium; per se cum veritate generatim conjungitur, ne mendacio inserviat vetant Dei attributa, sapientia nempe, bonitas, justitia, veracitas, &c. At ea momenta, eademque attributa vetant ne miraculi operator illud cum tali, vel tali doctrina falsa consociet. Eo ipso enim quo miraculum per se generatim veritati destinatur, eo ipso per se repugnat tali vel tali doctrinæ falsæ conjungi. Qui enim sic miraculum & doctrinam falsam consociaret, esset nihilominus Dei & ejus consiliorum interpres, fidei

fidei sibi debitæ litteras proferret; Dei que potestatem pro tali casu sibi concessam depromeret miraculum proprie dictum edendo. Ergo Deus fieret in casu dato doli & mendacii assertor; quod vetant Dei sapientia, veracitas, &c. Ergo eadem attributa quæ vetant ne miraculum proprie dictum mendacio inserviat, prohibent etiam ne hominis testimonium miraculum & falsam doctrinam consociet. Unde posset distingui maj. Illud nullam per se habet connexionem cum veritate quod cum doctrina, id est, cum doctrinæ veritate generatim consociat unicum hominis testimonium: c. Quod cum doctrina tali, aut potius cum talis vel talis doctrinæ veritate consociat: n. Homo consociat miraculum cum doctrina tali vel tali; non vero cum veritate doctrinæ generatim. Et eo ipso independenter ab ejus testimonio miraculum habet per se connexionem cum veritate.

Inst. Atqui eo ipso quo hominis testimonium miraculum consociat cum tali doctrina, jam non per se habet connexionem cum veritate. Illud enim tunc non habet connexionem cum veritate quod per se auctoris sui intentionem non manifestat: atqui eo ipso quo hominis testimonium miraculum consociat cum tali doctrina, jam miraculum per se auctoris sui intentionem non manifestat. Tunc enim homo solus miraculum & doctrinam consociando, auctoris sui intentionem prodit & declarat. Ergo eo ipso, &c.

R. n. maj. Ex mox data responsione. Quamvis enim miraculum per se non dicat expresse Deum hæc vel hæc intendere, talem vel talem doctrinam esse veram, connexionem nihilominus habet per se cum veritate hujus vel illius doctrinæ. Attenta scilicet Dei providentia, consideratis ejus attributis, perspecta miraculi natura non magis Deus permittere potest miraculum proprie dictum & doctrinam falsam consociari per testimonium hominis, quam concedere generatim hujusmodi miraculi potestatem pro dolo & mendacio.

Inst. Atqui miracula nullam per se connexionem dicunt cum veritate. Nam Miracula arguunt tantum potentiam, non vero veracitatem auctoris sui. Ergo nullam per se connexionem, &c.

R. n. ant. Miraculum arguit simul auctoris sui potentiam & veritatem. Potentiam quidem; quia superat vires totius naturæ creatæ; veracitatem vero, quia ex institutione Dei est ejus loquela & testimonium.

Inst. Religio cujus gratia fit Miraculum, vel rerum essentiis nititur, vel arbitraria Dei volitione: atqui in utroque casu miraculum nihil evincit. Nam si Religio nitatur rerum essentiis, jam ratio sola independenter a miraculo hanc Religionem cognoscere poterit. Ergo tunc miraculum est inutile. Si vero Religio nitatur arbitraria Dei voluntate, nullius est roboris miraculum. Ens enim quod nullam aliam agnoscit & sequitur regulam nisi propriam & arbitrariam voluntatem, non potest, etiam ope miraculorum, probare id verum esse quod testatur. Nec omittendum miraculum ipsum esse factum arbitrariæ voluntatis. Unde sic: miraculum non adducitur nisi ad asserendam Religionem arbitraria Dei voluntate institutam: atqui ens quod arbitraria tantum voluntate agit, nullum potest facere miraculum quod cum sua veracitate per se connectatur. Ergo miraculum arguit tantum auctoris sui potentiam, non vero veracitatem.

R. dist. maj. Miraculum non adducitur nisi ad asserendam Religionem arbitraria Dei voluntate institutam; voluntate, inquam, arbitraria quantum ad Religionis manifestationem & cultum externum positivum: c. voluntate arbitraria quantum ad rerum substantiam & veritatum essentiam: n. Itaque 1. in Religione quæ arbitraria Dei voluntate instituitur, duo sunt distinguenda, veritates nempe quas tradit Religio, & cultus forma, seu cultus externus positivus. 2. Veritates illæ possunt adhuc sub duplici respectu considerari, nempe quantum ad earum manifestationem & quantum ad earum substantiam & essentiam. In instituenda Religione voluntas Dei non est arbitraria quantum ad rerum seu veritatum substantiam & essentiam. Hoc evidens est. Res enim & veritates illæ sunt mysteria & principia moralia quorum essentia arbitrariæ Dei

vo-

voluntati non subjacet. At formam cultus positivi & externi, sicut & manifestatio veritatum ex quibus resultat Religio, arbitrariæ Dei voluntati subjiciuntur, quia Deus ex summa libertate potuit veritates illas manifestare vel non; cultum illum instituere, vel non; & ad hæc asserenda adducitur miraculum, nec immerito. Nam multæ sunt veritates quas ratio sola nunquam deteget, saltem certo & indubitanter. Tales sunt illæ quæ unice pendent a libera Dei voluntate ut præmia, vel supplicia alterius vitæ. Occurrunt etiam mysteria & omnes veritates supernaturales quibus assequendis impar est ratio. Cum ergo hæc non possint a nobis cognosci in se ipsis, sed tantum per revelationem divinam, adesse nobis debet certum aliquod signum quo constet Deum hæc revelasse. Porro miraculum est illud signum ex probatis. Ergo.

Inst. Deus pluribus in locis S. Scripturæ supra prolatis prohibet ne miraculis credamus: ergo miracula non habent per se connexionem cum veracitate Dei.

R. dist. ant. Ne credamus miraculis improprie dictis: c. Proprie dictis: n. Ex probatis miracula de quibus agitur in textibus illis, sunt tantum miracula improprie dicta; & in hæc miracula cadit Dei prohibitio. Porro ex eo quod adulterinam miraculorum speciem exauctoraverit Deus, non sequitur vera & germana miracula omni robore & auctoritate esse destituta. Ergo.

Inst. Ex concessis fieri possunt in erroris patrocinium miracula improprie dicta, quæ vera nobis videbuntur. Ergo miraculum per se non probat.

R. 1. retorq. Fiunt quotidie sophismata & veritatis ac evidentiæ fuco illita argumenta, quæ vera ac evidentia nobis videntur, licet vere evidentia non sint. Ergo veræ rationes aut legitima evidentia nihil probant.

R. 2. n. conseq. Inde enim sequitur vera a falsis miraculis secernenda esse, non vero vera miracula nihil probare.

Inst. Si creationem, id est miraculum in quo aliquid de novo creetur, excipias; nihil est in miraculo undenam scire possimus an a Deo, an a Diabolo veniat. Unde. Illud per se non probat, quod per se non cognoscitur a Deo venire: atqui in miraculo nihil est quo possit cognosci an a Deo veniat. Ergo.

R. 1. retorq. Illud per se non probat quod per se non cognoscitur esse a Deo: atqui evidentia per se non cognoscitur a Deo venire. Non cognoscitur enim adesse vera evidentia, nisi ex signis quibusdam exterioribus.

R. 2. n. maj. Aliud est per se non cognosci & aliud per se non probare. Vis probandi pendet a connexione cum veritate. Per se cognosci, importat immediatam perceptionem & visionem rei. Porro modus cognoscendi rem aliquam nihil dicit ad connexionem ejusdem rei cum veritate.

R. 3. Falsum est, ex probatis, nihil esse in miraculo unde cognosci possit an a Deo veniat.

Obj. 2. Illud per se non probat, quod omnes perinde Religionis cujusvis cultores asserunt & rejiciunt: atqui omnes cujusvis Religionis cultores miraculum perinde asserunt, &c. Ergo, &c.

R. 1. dist. maj. Quod omnes asserunt & rejiciunt cum legitimo fundamento: c. Secus: n. Quod aliquæ societates vera sibi arrogent miracula, nulla res est. Sicut quod supremam potestatem quidam sibi prætendant, nihil est. Tota quæstio in eo versatur, nempe an id jactitent jure ac merito.

R. 2. transeat totum arg. In nostra propositione agitur de jure; scilicet de miraculo vero & proprie dicto in genere; in objectione agitur de facto, id est, de tali vel tali miraculo in particulari. Ab uno ad alterum non valet consequentia. Sequitur quidem quosdam male applicare principium generale, non vero principium illud esse falsum. Iterum atque iterum dico: ad certos caracteres confugiendum tunc est, ut veritas in aprico ponatur.

Inst. Atqui licet aliquæ Religiones sua asserant miracula immerito, miraculum nihil probat. Enimvero sanctitatem morum & doctrinæ veritatem ex Ecclesiæ notarum albo expungunt fere omnes hoc solo titulo quod aliæ sectæ, licet immerito, eam sibi arrogent. Ergo a pari

eo ipso quo plurimæ Religiones miracula sibi jactant, etiam immerito, jam nullam vim probandi habent. Sicut enim veritatem doctrinæ habere & veram esse Ecclesiam unum & idem sunt, nec unum per aliud probari potest nisi circulo vitioso, ita a pari Religionem esse revelatam & esse firmatam miraculis, unum & idem sunt. Religionem enim esse a Deo, nihil aliud est quam Deum significasse se velle hoc vel illo cultu adorari; sed pariter Religionem esse miraculis confirmatam, nihil aliud est quam Deum signis demonstrasse & significasse se velle hoc vel illo cultu coli. Ergo valet paritas. Ex his sic argumentari licet. Veritas doctrinæ & morum sanctitas hoc ipso non sunt notæ veræ Ecclesiæ quod plurimæ sectæ eam sibi vindicent, licet immerito. Ergo nec miraculum est veritatis sigillum hoc ipso quod plurimæ Religiones miracula vera sibi arrogant, licet immerito.

R. n. conseq. & parit. Disparitas est quod nota debeat esse distincta a re cujus est nota. Hinc cum veritas doctrinæ non sit distincta a veritate Ecclesiæ, sed habere veram doctrinam sit idem ac esse veram Ecclesiam, jam qui sibi hanc notam arrogant, licet immerito, revinci non possunt nisi petitione principii & quæstionem supponendo, aut ponendo aliquid incertum: ita veritatem doctrinæ variæ sibi arrogant sectæ ut facile, nec sine operosa discussione convinci possint. Hic autem omnia plana, quantum ad miraculum, sive quoad jus sive quoad factum. Quoad jus quidem, quod in eo consistit, an talis effectus, sit vere miraculum. Porro hoc facile cognoscitur argumento. Miracula sive Mosis, sive Christi, sive Apostolorum talia sunt, ut a Dæmone, aut ab humana fraude oriri non possint: tali miracula invicte probant. Ergo. Quoad factum autem, eadem via constare possunt ac quodlibet factum Historicum. Pariter sanctitas morum, si intelligatur de sanctitate quam docet aliqua Religio, & agatur de principiis distinctis a principiis naturalibus, sanctitas illa unum & idem est cum veritate Religionis, vel nullam habet connexionem cum veritate. Sanctitas vero morum personalis nihil ad veritatem Religionis conducit, utpote quæ & nullam connexionem cum ea habeat: at vero res non ita se habet de miraculo. 1. Enim cum sit opus sensibus subjectum, distinguitur a Religione cujus est signum. Etiam non discussa aut perspecta veritate Religionis cujusvis, hæc duo possunt constare. 1. Opus tale esse miraculosum; 2. Opus illud revera patratum fuisse. Deinde miraculum proprie dictum connexionem habet cum veritate per se posita institutione divina. Deus enim veritatem Religionis pendere non fecit ex colentium fidelitate, sed elegit miraculum ut extraordinarium suæ voluntatis signum & sigillum.

Inst. Atqui ex eo quod veritas doctrinæ non sit legitima Ecclesiæ nota hoc ipso quod plurimæ sectæ eam sibi usurpant, licet immerito, sequitur miraculum non esse veritatis sigillum, hoc ipso quod plurimæ Religiones illud sibi vindicant, licet immerito. Ideo enim veritas doctrinæ non est nota legitima quia revinci non possunt qui eam sibi vindicant, licet immerito, quin supponatur quæstio; atqui pariter revinci non possunt qui miracula sibi arrogant, licet immerito, nisi supponatur quæstio. Sicut enim veram habere doctrinam & veram esse Ecclesiam unum & idem est, sic Religionem esse veram seu revelatam & eam esse miraculis confirmatam, unum & idem sunt.

R. n. min. ad prob. dico non idem esse Religionem esse veram, id est, revelatam & eam esse miraculis confirmatam. Religionem enim esse revelatam nihil aliud est quam Deum declarasse se velle hoc vel illo modo coli; Religionem vero illam esse miraculis confirmatam, nihil aliud est quam Deum signis exterioribus & sensibilibus declarasse se velle hoc vel illo modo coli: porro signum exterius quo alicui loquitur & voluntatem suam manifestat, non est idem cum aliis signis exterioribus quibus testatur se huic vel illi esse locutum. Ergo.

Obj. 3. Ideo miracula vim probandi per se haberent, quia alias Deus nos induceret in errorem invincibilem. Jam vero non repugnat in omni circumstan-

tia

tia Deum inducere in errorem etiam invincibilem. Scilicet fieri potest ut error ille invincibilis sit pœna alicujus peccati, v. g. originalis. Quin immo fieri potest ut nullo præcedente peccato, nullo etiam sequente demerito, error ille sit nostræ naturæ appendix; sic belluæ patiuntur miserias absque ullo præcedente peccato, sicut absque ullo subsequente demerito. Quod si error ille possit nos torquere absque ullo precedente peccato, quanto magis præcedente peccato originali. Et certe docent multi Theologi Deum in pœnam præcedentis peccati posse denegare gratiam ad bonum; fatentur iidem Theologi hominem tunc excusari a culpa, id est, hominem illum non peccare in illo actu quem elicit absente gratia; nam absente gratia necessitatur; ergo a pari potest Deus denegare gratiam ad verum. Error ille utpote necessarius non erit peccatum. Homo ille necessitaretur ad falsum. Ergo tunc propensio qua inclinaremur ad assentiendum miraculis, nihil magis probaret quam propensio qua inclinaremur ad assentiendum concupiscentiæ in prædicta hypothesi. Ergo ex omni parte non repugnat error necessarius a Deo in omni circumstantia. Sic itaque resumo. Ille error non repugnat qui potest esse vel pœna peccati alicujus, vel naturæ nostræ appendix: atqui error necessarius quo impelleremur ad assentiendum miraculis, talis esse potest. Ergo non repugnat.

R. n. min. Esto enim quod generaliter loquendo non repugnet omnino error aliquis necessarius sive in pœnam peccati, sive ut naturæ nostræ appendix, repugnat sub utroque respectu error necessarius ex miraculis. Repugnat enim quilibet error necessarius cujus auctor esset Deus & ad quem impelleret. Porro error qui oriretur ex miraculo, is esset ad quem impelleret Deus & cujus auctor foret. Sicut enim repugnat error necessarius ex sensibus, sive error ille sit pœna peccati, sive naturæ nostræ sequela, sic repugnat error necessarius ex miraculis. Sicut enim sensus dati sunt nobis a Deo ad judicandum de existentia corporum, & hoc ipso error in Deum ipsum refunderetur si adessent sensationes nec essent corpora, sic miracula data sunt nobis a Deo ad dijudicandum de existentia revelationis & hoc ipso error in Deum refunderetur si adessent miracula, nec adesset revelatio. Ergo.

Inst. Belluæ patiuntur miserias necessarias absque præcedente peccato. Ergo pariter homines possunt pati errorem necessarium absque peccato.

R. n. conseq. & parit. Disparitas est quod Deus non operetur, sed permittat miserias in belluis; dimittit eas earum conditioni; at vero Deus non tantum permitteret, sed operaretur etiam errorem in homine ex miraculis, tum quia est auctor miraculi, tum quia est auctor propensionis illius qua ferimur ad assentiendum miraculo.

Inst. Error ille esset innoxius & inculpabilis. Ergo non magis repugnat in homine quam miseriæ in belluis.

R. 1. ant. non est omnino verum, si agatur de errore in pœnam peccati actualis, ut innuunt prænotata. Error enim ille esset voluntarius in principio & in præcedenti obstinatione. Ergo non esset innoxius.

R. 2. n. conseq. Hic non quæritur utrum error ille sit innoxius, nec ne. Sufficit ut sit error & præsertim necessarius. Eo ipso enim quo est error, & præsertim error necessarius, jam est malum & afflictio hominis. Ergo repugnat bonitati Dei, sicut ejus veracitati ut sit hujus auctor & causa.

Inst. Deus potest denegare gratiam ad verum cognoscendum, sicut ad bonum agendum. Ergo potest esse in homine error necessarius & innoxius, sicut sunt miseriæ in belluis.

R. n. conseq. Deus quidem potest denegare gratiam; hinc potest permittere peccatum & errorem. Sed sicut non potest impellere ad peccatum, sic non potest inducere per se in errorem; non potest loqui falsitatem & mendacium, sicut non potest facere peccatum. Porro si miraculum esset causa erroris necessarii, cum Dei ipsius sit loquela, Deus ipse loqueretur errorem & mendacium.

Inst. Tam excæcatio in intellectu potest esse

esse pœna peccati præcedentis quam induratio in voluntate : sed posita excæcatione, error ex miraculo potest esse pœna peccati præcedentis. Nam ex indurata voluntate propter peccatum error, quo miraculo non credimus, est a nobis. Ergo ex obcæcato intellectu, error quo miraculo vim probandi inesse credimus, potest esse a nobis. Sicut enim vehementi passione abrepti, aut aliquo objecto vivide occupati nihil aliud vident, sic excæcati ob peccatum non detegunt connexionem miraculi cum veritate esse tantum apparentem.

R. n. maj. in præsenti casu. Indurata voluntas potest eo usque puniri ut non cognoscat id quod revera existit, in hoc non læduntur Dei attributa. Læderentur vero si obcæcatus intellectus videret rem ut existentem quæ non existit, dum eodem instanti impellitur a Deo ad id videndum, ut contigit in miraculo. Etiam in hypothesi peccatoris obdurati repugnat Deum ipsi proponere miraculum, & tamen errorem per illud producere, etiam in pœnam peccati: nam per miraculum manente præsente ordinatione, Deus intendit humani cordis illustrationem. Sed repugnat, eum intendere simul & humani cordis illustrationem, & ejus excæcationem operari.

QUÆSTIO V.

De Caracteribus Miraculi veri & proprie dicti.

Quicunque diabolo vera & proprie dicta tribuunt miracula, ii in assignandis caracteribus effectus supernaturales divinos ab effectibus supernaturalibus diabolicis secernere sibi proponunt. Nobis vero quibus nulli sunt effectus proprie dicti supernaturales, nisi divini, nihil nunc agendum est nisi ut miracula proprie dicta ab improprie dictis, effectus supernaturales a naturalibus distinguamus. Observandum itaque 1. inter effectus alios naturales esse, alios vero supernaturales. 2. Ut distinguatur effectus supernaturalis a naturali, observ. causam physicam & materialem semper eodem modo agere, ubi in iisdem circumstantiis physicis reperitur. Causa enim eadem manens, eadem virtute & eodem modo agens, eundem semper debet sortiri effectum. Triplex porro distinguitur circumstantia, physica nempe, moralis & vana. Circumstantia physica ea dicitur quæ relationem dicit cum corporis partium dispositione. Sic corpus quod eandem servat partium dispositionem, in eadem physica circumstantia versatur. Quod si e contra aliorum corporum actione partium configuratio immutetur, jam non est in eadem circumstantia physica. Circumstantia moralis ordinem dicit ad mores, aut voluntatem hominum, aut ad regulam morum. Ex circumstantia morali, non mutatur physica corporis dispositio. Sic si quis hominem in justo bello occidat, alter vero alterum in privato congressu, vel ex insidiis occidat; mutantur circumstantiæ morales; actus physicus occisionis semper idem manet. Denique circumstantia vana est ea quæ nullam relationem dicit cum ordine physico aut morali; nullamque consequenter novam virtutem corpori inserere potest. Obser. 3. Triplicem doctrinam plerunque distingui. Alia evidenter pia, alia evidenter impia, alia denique indifferens, possibilis & probabilis, cujus scilicet veritas aut falsitas sola ratione non innotescit. Obs. 4. Miracula supponuntur vel in conflictu aliorum miraculorum oppositorum, vel extra conflictum. His observatis, oppositæ nobis sententiæ auctores sequentes assignant veri miraculi caracteres, nempe extra conflictum, doctrinam; in conflictu, miraculorum splendorem & multitudinem. Obser. 5. Nos hucusque duplicem miraculi speciem distinxisse. Miraculum enim aliud proprie, aliud improprie dictum. 6. Vel Miraculum fit in confirmationem sanctitatis alicujus, vel fit in confirmationem alicujus doctrinæ. De hoc posteriore hic præsertim agitur. 7. Inter miracula, alia evidenter percipiuntur superare vires & ordinem totius naturæ creatæ, alia vero talia sunt ut ex æquo a causis secundis oriri possint, & independenter ab aliis produci valeant; talis est v. g. suspensio corporis alicujus inter aera. Ex dictis Deus potest uti creatura,

ti, Angelica præsertim, tanquam causa instrumentali ad miraculum. Immo Angelus potestate sibi connaturali potest multa stupenda & humanis viribus superiora; quæ quidem opera licet non sint miracula proprie dicta, possunt tamen modo esse divina & in signum alicujus veritatis dari, modo esse diabolica & pro falsitate patrari: sicque aliquando vim probandi habent, aliquando vero nullam.

Cum ergo inquiruntur caracteres veris miraculis discernendis idonei, quæstio esse potest vel de discernendo miraculo proprie dicto ab improprie dicto, vel de discernendo miraculo improprie dicto divino, ab aliis operibus diabolicis. Duplex autem hic fingi potest hypothesis. Nam in quolibet opere duo distinguenda sunt, ejus nempe substantia & modus. Vel ergo operis substantia aut saltem modus tales sunt ut evidenter superent vires totius naturæ creatæ, vel non tales sunt. Unde duo hic a nobis sunt præstanda. 1. Aperiendi sunt caracteres quibus opus proprie supernaturale, id est, miraculum proprie dictum ab effectu mere naturali distinguitur. 2. Assignandæ sunt notæ quibus miracula improprie dicta divina, id est, opera Dei jussu a bonis Angelis patrata, ab operibus diabolicis secerni possint. Hos omnes caracteres sequentes enuntiabunt Conclusiones:

CONCLUSIO I.

Effectus naturalis ille est qui juxta naturæ cursum constanter & uniformiter sequitur ex sola Corporum actione in eadem circumstantia physica positorum.

PRob. Cum effectus ille semper sequatur ex physica corporum actione, manifestum est eum oriri ex eorundem corporum vi nativa & physico influxu. Sic videmus calcem aqua semper inflammari, &c.

CONCLUSIO II.

Effectus naturalis ille est qui Hominibus vel per se vel per aliud naturale possibilis est.

PRopositio illa evidens est.

CONCLUSIO III.

Effectus supernaturalis est cum sequitur ex circumstantiis moralibus aut physicis, quæ nullam efficaciam habent ad talem effectum producendum.

PRob. Circumstantiæ morales sunt volitio, intentio hominum. Si, v. g. morbus sanetur sola voce, solo nutu. Aut si ad hominis alicujus voluntatem unda vel aer serviant ad sustentanda corpora. Dixi: quæ nullam habent efficaciam, &c. Sic sola voluntate anima humana proprium agitat corpus quodam motu, nec tamen est miraculum, quia volitio animæ naturalem habet, ex decreto Dei, dispositionem & efficaciam ad hunc effectum. Idem dic de circumstantiis physicis. Tunc enim manifestum est effectum non oriri a causis naturalibus, utpote cum quibus nullam relationem habet: Ergo oritur ab aliqua causa supernaturali. Ergo supernaturalis est.

CONCLUSIO IV.

Effectus quantumvis stupendus contra Doctrinam jam certo notam vel ex evidentia, vel ex anteriori Revelatione, non est verum & proprie dictum Miraculum.

PRob. Effectus talis fieret contra evidentiam ipsam vel intrinsecam, vel extrinsecam. Porro miraculum proprie dictum, utpote opus divinum, non potest fieri contra talem evidentiam. Aut enim tunc esset duplex ordo veritatis, id est una & eadem propositio vera esset in ordine naturali; falsa vero in supernaturali; aut Deus seipsum negaret & falsitatis testis esset. Utrumque repugnat tale miraculum: jam effectus prædictus non est miraculum proprie dictum.

CON-

trocinium dogmatis impii & evidenter falsi, etiamsi vera sint, quocumque numero & splendore edita nihil evincunt. 2. Non probant esse divinum, seu oriri a divina & infinita potentia. Majorem enim, non supremam potentiam arguit numerus aut splendor. Si enim diversi sint Angelorum ordines tum bonorum tum malorum; si Angelus superior majorem inferiori Angelo habeat potestatem, jam splendidius miraculum a superiori Angelo oriri poterit. Centies vel millies idem repetatur opus, non erit nisi repetitum ejusdem potentiæ exercitium. Hinc in opposita sententia quo volueris numero & splendore edantur miracula, semper prudens adhærescere debet dubium an a Deo, an a Dæmone oriantur.

Prob. 2. ex impossibilitate notas illas acquirendi 1. Enim quis scit quot & quanta pro errore fieri possint miracula? Quis hoc in dato quolibet casu particulari determinare possit? 2. Si dicas quo tempore a falsis doctoribus edentur miracula, statum plura & majora Deum oppositurum esse, quis cognoscet & determinabit quantum temporis intervallum inter utriusque speciei opera interponi voluerit Deus? Quis enim conjicere potest quandiu & quousque homines probare decreverit Deus? Visis ergo splendidissimis miraculis tandiu suspensos tenere licebit animos quousque certum fit nulla majori numero aut splendore patranda esse deinceps miracula. Forsan enim contra hanc vel illam doctrinam miraculo obfirmatam alia edentur miracula numero & magnitudine priori miraculo aut paria, aut superiora 3. Miracula quæ per se non probant, non possunt probare ratione numeri & multitudinis. Hic profecto a sensu distributivo ad collectivum valet consequentia. Denique deberet determinari quodnam ex patratis prodigiis sit splendidius; jam vero rusticus hæc discernere non magis poterit quam verisimilitudinem & probabilitatem doctrinæ. Sæpe enim vix latum unguem unum miraculum alterum superat & excedit.

Prob. 3. ex absurdis 1. In illa sententia, fatentibus hujus patronis, necesse est doctrinam cognosci ut possibilem, id est, necesse est ut in antecessum cognoscatur doctrinam illam posse esse veram. Jam vero ex omnibus Theologis mysteria Religionis supernaturalis sicut positive non cognoscuntur impossibilia, ita solo lumine naturali & antecedenter ad revelationem legitime comprobatam mysteria illa non positive cognoscuntur possibilia. Quin immo posita revelatione negative tantum demonstrari possunt. Ergo antecedenter ad revelationem, ac proinde, antecedenter ad miraculum revelationis probativum, mysteria non cognoscuntur possibilia, 2. Supponamus hodie fieri pro doctrina indifferenti miraculum diabolicum; v. g. febrem sanari; fieri vero ex opposito a Deo miracula splendore & numero superiora; quæro an Dæmon naturali virtute ac physica potentia possit opera illa facere hoc numero & splendore, an vero non possit. Si possit, jam ad substantiam operis, non ad ejus splendorem, aut numerum recurrendum est. Præterea nulla ratio reddi potest cur talia operari non possit Dæmon in conflictum, nisi forte quia a Deo impeditur in conflictu: atqui longe rationi magis consonat Dæmonem impediri ab opere simpliciter, quam ab opere tali numero & splendore, cum opus illud in se, non vero ratione numeri, aut splendoris sit veritatis sigillum. Ergo Dæmon impediri debet ab opere præcise. Ergo inutile est recurrere ad numerum & splendorem. Si vero ea opera Dæmon possit tali numero & splendore, inutile adhuc est recurrere ad illum splendorem & numerum, velut quid Deo proprium. Quod si possit Diabolus tale opus extra conflictum, non in conflictu: ergo opus quod heri erat miraculum divinum, hodie non erit. Ergo etiam extra conflictum incertæ erit authoritatis opus illud. Unde. In sententia quam refellimus, miracula incertæ sunt authoritatis extra conflictum; nulla verum reddi potest ratio cur valeant Dæmones talia operari extra conflictum, non vero in conflictu. Ergo ex splendore & numero nihil concludi potest.

Dices 1. Extra conflictum poterit Dæmon

mon opus eodem splendore & numero, sed nihil inde; contra veritatem enim certam ac stabilitam nihil probat miraculum in omni sententia. Intra conflictum vero non poterit illud idem opus, Deo prohibente.

R. 1. Inde semper incertam manere miraculi auctoritatem ac significationem, ut modo observavimus. 2. Ex jam dictis rationes quæ probant Deum istud non permissurum aut in conflictu, aut extra conflictum, eadem ratione evincunt Deum istud nullo in casu concessurum pro miraculo simpliciter & proprie dicto.

Dices 2. Nihil movent miracula Antichristi. Tum quia Deus cavit ne iis fidem adhiberemus, tum quia fient contra doctrinam jam certo definitam.

R. 1. Si semel concederetur Christum hic agere de miraculis proprie dictis, tunc ejus prohibitio manifeste probaret Dæmonem miracula edere posse quovis numero & splendore ac consequenter circumstantias illas nullius esse roboris, simul enim docuit fore falsa. Ergo sequitur ex illis circumstantiis nihil evinci. Ex prædictione enim Christi, non ex aliquo præcise numero novimus fore diobolica. Hincque etiam positis illis circumstantiis nihil probant.

Dices 3. Miracula splendore & numero majora evincunt oppositam potentiam limitatam esse: ergo Divinitatis prærogativam auctori suo auferunt ac omnem vim oppositorum elidunt.

R. n. conseq. Miracula numero & splendore majora denotant quidem potestatem oppositam inferiorem esse ac consequenter] eam esse limitatam; at miracula illa non evincunt infinitam esse eam potentiam a qua oriuntur, sed tantum majorem esse opposita potentia.

Dices 4. In casu proposito adest oppositio inter miracula sicut inter doctrinas. Nec Deus sibi ipsi, nec Dæmon sibi opponi potest. Ergo Deus non potest esse auctor omnium illorum miraculorum, sicut nec Dæmon. Ergo Deus est auctor splendidiorum. Non potest enim supponi auctor eorum quæ minori sunt numero & splendore; immo obvium ac proclive est judicare miracula inferiora Dæmonis esse, cum inferior sit ejus potestas; ac consequenter miracula superiora Deo ascribi debent. Ergo miracula superiora probant doctrinam annuntiatam esse divinam. Ergo probant esse veram. Unde sic argumentor. Illa miracula probant doctrinam esse veram quæ probant eam esse divinam: atqui miracula superiora probant doctrinam annuntiatam esse divinam. Ergo probant esse veram.

R. n. min. In tantum miracula superiora probarent doctrinam esse divinam, in quantum ipsa miracula essent certo certius divina. Porro nulla hic adest certitudo miracula illa esse divina; probabilius quidem est miracula illa esse a Deo, ut fatentur hujus objectionis authores; at possunt profecto miracula superiora oriri a Dæmone superiori. Ergo.

Dices 5. Nullus fit circulus vitiosus. In eo foret circulus ille quod veritas doctrinæ ex miraculo, & divinitas miraculi ex doctrinæ veritate deduceretur: atqui hoc gratis supponitur. Nam possibilitas seu indifferentia doctrinæ sola ratione percipitur; hac cognita pronuntiatur divinum esse miraculum in ejus confirmationem factum. Stabilita demum sic miraculi divinitate, ex eo deducitur non possibilitas, sed veritas doctrinæ. Unde sic arguere licet. Miraculi divinitas ex possibilitate doctrinæ, possibilitas vero doctrinæ ex sola ratione cognoscitur. Ergo nullus fit circulus vitiosus.

R. n. ant. Ex concessis enim doctrina possibilis evincitur vera ex divinitate miraculi. Jam vero divinitas miraculi eruitur ex indifferentia doctrinæ, vel ex ejus veritate. Non ex indifferentia. Ergo ex veritate. Ergo fit circulus vitiosus. Recole probationes.

Inst. Miracula hinc & inde venditari, pleraque falsa: atqui hoc posito, his addenda est veritas doctrinæ quæ sola miraculi divinitatem obfirmare potest. Ergo.

R. n. min. Quin immo solis miraculis aperiri potest & confirmari veritas doctrinæ. Et sane doctrinæ illius novæ veritas ad quam doctrinam expenderetur? An ad doctrinam veterem receptam? Attunc nova non erit doctrina. An ad veritatem quæ in qualibet doctrina esse debet? At veritas illa miraculis non indiget.

get. Deinde quænam est ista veritas? An veritas natura nota & in confesso apud omnes posita? At sic nulla nova doctrina dari potest. An quæ per solam Legislatoris voluntatem veritas est, ut certa cultus externi forma, & quæ sola Legislatoris voluntate definit? At hæc non potest esse norma doctrinæ novæ & quam Legislator in prioris locum vult succedere; antiquatur enim non quia prior veritas falsitas esse incipit, sed quia non potest diutius durare quam voluerit & decreverit Legislator. Novæ ergo doctrinæ confirmatio fieri non potest per doctrinæ prioris veritatem, sed ad eam confirmandam requiruntur miracula vera & fidei indubitatæ.

Dices 6. Ex nullo alio nisi ex splendore & numero veritatem potuit agnoscere Pharao; ex illis circumstantiis agnoverunt eius Magi, cum exclamaverunt: digitus Dei hic est. Immo miraculorum Christi veritatem arguunt Theologi ex eorum numero & splendore. Probant enim miracula illa esse vera ex eo quod impossibile sit Diabolum talia tali splendore & numero operari.

R. Miracula Christi probantur proprie dicta, directe ex substantia & modo; probantur divina, ex fine, &c. Probantur denique vera, ex numero & splendore, quia scilicet ex numero & splendore constat fraudes non proponi. Qui enim dolis & mendacio student, tenebras amant, & si in uno aut altero opere fraus non detegatur, in tertio apparebit. Inserviunt itaque illæ circumstantiæ ad majorem facti ipsius certitudinem. Ubi enim adsunt splendida, ubi multo numero eduntur miracula, repugnat ut eorum testes & spectatores non attenti fuerint ac seduli in eorum discussione; faciliorque fuit iis ea discussio. Sicque miracula Christi a fraude & dolo vindicant Theologi. Inde si accuratior fuisset ut potuit & debuit fieri, Pharao in discutiendis suorum Magorum prodigiis, agnovisset eos quidem imitari, non assequi potentiam divinam, nec eorum miracula esse proprie dicta. Senserunt quidem vel ipsi Magi Dei ipsius digitum hic esse, non quod sciniforum productio esset per se miraculum proprie dictum, potiusquam virgarum mutatio, aut quod illi productioni impares essent; non magis enim hæc productio videtur miraculum proprie dictum per se esse, aut iis impossibilis quam virgarum in serpentes mutatio; sed quia invitus cognovit Diabolus & Magorum ore confessus est, a Deo reprimi quam naturaliter habebat & antea exercuerat potentiam. Potuit ergo Pharao fictitia Magorum suorum miracula a veris secernere ex substantia operis. Sed facilius adhuc istud dignoscere potuit ex fine. Moses enim Deum unum invocabat antequam miraculum operaretur; non ita Magi. Deinde Moses proponebat sibi objectum bonum & pium, nempe sacrificia huic supremo Numini in deserto offerenda.

CONCLUSIO VIII.

Ad discernenda Miracula proprie dicta ab improprie dictis, sive in conflictu, sive extra conflictum, duo requiruntur & sufficiunt Caracteres, operis nempe substantia & modus.



PRob. Ex dictis miraculum proprie dictum est opus summæ ac infinitæ potentiæ. Tot ergo requiruntur & sufficiunt miraculi proprie dicti ab improprie dicto caracteres distinctivi, quot requiruntur & sufficiunt ad discernendum opus infinitum ab opere finito: atqui duo caracteres modo assignati requiruntur & sufficiunt ad discernendum opus infinitum ab opere finito. Nam effectus ille sensibilis de quo quæritur an sit miraculum proprie dictum, effectus, inquam, ille vel evidenter talis est ut in se aut ratione modi quo productus est, superet vires totius naturæ creatæ; vel non talis est. Si primum, evidens est opus illud aut in se, aut ratione modi quo factum est, tale esse ut ad illud perficiendum causæ secundæ sese non extendant, aut independenter ab illis & earum actione confectum esse. Ergo tunc evidens est ad hoc opus concurrere potentiam a causarum secundarum actione independentem. Ergo evidens est tunc adesse potentiam supremam & infinitam. Si vero effectus ille sensibilis talis sit, ut evidenter non superet vires totius naturæ creatæ; ergo evidens est opus illud oriri a cau-

a caufis naturalibus. Ergo operis fubftantia aut modus fufficienter arguunt potentiam infinitam ac finitam: ergo fufficienter fecernunt opus infinitum ab opere finito. Ergo duo illi caracteres fufficiunt ad diftinguendum miraculum proprie dictum ab improprie dicto. Dixi five in conflictu, five extra conflictum. Nam circumftantiæ illæ funt operi omnino extrinfecæ, nec ejus naturam mutare poffunt, nec impedire ne opus tali vel tali modo viribus naturæ impervio confectum fit.

CONCLUSIO IX.

Ubi incertum eft an effectus aliquis in fe aut ratione modi fuperet vires totius naturæ creatæ; vel ubi conftat effectum aliquem neutro modo viribus totius naturæ creatæ fuperiorem effe, tunc ad difcernenda miracula improprie dicta divina ab operibus diabolicis, duo fufficiunt & requiruntur Caracteres extra conflictum, utilitas nempe & finis; modo tamen certo conftet vera utilitas & finis rectus.

PRob. Miraculum improprie dictum, ex principiis fupra pofitis, eft opus Angelicæ poteftati proportionatum, humanæ vero impervium; feu eft opus quod fuperat vires naturæ humanæ, non vero Angelicæ. Miraculum improprie dictum divinum eft opus naturæ Angelicæ proportionatum, humanæ vero impervium, quod nativa poteftate exequuntur Angeli boni jubente, aut permittente Deo. Unde ut difcernatur miraculum improprie dictum divinum ab operibus diabolicis, fufficit ut difcernantur opera bonorum Angelorum ab operibus diabolicis: atqui his difcernendis fufficiunt utilitas & finis. Nam certum eft 1. bonos illos Angelos divinis voluntatibus & confiliis maxime effe conformes. Conftat Deum maxime erga homines propendere benevolentia. Conftat 3. Deum fruftra & fine confilio nihil agere: immo nec poffe finem aliquem fibi proponere fini generali, vel particulari expreffe antea declarato contrarium; feipfum enim negare non poteft. Ergo fi Angeli boni nativa fua poteftate utantur ad ftupenda & humanis viribus fuperiora opera, ea poteftate femper utentur pro bono & utilitate hominum, & ad finem qui primævis Dei confiliis concordet. Ergo utilitas & finis probant opus effe a Deo minifterio bonorum Angelorum, feu potius probant opus illud effe a bonis Angelis naturaliter operantibus jubente aut permittente Deo. Dixi modo certo conftet ulilitas vera & finis rectus. Alias enim fi utrumque incertum fit, fufpenfa manebit veritas miraculi, cum hæc veritas ab utroque illo caractere pendeat, nec miraculum improprie dictum fit per fe certum ac infallibile veritatis fignum. Nam miraculum illud ab Angelis bonis & malis ex æquo oriri poteft ex dictis.

CONCLUSIO X.

In conflictu Miracula improprie dicta fenfu mox expofito, aliquando cognofcuntur divina, aliquando vero non talia cognofcuntur ex utilitate & fine.

PRob. Aliquando quidem cognofcuntur divina; fi enim pofitive percipiuntur folidæ utilitati, & fini recto collimare, tunc ex regula mox ftabilita evidens eft opus illud oriri ab Angelis bonis naturaliter operantibus jubente aut permittente Deo. Circumftantia enim conflictus non tollit operis utilitatem, nec ejus depravat finem. Ergo fi pofitive percipiatur utilitas & finis, jam &c. Si vero illud non percipiatur, fi negativa fit utriufque perceptio, jam indifferens judicatur tum utilitas, tum finis: ergo miraculum ipfum fit indifferens, & cum a bonis & a malis Angelis ex æquo oriri poffit, incertum manet a quibus revera oriatur. Jam vero ex figno incerto, indifferenti & æquivoco nihil concludi poteft. Tunc expectandum eft fignum certum, id eft, aut miraculum evidenter proprie dictum, aut improprie dictum, evidenter divinum, & caracteribus fupra dictis veftitum. Nunc caracteres illos evolvamus.

PRI-

PRIMUS CHARACTER.

Operis substantia.

EXponitur. Operis substantia est opus in se consideratum. Tunc autem opus in se consideratum est miraculum proprie dictum, cum opus illud in se sumptum tale est ut evidenter superet vires totius naturæ creatæ, seu cum in re nulla, immo contraria est & videtur dispositio ad effectum. Talis est, v. g. resurrectio mortui. Ad operis substantiam revocari potest ejus duratio & diuturnitas. Magorum illusiones hoc ipso falsi arguit illust. Bossuet. quod Magi effectum constantem nusquam produxerint. Hinc S. Thom. vera miracula a falsis distinguit, ab efficacia virtutis operantis, quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam ad quæ virtus activa naturæ nullo modo se extendit, sicut suscitare mortuos & hujusmodi quæ Dæmones sua virtute facere non possunt secundum veritatem, sed in præstigiis tantum quæ diu durare non possunt.

SECUNDUS CHARACTER.

Operis modus.

SI effectus sensibilis qui sub miraculi nomine traducitur, talis non sit in se & ratione substantiæ ut evidenter superet totius naturæ creatæ vires & potentiam, tunc attendendus est modus quo effectus ille productus est. Nam ut advertit S. Thom. sunt quidam effectus quos natura producere potest, sed non tali modo. Sunt enim juxta S. illum Doctorem quidam effectus qui excedunt naturæ facultatem quantum ad modum & ordinem faciendi; si nempe id quod naturaliter fieri potest interposita aliqua temporis mora & idoneis adhibitis mediis, in instanti fiat & sine mediis, vel cum iis quæ nullam aptitudinem habeant; sicut cum quis subito per virtutem divinam a febre curatur absque consueto processu in talibus. Unde modus ille in eo consistit, juxta Doctorem Angelicum quod, licet effectus possit produci a causis naturalibus, productus tamen est independenter a causis secundis & earum actione. Talis est sanatio a morbo subita, solo nutu & vocis arbitrio. Ut autem sanatio a morbo & infirmitatibus inter miracula recenseatur, sequentes debent concurrere conditiones, teste & auctore Emin. de Lambertinis, olim S. Pontifice dignissimo Sancti Petri successore. Prima: ut morbus sit gravis & curatu vel impossibilis vel difficilis. Secunda: ut morbus qui depellitur, sit in ultima parte status, ita ut non multo post declinare deberet. Tertia: quod nulla fuerint adhibita medicamenta, vel si fuerint adhibita, certum sit ea non profuisse. Quarta: quod sanatio sit subitanea & instantanea. Quinta: ut nulla notatu digna evacuatio, seu crisis præcedat temporibus debitis & cum causa. Sexta: ut sanatio sit perfecta, & non manca, aut concisa. Septima: ut recidiva sublato morbo non contingat.

TERTIUS CHARACTER.

Operis utilitas.

SI Operi quod miraculi nomine insignitur, præcedentes desint assignati characteres, concludendum est opus illud non esse miraculum proprie dictum. Poterit tamen esse miraculum divinum, sed improprie dictum. Ut autem cognoscatur an a bonis, an a malis Angelis proficiscatur opus illud, primo recurrendum est ad utilitates. Utilitas autem alia operis ipsius, alia temporis in quo fit, alia denique circumstantiarum quibus vestitur. Utilitas operis in eo consistit quod opus in se & per se sumptum, sit homini utile ac vergat in ejus bonum, non vero in ipsius detrimentum; Deus enim, utpote summe bonus, nihil nocivum homini inferre potest. Tale etiam debet esse tempus ut tunc utile sit & quasi necessarium miraculum. Tunc præcipue utilitas operis emicat cum temporis circumstantiæ tales sunt, ut Dei omnipotentis manum & vocem quasi expectent ac exigant. Sic jure summo concludimus specialem ac extraordinariam Dei tunc adesse voluntatem, & opus illud voluntatis hujus signum esse. In hoc consistit utilitas temporis. Denique utilitas cir-

circumstantiarum importat ut nihil in miraculo vanum sit aut sterile. Ita compositæ ac ordinatæ esse debent omnes operis hujus circumstantiæ, ut ad unum eumdemque finem colliment, adeo ut aliquod ex parte Dei consilium præ se ferant, ac certo & evidenter constet Deum mentem nobis suam aperire ac veluti in illo opere impressisse. Hinc S. Thom. signa per bonos facta inde secernit, quod sint de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum; signa autem per malos facta, sint in rebus nocivis, vel vanis, sicut quod volant in aera, vel reddunt membra hominum stupida. Ad operis circumstantias revocari potest illud quod exigit S. Aug. nempe quod opus fiat in nomine Domini, id est, invocato hoc nomine. Apage ergo à miraculorum ordine effectus cachinnis & scurrillitatibus refertos. Nec veris etiam a fortiori annumeres miraculis opera quibus turpia & obscæna admiscentur, nec etiam homines inter aera sublatos, nullo alio nisi stuporis excitandi fine.

QUARTUS CHARACTER.

Operis finis.

NOn parum denique juvabit inspicere ob quem finem fiat opus quod miraculi nomine donatur. Immo finis est præcipuus character bonorum Angelorum operibus distinguendis ab operibus diabolicis. Finis autem ille vel est sanctitatis alicujus hominis declaratio, vel veritas alicujus doctrinæ manifestanda. Quantum quidem ad veritatem doctrinæ, doctrina alia est evidenter vera, alia evidenter falsa, alia indifferens & probabilis, ut ajunt, id est neque evidenter vera neque evidenter falsa. Si doctrina sit evidenter vera, tunc non probatur a miraculo, sed ipsa probat miraculum, licet doctrinæ veritati novus tunc accedat certitudinis gradus, accidentalis tamen, non vero essentialis aut necessarius. Si doctrina sit evidenter falsa, nedum probetur per miraculum, immo evincit opus illud esse diabolicum. Si vero doctrina in cujus confirmationem fit miraculum illud improprie dictum, sit indifferens, vix aut nunquam plenam & omnimodam fidem sibi faciet; & qua proportione dubia manebit doctrinæ veritas, hac etiam incertum manebit an opus illud a bonis an a malis Angelis oriatur. Tunc itaque expectandum erit miraculum proprie dictum. Hinc quoties Paganis, respectu quorum incerta erat Ecclesiæ auctoritas & Religionis veritas, testimonium reddidit Deus pro ea Ecclesia aut Religione, non tantum ea opera edidit quæ a bonis & malis Angelis ex æquo oriri possent, sed ea quæ a virium eorum circulo exorbitarent. Quantum vero ad sanctitatis declarationem, cum sanctitas nihil aliud sit quam practica conformitas vitæ cum Religionis dogmatibus & præceptis, prius constare debet præceptorum sanctitas, & tunc ex miraculo constabit hominem talem ea revera & ex animo sequi præcepta. Sit in exemplum deambulatio super aquas. Opus illud entitative sumptum non superat vires Angelicas. Ut ergo discernatur an a bonis, an a malis Angelis oriatur, recurrendum est ad modum. Quod si modus non evidenter percipiatur superare vires totius naturæ creatæ, tunc recurrendum est ad utilitatem & finem. His omnibus veri miraculi characteribus Dei nominis invocationem cum Sancto Augustino adjungimus. Sic veteres Prophetæ hanc invocationem suis miraculis constanter præire fecerunt; sic ipse Christus miracula fere nulla faciebat nisi prius invocato nomine Dei. Cæterum observare operæ pretium est non ex uno aut altero charactere, sed ex omnibus characteribus simul junctis æstimandum esse miraculum improprie dictum, ut tutius ad veritatis cognitionem perveniatur.

SECTIO II.

De falsis & adulterinis Religionibus.

SI principiis hucusque stabilitis tenaci memoria inhæreamus, hæc certa manebunt. 1. Religionem mere naturalem per se insufficientem esse. 2. Necessariam esse homini extraordinariam Dei manifestationem & revelationem. 3. Revelationem illam alicubi certo certius

tius existere, & ex ea suspensam manere divinitatem & veritatem Religionis cujuscumque. 4. Revelationem illam esse quidem quoddam diploma, sed ut authenticum habeatur, sigillo Dei munitum esse debere; duplexque sigillum proposuimus, oraculum nempe & miraculum. Sicut ergo quæcumque Religio non revelata hoc ipso falsa est, sic quæcumque venditetur revelatio, nisi prædicto duplici aut saltem alterutro obsignetur sigillo, nulla ac supposititia censeri debet revelatio, ac proinde Religio ipsa. Jam vero inter varias quæ hinc & inde in toto orbe occurrunt alicujus nominis societates veræ Religionis nomen sibi adjudicantes, quatuor exurgunt, Paganismus nimirum, Mahumetismus, Judaismus & denique Christianismus. Singulis ergo lapidem nostrum lydium objiciamus, revelationem nempe, oraculis & miraculis confirmatam. Quamcumque societatem mordebit ac corrodet lapis ille, eam ut spuriam repellamus; quæ vero lapidem illum sustinebit, hæc certo nobis erit retinenda. Accedant itaque Paganismus, & Mahumetismus, suæque revelationis & divinitatis primi periculum faciant.

QUÆSTIO I.

De Paganismo.

Religio Pagana attendi potest vel in seipsa, vel quantum ad extrinseca divinitatis ac veritatis argumenta. In se considerata, vel attenditur quoad cultus objectum, vel quoad cultus naturam. Argumenta extrinseca sunt ejus antiquitas, universalitas, & miracula & oracula.

Non una eademque fuit omnium omnino Paganorum mens, non unus idemque eorum sensus circa Idola. Fuerunt qui statuas aureas, argenteas, aut ligneas, &c. Deos ipsos esse arbitrarentur. Testis est Arnobius qui ingenue fatetur se olim eo in errore versatum esse, *l. 1. c. Gent.* Hanc amentiam Idololatris exprobrat David *Ps. 113.* Aliqui ex Paganis putabant Divinitatem habitare & quasi includi in statuis illis. Ita Hermes Ægyptius apud S. Aug. *Civit. Dei, l. 8. c. 23.* Ita etiam Jamblicus apud Photium Bibliotheca cod. 215. Denique sapientiores inter Paganos Idola & statuas habebant velut quasdam Deorum imagines; Diisque, non statuis supremum deferebant honorem. His positis, sit

CONCLUSIO.

Nec vera, nec divina est Religio Pagana.

Prob. 1. In tantum vera, aut divina esset Religio Pagana, in quantum veram & divinam haberet revelationem; in illa namque divina revelatione fundamentum habet veritas & divinitas Religionis, ex dictis. Porro divinam aut veram revelationem sibi non vindicat Paganismus; nullum enim habet aut oraculum aut miraculum proprie dictum. Ergo.

Prob. 2. Vera Religio est ea quæ veram & genuinam de Deo habet existimationem, verumque cultum ipsi exhibet. Porro Paganorum societas 1. non habet veram de Deo existimationem. Modo enim pro Deo colit id quod Deus non est, modo ea Deo tribuit quæ ab ipso aliena sunt, modo ipsi denegat quæ ipsi sunt propria.

1. Pro Deo colit quod Deus non est. Vel enim statuas colendo, ipsas Deos esse putarunt, vel ipsis circumscribi Divinitatem, vel ipsas esse Deorum imagines: atqui quidquid dicatur, Paganorum societas veram de Deo non habet existimationem. Nam si primum; tunc Dii erant opera manuum hominum, etiam aliquando scelestissimorum. Dii illi suam divinitatem & existentiam humanæ debebant industriæ. Quæ omnia ab idea Dei omnino sunt aliena. Si secundum; falsa adhuc est eorum de Deo existimatio. Divinitas enim materiæ non unitur ex natura sua, quæcumque metallo circumscribi non potest. Immensus est enim Deus. Si tertium; etiam in illa sententia Dii quos colebat cæca Gentilitas, erant puri homines, quorum nomina ortum & genealogiam cognoscebant. Divinum porro cultum creaturis impendere Divinitatis est opprobrium. Ergo Pagani pro Deo colebant id quod Deus non erat. Ergo veram de Deo existimatio-

nem non habebant. Deinde debita Deo attributa negabant. Nam simplicitas & unitas sunt attributa Deo essentialia: atqui 1. Simplicitatem negabant: nam faciebant Deum corporeum. 2. Ita etiam unitas Deo essentialis est: sed Deum multiplicabat Paganismus, ejus naturam ac divinitatem quasi frustatim concisam inter multos partiebatur. Ergo Paganorum societas veram de Deo existimationem non habebat.

Et certe inter Idololatras alii Deorum nomine intelligebant mentes creatas homine superiores, alii homines defunctos, alii astra, alii bruta animantia vilesque creaturas, alii accidentia quædam ac meras modificationes colebant. Porro sensus isti non veram de Deo sonant existimationem. Præterquamquod enim hæc omnia creaturæ sunt, nec consequenter iis Divinitatis honos sine scelere deferri potest; priusquam ad mentes illas homine superiores adorandas se accingerent Pagani, ipsis prius constare debuisset mentes illas bonas esse, ne forte inimicos pro amicis, transfugas pro legatis reciperent. Debuissent deinde discrimen aliquod in ipso cultu ponere inter Deum summum & has mentes. Denique sciendum fuisset quis inter eas mentes esset ordo, quid ab unaquaque boni expectandum esset, quo honore eas affici vellet Rex summus; quæ omnia Paganis ignota & incerta erant. Immo manifestum est, & cognitu facile iis fuisset eas malas esse mentes, utpote quæ a cultu summi & unius Dei avocarent, & ejus cultores maximis vexarent malis. Poetis enim impune licebat Deorum parricidia & adulteria canere, Epicureis concessum erat divinam providentiam e rebus tollere. Eadem dico ad cultum hominum defunctorum. Unde cum cultus religiosus nihil aliud sit quam testimonium summæ bonitatis ac perfectionis quæ recognoscitur in eo qui colitur, eum cultum creaturis, a fortiori entibus malis rependere scelus & mendacium. Astris autem & elementis, aut brutis animantibus aut accidentibus ut iræ, vindictæ, pudori, &c. aras extruere insanissimæ stultitiæ est. Ergo 1. veram de Deo non habet existimationem Paganismus.

Nec etiam verum cultum ipsi exhibet: Deos enim suos colebat per sanguinem humanum, per nudorum hominum in templis cursitationes, per ludos & saltationes spurcitiæ plenas, denique per innumera alia quæ referre pudet, quæ bonam honestamque mentem non decent, quibus denique nihil excogitari potest magis impurum. Ergo.

Obj. 1. Vera est Religio Pagana. Deus enim pro sua sapientia & bonitate infinita permittere non potest ut tam altas radices mendacium emittat, veritas vero obruta jaceat; error tunc in Deum refunderetur; jam vero longe lateque diffusus fuit Paganismus; solus ex adverso stabat Judaismus in angulo terræ reconditus. Unde sic in forma. Religio Pagana falsa esse non potest quin error in Deum refundatur. Ergo vera Religio Pagana.

R. n. ant. Dei existentiam & unitatem & cætera Dei attributa naturali lumine cognoscibilia splendidis characteribus huic aspectabili mundo insculpta undequaque scintillant, ac Deo testimonium reddunt. Inexcusabiles ergo fuere Pagani hæc ignorantes aut dissimulantes. Quantum vero ad hujus ignorantiæ & idololatriæ permissionem, Deus voluit hominem vividiori sensu suam miseriam, divinæ vero revelationis excellentiam experiri, ut ad obsequium Deo debitum promptior esset. Summo jure potuit Deus hominem privare omni revelatione; ergo & eam differre. Cæterum revolve quæ supra stabilivimus de permissione mali.

Obj. 2. Divina est Religio Ethnica. Habet enim Divinitatis argumenta. Divinitatis enim argumenta sunt 1. antiquitas & universalitas. Atqui hæc habuit Paganismus. Ergo.

R. Ex antiquitate errorem veritatis formam non induere. Quicumque ratione præditus veram inquirit Religionem, nondum affulgente revelatione, nihil debet admittere quod rectæ rationi dissonet. Sic enim multos proselytas sibi adsciscere potest error, præsertim ubi cupiditatibus impense favet, & Principum protectione munitur; at rerum natura immutabilis est. Quod ex natura sua falsum est, verum fieri nunquam potest.

Inst.

Inst. Atqui antiquitas & universalitas sunt legitima Divinitatis Paganismi argumenta. Nam antiquitas & universalitas sunt certa ac legitima argumenta Divinitatis Religionis tum Christianæ, tum Catholicæ. Ergo sunt etiam argumenta legitima Divinitatis Paganismi.

R. n. conseq. Non enim eodem modo applicantur antiquitas & universalitas Religioni Paganæ ac Christianæ & Catholico-Romanæ. Duo scilicet in quacumque Religione distinguenda veniunt. 1. Facta. 2. Dogmata. Deinde attendi debet varia conditio personarum contra quas proferuntur antiquitas & universalitas. 1. Itaque valet pro Christianis contra Paganos argumentum deductum ex antiquitate & universalitate si agatur de factis. Facta enim quibus nititur Religio Christiana sunt maximi momenti, notissima in prima sui origine, aut ab oculatis, aut a coætaneis, saltem a legitimis testibus prolata. Jam vero repugnat talia facta, si falsa sint, ab omnibus & a principio credita fuisse ut vera. Porro talia non sunt facta quæ jactant Pagani, nec maximi momenti; nec nota in sua origine, nec a legitimis testibus afferta. Ergo quantum ad facta non valet antiquitas aut universalitas pro Paganismo, licet valeat pro Christianismo. Quantum ad dogmata, non probant eorum veritatem saltem directe & immediate eorum antiquitas & universalitas, sed tantum mediate & indirecte. Ideo enim dogmata Religionis Christianæ sunt vera hoc ipso quod & antiqua & universalia sint, quia eorum revelatio est Christianismo coæva & ex institutoris decreto debet esse universalis ac præterea nititur factis, oraculis nempe & miraculis quæ sunt certa & inconcussa. Porro dogmata Paganorum non innotescunt revelatione quæ nitatur hujuscemodi factis. Ergo nequidem indirecte valere possunt antiquitas & universalitas pro dogmatibus Paganorum, licet valeant indirecte pro dogmatibus Christianorum. Deinde repugnat dogmata adeo dura & incredibilia credita fuisse tam universaliter & antiquitus, quin eorum veritas legitimo & inconcusso nitatur fundamento.

II. Valent antiquitas & universalitas pro Ecclesia Catholico-Romana contra Hæreticos. Qui enim contendunt se tenere Religionem a Christo institutam, debent habere Religionem Christo coævam & ea propagatam extensione quam ipse decrevit; ac proinde universalem. At illud argumentum pro Religione Catholico-Romana non proferimus contra Paganos. Contra Hæreticos enim agimus independenter a miraculis & oraculis, sed unice arguimus ex concessis, nempe ex veritate eorum quæ docuit Christus; probamusque hæc & illa docuisse Christum quia semper, ubique & ab omnibus creditum est Christum hæc & illa docuisse. At contra Paganos probandum est vera esse quæ Christus docuit, seu Deum ipsi esse locutum. Ergo argumentum illud valet pro Catholicis contra Hæreticos, nec profertur contra Paganos. Uno verbo antiquitas aut universalitas spectat aut facta aut dogmata Paganorum; circa facta probaret quidem, sed deest; circa dogmata, adest quidem, sed nihil probat.

Inst. Militant pro Paganis vera tum oracula, tum miracula antiquitus & universim credita. Ergo antiquitas & universalitas tam probant pro Paganismo quam pro Christianismo.

R. n. ant. 1. Enim ex dictis oracula & miracula illa non sunt vera & proprie dicta. 2. Nullis legitimis testibus constant prætensa illa miracula. Quædam enim contigerunt in recessu, nocte, coram uno aut altero teste quibus falsa pro veris supponi poterant. Quin immo fidem iis non adhibent eorum relatores, & inter Ethnicos sapientiores. Sic Valerius Maximus qui Capita integra habet de miraculis & prodigiis, illa omnia pro dubiis tradit. Suæ narrationi sic præludit l. 1. c. 8. „ Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur; fidem auctores vindicent „. Titus Livius in Historiæ Limine, l. 1. prodigia illa dicit poeticis magis *decora esse fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis. Ea nec affirmare, nec refellere se velle*; eaque ascribit antiquitati, quæ urbium dignitati magis quam veritati consulebat. Adiri etiam potest Q. Curtius, l. 9. Nec omittendum pleraque facta quæ narrantur, nullo oculato teste certa esse, sed contigisse multis antequam conscriberentur sæculis.

Inst. Atqui oracula & miracula illa vera & proprie dicta fuerunt. Et 1. quidem oracula. Sit in exemplum Vates Delphicus: atqui Vates Delphicus vera & proprie dicta oracula fundebat; immo fuere statuæ quæ oracula pandebant. Ergo.

R. n. min. Omnia Paganorum oracula æquivoca fuere & in omnem eventum attemperata. Nulla exstitere quæ prædixerint res quarum cognitio erat supra vires cujusque intellectus creati. Cæterum oracula illa vel vera sunt, id est, a Diis vere prolata, vel fictitia, & meræ Sacerdotum fraudes. Si primum: redde bantur per spiritus immundos & sanguinolentos. His famulari neutiquam potuit Deus summe bonus. Si vero meræ fuerunt Sacerdotum fraudes; fraudibus ergo & imposturis nititur Religio Pagana, & mendacio omnia sua debet. Quantum autem ad statuas loquentes, certum est ex omnibus Philosophis oracula reddita esse furendo & debacchando. Porro furorem inferere non potest materia crassa & iners ex qua conflatæ erant illæ statuæ. Ergo statuæ loquentes fabulæ sunt.

Inst. Multa proferuntur apud Paganos miracula. Ergo.

R. Miracula illa aut non esse vera miracula, aut incertis constare testibus, ut jam dixi. Plura enim sunt inter prætensa illa miracula quæ admirationem tantum sui conciverunt apud ignaros rerum naturalium, præcipue occultarum proprietatum; quale quid accideret, si quis apud populos ejus rei ignaros magnete ferrum duceret. Non negem conspecta fuisse quædam quæ ex causis naturalibus sola vi & industria humana non potuerint elici; sed talia nego quæ vim vere divinam & omnipotentem desiderarent, cum ad ea sufficerent spiritus hominem inter & Deum interpositi. Cum ergo, ex probatis, spiritus illi boni non essent, nihil evincere possunt.

Inst. Refert Suetonius, Tacito Vespasiano Alexandriæ commorante multa evenisse miracula quibus cælestis favor & quædam in Vespasianum Numinum inclinatio ostenderetur. Ex plebe enim Alexandrina quidam oculorum labe natus ad genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens cum gemitu, monitu Serapidis Dei; precabaturque Principem ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus jussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, & cæco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio præmium.

R. Multa in hoc facto occurrere quæ dolum ac fraudem spirant. Animo imbuerat Vespasianus se Regem illum esse maximum & eximium quem Judaica prænuntiabant oracula. Hinc ut armis & auctoritati suæ ac sibi favorem conciliaret, hæc sibi ascribi haud moleste tulit. Favor & Numinum in Vespasianum inclinatio, en finis miraculi. 2. Vel Vespasianus curationum virtutem habebat, vel non: Si secundum: fabulosa est illa sanatio. Si primum: vel noverat, vel ignorabat se hanc habere virtutem. Si ignorabat: cur tam læto vultu jussa exequitur? cur tanta confidentia rem tam insolentem tentat? Undenam cuncta & etiam miracula illa fortunæ suæ patere credit? præclarum enim miraculorum opificem qui nescit ipse se virtute illa præditum? quod si germanam ac familiarem sibi noverat esse virtutem illam, cur in tentanda illa curatione hæret anceps? cur ad Medicos remittit ut sciat an morbus sanari possit? cur miraculum non tentat nisi ubi rescivit per Medicos sanari posse utrumque morbum humanis medicamentis? Morbus enim sanari possit, nec ne, miraculum nihilominus fecisset Vespasianus. 3. Vel sciebat Populus talia posse Vespasianum, vel nesciebat. Si primum: cur antequam imperii honore decoraretur, nemo talia apud ipsum precatus est? Si secundum: qua fronte ad eum accedunt duo illi ægroti? quis unquam æger miraculosæ sanationi viam & modum sic aperuit ac præscripsit? Præterea nulli sunt testes quos appellat Suetonius. Etenim optime fieri potuit, ut qui fraudis conscii non erant, rem vere accidisse crederent, idque longo post tempore tanquam vere gestum narrarent, præsertim cum tantus sit in hominibus mirorum amor, gaudeatque quilibet si narrare possit se aliquid

quid miri vidisse, vel audivisse. Denique ex mox dictis nulla est auctoritas Suetonii, & Taciti quem mendaciorum loquacissimum merito vocat Tertullianus.

Inst. Saltem nec falsitatis, nec falsæ suppositionis argui possunt miracula Apollonii Thyanæi. Innumera de eo refert miracula Philostrates, cui Comites sunt Maximus Ægiensis & Meragenes; immo fidem ipsi faciunt quædam monumenta secreta Juliæ Piæ ab ignoto quodam tradita, a Damide vero Apollonii discipulo exarata, Philostratoque ab illa Imperatrice commissa. Porro Apollonius ille ventura non semel prædixit, intimas aliorum cogitationes agnovit, ægros multis in urbibus sanavit, mortuam suscitavit puellam. Ergo.

R. Nec fidem meliorem sibi facere quæ de Apollonio Thyanæo narrat Philostrates, quam ea quæ de Vespasiano refert Tacitus. Deest ex utraque parte legitimum testimonium. 1. Philostrates qui eam scripsit historiam, plusquam centum annis post Apollonium vixit. Floruit quippe Apollonius temporibus Vespasiani, Titi Domitiani, Philostrates vero scripsit ætate Septimii Severi, id est, sub finem sæculi secundi. Nihil ergo narrat Philostrates quod propriis hauserit oculis, omnia aliena fide & testimonio scripsit. Jam vero 2. nullius auctoritatis sunt illi testes. Non Maximus Ægiensis, aut Meragenes, quorum primum ut parum fidelem carpit ipse Philostrates, alterum vero incurium in conscribenda Apollonii historia omnes norunt. 3. Quo magis insolita ac stupenda de Apollonio narrat Philostrates, eo majori ac strictiori jure factorum veritatis testes & argumenta expostulare possumus. Porro nullum testem aut argumentum profert Philostrates. Immo aliquando ne Damim quidem rei quam narrat assertorem scribit. Immo non sibi semper constat Philostrates. Postquam enim puellam ab Apollonio excitatam ad sidera usque sustulit, postea dubitanter pronuntiat, & eam mortuam visam esse addit, nec an revera mortua fuerit audet definire. 4. Referunt quidem Juliæ Piæ Imperatrici Septimii Severi uxori ignotum quemdam dedisse chartas quasdam de vita Apollonii quæ dicebantur a Damide Apollonii discipulo scriptæ. Postea Julia easdem chartas Philostrati tradidit, jussitque ut vitam Apollonii scriptis mandaret. Ergo ex his chartis suam historiam confixit Apollonius. At vero unde constabat chartas illas revera fuisse a Damide conscriptas? & licet Damidem auctorem haberent, unde certum erat Damidi hac in parte fidem habendam esse? vel ipsa obscuritas chartarum illarum fidem earum dubiam facit, etiamsi Damis fidelis & verax fuisset, constare deberet sinceritate parem ipsi fuisse Philostratem; nihilque chartis illis aut addidisse, aut detraxisse; quod valde incertum est, præsertim cum ex una parte ea ætate viveret Philostrates qua fabulæ & romanenses libri aliquam sibi assumere auctoritatem incipiebant, ex altera vero Julia vanam scientiæ famam captaret. Denique ut jam dixi, nullum rerum quas narrat argumentum præbet Philostrates. 4. Etiamsi curationes illæ veræ essent & reales ac certæ, undenam constat Apollonium nulla arte, nullo naturæ secreto occulto usum fuisse? Contrarium maxime probabile est. Potuit enimvero inter frequentia itinera, ex longa experientia multa ediscere quibus gravissimis etiam infirmitatibus succurreret.

QUÆSTIO II.

De Mahumetismo.

Duo complectitur quævis Religio, dogmata nempe & præcepta moralia. Quantum ad dogmata speculativa, Deismum, Judaismum & Christianismum in unum conflavit Mahumetismus: Unitatem Dei creatoris, alteram vitam tenet Mahumetes, luxuriosam tamen. Moysen ut maximum Doctorem, Christum ut eximium Prophetam agnoscit, cui ipse pari gradu & auctoritate successisse se asserit.

Præcepta moralia adorationem supremo Enti decernunt, desiderium Deo placendi jubent, caritatem erga pauperes imperant. Polygamiam tamen, privatam vindictam, &c. concedunt. Sit

CONCLUSIO

Nec vera, nec divina est Religio Mahumetana.

PRob. Illa Religio vera non est, cujus doctrina & in se, & in sectatorum principiis falsa est: atqui talis est Mahumetanæ Religionis doctrina. Nam sive quantum ad dogma, sive quantum ad ethicam, juxta Mahumetem & ejus asseclas, Moses a Deo missus, ut & Jesus & ejus discipuli fuerunt viri sancti & pii. Utriusque, Mosis nempe & Jesu libros asserit Mahumetes divinos esse, nec sine piaculo ac divinæ ultionis provocatione corrigi posse: atqui tamen in Alcorano multa statuuntur iis contraria quæ sive Moses, sive Jesus, sive ejus discipuli docuerunt: v. g. Tradit Mahumetes, non Jesum, sed ejus simulacrum cruci affixum fuisse, Jesum autem e cruce subductum fuisse; virginitatem nihili facit, privatam suis vindictam, polygamiamque permittit. Turpi luxuriantem voluptate paradisum promittit. Quæ quidem omnia falsa sunt tum in se, ut patet, tum in Mahumetis principiis, utpote qui librorum auctoritatem agnoscit in quibus hac omnia vetantur.

Prob. 2. Illa Religio divina non est, quæ divinæ auctoritatis signa nulla profert: atqui Mahumetana Religio nulla suæ divinæ auctoritatis signa profert. Mahumetes enim ipse fatetur se nulla operari miracula, ad talia opera se a Deo missum non esse asserit. Quæ ipsi miracula ascribuntur ab ejus discipulis, gratis sunt conficta, ridicula & absona. Oracula vero quæ ipsi ex Scriptura applicantur, immerito, nullo jure, ne levissima quidem verisimilitudinis umbra ipsi adaptantur. Ergò divina non est Religio Mahumetana. Ea singulatim discutere & confutare animus non est. Occurrunt passim in aliis operibus, plusquam par est & merentur, impugnata. Cui libuerit, eos auctores adeat. Nos ad graviora properamus.

SECTIO TERTIA.

De Religione Judaica.

NOn satis est probasse existere alicubi divinam revelationem, Deumque hominibus generatim esse locutum; non sufficit etiam nobis eos indigitasse Populos cui Deus non sit locutus; provincia a nobis suscepta id præterea exigit, ut quibus, & cui Populo locutus sit Deus & manifestum se præbuerit, definiamus.

Revelatio, ex dictis, est Dei ipsiusmet testimonium. Revelatio illa quorumdam hominum constat & transmittitur testimonio, quos ad id muneris deputat Deus. Auctoritatem vero seu pondus & valorem testimonii supra desumpsimus ex testantis, seu relatoris scientia & veracitate & fidelitate.

Amolitis societatibus veram & divinam revelationem immerito sibi venditantibus ecce occurrit gens in angulo terræ recondita, melioribus imbuta notionibus, genuinæ quam inquirimus revelationis custodem se asserens. Contendit scilicet gens illa Deum illum unicum & verum sibi extraordinarie locutum esse Mosis ministerio. Hujus gentis jura nunc discutimus.

Revelationis ac missionis divinæ & extraordinariæ duo sigilla ac signa proposuimus, vera nempe oracula & miracula.

Religionis Judaicæ nomine intelligitur cultus quem Moses docuit Judæos supremo Enti exhibendum esse. Eo ergo tota præsens devolvitur quæstio an cultus ille sit Dei opus, aut mendacii, id est, an sit divinitatis sigillo obsignatus, an vero fœtus sit solius Mosis industriæ; agitur ergo hic de mera facti quæstione. Factum est enim, ut ajunt, Deum Mosi & Judæis ejus ministerio locutum esse. Cum ergo, ex dictis, factorum veritas ex relatorum & testium experientia ac veracitate pendeat, Mosaicæ legationis ac divinæ quam promulgavit Moyses revelationis veritas ex Mosis ipsius narrationis fidelitate ac veracitate pendebit. Diximus insuper fidei historicæ certitudinem ex certitudine medii quo trans-

transmittuntur facta, æstimandam esse, ubi non excipiuntur ex ore immediato primi relatoris. Cum ergo Mosen jam immediate non audiamus, sed mediante Pentateuco, hujus integritas expendenda nobis est, & ex sincera ejus conservatione, narrationis mosaicæ veritas erit etiam æstimanda.

Duplici via ostendi potest mosaicæ legationis divinitas, scilicet ex veritate & divinitate doctrinæ quam promulgavit Moses. Deinde ex Divinitatis signis extrinsecis, nempe ex miraculis & oraculis. Quæri itaque potest 1. an libri illi quibus Judæi utuntur tanquam divina revelatione plenis, veritati conveniant, ac vera sint quæ in iis referuntur; quemadmodum quæri potest de Historia Titi-Livii, de Annalibus Cæsaris, &c. 2. Expendi potest an libri illi divini sint, seu divinitus inspirati, ac veluti dictante Deo inspirati. Haud dubium sane quin Deus sit Judæis locutus, si libri illi qui penes illos primum fuere, Deo dictante ac inspirante exarati fuerint. Hoc ipso enim certum erit horum librorum auctoritate Deum se Judæis revelasse, & iis locutum esse. At idem etiam constabit si probatum maneat libros illos nihil nisi verum continere quantum ad narrationem historicam. In his quippe libris multa narrantur Mosis cum Deo colloquia, multa in eorum confirmationem referuntur miracula & oracula. Nulla ergo alia ratione impugnari potest revelatio Mosi & Judæis ejus ministerio facta, nisi vel quia Moses nunquam extitit, aut saltem non est auctor librorum qui ejus nomine insigniuntur, vel quia vera non sunt quæ scripsit, vel quia quæ vera scripsit Moses, corrupta fuere, vel quia denique divina auctoritate non sunt sancita ab eo præcepta. Tria itaque adversus incredulos & Deistas probanda & stabilienda habemus, authenticitatem nempe, veritatem & divinitatem Pentateuci, seu librorum a Mose exaratorum. Hæc tria si semel in aprico a nobis & extra omnem disputationis aleam posita fuerint, ex his sic nobis argumentari licebit; vera sunt quæ in libris Judæorum referuntur: sed in libris illis declaratur Deum Judæis locutum esse Mosis ministerio: ergo Judæis Mosis ministerio Deus locutus est: Ergo Religio Judaica vera est & divina. Huic autem disputationi quædam præluceant oportet. Sit itaque

DEFINITIO I.

Liber genuinus seu authenticus is est qui ab eo auctore scriptus est a quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. Herodoti puta Historiam genuinum librum dicimus, eo quod & Herodotum, cujus nomine inscripta est, auctorem habeat, & iis circiter lucubrata sit temporibus, quibus lucubrata esse fertur.

DEFINITIO II.

Liber coætaneus is est qui eo circiter tempore scriptus est, quo res in eo scriptæ contigerunt. Sic v. gr. Thucydidis Historiam coætaneam vocamus, quippe quæ narret ea quibus Thucydides ipse interfuit. Talis est & liber Xenophontis de Expeditione Cyri.

DEFINITIO III.

Liber divinus is est qui Deo dictante scriptus est, seu continet doctrinam quæ a solo Deo oriri potest. Sic liber humanus dicitur qui ope humana conscriptus est, continetque res naturali hominum conditioni & industriæ proportionatas. Sic libros Novi & Veteris Testamenti divinos esse dicimus quod Deo dictante adornati fuerint, contineantque cælestem doctrinam quæ a solo Deo oriri possit.

DEFINITIO IV.

Historia est narratio rerum, quæ jam contigerant eo tempore quo Historia illa scripta est. Brevius, Historia est narratio rei jam gestæ.

AXIOMA I.

Omnis liber est genuinus, seu authenticus, qui talis habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus

eum

eum ætatibus. Hoc axioma si quis in controversiam vocet, jam certum nihil habebit in litteris. Cæsaris Commentarios genuinos esse non aliunde scio, quam ex proxime consequentium ætatum, aliarumque iis succedentium constanti testimonio.

AXIOMA II.

Omnis Historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti contigeruut, vel uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati coætaneis qua res gestæ sunt. Veritas enim cum sit conformitas cum objecto, vera est Historia quæ cum rebus consentit, seu eas narrat eo modo quo contigerunt. Veracis præterea Historiæ indicium est, inquit Josephus, si de rebus iisdem omnes eadem dicant & scribant. Hinc v. g. virum quemdam bello clarum, cui Cæsari nomen fuit, aliquando vixisse maxime scio quod & Cicero & Livius, & alii qui temporum quibus Cæsar vixit, Cæsaris mentionem fecerint. His sic præeuntibus, sit

ARTICULUS I.

De veritate & divinitate Religionis Judaicæ.

VEritatem & Divinitatem hic conjungimus; asserta enim Religionis naturalis insufficientia, & divinæ ac extraordinariæ revelationis necessitate, jam divinitas Religionis, ipsius est veritas, saltem plena & adæquata. Veritas Judaicæ Religionis in hæc tria a nobis jam assignata recumbit, nempe in authenticitatem, veritatem & divinitatem Pentateuci. Hæc ergo singulis quæstionibus discutiamus.

QUÆSTIO I.

De authenticitate Pentateuci.

DUo complectitur & includit authenticitas Pentateuci, nempe Mosen seu hominem illum qui sub hoc nomine Judaicæ gentis Legislator circumfertur, non esse personam fictam & commentitiam, ipsumque Pentateuci genuinum esse auctorem. His hæc addemus Pentateucum, sive Mosis sit, sive alterius, ejusdem cum ipso esse antiquitatis, fidemque omnimodam sibi vindicare.

CONCLUSIO I.

Moses non est persona ficta.

PRob. Illud omnino falsum est quod admitti nequit, quin tota fides historica funditus convellatur ac corruat: atqui Mosen personam fictam esse admitti nequit quin, &c. Quodcumque enim factum historicum protuleris, vel nullam habebit certitudinem, vel certo constabit Mosen non esse personam fictam, sed realem. Ideo, v. gr. Alexandrum Magnum olim extitisse credimus, quia illius memoriam constans fama ad nos usque transmisit. Jam vero par & eadem fama, æqualisque auctoritatis testimonia Mosis memoriam ad nos usque transmisere. 1. Liber Josue, Judicum, Regum, Danielis, Malachiæ, uno verbo omnes Libri sacri mentionem faciunt Mosis; illum Judæorum Legislatorem agnoscunt. 2. Judæi constanter & uniformiter Mosen Legislatorem suum recognoscunt. Illud ipsum fatentur vel ipsi Samaritani, Judæorum hostes licet infensissimi; concedunt Julianus, Celsius, &c. quorum illud negare intererat. Unde stat inconcussum Mosen ab egressu ab Ægypto usque ad Christi adventum, & a Christo ad præsens usque tempus serie continua ut gentis Judaicæ Legislatorem memoratum & habitum esse. Denique in idem conspirant auctores prophani Diodorus Siculus, Strabo, Trogus Pompejus, Justinus, Plinius, &c. Porro repugnat tantam nubem testium ex mendacio conflatam esse, tot testes in chimæram conspirasse, nullo unquam reclamante. Ergo par & eadem fama Alexandrum & Mosen astruit. Ergo extitit Moses gentis Judaicæ Legislator.

CONCLUSIO II.

Moses est Auctor Pentateuci.

PRob. 1. Ex probatis Moses non est persona ficta, sed fuit gentis Judaicæ Le-

Legislator: atqui eadem momenta probant eum fuisse auctorem Pentateuci. Auctores enim modo adducti non memorant Mosen nisi ut authorem legum Judaicarum quæ in Pentateuco describuntur, ipsique opus illud ascribunt.

Prob. 2. Ex natura libri. Talis est enim liber ille ut decipi aut decipere non potuerint Judæi circa ejus originem & auctorem. Magnum etenim intercedit discrimen inter duos libros quorum alter fortuito quasi quodam impetu inter cives projicitur, alter vero toti genti jura dat & leges, ac rem publicam ordinat ac constituit. Spernitur ille, hic vero omnium manibus teritur, omnium mentes percellit. Porro Pentateucus quidquid toti genti Judaicæ pretiosum est, ejus originem, Religionem, jura omnia, uno verbo quæ publicam spectant rem & utilitatem continet & complectitur. In illo libro Judæus Patrum suorum Historiam legebat, ex illo sua in terram Canaan jura prætendebat, ex eodem libro rectæ institutionis principia hauriebantur. Jam vero repugnat ut aliquis toti ac integræ genti legum & regiminis auctorem gratis ac sine ullo fundamento supposuerit; repugnat totam gentem illam adeo stupendæ fraudi consensisse, nullò per tot sæculorum intervallo reclamante. Huic detegendæ & abolendæ fraudi non defuisset sane Jeroboam qui alios ritus, alterius familiæ Sacerdotes, alios immo Deos instituit.

Prob. 3. arg. probabilitatis & verisimilitudinis. Vel Moses est auctor Pentateuci, vel ab aliquo impostore ei, honoris causa, ascriptus est. Atqui repugnat posterius. Namque ex Pentateuco constat Mosen mortuum esse in Deserto conspecta oculis terra Canaan: Ergo Pentateucus ante transitum Jordanis exaratus est. Jam vero impostor qui vel Mosen, vel gentem Judaicam ex tali Legislatore ac duce decorare voluisset, sane devictam terram Canaan ipsi ascripsisset.

Et certe vel unus, vel plures leges illas ordinassent? Si plures; undenam Legislatoris munus & honorem uni detulerunt Mosi? Undenam tacitis aliorum nominibus, unius Mosis mentionem faciunt? Si unus; quo argumento evincent unum illum Legislatorem Mosen non esse? Cur Judæis suum Mosen magis denegant, quam Atheniensibus suum Solonem, aut Lacedemoniis Lycurgum?

Præterea cum Pentateucus in lucem primum editus est, vel tum Populus antiqua consuetudine observabat ea quæ in Pentateuco continentur, vel nondum observabat. Non primum; multæ sunt enim in eo libro leges graves, & quæ aliorum Populorum aut odium aut contemptum Judæis parerent. Talia non admittit consuetudo quæ aut necessitate, aut utilitate semper nititur. Si secundum: quis ergo libro tunc incognito & fraudulento vim legis indidit? quis talem ipsi contulit auctoritatem? præsertim cum jugum imponeret durissimum.

Denique constat quod Josue Israelitas in terram Canaam introduxerit. Unde sic. Vel Josue adhuc est persona ficta, & liber ejus mera est fabula, vel nomen Josue & liber ejus veritati consonant. Si primum: ergo non solus Pentateucus, sed tota Scriptura vetus supposititia est. Cujus suppositionis quænam sint argumenta exigo. Si secundum: ergo Moses vere & gentis Judaicæ Legislator est & Pentateuci author; Josue enim semper Mosen Pentateuci auctorem agnoscit, semper ad libri hujus normam se suaque omnia componit, v. Jos. c. 8 v. 30. c. 17. v. 4. &c.

CONCLUSIO III.

Pentateucus sive Mosis, sive alterius opus sit, ejusdem est antiquitatis ac Moses.

PRob. Quæcumque in Pentateuco leguntur, ad hæc tria facile revocari possunt, nempe ad leges, ad cæremonias & ad historiam: atqui hæc tria saltem sunt ejusdem antiquitatis ac Moses. 1. Quidem leges. Nam leges quæ in Pentateuco leguntur, Judaicæ genti sunt coævæ, seu ejusdem sunt antiquitatis ac gens illa; nemo enim concipiat Rempublicam his aut illis legibus informatam, illis ipsis legibus antiquiorem esse; tam certo constat legibus illis informatam esse Rempublicam Judaicam, quam constat Rempublicam ipsam olim extitisse: jam vero Republica Judaica ejusdem

dem est antiquitatis ac Moses. Nam ex probatis Moses est gentis Judaicæ Legislator. Et certe leges quæ in Pentateuco leguntur, & quibus informata est Respublica Judaica, numerosæ sunt, & sæpe sæpius mortem minitantur adversus delinquentes. Ergo leges illæ statim atque latæ ac promulgatæ sunt, debuerunt scriptis mandari; ergo cum leges illæ sint genti & Reipublicæ Judaicæ coævæ, debuit existere liber huic genti etiam coævus in quo fuerint descriptæ; qui quidem liber est Pentateucus. Ergo cum Moses sit gentis Judaicæ Legislator, Pentateucus est ille liber in quo leges a se datas exaravit, aut saltem liber ille ejusdem antiquitatis est ac Moses. Observare otiosum non erit, quidquid certi in historia habent Ethnici, illud supra Olympiades non ascendere, ut testatur Varro, quæ quidem epocha 700. annis Mosis ævo recentior est. Homerus & Hesiodus qui inter Ethnicos Scriptores ut vetustissimi omnium calculo habentur, Salomonis ævo a Chronologis accuratioribus ascribuntur; ac proinde 500. annis Mose posteriores sunt. Hinc concludimus Pentateucum omnium Scriptorum esse antiquissimum; quod quidem confirmat modus narrandi simplicissimus prioribus his temporibus consanguineus, & vetustissimæ antiquitatis nativam faciem referens.

2. Cæremoniæ. Vel enim cæremoniæ illæ Mosi sunt coævæ, vel sunt ipso posteriores: atqui cæremoniæ in Pentateuco descriptæ non possunt supponi posteriores esse Mose. Nisi enim cæremoniæ illæ sint Mosi coætaneæ, jam Pentateucus in quo describuntur, fit inintelligibilis, innumeris scatet difficultatibus & contradictionibus inextricabilibus, ac totus plenus est inutilitatibus. Supponamus enimvero Mosi posteriorem esse Pentateucum, cui bono tanta diligentia in enumerandis singulis Tabernaculi partibus? Constructo jam a multis annis tabernaculo hæc in narratione historica redundant. Ut quid tot leges de Israelitarum incessu & itinere per Desertum? &c. Hæc rerum etiam levissimarum tam accurata enumeratio vel fit otiosa, vel supponit Pentateucum his omnibus & genti Judaicæ ac Mosi coætaneum esse.

3. Historia. Facta enim quæ referuntur in Pentateuco, occasionem dederunt instituendis legibus & cæremoniis. Sic v. gr. lex circumcisionis originem habet ex fœdere Deum inter & Abraham inito. Lex Agni Paschalis propter mirabilem ex Ægypto egressum sancita est, &c. Unde leges, cæremoniæ & historia Pentateuci arctissime inter se connectuntur, & illud nobis subministrant argumentum: leges & cæremoniæ Pentateuco contentæ ejusdem antiquitatis sunt ac Moses, sive ab ipso, sive ab alio sint ordinatæ: sed historia Pentateuco contenta ejusdem antiquitatis est ac leges & cæremoniæ: utrumque enim maxima ex parte originem suam sumit ex historia. Ergo omnia Pentateuco contenta, sive a Mose, sive ab alio sint exarata, ejusdem sunt antiquitatis ac Moses. Ergo Pentateucus, &c.

CONCLUSIO IV.

Sive Moses sit Auctor Pentateuci, sive non, nihil inde ejus veritas decidit.

1. EX inutilitate hujus quæstionis. Vel unus homo Pentateucum texuit, legesque in eo contentas adornavit, vel plures simul hoc opus conflarunt. Si primum: ridiculum est veritatem dubiam habere eo quod multi testes in eam concurrant. Nullo præterea legitimo probari potest argumento ista Pentateuci auctorum multitudo. Si secundum: nomen auctoris nihil in veritatem factorum influit. Suum Legislatorem Judæi vocant Mosen; insulsa est de hoc nomine cavillatio. Sola eorum quæ in Pentateuco narrantur, movere debet veritas & certitudo. Sive ergo Moses, sive alter ab illo Pentateucum adornaverit, stat semper factorum ejus veritas.

Prob. 2. Ex natura argumentorum quibus nititur veritas Pentateuci. Nam etiam, quod tamen negamus, Pentateucus post mortem Mosis v. gr. esset exaratus, nihilominus constaret Pentateucum a Judæis summa veneratione & exceptum & custoditum esse; evidens esset nihilominus ex aliis libris sacris ab illo distinctis easdem colligi veritates, eademque facta in illis appellari Mosen & le-

& leges ab eo digestas; valerent denique omnia argumenta quæ mox Pentateuci veritatem stipabunt. Ergo.

Prob. 3. Ex consonantia cum aliis historiis. Quantumvis enim dubiæ sint & incertæ in prima sui origine aliorum populorum historiæ, sunt tamen certæ quædam epochæ quæ sunt totidem veritates generales extra omnem disputationis & dubitationis aleam positæ. I. Diluvium. II. Variorum populorum ex certis quibusdam locis origines. Atqui cum hac duplici epocha generali consonat Pentateucus. 1. Quidem quantum ad diluvium. Variæ enim variorum populorum historiæ in diversis & longe a se invicem dissitis regionibus exaratæ suæ originis sibi epocham figunt; nullam gentem reperire est quæ supra diluvium ascendat. Ab illo rerum articulo aut etiam a creatione innotescunt gentium illarum initium, incrementum, progressus, artium adinventio: atqui pariter ad hanc epocham assignat Moses gentium & artium initium & originem. Ergo narratio mosaica cum aliis historiis consentit.

2. Altera epocha est omnium gentium ex certis quibusdam locis origo. Juxta Mosen enim ex Asia ex quodam veluti centro ortum suum ducunt omnes Nationes: jam vero si revolvantur omnium populorum annales, si retrogrado gressu quæratur regio unde profecti sunt, ad illud commune centrum a Moyse fixum devenitur, eorumque annales id tacite fatentur. Idem de scientiis patet. Ne levissimum quidem detegitur vestigium, artes & scientias eodem tempore absque ulla mutua populorum communicatione. Ergo, &c.

COROLLARIUM.

Pentateucus quem nunc habemus, genuinus est & authenticus.

PRob. Ex principiis jam positis. Ex definitione prima liber genuinus, seu authenticus is est qui ab auctore scriptus est a quo scriptus esse dicitur & eo circiter tempore quo scriptus esse fertur. Ex axiomate primo omnis liber genuinus seu authenticus ille est qui ut talis habitus est ab omnibus proxime & continuata serie cum sequentibus ætatibus. Jam vero ex probatis Pentateucus ab eo auctore scriptus est a quo scriptus esse dicitur, nempe a Mose; illum revera ab eo conscriptum fuisse omnes testantur sequentes eum ætates; afferunt Auctores qua Sacri, qua Profani: ergo Pentateucus est genuinus & authenticus.

Et certe liber coætaneus is est qui eo circiter tempore scriptus est quo res in eo scriptæ contigerunt. Sed ex probatis Pentateucus, sive Mosis sit, sive alterius, ejusdem est cum Mose antiquitatis; ex probatis etiam, quæ in Pentateuco leguntur, fuerunt scripta ab oculato teste, & a quo gestæ sunt, saltem si Genesim excipias. Ergo Pentateucus est Mosi coætaneus, seu res in Pentateuco descriptæ sunt eo tempore quo contigerant & quo vivebat Moses. Porro si Pentateucus est Mosi coætaneus, nulla ratio occurrit cur Mosi tanquam auctori non ascribatur, præsertim cum ipsi ab omnibus tribuatur. Ergo Pentateucus eo ipso quo Mosi coætaneus est, jam genuinus ipsius fœtus dici debet. Genesis vero licet res renuntiet longe ante Mosen peractas, non potuit tamen non scribi eo tempore & eo auctore a quo cæteri Pentateuci libri exarati sunt, ut patet tum ex stylo ac rerum consanguineitate, tum ex connexione quæ Genesim inter & cæteras Pentateuci partes intercedit. Hæc de authenticitate Pentateuci sufficiant.

Obj. Moses non potest supponi auctor Deuteronomii; Moses enim Jordanem non transiit: atqui tamen Deuteronomium trans Jordanem scriptum est. Sic enim incipit liber ille: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moses ad omnem Israel trans Jordanem.* Ergo.

R. Præpositionem quam Latin. Interpres vertit per *trans*, in Hebraico idiomate ambiguam esse, & ex æquo significare trans & citra, & ex circumstantiis ac adjunctis determinandam esse. Non desunt in sacris codicibus utriusque significationis exempla. *Num.* 32. Fatentur Gaaditæ & Rubenitæ se terras incolendas accepisse *trans Jordanem*. Ibid. 35. Assignat urbes refugii tres *trans*, id est citra *Jordanem*. Confer Deut. 4. 41. Item Deuter. 3. 8. *Tulimusque in illo tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum qui*

er ans

erant trans, id est, *cis Jordanem*. Og namque & Sehon ratione habita Mosis scribentis erant cis Jordanem. Inde fit ut pluribus in locis Deuteron. post hæc verba *trans Jordanem*, subjiciatur ad orientalem vel occidentalem partem. Denique Gen. ult. *veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem .... & idcirco vocatum est nomen loci illius planctus Ægypti*. Ex quibus sic arguere licet. Si Pentateucum scripsit Esdras in Chananæa, ad occasum Jordanis, ut volunt adversarii, loca hæc utique ad orientem Jordanis quærenda erunt; quæ tamen ad occasum Jordanis sita esse constat. Contra vero si Mosen libri auctorem agnoscamus, cum hæc scripserit nondum transmisso ab Hebræis Jordane, loca hæc ad occasum Jordanis assignaverit, ut debuit. Observat Cornel. a Lap. hic dici *trans Jordanem*, quia respectu Terræ promissæ juxta quam Scriptura sacra solet consignare plagas & situs locorum, regio hæc trans Jordanem erat. Conjicit idem auctor Moysen forte scripsisse eis Jordanem, sed Josue aut quemlibet qui hæc Mosis diaria digessit, in Canaam jam consistentem pro eis, substituisse trans Jordanem. Satius fortasse diceretur Versionem tum Septuaginta tum Vulgatam, concinnatam fuisse, cum jam Israelitæ trajecto Jordane in terra Canaan consisterent. Nec proinde mirum videri debere si *trans* appositum fuerit. Denique solvi potest hæc difficultas dicendo Hebraicam præpositionem derivari a verbo quod transire significat ac consequenter hanc præpositionem primario ac proprie significare in transitu, inter transeundum, Gall. *au passage*, ut notat Pat. Houbig. in rad. Hebr. Hinc eodem ibi & in suis Bibliis observante, significat ad ripam. Quod confirmari potest ex Rab. Salom. R. David, & Sancte Pagnino, qui hanc vocem reddunt ad latus. V. Dupin. *Dissertat. in Bibl. p. 69.* Tollitur ergo tota hæc difficultas si vertatur non trans Jordanem, sed ad ripam, ad latus Jordanis, cum proximus esset & mox trajiciendus Jordanis.

Inst. Multa passim in Pentateuco occurrunt in laudem Mosis, quæ alienam manum manifeste innuunt. Vocatur enim homo, servus Dei, dicit se omnium mitissimum; additur nunquam similem ipsi surrexisse Prophetam, & cum Deo locutum esse facie ad faciem. Si enim hæc de seipso ipse dicat Moyses, jam superbiæ notam incurrere videtur.

R. Hæc nec alienam manum, nec superbiam referre. 1. Vox illa homo Dei idem sonat ac Propheta, seu homo a Deo missus. Sic 2. *Reg.* 13. Nec omittendum Hebræos adjectiva per ipsa substantiva sæpe exprimere, præsertim cum hac voce homo. Sic 1. *Reg. c.* 12. vir belli, id est bellicosus. *Gen.* 9. 20. vir terræ id est, agricola. 2. *Reg.* 16. 7. vir sanguinum, id est, homicida. Itaque homo Dei, id est homo divinus, seu a Deo missus. Sic S. Paulus vocat Timotheum hominem Dei, id est a Deo missum, divinaque institutione ad sacra munia destinatum. 2. Semel tantum seipsum laudat Moyses, sed ea occasione qua laudem istam Dei gloria exigebat. Agebatur de Mariæ rebellione quam Deus lepra castigaverat. Vindicanda ergo erat divinæ ultionis æquitas. Ergo Mariæ iniquitas ex Mosis mansuetudine evincenda erat. Etiamsi vero Josue huic Mosis narrationi inseruisset ipsum fuisse omnium mitissimum, non video cur ideo falsi suspecta fieret tota hæc narratio. 3. In eumdem finem, nempe ad commendandum ministerium suum, sæpius se cum Deo facie ad faciem loqui commemorat. Cum enim leges & doctrinam promulget sola auctoritate divina fundatas, non mirum si divinum commercium frequenter appellet.

Inst. In toto Pentateuco agitur de Moyse in tertia persona; ergo Moyses non est ille qui scripsit Pentateucum.

R. n. conseq. In tertia persona de se loquitur modestiæ causa, quia agit de donis cælestibus sibi concessis. Sic S. Paulus de visionibus ac revelationibus suis in tertia persona loquitur. Sic Esdras seipsum sæpe hæc vel illa agentem aut dicentem inducit. S. Joannes in tertia persona dicit se discipulum quem diligebat Jesus, seque capto Christo fugisse eadem phrasi insinuat. Omnibus sacris Scriptoribus hic mos familiaris est. Immo prophanis usitatissimus est. In Commentariis Cæsaris, in Cyri expeditione a Xenophonte adornata, uterque tum

Cæ-

Cæsar, tum Xenopho de se loquuntur in tertia persona.

Inst. In fine Deuteronomii describitur Mosis obitus & sepultura. Jam vero repugnat Mosen ipsum propriam mortem & sepulturam exscripsisse. Ergo.

R. n. conseq. Etiamsi enim Moses non exaraverit ultima verba Deuteronomii, non sequitur totum Pentateucum alio nomine Mosi suppositum fuisse. Hæc a Josue addita fuere, aut saltem addi potuere; immo fortasse caput Deuteronomii trigesimum quartum olim erat primum libri Josue.

Inst. *Gen.* 12. 6. legitur Abrahamum ex Haran venisse Chanaan; & addit auctor, *Chananæus autem tunc erat in terra*. Hæc ultima verba significant eo tempore quo scripta sunt, jam non extitisse Chananæos in illa regione. Ergo auctor Geneseos expulsis Chananæis posterior extitit; atqui tamen cum Moses scribebat, aut scripsisse supponitur, Chananæi adhuc erant in terra Chanaan; quæ sic resumo. Dum Moses scribebat, aut scribere debebat, Chananæus erat in terra Chanaan: atqui cum liber Genesis exaratus est, Chananæus non erat in terra Chanaan; ergo liber Genesis Mosen auctorem non habet.

R. n. min. 1. Duo supponere videtur hæc objectio quæ aut dubia, aut falsa sunt. Primum per terram quæ hic appellatur Chanaan, intelligi totam Palestinam, & nomine Chananæi designari omnes populos qui sic vocabantur; quod valde dubium est aut falsum. Nam per terram illam opportune omnino intelligi potest urbs Sichem & regio ipsi adjacens; per Chananæos vero designari possunt ii qui nomen istud specialiter sibi affectabant, erantque populus, vel tribus singularis inter populos Chananæos. *Confer. Gen.* 13. 7. Secundum quod supponit hæc objectio est per illas voces, *tunc erat*, exprimi Chananæos fuisse in illa terra tunc per exclusionem ad tempus quo scribebatur Genesis; quod falsum est: nullam enim exclusionem præ se fert hic loquendi modus, tunc erat: Gallice, *il étoit alors, déja*.

Inst. Non alia de causa observavit Moyses Chananæum fuisse in terra cum in eam devenit Abraham, quam quia cum scribebat, jam in ea non erat. Ergo.

R. n. ant. duplici de causa istud adnotavit Moses. 1. Ut factum historicum nos edoceret: 2. ut Abrahami fidem & generositatem commendaret. 1. Quidem decebat notum facere habitatorem terræ quam possessurus erat Israel & cum quo rem habiturus erat. Certum est enim Palestinam filiis Sem, non filiis Cham primitus obtigisse. Hinc non immerito conjicit Aben-Ezra Chananæos terram invasisse cum ab aliis occuparetur: hanc ergo occuparunt posteri Sem quousque a Chananæis deturbarentur: quidquid sit de hac conjectura, certum est filios Noe non statim, sed paulatim & successu temporum varias terræ partes occupasse. Innuit ergo inde Moyses Chananæos non semper, nec a primævo tempore ibi habitasse, significat regionem illam sibi affectasse jam antequam Abraham illuc deveniret, nundumque expulsos fuisse tunc temporis. Idem adnotat Esdras, licet ea scriberet ætate qua vel infantibus ipsis illud notum erat. Fidem etiam & magnanimitatem Abrahæ inde commendabat cum eum in infidelem terram descendere & publicam veri Dei professionem edere, ibique sedem figere postea tradit.

Inst. In Pentateuco multa leguntur quæ extra Mosis vitam longe lateque exeruerunt. Sic v. gr. *Exod.* 16. legitur filios Israel comedisse manna quadraginta annis usque dum tangerent fines terræ Chanaan; quod supponit Pentateucum eo scriptum tempore quo Israel in Chanaan pervenit. Ergo non supponit Mosen esse hujus auctorem.

R. ad prob. n. Et dico ex præfatis verbis non sequi Pentateuci auctorem eo scripsisse tempore quo filii Israel terram promissam attigerant: 1. valet sæpius prolata conjectura. Nihil vetat hæc aliena manu in margine apposita & a margine in textum ipsum ab alio deinceps translata fuisse. Factorum veritati nihil inde deperit. 2. Cum manna Mosis precibus deberetur, potuit Propheta ille divino spiritu prænoscere quamdiu mansura esset. Ita quidam 3. observandum cum aliis Moysen juxta *Deuter.* 1. 3. mortuum non esse nisi cum filii Israel jam jam fines terræ Chanaan tangerent; ac proinde eo circiter tempore quo man-

manna manducare cessaverunt filii Israel. Potuit ergo ille gentis Judaicæ Historiographus verba illa suo loco & ordine propria manu reponere antequam moreretur.

Inst. Sit aliud istud exemplum. *Genes.* 36. 31. multa leguntur quæ sibi & Geneseos authenticitati non concordant, 1. quidem *v.* 15. 20. nepotum Esau potentia describitur, & quatuordecim enumerantur ex eis Duces; jam vero minime concipitur quomodo tot Duces & Principes simul dominati fuerint in Idumæa. 2. *v.* 31. 40. Octo Reges enumerantur qui in Idumæa regnaverunt, additurque eos regnasse antequam haberent Regem filii Israel. Porro hæc nec sibi, nec cum Mose Geneseos auctore consentiunt. Nam quid sibi volunt Reges illi, cum jam Duces imperarent? Præterea difficile est omnino determinare quisnam sit ille Rex in Israel. Non sane Moses. Nam nomine Regis non potest designari qui quocumque tandem modo summam habent potestatem. Etiamsi enim hunc sensum hæc vox quandoque in sacris codicibus sortiatur, hic tamen designat Reges stricte ac proprie. Nam Ducibus opponitur. Ergo non potest ea ratione intelligi Moyses. Quod si Saul assignetur, jam totam suam vim habet objectio. Deinde Adar, Regum illorum ultimus, Obed Davidis Patri correspondet, ac proinde Sauli, primo Judæorum Regi coætaneus est. Enimvero ex 15. *Exod.* 15. populus Edom per Duces, non per Reges regebatur cum Israel ex Ægypto egressi sunt. Constat etiam ex *Num.* 20. 14. Edomitas Regem habuisse, cum Moses per terram eorum transire voluit: unde sequitur primum Regem in Edom regnare cœpisse ann. 3515. paulo post Israelitarum egressum ex Ægypto. Nam etiamsi supponatur primum Regem Edom successisse Ducibus nepotibus Esau, cum Moses quintus recenseatur post Jacob linea recta, & primus Rex Edom fuerit Belah, jam generationes perfecte sibi correspondent in unaquaque familia. Jam vero evidens est octo Reges in Edom regnare potuisse a Moyse ad Saul. Nam a Belah ad Saul unctum an. 2909. intercedant ann. 399. singuli debuerunt regni habenas tenere ann. 48. quem annorum numerum ferebat vita hominum hujus ætatis. Ergo Regum illorum duratio extra ætatem & usque ad tempus Regum Judæorum excurrit. Ergo verba illa produnt auctorem Regum Judæorum ævo coævum.

Deinde difficultatem augent hæc verba: *antequam haberent Regem filii Israel*; quanam enim ratione istud præscire & adnotare potuerit Moses vix perspicitur. Hic enim ad prophetiæ donum frustra recurritur. Historicum hic agit Moses; nullo prænotat signo se oraculum fundere, ut ipsi alias mos est. V. Huet. *prop.* 4. 14. §. 13. & Bonfrer. Nec aliena manu assutum esse dici potest. Vix enim concipiatur addi posse duodecim versus serie continua.

Denique dum *v.* 15. 16. 17. & 18. decem & quatuor recensentur Duces; *v.* 40. undecim tantum enumerantur; & 1. *Paral.* 1. 51. innuitur illos undecim post quatuordecim regnasse. Quæ omnia sibi non consonant. Hæc itaque sic pressius urgeo. Ille liber non sibi cohæret qui innumeros Principes eodem tempore dominantes exhibet: atqui talis est liber Genesis. Ergo.

R. n. min. Vox hebraica designat tantum familiarum capita, ut erant inter Judæos duodecim filii Jacob. Ac proinde potuerunt simul degere, nec exhibentur quatuor-decim Principes summa rerum simul partientes.

Inst. Nulla ratio reddi potest cur post Duces commemorentur Reges. Ergo hæc narratio sibi non concordat.

R. n. ant. 1. Enim fieri potest ut pro solito rerum eventu mutata fuerit regiminis forma. Quid vetat enim Duces Edomitas Horræis Ducibus prævaluisse ac sic Horræos summa expoliatos fuisse potestate, Edomitas vero paulatim regium nomen usurpasse. Juxta Maimonidem Reges illi qui in Edom regnarunt, Idumæis erant alienigenæ; tuncque sensus est Idumæos servituti addictos ex prophetico Isaaci testamento jam octo Regibus serviisse.

Inst. Regum illorum duratio extra ætatem Mosis excurrit, & eorum novissimus regno Saul coincidit. Ergo hujus narrationis auctor non est Moyses.

R. n. ant. In tantum Regum illorum series ultra Mosis ætatem protenderetur in-

in quantum supponeretur Reges illos fuisse omnes filios aut nepotes Esau & sibi hæreditario sanguinis jure successisse; porro istud gratis supponitur. Immo cum singuli illi Reges diversam habeant patriam, nec ullibi dicatur filium Patri successisse, pronum est concludere regnum illud fuisse electivum. Hinc breviori tempore singulorum regnum durare debuit; non eliguntur enim nisi homines maturæ ætatis; ac consequenter 25. tantum annis regnare potuerunt. Ergo series illa ad Saul non pertingit, mosaicaque tempora non excedit, immo ante hunc scriptorem finem habuisse videtur. Nec omnino necesse est determinare quisnam sit ille in gente Judaica Rex, antequam Reges illi regnasse dicuntur, nec in hac conjectura ullum est periculum si Saul appelletur.

Inst. Inter recensendos Duces Edom, *Gen. 36. ỷ. 15. 16. 17. 18.* quatuordecim enumerantur; at vero infra eod. cap. ỷ. 40. undecim tantum referuntur; atqui hæc sibi non cohærent. Ergo.

R. n. min. 1. Non est eadem enumeratio. Hæc enim posterior exhibet varios Tribuum Principes penes quos summa rerum erat, cum Moses apud Madianitas moraretur. Principes autem illi singuli singulis imperabant sub uno Rege & Principe primario. 2. Ideo forsan undecim tantum postea commemorantur Duces, quia aliquæ aliæ Tribus ab aliis defecerant: Sic Amalecitæ primo inter Idumæas Tribus continebantur; hinc in prima serie reponuntur. Constat tamen in corpus & nationem specialem coaluisse, & seorsum ab aliis Tribubus habitasse. Hæc eo majori jure conjicere licet quod altum sit hic Scripturæ silentium.

Inst. Geneseos narratio non concordat cum *1. Paralip. 1. 51.* in quo scribitur undecim illos posteriores Duces imperasse ante quatuordecim qui priores describuntur in c. 36. *Genes.*

R. n. ant. Dissonantia illa oritur ex scriptione libri Chronicorum, seu verborum dierum quem nos juxta Græcum librum Paralipomenon dicimus. In Hebræo sic legitur loco & ỷ. citato: *& mortuus est Adad & fuerunt Duces Edom.* At secundum illud *&* superfluum est & redundat hic ut alibi passim. Legendum potius videtur cum Septuaginta per modum tituli: *Duces Edom.* Porro expuncta particula copulativa in posteriori hemistychio tollitur & evanescit tota contradictio. Nihil enim tunc indicat undecim Duces quatuordecim præivisse juxta Paralipomenon narrationem. Quidquid sit, nusquam evinci poterit undecim illos Duces altius supra Mosis ætatem ascendere. In confesso est enim apud omnes & constat ex Num. 20. 14. Duces illos cessasse, jamque viguisse regium imperium, cum Israelitæ egressi sunt ex Ægypto. Hinc 1. undecim illi Duces debuerunt esse coætanei & simul singuli in singulis Tribubus imperium gerere. 2. Forma hujus regiminis originem suam debere videtur interregno alicui. Forsan enim post mortem Adad de eligendo ejus successore convenire non potuerunt; vel regimen aristocraticum monarchico successit. 3. Interregnum illud diuturnius non fuit. Nam quadraginta annis post egressum ex Ægypto Regem habebant Edomitæ. 4. Denique Duces illi mortui erant & finem acceperat eorum imperium, cum Moses Genesim scribebat.

Inst. Multa loca alio nomine donantur in Pentateuco quam tempore Mosis habebant. Unicum sufficiat exemplum. *Genes. 14.* Abraham dicitur Reges persecutus usque Dan. Tempore autem Mosis civitas illa vocabatur Lais aut Lezem. Ergo Genesis Mose posterior est.

R. 1. Leves potuisse fieri textui Mosaico additiones ejus veritati minime infensas. v. g. In exemplo allato *Gen. 14.* forsan in textu legebatur: persecutus est eos usque Lais, aut Lezem. Expositionis causa aliquis in margine adnotaverit Dan. Lapsu temporum transcriptores textui notam inseruerunt sic: persecutus est usque Lais, quod est Dan, paulatimque ex textu Lais, omnino excidit. Nemo sane mirari debet aut in culpam vertere, sive hæc, sive alia multa levioris momenti quæ in præcedentibus objectionibus suppositionis arguuntur, addita fuisse a Josue aut a Samuele, aut etiam ab Esdra. Quis enim libri alicujus authenticitatem inde elevare aggressus est quod ejus editor in uno aut altero loco notas aliquas expli-

cationis causa addiderit? Quæcumque antea attulimus argumenta de conservatione Pentateuci, militant tantum contra mutationes essentiales. 2. Potuit esse multiplex civitas nomine Dam donata; sicut plures erant Ninive, plures Antiochiæ, &c. quod sufficit ut non tam præceps feratur judicium. Cæterum probabile est nomen illud Mose fuisse antiquius. Ante Mosen enim extitisse Jordanem nemo negabit. Sciunt etiam omnes nomen suum Jordanem habuisse ex duplici fonte a quo oriebatur, quorum uni nomen Jor, alteri vero Dan, quorum uterque eunti Damas occurrit. Ergo antequam urbi Lais nomen Dan indidissent Danitæ, alter Jordanis fons nomine Dan vocabatur. Ergo illud Dan designare potuit Moses.

Inst. *Deuteronom.* 27. jubet Moses ut in circuitu altaris describantur verba legis: porro per verba legis intelligitur Pentateucus; nec poterat totus describi in altari; juxta Rabbinos enim altare illud duodecim tantum lapidibus constabat. Ergo Moses non est auctor Pentateuci quem nunc habemus.

R. 1. n. min. Verba Legis & Lex unum & idem sunt phrasi Hebraica. Porro non totus Pentateucus, sed solum Deuteronomium hoc nomine donabatur. His enim Moysi jussis obtemperans Josue c. 8. *Scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, sicut præceperat Moses.* 2. Ad probat. min. dico numerum lapidum qui ad construendum altare assignatur, sola Rabbinorum fide & auctoritate determinari. Et certe vel duodecim tantum vel plures erant lapides in illo altari. Si primum: Deuteronomium facile in iis inscribi poterat. Si secundum: vel ipse Pentateucus in iis exarari potuisset. Ergo.

QUÆSTIO II.

De veritate Pentateuci.

NArratio mosaica in hodierno Pentateuco contenta mendacii labem contrahere, aut fraudis suspicionem imbuere non potest nisi vel quia vera non scripsit Moses, vel quia quæ ad veritatis normam digesserat, illæsa & integra ad nos non devenerint. Hæc ergo duo exigit hodierni Pentateuci veritas & a nobis sunt stabilienda. Ut autem constet vera narrasse Mosen, debet certo sciri rerum quas refert & scientissimum & fidelissimum esse narratorem; nec deceptum, nec deceptorem fuisse. Deinde integritatem ac certitudinem medii quo ad nos devenit Mosis testimonium expendemus; sic plena nobis aderit veritas. Hæc itaque omnia singulis propositionibus stabiliemus.

CONCLUSIO I.

Rerum quas in Pentateuco narrat Moses, si Genesim excipias, oculatus fuit testis.

PRob. Ex probatis Moses est auctor Pentateuci, aut saltem Pentateucus est ipsi coætaneus. Sed auctor Pentateuci, excepta Genesi, nihil narrat nisi quod ipse vel fecerit, vel viderit. Sint enim in exemplum hæc facta: exitus de Ægypto, lex data in monte Sina, manna e cœlo per quadraginta annos cœlitus missum. Horum sane factorum propriam & physicam habuit certitudinem auctor Pentateuci, constantemque experientiam. Hæc sicut sibi dissimulare, sic sibi gratis fingere non potuit. v. g. Sibi persuadere non potuit se virgam in serpentem bis & ter mutasse, quam tamen non mutaverit. Manna se a Deo postulasse & manducasse, Israelitarum adversus se rebelliorem & querimoniam de ciborum defectu non potuit sibi fingere. Ergo factorum Pentateuci Moses fuit certissimus & oculatus testis.

CONCLUSIO II.

Rerum quas in Genesi refert Moses, certam cognitionem habere potuit, & habuit.

PRob. 1. Potuit ediscere via traditionis certæ & indubiæ. Ad duo capita facile revocari possunt quæ in Genesi leguntur. Vel enim agitur de iis quæ diluvium præcesserunt, vel de iis quæ illud ad Mosen usque subsecuta sunt. Porro utrumque Mosi constare potuit & revera certo constitit ex traditione certa & indubia,

dubia. Primum quidem. Nam inter me moratos illos eventus & mosaicæ narrationis ætatem paucissimæ intersunt generationes, quarum unaquæque ætas ab altera facta illa ediscere potuit. Diu etenim Moses cum Levi avo suo vixerat; hic vero cum Isaac multo tempore con versatus fuerat; Isaac pariter multis annis socius fuerat Sem filio Noe; nec minus Noe quam sexcentis annis Mathusala viderat, qui quidem Mathusala ducentis annis Adamo fuerat comes & conviva. Jam vero Noe trecentis quinquaginta annis post diluvium superstes fuit, sexcentorumque erat annorum cum venit diluvium; filius vero ejus natu major centum annos attigerat, & tricentis quin quaginta annis diluvio superstes fuit. Potuit ergo nepotes suos edocere quæ de diluvio & Gentium dispersione viderat, & quæ de creatione audierat ab avis suis. Ergo Moses certo rescire potuit quæ diluvium præcesserunt. Pariter quoad secundum, nempe potuit rescire ea quæ spectant creationem. Adam potuit ea quæ de ea resciverat, filios & nepotes suos edocere qui eadem suis posteris tradiderunt. Unde. Illa potuere certo sciri inter quæ & ætatem Mosaicam quinque tantum intercedebant generationes sibi invicem commixtæ, sibique invicem nulla interpositione succedentes. Atqui inter Mosen & creationem quinque tantum, &c. Ergo. &c. Debuerunt autem sic sibi manu continua facta illa transmittere. 1. Enim facta illa erant conspicua & maximi momenti, notatu ac memoria digna. Deinde nullam rem aliam nisi suorum avorum historiam filios suos edocere potuerunt. Nondum enim artes & scientiæ enatæ erant, nondum proruperant nisi angustæ admodum philosophicæ quæstiones & conceptiones. Ergo temperare sibi non potuerunt patres quin filiis & nepotibus suis avita illa facta traderent. Ergo certo & rescire potuit & rescivit Moses facta quæ in Genesi refert ex traditione. Nec omittendum capita quidem generationum pauca fuisse, membra autem multa, ac proinde nulla ex parte errorem ediscere potuisse.

2. Quæ in Genesi narrat Moses, ea ediscere potuit ex monumentis. Non defuerant enim Abraham, Isaac & Jacob in erigendis præcipuorum vitæ suæ eventuum monumentis. Apud circumjacentes populos & in terra Canaan adhuc extabant monstrabanturque variæ quas fixerant habitationes, putei quos effoderant, montes in quibus Deo immolaverant, lapides quos in titulos erexerant, &c. Quin immo illorum Patriarcharum ipsa nomina suæ indoli aut fortunæ aut nativitati relativa, erant totidem monumenta quæ vel ipso adhuc tempore Mosis spirabant factorum eorumdem veritatem. Quin immo multæ & apud Judæos & apud cæteros Populos variæ consuetudines, his solis eventibus relativæ, eventus illos asserebant.

3. Idem potuit scire ex factis, scriptis & canticis. Novimus enim apud alias Gentes tunc moris fuisse eventus conspicuos cartis mandare, vel etiam carminibus celebrare. Vigebant tempore Mosis hujuscemodi carmina, ut videre est *Exod.* 13. *Deut.* 32. Quædam alia indicantur, *Num.* 21. quorum initia tantum intonat Moses, eo quod reliqua calleret populus.

4. Denique divina revelatione, cujus realitatem astruunt miracula & oracula quibus certitudinem faciemus.

COROLLARIUM.

Rerum quas narrat Moses in Pentateuco, fuit scientissimus.

PRob. Ille rerum illarum fuit scientissimus quarum alias aut fecit, aut vidit, alias vero certo cognovit, vel traditione nimirum, vel monumentis, vel divinæ revelatione, &c. Atqui ex probatis res ita est. Ergo primam legitimi testis dotem ac conditionem sibi vindicat Moses. Ergo nisi in rerum quas per spectas habebat, narratione fallat, & decipiat, certum & indubium erit ejus testimonium. Deceptorem itaque non fuisse ostendamus.

CONCLUSIO III.

Moses in iis quæ refert in Pentateuco, noluit decipere.

PRob. 1. Ex circumstantiis. Si Moses consilium decipiendi animo imbuisset, illud

illud consilium executus fuisset vel inscio vel conscio Israele: atqui neutrum dici potest. Non inscio. Volunt enim Deistę Mosen peritum fuisse in arte fallendi, ac subtilem impostorem. Porro repugnat subtilem impostorem fraudes nectere apud integram gentem, inscia & inconsulta illa gente: peritus enim impostor nihil tentat nisi securus sit de eventu & prosperum successum sibi promittere possit cum legitimo aliquo fundamento. Insanum est fabulas excogitare, ea sola mente ut impostoris nomen acquiratur. Ergo plurimos fraudis conscios sibi adsciscere & lucrari debuit Moses quibus apud alios fidem sibi pararet. Hic enim cum agatur de factis quorum testis & author esset totus populus, nullam sibi fortunam prudenter promittere potuit, nisi prius totius populi, aut saltem maximæ partis fidem sibi obstrinxisset. Alias soli impostoris famæ sese exponit. Ergo non inscio populo. Non etiam conscio. Qui enim conscio aliquo dolos machinatur, animum ejus disponit, ac demulcet, nihil nisi quod ipsi gratum est & jucundum, facit & dicit; fraudem semper obfirmat, ea cavendo quibus manifestare posset. At e contra Moses populi culpas aperte detegit & severe objurgat; millies & iteratis vicibus facta illa, quæ adulterina supponuntur, eorum animis ingerit & in mentem revocat; monumenta in eorumdem factorum memoriam statim erigit, & erecta sæpe commemorat; præcepta quæ aliis rationibus fulcire potuisset, in hæc facta reclinat; inde suas assumit exhortationes, inde aut consolationem proponit, aut minas intentat; inde spem metumque vicissim educit. Porro non sic se gerunt qui decipere intendunt. Ergo Moses non ea usurpavit media quibus Populum vel inscium vel conscium deciperet. Ergo noluit decipere.

Et certe omnino repugnat Mosi in mentem venisse rem omnino impossibilem: jam vero gentem integram, præsertim Israeliticam, huic fraudi consensisse omnino repugnat. Nam repugnat secretum illud tot hominum millibus credere, & tantæ multitudini creditum ab ea servari; repugnat hominem sanum fidelitatem sibi promittere a Populo, alias tam duro, tam difficili & rebelli. Repugnat denique ut Moses tot sceleris conscios, tot si fraudum testes, gentem scilicet integram sibi quæsierit.

Prob. 2. Ex natura rerum quas narrat Moyses: Si decipere voluisset Moses, vel in doctrina, vel in legibus, vel in factis & miraculis. Porro in nullo horum decipere voluit Moses. Non in doctrina. Fatentibus enim Deistis & conscio quolibet attendente, omnia Pentateucі dogmata rectæ rationi mirum in modum consonant; porro nemo concipiat talem doctrinam tam præclaras Dei ideas, tam eximias pietatis, virtutis & sinceritatis notiones ab eo proferri qui ipse nequissimus esset impostor. Immo nemo concipiat impudentissimam illam imposturam non alio fine adhiberi, quam ut doctrina sanctissima & mendacio prorsus inimica hominibus instilletur. Ergo non in doctrina. Nec etiam in legibus. In condendis enim legibus quilibet Legislator populi felicitatem unice intendit, sedulo ea cavet quæ huic felicitati obstare possint. Jam vero leges Mosaicæ duræ sunt, immo si independenter ab authoritate divina, & in se attendantur, videntur omnino inutiles. Cui enim bono tam frequentia, tam onerosa itinera? quid durius Circumcisione? quid onerosius tot ablutionibus? Immo ex his ritibus plurimis aliis gentibus probro erant Judæi. Sic ex circumcisione vocabantur curti, verpi, recutiti; ita testatur Philo. Nemo non sentit tanto oneri imparem fuisse naturam humanam, nec eo usque ex se docilem esse ut tanta sibi imponat. Ergo si decipere voluisset Moses, alia incessisset via. Ergo legibus noluit decipere. Enimvero qui Imperia condunt & populis jura decernunt, solent populorum propensionibus favere; saltem propensionibus validissimis & longo usu firmatis adversari non sustinent. Undenam ergo unus Hebræorum Legislator artem illam non adhibeat? Cur rem quam populi omnes, quam ipsamet gens Israelitarum tantopere sectabantur & in quam adeo proclivis erat ipsamet gens Israelitarum; cur inquam, rem illam, Idololatriam nempe, non modo non approbat, sed severe prohibet? Undenam tam

va-

validæ; tam constanti propensioni obsecundare noluit Moyses, sed eam e contra tanto studio impugnat & legibus coercet? Non sane ut Israelem a cæteris populis distinguat; alios enim & faciliores & promptiores habebat distinctionis caracteres. Imprudentissime ergo egisset fraudes his legibus moliendo. Insanit profecto legum & imperii Conditor qui omnium cæterarum gentium invidiam & odium in populum concitat: jam vero id in suis legibus præstitit Moses. Nam omnes alii populi alios populos invitabant ad mutuam societatem & confœderationem, immo ad incorporationem; solus Moses a societate illa Judæos interdicit, incorporationem illam difficilem, impossibilem etiam efficit legibus quas circa proselytas decrevit. Præterea undenam nullus præter Mosen hucusque repertus est impostor qui tantam adeoque numerosam hominum multitudinem sibi subjiceret? Cur nullus Rempublicam Judaicæ probitatis amulam, pietate, legum sapientia & morum candore floridam efformavit? Quid effecere Sapientes illi in Græcia nominati? paucos sibi adsciverunt discipulos, aut potius disputatores, in immenso temporum pelago brevi absorptos, quorumque nomina vix ad nos devenerunt. Nec dicere est aliarum gentium libros deperditos esse. Saltem enim societates his placitis addictæ superstites adhuc fuissent. Unde. Si fraudes egisset Moses, fraudes illæ debuissent cedere in totius populi utilitatem & commodum, non vero in gravamen & nocumentum ejus vergere: Legislator & impostor leges non condit graves, sed toti societati commodas & utiles: non communibus omnium & antiquis propensionibus adversatur, sed iis quantum potest se attemperat; aliquas saltem apponit exceptiones saltem respectu magnatorum, alias vix ac ne vix multitudinem sibi subjicit, nec nisi paucos asseclas sibi advocat. Jam vero Moses leges durissimas & inutiles Israelis propensionibus dissonas proposuit, nulla exceptione apposita, hisque legibus gentem integram subjecit. Ergo artem & agendi rationem impostori solitam non tenuit; ergo in legibus decipere noluit. Nec denique decipere voluit in miraculis. Fraudum machinator ea facta proponit quæ dolum suscipiant, & ad errorem sint attemperata: non publica proinde, aut conspicua, sed occulta & in angulo peracta: paucos advocat testes, immo ad fraudem dispositos & paratos. Fraudum machinator cum præsentem tantum captet utilitatem, æternitati non studet, sed posteros timet & fugit, nedum fraudum monumenta ambiat, immo si quæ appareant, statim ea evertit; nullas cautiones adhibet aut adhibendas suadet ne rerum labatur memoria, multas vero ut aboleatur. Denique fraude animis semel percepta, delusorum oculos testes nullatenus appellat; jam vero contraria præstitit Moses. Facta refert publica, omnium oculis conspecta: gentem integram & spectatricem habuisse se vult, & testem oculatum vocat; singulis quibusque eventibus monumenta erigit perpetua, populo, ut ita dicam, commensalia ac familiaria ac in ipsius populi manibus posita. Atqui sane si in miraculis decipere voluisset, hæc omnia sedulus & sapiens vitasset. Ergo.

Prob. 3. Ex Mosis indole, seu vita & scribendi ratione, seu stylo. Et quidem ex indole & vita Mosis. Ea est enim Mosis indoles ut ex una parte nullis humanis defectibus laboraverit, ex altera vero omnes viri boni caracteres evidenter sibi vindicet. 1. Humanis defectibus non laboravit. Nam vanæ gloriæ cupido, inordinata propriæ familiæ cura, sunt præcipui defectus quibus subjacent ii qui societatibus præsunt. Porro his defectibus non laboravit Moses. Nam nihil in gratiam propriæ familiæ decernit; immo patitur eam misceri in Levitarum turba, sicque a publicis honoribus & muniis eam excludit. Nullum præterea dominationis fastum aucupatur. Deinde exhibet omnes viri probi caracteres. Proprios defectus sponte fatetur v. g. diffidentiam ad rupem. Gloriam quam ex sui adoptione per filiam Pharaonis facta sperare poterat, lubens abdicavit, nec quicquam honoris sibi arrogavit. Vix ac ne vix, nec nisi cum Deo diu multumque luctatus provinciam liberandi Israelis in se suscepit. De se ipso ac suis præclare gestis inter bella, &c. altum silet, & ex

iis ea tantum delibat quæ vel Dei consilia in Israelem, vel missionis suæ divinitatem arguere possent. Sic v. g. post narratam divinam sui ex aquis liberationem, se & quæ 40. annorum spatio gesserit omnino tacet. Porro hic sibi non defuisset impostor, sed vacuum illud gestis pluribus generosis ac stupendis decorasset. Mosen sane fecisset in Aula Pharaonis celebrem ac præpotentem; ipsum exhibuisset rebus subtilissimis studentem, acutissimi ingenii ac virum denique numeris omnibus absolutum. Unde sic resumo. Moyses constanter & in omnibus præ se fert summam modestiam maximumque famæ & gloriæ contemptum, sive in se, sive relative ad familiam suam spectetur; sive cum munus sibi impositum suscipit, sive cum illud exercet, sive cum ea narrat quæ munus illud spectant. Ergo indoles & vita Mosis probant eum decipere noluisse. 2. Idem evincit ejusdem stylus & scribendi ratio. Nam sublimia & altissima quæque significantioribus simul & simplicioribus verbis exprimit, non vanæ studet eloquentiæ, non inani & nativæ hominum curiositati favet. Nulla sane industria humana assurgere potuit ad stupenda quæ narrat Moses, nec ea describere potest sine summa admiratione, cujus vividos sensus comprimere certe non potuisset eo usque ut nulla hujus vestigia narrationi impressa manerent; v. g. admirationem, exclamationem, &c. Jam vero hæc omnia negligit Moyses, sola veritate fretus. Et inter scribendum humanos affectus exuisse videtur. Ergo & stylus, & Mosis agendi ratio, &c. evincunt eum decipere noluisse. Præclarum enimvero impostorem humanis affectibus superiorem, humanis defectibus impervium.

CONCLUSIO IV.

Moyses in iis quæ scripsit decipere non potuit, etiamsi voluisset.

PRob. Generale est & ab omnibus concessum principium; nempe impossibile est omnes homines simul & universim insanire ac desipere. Stultitia universalis repugnat naturæ hominum. Idem dic de gente integra & numerosa. Unde illud supponi non potest quod omnium hominum naturæ repugnat: atqui omnium hominum naturæ repugnat Mosen decipere potuisse in iis quæ in Pentateuco narrat & scribit, etiamsi voluisset decipere. Illud enim omnium hominum naturæ repugnat quod fieri non potest quin supponatur omnes homines, aut quod idem est, gentem integram & numerosam, qualis est Judaicus Populus, insanire & desipere; atqui fieri non potest Mosen decipere potuisse, id est, revera decepisse, quin supponatur omnes homines, aut quod idem est, totam gentem Judaicam insanire & desipere. Vel enim Judæi facta quæ in Pentateuco leguntur, vera esse ex animo crediderunt, dum tamen talia forent, vel non. Si crediderunt: ergo omnes insanierunt. Insanos enim oportet esse eos qui sibi persuadent se Mare Rubrum sicco vestigio transiisse, manna manducasse, &c. dum tamen nihil horum fecerunt. Uno verbo decipiebant omnes ad unum Judæi, dum credunt se egisse, vidisse & audivisse quæ tamen nusquam egerunt, viderunt aut audierunt. Si vero non crediderunt Judæi illa facta, jam alio stultitiæ genere insaniunt. Tunc enim gens integra & numerosa 1. duras ac difficiles leges acceptat, propter miracula quorum falsitatem intime novit, dum nulla adest legitima legum illarum ferendarum auctoritas. 2. Gens integra proprie subscribit infamiæ quæ tamen fictitia est, & propter miracula fictitia: atqui hæc duo præstare non potuit gens Judaica quin tota insaniret. Ea est enim omnium hominum natura ut legibus, præsertim si duræ sint, nunquam se subjiciant nisi legitima auctoritate ferantur: id prodit ex innato libertatis amore. Ita etiam a natura facti sumus ut nolimus falsa nobis supponi crimina. Possunt aliquando fingi quædam genti alicui decora & ei placere; at si, quæ gratis finguntur, sint genti indecora, nusquam recipietur ille liber. Ergo sensus illos toti humano generi communes & naturales deponere debuit tota gens Judaica. Debuit Moyses toti genti proponere, debuit tota gens uno ore fateri, quin & toti mundo promulgare proprium dedecus & op-

pro-

probrium gratis confictum. Ergo facta a Moyse in Pentateuco relata admittere non potuerunt Judæi, quin insanirent, si facta illa falsa sint: ergo communi hominum naturæ repugnat Moysen decipere potuisse, etiamsi voluisset.

Et certe agitur hic de factis publicis ac conspicuis, ac multo numero repetitis; immensa hic adest hominum multitudo cui proponuntur & persuadentur illa facta, licet facta illa huic multitudini sint gravia & publica: atqui communi hominum naturæ repugnat Mosen decipere potuisse circa facta hujusmodi. Ut enim Moyses facta illa quasi vera transmitteret, debuit 1. tota gens Judaica, aut saltem major pars, ejus fraudi excogitatæ consentire, & cum Mose concurrere ad ejus promulgationem. 2. Debuit fraudis hujus consilium eo velari silentio ut facta illa, licet gratis conficta, veritatis tamen semper colorem servarent: atqui utrumque illud, id est, tum generalis doli concertatio, tum perpetuum ac fidele de ea silentium communi hominum naturæ repugnat. Et 1. quidem nemo concipiat concertationem tam generalem potuisse fieri inter tot hominum millia: præsertim si homines illi sint duræ cervicis; communi hominum naturæ repugnat ut in ordinando consilio, præsertim fraudulento, ita omnes consentiant, ut ne unus quidem aut alter a cæteris dissentiant. Omnibus communis est ac naturalis in veritatem amor, nec facile concipitur tot homines sensum illum sic unanimiter & subito exuere. Deinde præter hæc mox recensita toti humano generi communia, aderat adhuc ratio Judæis propria & specialis. Quæ enim narrat Pentateucus ea non sunt vulgaria, nec ita soli Judaicę genti propria ut aliis populis sint indifferentia. At e contra extraordinaria sunt, & non parvam infamiæ notam in plurimas gentes respergunt, adeo ut cæteri per orbem dispersi populi talia frigidi audire non potuerint. Si enim facta Pentateuco contenta falsa sint, timere debebant Judæi ne detecta fraude, cæteris gentibus ludibrio fierent & opprobrio, v. g. Si plagæ Ægyptiacæ, si transitus Maris Rubri, &c. totidem sunt fabulæ, a Cananæis simul & Ægyptiis derideri debuerunt Judæi; cui derisioni tota gens sese exponebat. Unde ut supponatur generalis concertatio circa facta fictitia, quæ tamen sunt publica & gravia, requiritur ut omnes Judæi, ne uno quidem aut altero excepto, consentiant, ut omnes veritatis amorem deponant, denique ut certæ ac indubitatæ infamiæ se exponant: atqui hæc communi hominum naturæ repugnant. Ergo. 2. Etiamsi concertatio illa foret possibilis, communi hominum naturæ repugnat fraudem diu latuisse. Arcana enim quæ tot hominibus committuntur, diu celari non possunt, præsertim apud Populum Judaicum. Fieri enim non potest ut inter frequentes ac continuas seditiones quæ obortę sunt, aut inter tormenta quibus factorum illorum veritas exquirebatur, nemo secretum prodiderit. v. g. Etiamsi Israelitæ Mosi coęvi in fraudem conspirare, & in ea aliquandiu perseverare potuissent, certo certius eorum posteri fraudem non ignorassent, aut tacuissent. Nec sane majores nepotibus suis tantam reverentiam erga Moysen seros usque ad posteros commendassent, si Mosen impostorem fuisse cognovissent. Unde communi hominum naturæ repugnat secretum servari ab innumera multitudine, inter seditiones, inter tormenta; repugnat denique immensam generationum seriem ex factis gratis a se confictis reverentia & amore erga doli principem accendi: atqui tamen hæc omnia supponi deberent ut fraus semel conficta silentio servaretur. Ergo illud communi hominum naturæ repugnat.

Nec omittendum non adesse unicum tantum librum, sed numerosam Auctorum seriem qui sibi invicem eadem facta concinunt. Unde sic breviter concludo. Vel omnes libri veteris Testamenti mera sunt mendacia, vel unus tantum aut alter eorum mendacio arguitur: atqui primum repugnat communi hominum naturæ. Vix enim concipitur tot libros spurios pro veris ultro agnitos esse ab integra gente; repugnat etiam tot diversos Auctores tam diversis ætatibus, & oppositis circumstantiis in fraudem conspirasse, & a Judæis receptos fuisse, v. g. tempore capti-

vitatis Babylonicæ repugnat Jeremiam facta illa ut vera traduxiſſe, &c. Ergo non omnes libri mendaces ſunt. Si unum aut alterum tantum librum mendacii incuſes, liber ille mendax eſſe non poteſt, quin omnes alii mendaces ſint, arctiſſimam enim inter ſe connexionem dicunt. Ergo.

CONCLUSIO V.

In iis quæ narrat Moſes in Geneſi, fallere nec voluit, nec potuit.

PRob. Noluit quidem. Iiſdem fere argumentis ac ſupra. Nam v. g. Moſes abſtinuiſſet ab iis quæ probroſa ſunt Patriarchis. Eos magnanimos ac generoſos, omnique virtutum ac fortunæ ſplendore ornatos, ut divinam eorum electionem decebat, depinxiſſet. Satis fuiſſet ipſi exhibere Abraham omnia ſua Dei cauſa & juſſu abdicantem, ex hoſtibus ſuis triumphantem, ejus vero timores ſiluiſſet. Si fabulas refert Moyſes, nulla ratio reddi poteſt cur in ejus narratione Joſeph natu minor eximia ſanctitate emineat, potiuſquam Judas natu major; longe enim magis ſcopo & fraudi conducebat Judam omni virtutum genere decorare utpote cujus familiæ Principatus decernebatur. Ex oraculo Jacobæo tres ejus filii Ruben, Simon & Levi infamiæ nota inuruntur, & inde a primogeniti jure excidunt. Jam vero impoſtor non auderet non tantum tres filios, ſed & tres Tribus ſuis juribus defraudare; iſtud præcipue non attentaſſet ex titulo ſuppoſititio aut ex fraude quæ vel ipſos pueros non latuiſſet. Attamen in toto Iſraeliticæ Reipublicæ decurſu nulla unquam exarſit hac de cauſa rebellio; ipſa Tribus Juda promiſſorum executionem patienter expectat; prima ante omnes juſſu Moſis incedit; cæteris non impar in obſequio erga Joſue qui tamen erat ex Tribu Ephraim. Si quod exurgat bellum, nuſquam Tribu Juda imperii faſtigium affectat; ſolus ſedet arbiter Deus. Præterea tria præcipue facta in Geneſi memorat, Creationem, Diluvium, hominum Diſperſionem. Facta illa nihil omnino ad perſuaſionem conducebant, immo in ſe incredibilia ſunt, magiſque ad procreandas difficultates & dubia ſunt idonea. Deinde Moſes quinque generationes tantum enumerat a Diluvio & creatione mundi. Jam vero paucitas illa generationum fraudi detegendæ facilis erat. His fraudem ipſe prodit, nedum muniat. Veritas enim non obliteratur aut corrumpitur annorum numero, ſed generationum multitudine; generationum enim multiplicitas ſola factis obſcuritatem inducit. Ergo ſi fraudes molitus eſſet Moſes, generationes multiplicaſſet, nec inter eas ſe arctaſſet anguſtias quibus intercluſus facile deprehendi potuiſſet. Hinc patet Moſen nec potuiſſe decipere. Cum enim tres illæ epochæ ſupra ejus ætatem non multum aſſurgerent, illaque ſpatia præ longævitate vitæ illorum temporum, a pauciſſimis hominibus ſibi mutuo ſuccedentibus impleri potuerint; jam memoria illorum eventuum non poterat non eſſe recentiſſima; facile ergo falſitatis evictus fuiſſet Moſes; vel ergo epochas illas, vel paucitatem generationum gratis ſuppoſuit. Non ſecundum. Si enim decipere voluiſſet, altiores rerum epochæ repetendæ erant. Non primum. Poſita enim illa generationum penuria, fraus non poterat non detegi.

COROLLARIUM I.

Moyſes rerum quas narrat, fideliſſimus eſt Relator.

PRob. Ille fideliſſimus eſt qui decipere nec voluit, nec potuit; atqui Moyſes decipere nec voluit, nec potuit. Si enim decipere voluiſſet, aut potuiſſet, vel in iis quæ refert in Geneſi, vel in iis quæ refert in cæteris Pentateuci libris: atqui in nullo ex his decipere voluit aut potuit: ergo.

COROLLARIUM II.

Moyſes eſt veraciſſimus.

PRob. Ille eſt veraciſſimus qui rerum quas narrat, & ſcientiſſimus & fideliſſimus eſt relator: atqui ex probatis hæc duo vera ſunt. Ergo. Hinc ergo certum eſt Moſen vera ſcripſiſſe. At iſtud non ſufficit, ex jam obſervatis; ad plenam

nam & certam hodierni Pentateuci veritatem requiritur ut quæ vera scripta sunt, vera ac sincera ad nos devenerint. Difficultatem movent Deistæ circa tantum; voluntque aliena manu textui Mosaico fuisse addita. Contra eos sit.

CONCLUSIO VI.

Facta quæ in Pentateuco scripsit Moses, integra, saltem in essentialibus, ad nos devenere.

PRob. 1. Si quid vitium Pentateuci integritati irrepsisset, vel per additionem, vel per detractionem: atqui non per additionem. Namque in eo libro continentur omnia Israelis jura & privilegia, seriem ducit prodigiorum, prophetiarum, &c. Porro hæc addere non facilius fuit quam totam simulare historiam. Tolle enim v. g. miracula, jam nihil in toto libro illo sibi cohæret, jam absurditatibus, obscuritatibus & innumeris ac inextricabilibus scatet contradictionibus. Non per detractionem. Si enim aliquid detraxissent Pentateuco Judæi, profecto ea præcipue quæ genti indecora & ingloria in eo leguntur; non ea intacta reliquissent quia Christianis patrocinantur. Atqui tamen, &c. Ergo.

Et certe duplex erat quasi Mosis Historia, una in chartis, altera in variis monumentis, cæremoniis & solemnitatibus exarata. Ut ergo historia Mosaica labefactaretur, monumentis erat vel addendum vel detrahendum. Nullus procul dubio toti genti persuadere potuit has vel illas exercendas esse cæremonias propter res infectas & eventus chimericos, factaque quæ nusquam contigerant. Sic Agnus Paschalis & primogenitorum redemptio, nituntur morte primogenitorum Ægyptiacorum; sic Festum Pentecostes propter datam Legem in monte Sina celebratur.

Prob. 2. Illa hypothesis est prorsus rejicienda quam evertit tum Dei erga libros illos cura & providentia, tum Judæorum natura & indoles ac eorum in libros eosdem reverentia, tum eorundem librorum usus & publicitas, tum denique librorum illorum natura & conditio. Porro 1. corruptioni obstat divina providentia. Ut enim postea ostendemus & ut sufficienter patet ex dictis divina est revelatio Pentateuco contenta. Jam vero hoc ipso corrumpi non potuit; Dei enim interest operum suorum conservationi & integritati invigilare. Præterea eædem rationes quibus supra evicimus divinæ & extraordinariæ revelationis necessitatem, eædem astruunt intactam ejus conservationem. Denique ea his libris conservandis usurpaverat Deus media quibus impossibilis erat quæcunque alteratio. 1. Enim Deus Levitas horum custodes instituerat; unde si quis e plebe exemplaria quæ vulgi manibus terebantur, violare tentasset, facilis detectu fraus fuisset ex parte Levitarum; immo cito citius obstitissent Levitæ. Et vice versa de Levitarum exemplaribus. 2. Crebram librorum illorum lectionem Deus injunxerat. 3. Sub sacra maledictione & severo anathemate Deus quamcunque vel additionem vel detractionem prohibuerat. 4. Exemplar legis in Arca primum, deinde in templo reponi jusserat Deus. 5. Ut jam monuimus, varia Pentateuci facta in manibus & actionibus Judæorum insculpserat. Ergo. 2. Corruptionem vetat Judæorum indoles ac in Pentateucum reverentia. Quanta enim erga sacros Codices veneratione affecti fuerint Judæi, nemo nescit, quo zelo in eorum conservationem exarserint, & ad mortem etiam usque aliquando obstinati fuerint, omnibus notum est. Sibi quam maxime inde gloriantur, quod libri illi sint divinitus revelati; quodque divinæ illius revelationis sint custodes. Sensus ille omnem ipsis librorum illorum temerationem, ut scelus sacrilegum interdicebat. Præterea corde & animo in his libris totus erat & defixus hærebat Judæus, utpote ex quibus sua jura prætendebat, suam spem hauriebat, omniaque sibi promittebat. Nec satis diuturnæ fuerunt aut generales ac universales Israeliticæ captivitates ut quæ in his libris continentur, ab eorum cordibus omnino abolerentur. 3. Adulterationi sese opponebat librorum illorum usus & publicitas. Omnium enim manibus terebantur. Quotidie ab omnibus pervolvebantur. Fieri nusquam potuit ut quæ he-

ri & vespere legerant, audierant ac meditati fuerant, mane & crastina die aliter legerent, audirent & crederent. Denique, quod præcipuum est, librorum illorum natura & conditio essentialem alterationem quamcumque ab iis depellit. Jam probavimus totam Judæorum Historiam spuriam esse non posse, nisi tota corruat historica certitudo. Hinc nullus hucusque stultitiæ & impietatis eo usque prorupit ut tale commentum assereret. Et merito; chimericum est enim aliquem proprio marte talem ex omni parte cudisse Historiam, ita inter omnes suas partes sibi recte cohærentem. Jam vero æquali impossibilitate impossibile est partem aliquam supposititiam esse aut aliena manu cæteris assutam, ac totum gratis confictum esse. Jam enim prænotavimus libros illos esse ita inter se connexos concatenatosque ut unius labefactari non possit veritas, quin nutet omnium aliorum certitudo. Deuteronomium cum Genesi, Josue cum utroque, omnesque alii & Prophetæ & Historici connectuntur. Ubique eadem dogmata & principia, ubique eædem leges, eadem præcepta, ubique eadem facta & miracula supponuntur. Ergo ne unus quidem liber violari potuit, quin cæteri omnes corrigendi venirent. Ergo.

Prob. 3. Illa mutatio fictitia est cujus epocha nulla assignari potest. Atqui; &c. Nam mutatio illa accidisset vel ante, vel post legem susceptam. Non ante. Huc enim redeunt omnia jam huc usque allata argumenta quibus Mosen decipere nec voluisse, nec potuisse evicimus. Non etiam post legem susceptam. Huc redeunt argumenta superius prolata pro veritate factorum & librorum Pentateuci. Sicut enim inscio aut conscio populo gratis fingi non potuere illa facta, sic nec inscio aut conscio eodem populo adulterari potuit eorumdem factorum veritas; æqualiter enim & ex iisdem argumentis impossibilis est consensus universalis in utramque fraudem. Et certe vel statim post Mosen, vel longe post ipsum hæc accidisset mutatio. Non primum; recens enim adhuc rerum memoria obstitisset. Non secundum: ex dictis enim quo universalior est traditio, eo firmior evadit, præsertim quando agitur de factis gravissimi momenti & in prima sua origine notissimis; nemo prætera concipiat quomodo hac facta mutatione tantam authoritatem sibi inter Judæos habeat ille liber. Deinde varias si decurramus epochas, varia si mente revolvamus tempora quibus hæc mutatio fieri potuerit, nulla par & idonea adulterationi huic assignari poterit temporis circumstantia. Vel enim ante vel post decem Tribuum successionem. Non ante. Tempus enim Judicum Mosis ætati vicinius erat quam ut quicquam tuto contra illos libros tentari posset. Tempore illo præterea variis calamitatibus sibi invicem succedentibus oppressi jacuere Judæi, nec fabulis meditandis vacare potuerunt. Judicibus successerunt Reges. Si Saul aliquid attentasset, reclamasset David; hic ad thronum evectus adversarium habuisset Absalonem. Nihil poterat hac in re Salomon quin ipsi Jeroboam adversaretur. Ergo non ante scissionem. Non etiam facta illa scissione. Ab illa enim usque ad ultima tempora eumdem & Judæi & Samaritani Pentateucum habuere iis cum differentiis quidem quæ consensum fraudulentum excludunt, eo vero cum consensu qui nulli nisi veritatis amori tribui potest. Ergo. Et certe ab illa scissione bellis fere continuis inter se contendebant Judæi & Samaritani; mutua & quidem irremediabilia gerebant odia, & tanta quanta parit cultus disparitas; tanta ut Judæi Samaritanis non contererentur: non potuerunt ergo inter se pacisci de alteratione librorum sacrorum. Ergo si Judæi v. g. aliquam mutationem tentassent, statim eam ipsis exprobrassent Samaritani & ad seros nepotes trasmisissent, ut defectionem suam aliquo justitiæ colore illinirent. Si e contra Samaritani, statim reclamassent Judæi tum ut depositum suum fortius vindicarent, tum ut majus odium inde in Samaritanos conflarent.

SCHO-

SCHOLIUM.

Judæi Textum Hebraicum ex industria non adulterarunt.

MUlti sunt etiam Christiani qui Judæos arguant violati textus hebraici. Qua vero epocha illud attentarint incertum; alius enim aliam assignat: plures post Christum id contigisse existimant: gravissimum sane crimen, sed quod validissimis indiget argumentis. Hinc enim conclamatam esse Religionis tum Judaicæ, tum Christianæ causam nemo non videt, si semel vera & legitime comprobata sit hæc accusatio. Nos talem calumniam ab iis depellimus his argumentis.

1. Si agatur de tempore ante Christum, valent argumenta modo prolata. Deinde si tanti sceleris rei fuissent Judæi, hoc eis exprobrasset Christus qui falsas & spurias legis interpretationes Scribis & Pharisæis exprobrabat: exprobrassent etiam Apostoli. Porro contrarium constat ex Historia Evangelica, quæ hic pro tali facto historica anthoritate valere debet. Christus Judæos remittit ad scripturarum testimonium; juxta S. Paulum omnis scriptura est divinitus inspirata; Beroenses scrutabantur veteres scripturas, videntibus nec reclamantibus Apostolis, ut viderent si res ita essent ut asserebant Apostoli. Et certe ea est hominum natura ut ad crimen nullum sese accingant nisi aliquam inescati utilitate; porro nullam utilitatem sibi promittere potuerunt Judæi ex violata textus sacri integritate. Vera enim eorum utilitas fuisset in expungendis textibus qui ipsis adversantur & Christianis favent; deinde omnes illos textus expungere debuissent: atqui contrarium fecerunt Judæi, si interpolatores sint. 1. Non omnes textus, sed paucissimos stylus eorum attigit. 2. Eos qui ipsis adversantur, Christianis vero favent, intactos reliquerunt. Ergo.

2. Istud contigisse non potuit post Christum. 1. Enim etiam valent argumenta modo prolata quibus supra evicimus facta Pentateuco contenta integra ad nos devenisse. Hæc enim argumenta valent pro omni temporum circumstantia, & etiam post promulgatam legem Christianam. Hæc enim argumenta desumebantur ex divina providentia & indole Judæorum. Porro sacrorum codicum alterationi obstant tum divina providentia, tum Judæorum indoles. Divina quidem providentia: Nam nullum est tempus quo Deus suæ revelationis integritati invigilare & ad reverentiam ipsi debitam cogere non debeat. Scilicet in vetus Testamentum Religio Christiana maxima ex sui parte recumbit; inde desumimus argumenta quibus evincimus veram & divinam esse revelationem tum Judaicam, tum Christianam; hanc præsertim probamus ex antiquitate prophetiarum. Uno verbo omni tempore ex veteribus oraculis probanda est revelatio Christiana; semper revelatio Judaica est divina; ergo semper & omni tempore ejus integritati invigilare debuit divina providentia. Quantum vero ad indolem Judæorum, eadem est, eadem fuit post Christum ac antea. Semper putant vitam se habere in illis libris; ex illis gloriantur se esse veros Abrahæ filios, Palestinæ hæredes in qua olim ipsis reddenda sedes, extruendum templum. Corde & animo toti sunt in illis codicibus, quos ea prosequuntur reverentia ut eorum vel levissima immutatio scelus ipsis videatur majus Idololatria, ut asserit Trypho Dialogo cum S. Justino. Porro hac posita mentis affectione, jam sacrorum codicum violationem attentare nunquam potuerunt.

2. Huic alterationi obstat status Judæorum post occisum Christum. Nam illo tempore dispersi & vagabundi erant per totum orbem. Ergo in præfatam alterationem conspirare non potuerunt: nam alteratio illa, si alteratio est, eadem est in omnibus sacri textus locis, in omnibus exemplaribus. Porro concipi non potest quomodo homines latissimo locorum intervallo inter se dissiti vix ullam inter se communicationem habentes, in quos omnium gentium oculi erant conversi: concipi, inquam, non potest quomodo illi homines potuerint omnia simul exemplaria, iisdem in textibus, eodem modo, nemine advertente, corrigere & corrumpere. Saltem enim non po-

poterant adulterare exemplaria quæ erant penes Christianos.

3. Huic alterationi nulla assignari potest epocha. Quæ enim esset hæc epocha? an ante, an post S. Hieronymum? Neutrum dici potest. Non primum: nam multi Judæi ante obsessam a Romanis Hyerosolimam e civitate egressi Peltam venerunt & Christianam Sectam Nazarenorum dictam effecerunt. Hi sane alterationem impune non tulissent. Sacros enim codices procul dubio lingua hebraica asservaverunt, illos sane violatoribus non tradiderunt; ac proinde illos adulterare non potuerunt Judæi. Anno 12. Imperii Adriani textus Hebraicus ei quem nos nunc habemus, consonabat, ut patet ex versione Aquilæ. Immutatio ergo illa debuisset fieri a capta Hyerosolima usque ad initium secundi sæculi, id est, spatio 30. aut 40. annorum. Jam vero brevius est illud spatium ut tantæ immutationi sufficiat, & potuerint Judæi omnia genuina exemplaria e medio tollere & alia corrupta eorum loco supponere; præsertim cum illo ipso tempore multi fuerint Judæi qui in Palæstina commorarentur, & sacros codices Hebræo idiomate secum habuerint. Idem evincit versio S. Hieronymi quæ ex Hebræo facta est & cum nostro Hebræo consonat; idem etiam evincit textus Hebræus quem maxima sui parte in suis Hexaplis descripsit Origenes. Ergo ad S. usque Hieronymum integri & illibati manere debuerunt Judæorum libri.

Idem affirmari debet de tempore Hieronymum subsecuto. Tum quia textus Hebraicus semper concors fuit cum versione sancti illius Doctoris, tum quia crevit eo tempore erga linguam Hebraicam cura; tum quia pro illo temporum articulo redeunt & totam vim suam obtinent argumenta superius prolata.

COROLLARIUM.

Vera sunt quæ in Pentateuco hodierna leguntur.

PRob. Ex probatis; omnis Historia est verax quæ res gestas eo narrat modo quo contigerunt. Atqui quæcunque leguntur in Pentateuco, eo narrantur modo quo contigerunt. Ex probatis enim vera scripsit Moses, integraque ad nos devenerunt quæ Moses scripsit: ergo vera sunt, &c. Ergo si legantur in Pentateuco oracula & miracula quibus Moses missionem & legationem suam obfirmarit, procul dubio vera censenda sunt, & vera erunt illa tum oracula, tum miracula. Sit itaque.

CONCLUSIO VII.

Mosis multa leguntur in Pentateuco tum Oracula, tum Miracula.

PRob. Quædam tantum exempli gratia delibabimus; infiniti enim essemus si singula percurrere vellemus. Quantum quidem ad oracula. *Exod.* 14. 13. *Et ait Moyses ad Populum, nolite timere, state & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Ibi Moses tria enuntiat: 1. Victoriam Judæorum ab Ægyptiis Deo opitulante. 2. Videndos ultra non esse Ægyptios, idest, quales tunc videbat Israel armatos scilicet & pugnantes; sic verti potest textus Hebraicus, & sic vertunt Septuaginta. 3. Cessaturum esse Populum a querelis & murmure. Prædictionem eventus non fefellit. Undenam hæc tria scire poterat Moses, nisi Deo revelante?

Levit. 29. *Exod.* 19. *Deut.* 27. 18. 29. & 30. Promissiones & comminationes legis denuntiando varia prænuntiat quæ experturus erat Israel ultimis in temporibus, & præsertim captivitatem Babylonicam. Dicitur 1. Israelitas extra patriam deportaturum iri. 2. Id factum iri a gente quadam remota, cujus linguam non callebunt. 3. Habituros esse eos Regem eo tempore, Regemque una cum ipsis translatum iri. 4. Urbes eorum obsidione cingendas, murosque una cum urbe evertendos esse. 5. Desolatum iri urbes & sanctuarium. 6. Tempore obsidionis horrendam fore famem eo usque ut liberos parentes devorarent. 7. Tellurem incultam mansuram esse per Sabbata. 8. Judæos disper-

sos

sos fore per omnes gentes, inglorios, gentium ludibrio, indigentiæ & tremori deditos. 9. Multos vendendos atque in Ægyptum deportandos. 10. Deum tandem eorum pœnitentia motum fœderis sui aliquando recordaturum, iisque opem laturum. Porro hæc omnia in captivitate Babylonica peracta sunt. Hujus cladis auctores fuere Chaldæi, Assyrii & Romani, gentes remotæ, quarum linguam ignorabant Judæi. Multi venditi atque in Ægyptum transmissi, unde plurimos a Ptolomæo Philadelpho libertate donatos esse memoriæ proditum est; immo multi Barchocheba duce rebelles, pœnam rebellioni suæ debitam in Ægyptum classibus deportati fugerunt. Tandem Deo aspiciente in patriam redierunt.

Num. 14. Exploratorum relatione perterriti Israelitæ murmurant, & mortem in solitudine potius quam bella contra Chananæos exoptant. Denuntiat ipsis Moses rem votis successuram; omnesque a viginti annis & supra, excepto Caleb & Josue, in deserto morituros, parvulosque eorum terra ipsis promissa potituros. Jam vero nulla sagacitate humana hæc potuit certo rescire & prænuntiare Moses. Cur enim solum Caleb & Josue excipit? Non erant cæteris juniores; non minora adibant pericula; ergo.

Quantum ad miracula, res est luce meridiana clarior. Revolve plagas Ægyptiacas, transitum Maris Rubri, & cætera.

COROLLARIUM.

Vera sunt tum Oracula, tum Miracula quibus revelationem sibi factam probavit Moses, & quæ in Pentateuco leguntur.

PRob. Sequitur ex dictis de veritate rerum quæ in Pentateuco leguntur. Nam vera sunt quæ in Pentateuco leguntur: sed in Pentateuco leguntur miracula & oracula: Ergo.

Obj. 1. Contra veritatem Pentateuci. In doctrina Pentateuci multa occurrunt a recta Philosophia & veritate plane aliena. Dum v. g. solem & lunam duo magna luminaria vocat, solemque moveri, terram vero basibus suis innixam, aut super maria constitutam esse asserit. Ergo.

R. n. ant. ad prob. dico 1. Non is fuit divinæ revelationis scopus ut Philosophos, sed ut fideles virtutis asseclas efficeret. Hinc de rebus naturalibus vulgari modo loquitur; ut ad vulgi captum se accommodet, dum vulgus alloquitur. 2. Cum morum sanctitatem solam intendat Deus, ea neglexit quæ huic non conducunt, ea tantum commemoravit quæ huic viam sternunt. Sic constanter se ex beneficiis suis commendat, iisque, ut ita dicam, se involvit, quia hæc cor nostrum ipsi conciliabant. Nec observare pigeat, Deum, non tam qualis est in se ipso, quam qualis est respectu nostri, se se in Scriptura nobis exhibere. Semper se ut Patrem, ut Dominum, ut Creatorem, &c. describit; raro de se ipso qualis in se est, raro de essentia sua in se spectata loquitur; nec nisi ad incutiendum timorem & reverentiam. Ratio est quod, ut dixi, Religio non ad inanem curiositatem pascendam, sed ad solam pietatem fovendam comparata sit; ac proinde necesse non fit intimam Dei essentiam penetrare. Sat est si quæ Deum amandum, timendumque faciunt, cognoscamus.

Inst. Multa leguntur in Pentateuco quæ Deum non decent, sed ejus ideam deformant. v. g. Pedes, manus, brachia, &c. habere dicitur. Zelotypia, ira, &c. ipsi tribuuntur. Ergo.

R. Hæc metaphorico ac figurato sensu Deo in Scripturis tribui, non vero reali & naturali. Dei sapientiæ & bonitati non indecorum erat hominibus verba facienti, hominum captui se accommodare. Cum enim homines plerique, ipsique imprimis Judæi sensibus veluti immersi, nihil fere nisi corporeum ac humana specie vestitum conciperent, Scripturam ipsam cum iis veluti balbutire oportuit, modo verum ac legitimum horum sensum aperiret. Quod & præstitit. Nec sane ille loquendi modus divinis auctoribus singularis est, in omnium linguarum usum, etiam in vulgarem & domesticum venit. Si quis ergo hæc ad rigorem urgeret, sibilo se excipiendum præberet. Dictat enim sensus & ratio omnibus innata, verba scriptoris ali-

cu-

cujus eo intelligenda esse sensu, quem operis series authorisque scribendi ratio & ingenium ac indoles constanter ac uniformiter sibi vindicant. Porro in sacris illis Authoribus mille præ uno occurrunt textus in quibus recta ac sana de Deo docentur. Si Deus absque illis metaphoris semper esset locutus, nusquam hominum mente conceptus fuisset; si vero illis metaphoris perpetuo institisset, in gravem errorem inducti fuissent homines; sapienti vero ac temperato illo loquendi modo & Deus se intelligendum præbuit, & veram de se tradidit notionem.

Inst. Juxta narrationem Mosaicam, omnes ab uno orti sumus, primusque omnium parens est Adam. Jam vero hæc cum ipsa narratione Mosaica non consonant. Sic enim legitur Gen. 1. *Fuit autem Abel Pastor & Cain Agricola*. Porro Pastoris cura fures supponit & latrones a quibus greges servandi sunt. Multas artes sibi necessarias excogitatas esse supponit agricultura. Utrumque supponit varias jam enatas societates, ac proinde jam factam esse bonorum divisionem. Deinde sic Cain ad Deum: *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. Verba hæc sensu vacua sunt, si Adam & Heva soli sint homines in terra. Quosnam enim timuit Cain nisi Judices, ac Jurisdictionem in qua sistendus erat judicio, aut saltem alios homines? Uno verbo illi quos tantopere timebat Cain, filii erant vel Adam, vel Cain, vel Abel. Non filii Adam; eodem enim capite Cain nominatur primus Adami filius: *Possedi hominem per Deum*. Inter Cain & Abel nullus fuit Adamo filius. Ubi enim agitur de nativitate Abel, sic habet Genesis: *Cognovit .... rursumque peperit fratrem ejus Abel*. Nullus pariter supponi potest filius inter Abel, Cain & Seth. Occiso enim Abele, cum Heva parit Seth, dicit: *Posuit mihi Dominus aliud semen*, id est, alium filium pro Abel. Non a Cain orti erant. Henoch enim primus ejus filius, natus est ei statim ab occiso Abele. Non denique ab Abel. Nam omnibus fatentibus, nullos habuit filios. Præterea sic legitur ibidem: *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch*. Certe uxorem illam habere non potuit ex Adamo, quia nondum ipsi nata erat filia. Ergo aliunde & ex filiabus gentium eam accepit. Denique eodem capite: *Et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch*. Eo nomine suam civitatem non donavit Cain, nisi ut eam distingueret ab aliis urbibus Orientalis plagæ Eden quæ sua utique habebant nomina. His adde quod civitatis constructio operarios, cives, architectos importet, qui sane omnes ex familia patris sui accersiri non potuere. 2. Manifestum est Henoch fuisse Caino primogenitum. Hac enim sola de causa nomen ejus civitati imponere potuit. Ergo ante Adamum supponi debent homines. Unde sic in forma procedo. Illa historia non est verax quæ sibi contradicit: atqui historia Mosis sibi contradicit: nam juxta narrationem Mosaicam omnes homines ab uno Adamo orti sunt: sed eadem narratio supponit homines ante Adamum existentes & ab eo non ortos. Ergo.

R. n. min. Et dico ex narratione Mosaica non supponi homines ante Adamum existentes aut ab eo non ortos. Hæc enim assertio falso nititur principio, nempe eos solos Adamo fuisse filios quos nominatim appellat hic Scriptura; ac proinde tres aut quatuor fuisse tantum tunc temporis homines. Dum enim istud asserunt, solo Scripturæ silentio nituntur; quod equidem etiamsi tam altum esset ac putant, nihil inde emergeret, nisi argumentum negativum. Porro ut aliquid astruatur, requiruntur rationes positivæ vel intrinsecæ, vel extrinsecæ. Porro solida reddi potest ratio cur tam paucas generationes enumeraverit Moses; tot scilicet ordine recensuit quot operis suscepti ratio & scopus exigebat. Ut enim ratiocinatur S. August. l. 15. de Civit. Dei c. 8. *Non omnes homines qui tunc esse potuerunt Moses debuit commemorare ac nominare; sed eos solos quos operis suscepti ratio exigebat*. Jam vero duo sibi proponit Moses in aperiendis ac continuata serie deducendis generationibus illis; nempe 1. æternitatem mundi evertere, ejusque novitatem ac contingentiam arguere. 2. Voluit per successiones certarum generationum ex uno homine propagatarum pervenire ad Abraham, ac dein-

deinde ex ejus semine ad populum Dei cujus a cæteris gentibus distinctionem stabilire intendebat. Primum in propatulo posuit ex artium novitate & ex eorum origine qui variorum populorum fuerunt patres ac capita; alterum vero, separatim generationes commemorans tum Seth, cum Cain, duplicemque quasi societatem secernens, temporalem unam, spiritualem alteram. Adeo itaque rem temperat Moses ut nec de una societate taceat, sed eam commemoret quantum satis est, & alteram ea in luce ponat quæ omnes Dei electos advocet. Deinde cum Scriptura, ubi numerum annorum quos illi homines vixerunt, commemorat, ita de singulo quoque concludat: *Genuit filios & filias*, numquid quia singulorum filios & filias nominatim non exprimit, ideo concludi licet per tot annos nasci non potuisse, aut natos non fuisse plures homines, immo etiam tot quorum ope condi possent civitates? minime profecto. Hac verborum usitata phrasi sufficienter declarat sacer Scriptor se tacere quidem singulos nominatim, sed supponere multos fuisse Adæ &c. filios. Ita S. Aug. 3. Multa suadent illud quod silet Scriptura, revera & de facto extitisse; nempe multos alios fuisse Adæ filios. Nullo modo enim probabile est eo tempore quo tanta debuit esse fœcunditas, tam paucos fuisse tamen, tamque raros apparuisse homines. Deinde certum est ex Scriptura sacra homines jam multiplicari cœpisse tempore diluvii, maximoque numero fuisse. Debuerunt ergo tum Cain, tum Tubalcain, tum ipse Adam plures habuisse filios quam commemorat Moses; alias supponendum esset trigihta tantum fuisse homines antediluvianos. Præterea ex *Gen. c. 4 v. 5. & cap. 9., v. 3.* inter se collatis constat Abel a Caino occisum fuisse anno centesimo trigesimo: porro incredibile omnino est hoc temporis spatio hominum genus ad multa centena millia non propagatum fuisse, dum ducentis & quindecim annis quos in Ægypto egit familia Jacob, ad 600000. virorum bellatorum excreverit.

Inst. In ipso narrationis Mosaicæ limine exhibentur Abel Pastor & Cain Agricola: atqui Pastoris & Agricolæ munia supponunt extitisse jam homines qui non potuerunt originem suam trahere ab Adamo. Ergo.

R. n. min. 1. Professionum diversitas in Caino & Abele, indicat jam utrique fuisse familiam cui sustentandæ allaborare debebant. 2. Supponit diversa utriusque fratris conditio non factam tunc fuisse bonorum divisionem, non varias jam efformatas societates, saltem sensu adversariorum, sed tantum multiplicatos jam fuisse Adami filios, variasque jam tunc extitisse cognationes. Hinc deinde patris magisterio & fratrum ope agricultura Cain exercuit. Nec sane existimandum est terram tunc temporis excoluisse homines ea ratione, iis instrumentis eoque apparatu quo nostros videmus agricolas. Neque enim statim adeo numerosa erat proles & familia ut totam terram camposque amplissimos coleret Cainus, sed crescente paulatim familia industriam exercere, sibique parare cœperunt homines, artesque adinvenere quibus perficiendis incubuerunt. Quod Abelem spectat, artem pastoriam exercere poterat, quamvis fures timendi non essent, gregem scilicet ad opima pascua ducendo, cavendo ne in noxias ac venenatas herbas oves incautæ ruerent, invigilando ne dispergerentur, eas a feris tuendo, in caulas reducendo, &c.

Inst. Sic Moses Cain inducit loquentem: *omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. Unde sic. Illi quos timebat Cain, erant homines: sed homines illi non erant ab Adamo oriundi: ergo.

R. 1. transf. maj. Sine absurditate enim dici potest Cainum timuisse ferarum impetum ac rabiem. Potuit, inquit S. Basil. de Cain & Abel, *l. 2., c. 9.* „ Incursus bestiarum timere qui legis divinæ jura violaverat, nec præsumere de subjectis animalibus qui hominem docuerat posse occidi. " Quod si opponas a Caino timeri fraternæ cædis ultorem, cumque bruta non possint se armare ad vindictam necis cujus sensum non habebant, feras non timeri a Caino, nihilque novi ab ipsis timendum habuisse quod antea non haberet. Respondebimus timere impium nemine persequente, scelerisque horrore ac iræ divinæ terrore percul-

cultum Cainum omnes creaturas timuisse. Praeterea hinc pensandae sunt omnes circumstantiae. Cain dicit Deo: *Ecce ejicis me a facie terrae*, id est, e loco ubi tuae praesentiae signa mihi dabas, ubi sacrificiis te mihi invocabam; *Et a facie tua abscondar*, id est, a favore tuo, a protectione tua me excludis, tuam benevolentiam ultra non experiar, *Omnis ergo qui invenerit me*, &c. Ecce ergo ratio ex qua timet Cain. Exclusio a divino favore. Veretur ne bestiae frænum in maxilla a Deo positum non jam expertae in eum desæviant. Nec obstat nomen *omnis* masculino genere. Norunt enim omnes in Hebraico idiomate neutrum genus deesse & nomen *omnis* esse comune. Respondent alii & quidem melius, u. min. gratis supponitur nullos tunc alios extitisse homines super terram præter Adamum, Hevam, Cain & Abel; quod falsum est tum ex dictis huc usque, tum hac ratione. Certis scilicet & indubitatis observationibus constat homines duplo crevisse in Ægypto spatio an. 360. vel 170. quamvis multis gemerent oppressi calamitatibus. Ergo hac data progressione quo tempore Abel occisus est, hominum numerus ad 4000. aut etiam ad 100000. juxta alios excrevisse debuerat. „ Potuit ergo Cain, ut ratiocinatur S. „ Basil. loco cit. parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse „ committi. Potuerant enim parentes de „ filio discere, quod didicerunt posteri „ de parente. “ Sciebat sane Cain mundum non statim cessaturum esse; ac proinde vereri poterat ne ultor aliquis ex paternis ossibus exoriretur.

Hinc manifesta est responsio ad alias probationis partes. Quod enim scriptum est *cognovit Adam*, aut Cain uxorem suam, non designat illud primum factum fuisse, Cainque Adami & Henoch Caini primos fuisse filios; nam Author sacer eadem phrasi utitur loquendo de partu Seth. Nihil evincit nomen Henoch civitati ædificatæ impositum. Tum quia ita agere potuit Cain talia de causa, nempe, quia & si alios haberet filios, Henochum tamen præ cæteris diligeret; neque enim Judas primogenitus fuit, a quo & Judæa cognominata est & Judæi vocati sunt. Sed etiamsi filius ille primus natus fuisset Caino, non ideo certum erit tunc a patre conditæ civitati nomen ejus impositum esse quando natus est; sed cum ejus familia eo crevisset numero ut populi haberet rationem, potuit fieri ut & civitatem constitueret & nomen primogeniti sui civitati conditæ imponeret. Nec ullam difficultatem facere potest quod Moses civitatem a Caino ædificatam prius referat quam Seth nativitatem scripserit. Hujus enim hæc est ratio; voluit personarum ordinem servare & quæ de Caino dicenda occurrebant penitus absolvere antequam Sethi historiam aggrederetur. Hinc etiam sequitur homines sufficienti tunc fuisse numero ut ædificarent ac incolerent civitatem, præsertim qualis hæc tempora decebat. Valde enim probabile est Cainum aliquot tantum domos immo casas extruxisse, quæ deinde ab ejus posteris ampliatæ civitatis & Henoch nomen habuere ac retinuere. Ergo.

Inst. Nemo non fatetur Judæorum familiam rudem fuisse ac parum excultam. Ergo Moses in arte Ægyptiaca versatissimus iis facili negotio persuadere potuit quæcumque voluit. Nec non potuit Judæorum seditiones divinasque earum ultiones gratis fingere ut majorem sibi conciliaret fidem & authoritatem. Ergo falsa esse possunt quæ narrantur in Pentateuco.

R. esto ant. nego conseq. Esto enim quod Judæi tales fuerint; nihil tamen ex his quæ narrat Moses gratis supponere ipsis potuit. Duplicis enim generis distinguendæ sunt veritates, aliæ speculativæ, insensibiles, abstractæ & a sensibus remotæ; aliæ corporales, si ita loqui fas est, sensibusque familiares ac consanguineæ, qualia sunt facta. Ad illas requiritur ingenium sagax & in rebus metaphysicis diu multumque exercitatum; rationi incultæ falsum pro vero facile inferri potest hac in materia. At hic agitur de factis, hic requiruntur & sufficiunt oculi, ora, manus, uno verbo sensus. Quo magis barbaros dixeris, eo magis ad fraudem in factis indociles fatearis necesse est. Licebit fortasse impostori fraudes jam a pueritia animo imbutas præjudiciisqe & longa temporum serie

ac

ac educatione nutritas in populo aliquo fovere; poterit etiam leges illas antiquas quibus regitur ille populus, divina auctoritate sancitas fuisse persuadere, sicque veteri jugo eum religatum tenere; neutiquam vero id præstabit si agatur de novis legibus, duris præsertim & asperis. Quo crassioris erit ingenii populus ille, eo ad sensibilia pronior, eoque ad obsequium erit difficilior. Sola vi aut evidenti auctoritate ac ratione cogi poterit. Inermis fuit Moses, solus contra omnes; ergo Judæis evidens fuit ea quam usurpabat Moses auctoritas, instabat miraculis: ergo vera erant illa miracula, divina erat illa auctoritas; vere cum Deo est locutus. Ad illud vero quod additur excogitari potuisse divinas de populo rebelli ultiones ut majorem sibi conciliaret Moses auctoritatem. Quæro an rebelliones illæ veræ fuerint nec ne. Si veræ, jam credibiles fiunt ultiones illæ de iis qui contra miracula, ac proinde contra Deum ipsum rebelles sunt. Si non veræ; otiosæ sunt illæ ultiones, contradictionem historicam faciunt. Et quomodo præterea seditiones illas gratis fingere, quomodo toti populo eas persuadere Moses, quomodo potuit populus eas ut veras concedere? Tunc enim maximam in totum populum infamiam respergebat Moses. Sed rem propius attendenti patebit, non Mosen, sed gentem ipsam Judaicam totius historiæ objectum præcipuum esse, immo unicum esse scopum. Deinde sibi contradixisset Historiæ conscriptor, ac tum Mosis, tum populi gloriæ defuisset. Mosis quidem; nam tunc debuisset ipsi ascribere terræ promissæ subjectionem: populi vero; nam dum Abrahæ familiam a Deo electam exhibet, hanc Deo dignam constanter nobis exhibere debuisset. Hoc historicum sibi concolorem decebat. Nihil magis dissonat, nihil populo magis indecorum est, quam ex una parte Deum semper populo huic præsentem esse, ex altera vero populum hunc constanter Deo esse ingratum.

Obj. 2. Contra conservationem Pentateuci *l. 4. Esdra c. 14.* refertur omnes libros legis combustos fuisse, & ab Esdra omnes reparatos fuisse. Ergo Pentateucus quem nunc habemus, integer ad nos non pervenit.

R. 1. Vel Esdras proprio marte libros illos confixit, vel Spiritu divino afflatus eos restauravit, aut etiam primus conscripsit. Si primum: veniunt tunc momenta supra allata quibus evicimus supra libros illos gratis confictos esse non posse. Si secundum: nihil proficiunt Deistæ & increduli; semper enim inde certum manebit libros illos divinos esse.

R. 2. Falsum est Esdram libros prædictos primum conscripsisse & excogitasse. Jam probavimus Pentateucum aut Mosis esse aut saltem ejusdem ac ipse antiquitatis. Ergo non ab Esdra fuit digestus. Et certe constat Pentateucum longe ante Esdram extitisse; tum quia Prophetæ omnes ante Esdram legis Mosis mentionem faciunt; præterea de præcipuis Geneseos factis, de creatione, diluvio, &c. omnes eodem modo loquuntur, ac Genesis ipsa. Ac proinde talia erant facta ut ab omnibus eodem modo scirentur & a nemine ignorari possent; tum quia multis ante Esdram annis Zorobabel Cyro missus cum pluribus Judæorum millibus altare Deo erexerat ut præceptum est in lege Mosis. Aggæus, Zacharias, Malachias perpetuo revocant Judæos ad legem Mosis.

R. 3. Pentateucum integrum non fuisse deperditum tempore captivitatis Babylonicæ, nec ex integro ab Esdra fuisse restauratum. Ex dictis constat leges Pentateuci Judaicæ Reipublicæ fuisse coævas. Probatum etiam manet leges Pentateuci cum ejus factis, sicut facta cum dogmatibus intime connecti. Certum est librum legis omni ætate semper communem fuisse; quia semper fuit unicus legum codex, juxta quem jura Populis dividebantur; unica erat divini cultus regula ad quam componebantur ritus Religiosi. Ergo prorsus interire non potuit Pentateucus quin prorsus interiret Respublica Judaica. Porro vel ipso captivitatis Babylonicæ tempore non prorsus interiit Respublica Judaica & ejus potestatis exercitium, ut patet ex historia Susannæ. Immo licet funditus periisset, nihil inde. Sicut enim prorsus interire non potuit Pentateucus, quin funditus periret Respublica Judaica, sic nec Respublica Judaica eadem resurgere potuit, quin eædem resurgerent leges,

eademque jura revivifcerent. Jam vero Populus Judaicus redux a captivitate Babylonica, eadem jura, eafdem leges ac antea fervavit. Non novam Efdras condidit Rempublicam, fed antiquam refarcivit. Ergo nec novas leges, ergo nec novum Pentateucum excogitavit. Undenam enim vero Ifrael redux e captivitate Babylonica eafdem ac ante captivitatem illam de Deo & Religione notiones conftanter habet, eadem in terram Chanaan jura prætendit, iifdem ritibus Deum colit, iifdem legibus regitur? Non alia de caufa certe, nifi quod hæc omnia eo doceantur libro quem ficut ante, fic per, & poft captivitatem Babylonicam habuere. Et certe perpetua conftat experientia leges Mofaicas viguifse fub Regibus; ipfi etiam impiiffimi Reges legum illarum auctoritatem non potuerunt fibi omnino diffimulare, etiam dum earum jugum excutiebant. Certis quibufdam temporibus Prophetas Deus fufcitabat qui Judæorum animos ad legem Mofaicam perpetuo revocarent. Et certe eo tempore quo Templum Hierofolymitanum incenfum eft, decem Tribus jam gemebant oppreffæ captivitate Afsyriorum; porro inter tribus illas procul dubio multi erant cultores veri Dei & avitæ Religionis obfervatores finceri. Nam Prophetæ regni Ifraelitici, ut Elias, Elifæus, &c. plurimos ad veram pietatem informaverant; tales erant qui vocabantur filii, id eft, difcipuli Prophetarum. Tales etiam erant feptem millia virorum quos Deus dicebat Eliæ fe fibi reliquifse, & confequenter conftantes fuerunt ufque ad illud tempus in Religione Judaica. Jam vero cum decem Tribus ductæ fint in captivitatem centum triginta & amplius annis ante incendium Hierofolymitanum, verifimile non eft pios illos Ifraelitas libros facros ex terra Ifrael fecum non tulifse; ac confequenter libri illi non potuerunt abfumi flammis Hierofolymitanis. Hinc Tobias unus ex illis piis Ifraelitis manducabat panem fuum cum luctu & tremore, memorans fermones & oracula Prophetæ Amos. Unde concludere licet non folos Sacerdotes & Levitas, fed & cæteros Babyloniæ captivos Scripturas facras legere folitos fuifse, ac proinde eas fecum ibi afsportafse.

Quin & ipfi Samaritani quos Reges Afsyriorum in Samariam & alias civitates decem Tribuum ex Afsyria miferant, habuerunt libros legis longo tempore ante deftructionem Templi Hierofolymitani. Nam Reges Afsyriorum eo miferant quofdam Sacerdotes Judæorum ut iftos Samaritanos docerent legitima Dei terræ, id eft, ut eos docerent modum quo oportet adorare Deum Populi Ifraelitici fecundum legem Moyfis. Sed illa exemplaria Samaritana non potuerunt in Templo efse combufta. Ergo &c. Præterea undecim annis ante Hierofolymitanam everfionem Ezechiel, Daniel & alii plurimi Deum timentes in Babylonem cum Rege Joachim afsportati fuerant. Jam vero nulla iterum verifimilitudo eft viros illos, & præfertim Ezechielem, utpote Prophetam & Sacerdotem, libros illos fecum non tuliffe: Denique ut libri facri omnes periifsent in excidio Hierofolymitano, debuifsent omnes libri illi in Templum illud transferri & ibi reponi. Jam vero nullo modo probabile eft omnes illos libros qui ante captivitatem Babylonicam per totum regnum Juda difperfi erant, in Templum delatos fuifse. Hinc Efdr. 8. Rogat Populus non ut novam legem dictet Efdras, fed ut afferat legem Mofis.

R. 4. Quidquid fit de prætenfa librorum illorum deperditione, eos in efsentialibus corrumpere aut gratis fupponere Efdras non potuit. Efdras enim conftanter urget legis Mofaicæ obfervationem; eos qui cum alienigenis matrimonium contraxerant, ad feparationem coegit; quos in Levitarum ordinem temere permixtos reperit, & familiæ Leviticæ peregrinos a facro munere repellit; eos qui Sabbatum violabant repreffit; &c. Jam vero fi novæ & inauditæ fuifsent leges illæ, earum pondus & auctoritatem ac obligandi vim fedulo perpendifset Populus, alias legum impatiens; faltem obftupuifset nova quædam præcepta fub antiquitatis colore fibi exhiberi, Efdram ut impoftorem repulifset. Nec fane unicum Pentateucum, fed omnes etiam alios libros, omnes fibi anteriores & coævos Prophetas fuis ma-

machinationibus accommodare debuisset. Jam enim adnotatum est libros illos omnes inter se connexos concatenatosque esse. Quod tamen nemo huc usque tueri ausus est, quodque falsum esse supra demonstravimus.

R. 5. Et explico locum Esdræ. Hoc sensu scilicet quod accuratiorem librorum illorum editionem dederit, eo fere modo quo Sixtus V. & Alexander VIII. Bibliorum editionem recognovere & adornavere.

Inst. Saltem Josiæ temporibus omnino perierat Pentateucus. ac consequenter corrumpi potuit. Sic enim legitur 4. *Regum* 22. ubi Josias jubet Helciæ ut instaurentur sarta tecta Templi. „ Dixit „ autem Helcias Pontifex ad Saphan „ Scribam: librum legis reperi in domo „ Domini: deditque Helcias volumen „ Saphan, qui legit illud ... Narravit „ quoque Saphan Scriba Regi dicens: „ librum dedit mihi Helcias Sacerdos. „ Quem cum legisset Saphan coram Re„ge, & audisset verba libri legis Do„mini, scidit vestimenta sua ... & præ„cepit Helciæ Sacerdoti, & Ahicam „ filio Saphan, & Achobor filio Micha, „ & Saphan Scribæ, & Asaiæ servo Re„gis, dicens: ite & consulite Dominum „ super me & super Populo, & super „ omni Juda de verbis voluminis istius „ quod inventum est: magna enim ira „ Domini succensa est contra nos, quia „ non audierunt patres nostri verba libri „ hujus... Ierunt itaque... ad Holdam „ Prophetissam. „ Hæc est illa narratio in qua videmus, 1. Helciam librum illum ut novum quiddam & inopinatum reperiisse. 2. Saphan Scriba & qui cum eo ad Holdam mittuntur, viri sane memorati, Rex Ipse Josias, omnes ignorare videntur quid sibi velit liber ille, cujus sit auctoritatis & an vere timenda sint mala in eo pronuntiata. Nam Helcias librum illum Regi remittit, quasi de eo anxius & quid agendum sit quæritans. Saphan rem illam narrat ut novam. Rex consulit Holdam de verbis libri illius, id est, an vera sint verba illa. Si liber ille fuisset notissimus & manibus omnium tritus, non sic hæsissent homines illi. 3. Hoc factum contigit an. 18. regni Josiæ. Porro nisi liber ille fuisset omnino deperditus, excepto unico illo exemplari, jam sibi exemplar proprium descripsisset, juxta legem; jam vero si Josias exemplar sibi proprium habuisset, nullus fuisset locus stupori & dolori qui jam diu pungere debuisset ex descripto & lecto suo exemplari. 4. Adeo verum est legem & omnino deperditam, & e memoria deletam, ut eam edocere & novum fœdus Deum inter & Populum sancire coactus fuerit Rex.

Nec dicas Josiam & alios cum eo obstupuisse non præcise ad librum, sed quia erat exemplar ipsa Mosis manu exaratum. Nam, 1. stupor quo Rex perculsus est, fuit cum dolore & metu conjunctus *scidit vestimenta sua*. Et, *ite, consulite*. Atqui sane exemplar Mosaicum, sensum quidem lætitiæ, nullum vero dolorem, nullum metum excitare poterat. 2. Si stupor inde ortus fuisset quod volumen istud foret exemplar ab ipso Mose exaratum, ad solum voluminis aspectum ortus esset, & antequam legeretur; sed stupor Josiæ ortus est non præcise ad aspectum voluminis, nec ex eo quod foret tale potius quam tale exemplar, sed ex verbis in eo contentis. Dolor ille & timor supponunt ignoratam legem, & librum incognitum, cujus comminationes, veræ sint an falsæ, nihil interest, timorem menti incutiunt. 3. Nisi liber ille & res in eo contentæ oblivioni penitus traditæ fuissent aut ignoratæ, non exemplar illud expectassent ut admissas prævaricationes lacrymis diluerent. 4. Nec Helcias, nec Josias ignorare poterant exemplar Mosaicum depositum esse in arca. Ergo tantopere mirari non debebant exemplar illud ibi reperire. 5. Ideo asseritur volumen illud esse exemplar Mosaicum, quia, 2. *Paralip.* liber ille legis dicitur per manum Moysi: sed hoc est maxime æquivocum. Nam illud sæpe sæpius significat librum legis promulgatæ, latæ ministerio Moysis. 6. Valde probabile est non licuisse exemplar Mosaicum extra Templum transferre, depositum enim erat in testimonium, alias etiam facile interpolari potuisset. At volumen quod reperit Helcias, misit ad Regem. Ergo probabile est exemplar illud non fuisse Mosaicum. Ex his omnibus sequi-

tur Josiæ ſtuporem, metum & dolorem non ex eo pracise ortum habuiſſe quod repertum fuiſſet exemplar Moſaicum, ſed quod exemplar illud unicum ſupereſſet & omnia alia deperdita forent.

2. Hoc poſito, facile corrumpi potuit liber ille. Nam unicum exemplar facile adulterari poteſt. Dum regnarunt impii Reges Ammon & Manaſſe, Levitæ ſua munia non obibant, Templum non cuſtodiebatur, nec obſervabatur; ſed Sacerdotibus Baal patebat. Ergo facile librum illum interpolare poterant. Nec recurrere eſt ad tempora præcedentia, aut ad Samaritanos contra fraudem vigiles. Namque Joſias regni habenas tenuit poſt Ammon qui duobus annis regnavit: Ammon vero exceperat Manaſſen quinquaginta quinque annis Regia auctoritate potitum. Uterque tum Ammon, tum Manaſſes Idololatriæ addictiſſimi fuere; hic omnium ſceleſtiſſimus fuit. Longo itaque Idololatriæ uſu ac exercitio aſſuefacti Judæi legem facile ita dediſcere potuere, ut ante Joſiam memoriæ excid ſſet lex illa, ac pene ex animo deleta foret. Tunc temporis enim dura & ultima ſub captivitate gemebat Iſraël. Sexto quippe Ezechiæ anno, & a fundato Templo 292. Salmanazar Samariam everterat; liber vero repertus eſt a fundato Templo 390. anno vero Joſiæ 18. Ergo Pentateuci violationem aut ſuſpicionem aut ignorare aut impune ferre potuit regnum Iſraël. Unde ſic in forma reſumo argumentum. Liber legis Moſaicæ omnino deperditus fuit ſub Joſia, excepto unico exemplari: atqui, hoc poſito, facile corrumpi potuit liber ille. Ergo non conſtat an liber ille integer ad nos uſque devenerit.

R. n. 1. maj. Et dico ex Joſiæ ſtupore & dolore non evinci deperditum fuiſſe omnino Pentateucum. Supponamus enimvero omnino deperditos fuiſſe libros legis, tunc aliquod lætitiæ ſignum dediſſet procul dubio pius ille Rex de reperto tam pretioſo volumine. 2. Cauſa hujus deperditionis foret aut incuria Judæorum regnante Manaſſe aut Ammon, aut duorum illorum Regum impietas qui, ut quidam volunt, libros illos combuſſerant: atqui neutrum dici poteſt. Non primum: Nam non ſat diu regni habenas tenuerunt Manaſſes aut Ammon ut libros illos penitus deſtruerent & e Judæorum corde evellerent ac abolerent. Non ſecundum: nam gratis ſupponitur omnes omnino libros legis crematos fuiſſe regnante Manaſſe. Iſtud de eo omnino ſilet Scriptura quod tamen de aliis commemorat. 3. Antequam volumen illud reperiret Helcias, jam Joſias anno & menſe primo regni ſui multa executus fuerat in divini cultus & legis Moſaicæ reſtaurationem & ad eum modum quo jubet Moſes. Mirum profecto hominem res omnes ita compoſuiſſe ad legem quam penitus ignorabat, & jugo duriſſimo inſueto colla ſubjeciſſe; quia etiam ex ſæpius dictis Pentateucus erat quaſi tota Judæorum Reſpublica & ita cum ea connexus ut everti non potuerit quin & ipſa Reſpublica rueret. Si ergo omnino deperditus & e memoria deletus fuit ille liber, Judæi oblíviſci debuerunt ſuarum legum & conſtitutionis ſuæ Reipublicæ. Mirari ergo debuerunt Templa Idolorum deſtrui, & urgeri legem omnino abolitam & ignotam. Novum & inſolitum ipſis videri debuit Templum, & omnia in eo contenta, quæ omnia abſurda ſunt. 4. Ex ſola textus inſpectione patet tum Helciam, tum Joſiam, &c. librum illum agnoviſſe. Helcias enim ſtatim eum appellat librum legis. Joſias præſupponere videtur libri hujus auctoritatem; nec libri inventio, ſed minæ in eo contentæ ſenſus, non ſtuporis; ſed potius metus & doloris in eo excitant. Porro ſi liber ille fuiſſet omnino deperditus, ſenſus fuiſſet lætitiæ, qualis decebat Regem pium & rerum divinarum ſollicitum. 5. Sacrum contextum ſerio attendenti patebit metus & doloris Joſiæ cauſam eſſe comminationes in libro illo contentas. Nam ſic fert contextus: *ſcidit* (Rex) *veſtimenta ſua .... Ite, conſulite ... magna enim ira Dei ſuccenſa eſt contra nos quia non audierunt, &c.* Timebat Rex ne Patrum ſuorum prævaricationes iram Dei in ſe & in populum accenderent. Conſulit Holdam, non circa libri auctoritatem, ſed an plagæ denuntiatæ ipſum ſpectent & quodnam remedium afferendum. Quod ita verum eſt ut Holda quæſtioni propoſitæ nihil aliud reſpon-

respondeat nisi minas illas non cadere in Regem, nec eo vivente in populum exercendas. Jam vero si Josias Holdam consuluit circa libri inventi auctoritatem, dicendum est Josiam aliud interrogasse & aliud respondisse Holdam; nam de hac libri auctoritate ne unum quidem verbum dicit, immo adeo Josias libri illius auctoritatem cognoscebat, ut dixerit iram Dei magnam capiti suo imminere, non quia patres ejus non cognoverant, sed quia non audierant verba libri hujus. Ergo lex illa non adeo deperdita, non adeo oblivioni tradita.

Nec obstat quod novum fœdus percusserit Josias, id enim fecere Josue, Esdras, Josaphat & Jojada sub Joa, nec tamen quisquam inde suspicatur, legem aut omnino deperditam, aut omnino oblivione deletam. Fœderis illa renovatio fiebat ad majorem & vividiorem inculcationem, ut tempore Josue, quod etiam præstitit Moyses per Deuteronomium; aut ad reparandam diuturniorem idololatriam ut temporibus Josaphat, Josiæ, &c. quod si quæras cur hanc temporis circumstantiam expectaverit Josias ad præcavendam Dei iram, dico quia fortasse nondum exemplar legis sibi describi curaverat, aliis detentus negotiis & Idolorum & Templorum evertendorum cura distractus. Hinc Helcias exemplar legis ad eum mittit. Cæterum pavor ille Josiæ potuit oriri ex attentiori quam tunc fecit legis lectione. Quoties enim evenit ut eadem legamus, nec iis nisi certa quadam occasione commoveamur? Itaque dolor, metus & stupor Josiæ, si quis fuerit, non ortus est ex omnimoda legis deperditione & ignorantia; sed ex eo quod timeret ne telis iræ divinæ ipse & populus ejus pateret propter peccata Patrum suorum.

R. 2. neg. min. In tantum corrumpi potuerunt libri legis, in quantum omnino deperditi & oblivioni traditi fuissent omnes libri illi: falsum consequens: ergo & antecedens. Deinde esto etiam quod libri illi omnes deperditi fuissent, nego eos interpolari potuisse. Singularem enimvero illam interpolationem quæ tantopere & ideæ Dei, & recte rationi & profanis historiis consonet: Cæterum vel Josias, vel Helcias, vel Sacerdotes Baal, vel Saphan & qui cum eo erant, vel denique populus omnis simul. Jam vero nihil horum dici potest. Non Josias aut Helcias; nullum enim hujus interpolationis motivum ipsi supponi potest. Quodnam enim emolumentum ipsis emergere poterat ex lege sic compacta? Non Saphan & qui cum eo erant missi ad Holdam. Nam reclamasset Helcias, nec cum iis consensisset. Præterea undenam hæc omnia confirmat Holda? Quæ hujus consensus causa assignabitur? Fictitia est facilitas concessa Sacerdotibus Baal adeundi Templum. Nam ut liquet ex 2. *Paralip.* 29. valvæ Templi fuerant clausæ. Præterea inauditum est & paradoxi instar Sacerdotes Baal legem gratis confixisse Idololatriæ eversivam. Deinde si liber ille evertendæ idololatriæ causa a Josia aut Helcia gratis confictus est, cur recentem & suppositam libri hujus originem non arguerunt Reges qui post Josiam Idololatriam renovarunt? Cur Samaritani contra librum illum nusquam sive tunc, sive postea reclamarunt? Nec eo usque, sicut supponit objectio, ex Israelitarum animis obliterata erat illa lex, aut illius erant incurii. Patet enim, *lib.* 4. *Regum* 17. 26. 28. missos fuisse a Salmanazare Samariam viros qui novos Samariæ colonos ritus Mosaicos edocerent. Legem ergo & cordibus & chartis inscriptam gerebant. Tobias legem illam filio suo inculcabat. Nec Salmanazar libros legis aut destruxit, aut transferri prohibuit.

Inst. 1. *Machab.* 1. legitur: *Libros legis Dei combusserunt igne scindentes eos; & apud quemcumque inveniebantur libri Testamenti Domini . . . trucidabant eum.* Ergo tunc periit Pentateucus.

R. neg. conseq. 1. Ex eo quod legis exemplaria conquisierit Antiochus, omnia inventa & extincta esse non sequitur; præsertim si Judæorum indolem attendas & zelum eorum pro libris illis. Saltem certe in Alexandrina Bibliotheca quæ extra ditionem Antiochi erat, aliqua remansissent exemplaria. 2. Ex eodem libro manifestum est omnia non fuisse ab Antiocho comprehensa exemplaria *v.* 3. *v.* 2. & 3. 4. 8. & 4. & Ju-

& Judæorum Epistolam ad Spartiatas. 3. Ex his locis istud etiam manifestum erit legem illam non ex eorum animis deletam fuisse, ac proinde nec vitiari potuisse.

Inst. Multi ex SS. Patribus, referente Morino, Judæos incusant quasi sacrorum codicum violatores. Ita SS. Justinus & Iræneus. Ergo.

R. dist. ant. Arguunt violatores quantum ad versiones: c. quantum ad ipsum textum: n. Itaque observandum est Ecclesiam nullam aliam initio usurpavisse Scripturam sacram nisi versionem septuaginta Interpretum. Judæi vero animadvertentes sibi non favere illam versionem, immo non satis ad litteram textus Hebraici esse accommodatam, alias conflarunt & opposuerunt magis litterales, Symmachi nempe, Aquilæ & Theodotionis. Cum ergo SS. PP. nullam aliam Scripturam authenticam agnoscerent præter versionem 70. Interpretum, Scripturam sacram vocabant versionem illam & quoties interpretatio dissimilis opponebatur, statim & ipsi objiciebant textum adulteratum fuisse, nomine textus, non textum ipsum Hebraicum intelligentes, sed versionem 70. Interpretum quæ loco textus ipsis erat. Per Scripturas etiam Hebræorum, id est, per Judæos interpolatores intelligebant versiones Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, quæ juxta Hebræum factæ erant ad confutationem versionis 70. Interpretum. Hinc S. Justin. *dial. c. Triph. n.* 71. id unum conqueritur quod 70. illi senes Scripturam recte *interpretati* fuerint; Judæi vero aliter *interpretari* aggrederentur: Hinc S. Iræn. *l.* 3. *c.* 24. al. 21. nihil aliud propugnat nisi veram non esse *interpretationem* Judæorum qui sic Scripturam *interpretabantur*: *ecce adolescentula*. In quibus patet opponi interpretationem interpretationi, seu versionem versioni, non interpretationem, seu versionem textui. Constanter itaque de versionibus, nunquam de textu primigenio inter eos agebatur. Nec sane SS. illi PP. velle poterant textum ipsum Hebraicum a Judæis corruptum fuisse; nam textum illum lingua primigenia non legebant, cum linguam illam non callerent. Adulterationem itaque non intelligebant nisi relative ad versionem 70. Int. Sit in exemplum S. Justinus in objectione prolatus. Triphonem arguit quod Judæi oraculum istud Isaiæ: *Ecce virgo concipiet, &c.* violaverint; ac loco Virginis, παρθένος, juvenculam, νεᾶνις reddiderint. Inde non evincitur Judæos textum ipsum adulterasse, sed tantum eamdem vocem Hebraicam alio reddidisse modo quam septuaginta Interpretes. Quomodocumque autem reddatur textus, idem in se & a parte rei semper remanet. Cum ergo versionem Aquilæ legeret S. Justinus, quoties eam versioni 70. Interpretum dissonam reperiebat, statim Scripturam adulteratam esse inclamabat, quod nihil aliud significat nisi Aquilam male vertisse textum Hebraicum. Hoc uno incumbebat principio S. Justinus qui versionem 70. Interpretum solam esse Scripturam, seu versionem authenticam putabat; linguam enim Hebraicam non callebat. At vero ut adulterationis evincantur Judæi, satis non est hanc vel illam Judæorum versionem versioni 70. Interpretum dissonare; fatentur enim plerique Patres in hac posteriori versione multa textui Hebraico addita fuisse; sed requiritur ut textum ipsum corruperint, ipsi addendo vel detrahendo. Nullam specialem difficultatem facessit S. Iræneus. Sententiam enim S. Justini narrative tantum refert, non vero propriam exprimit. Et sane si ex illis SS. PP. concludendum esset textum Hebraicum a Judæis fuisse violatum, concludendum etiam esset illud contigisse 50. ann. post captam Hyerosolimam. Quod repugnare jam supra probavimus.

Inst. Atqui accusatio illa etiam textus Hebraici interpolationem intendebat. Origenes enim & Sanctus Hieronymus linguam Hebraicam callebant: atqui tamen interpolationem Judæis supponebant: ergo.

R. dist. min. Ex aliena sententia: c. In propria sententia: n. S. Hieronymus, idem dic de Origene, sibi non semper concors fuit in eodem sensu; immo modo hoc, modo illud amplectitur & docet. Aliquando textum Hebraicum præ versione 70. aliquando versionem illam præ textu Hebraico elevat. Nec in hoc

solo

ſolo articulo, ſed in multis aliis tum Origenes, tum S. Hieronymus ſibi diſcordes reperiuntur. Quam diſpar fuerit ſibi S. Hieronymus in extollendo & elevando Origene nemo ignorat. Ipſe S. Hieronymus plurimis in locis operum ſuorum declarat aliorum ſententiæ potius ſeſe accommodare, quam ex propria ſententia judicare de textu Hebraico & verſione 70. Int. Quoties ergo S. Hieronymus aut Origenes textum Hebraicum adulterationis incuſant, loquuntur ex aliorum ſententia, alienum adoptant judicium, ſicque ſe gerebant ne inanes ac novas cierent diſputationes.

Obj. 3. contra divinit. Pentat. In tantum divinus eſſet Pentateucus, in quantum miracula & oracula in eo relata, eſſent evidenter divina: atqui neutrum horum eſt evidenter divinum. Illa enim ſive miracula, ſive oracula non ſunt evidenter divina, quæ tum humanæ induſtriæ, tum Magicis artibus adſcribi poſſunt: atqui prædicta oracula & miracula humanæ induſtriæ & Magicis artibus adſcribi poſſunt. 1. Quidem humanæ induſtriæ. Cum enim Moyſes Populi Iſraelitici indolem intime noſſet, poterat prudenter augurari illum modo bona, modo mala experturum; præſertim cum eventus a Moſe prænuntiati communes ſint cunctis populis & nationibus. 2. Cum Moyſes in ſcientiis Ægyptiacis eſſet peritiſſimus, magicas artes apprime callebat, ac eorum ope ſua patrabat miracula. Ergo neutrum eſt evidenter divinum.

R. n. min. quoad utramque partem, & dico neque oracula neque miracula aut humanæ induſtriæ, aut Magicis artibus tribui poſſe. Et 1. quidem oracula Moſaica humanæ & naturali induſtriæ tribui non poſſunt. Quomodo enim tanto ante tempore, res adeo ſingulares, & cum tot circumſtantiis Moyſi in mentem venire poterant? Quomodo ſciebat Aſſyrios, Chaldæos, Romanos e longinquo venturos ut Judæos aggrederentur? Speciatim vero quis concipiat circumſtantiam ita raram & ſtupendam, qualis erat fames illa qua parentes liberos comederent? Quantacumque fuerit Moſi ſagacitas ingenii & ſubtilitas, nulla arte humana præcognoſcere potuit Iſraelitas de Pharaone triumphum talem reportaturos qualem prænuntiavit ad oram Maris Rubri; & ſi Moyſes populum decipere voluiſſet, non calamitates, non excidium, ſed fortunam felicem & proſpera quæque vaticinatus fuiſſet. Dum Moſes terræ Chanaan poſſeſſionem prænuntiabat, Iſrael nullam adhuc fixam habebat ſortem. Ut quid ergo Regi captivitatem minabatur Moſes, cum lex nihil minus quam Regi inſtitutionem tunc intenderet? Undenam non ſolum captivitatem, ſed & reditum e captivitate commemorabat? Denique prophetiæ illæ ita ex una parte notabiles ſunt ac poſitivæ, ut non meræ comminationes, ſed veræ prophetiæ dici debeant, ita ſingulares ac determinatæ, ſive ad felicem, ſive ad infelicem fortunam, ut utramque pro virtute vel vitio revera expertus fuerit conſtanter Iſrael. Unde ſic arguere licet. Vel oraculorum illorum veritatem & eventum conſtanti experientia vidit gens Judaica, vel non. Si primum: veræ ergo & divinæ ſunt illæ prophetiæ. Si ſecundum; ſi falſa eſſe illa oracula certa vidit experientia; ſtultam ſane gentem quæ gratis & data opera tot ac tanta ſibi adſciſcebat mala, ex mente ad fraudes & dolos obſtinata. Præterea ſi tota gens illa duris oppreſſam ſe calamitatibus vidiſſet eo tempore quo legi Moſaicæ fuiſſet addictiſſima; & e contra, ſi læta fortuna florere ſe vidiſſet dum legem illam abdicaret, jam legitimo cum fundamento vanam & falſam eſſe ſuam Religionem concludere potuiſset; ergo cum contrariam, ac Moſaicis oraculis ſemper correſpondentem ſortem experta fuerit gens illa, manifeſta earum prophetiarum apparet divinitas. 2. Miracula non ſunt naturalia. Nam nulla effectus illos inter & cauſas naturales apparet proportio; immo manifeſte patet nullam inter utrumque eſſe diſpoſitionem. 3. Nec oracula, nec miracula poſſunt eſſe a Magicis artibus. Moſes enim doctrinam ſtabiliebat dæmonum honori & placitis omnino contrariam. Præterea Magis bellum aperte indixit Moſes; ac ut hujus inimicitiæ perpetuum maneret monumentum, legem conſtituit pœna mortis ſancitam in omne genus Magorum. Porro fingi non poteſt ex conſenſu aut conſi-

lio aut ope dæmonum hæc dæmonibus ipsis inflicta fuisse vulnera. Nam ut habet Christus: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Ergo.

Inst. Mosis industriæ & causis naturalibus tribui debet tum populi Israelitici exitus ab Ægypto, tum Maris Rubri transitus. Refert enim Trogus Pompejus Ægyptios acerbo quodam morbo exagitatos, a Diis monitos fuisse ut exules facerent omnes morbo illo infectos. Moses filius Joseph, horum exulum conductor, Ægyptiorum res sacras furatus est. Hos Ægyptii armis prosecuti sunt, orta autem tempestate fugam capescere & ad propria redire coacti sunt. Judæi vero septem diebus inter deserta Arabiæ errabundi & fame vexati septimo tandem die in monte Sinai sedes fixerunt. Aruas, id est, Aaron Mosis filius, Ægyptiorum Sacerdos, & statim Rex creatus est. Et inde Sacerdotalis & Regia dignitas in una eademque persona apud Judæos semper coaluere. Ergo.

R. Fabulis totam hanc scatere historiam, immo nobis favere. Supponit hæc narratio Israelitas ab Ægyptiis originem ducere. Hujus narrationis falsitatem sufficienter evincit vel ipsum Israelitarum nomen, & traditio extra omnem dubii aleam posita. Moysen Josephi filium esse altera chimera est. Aruam, id est, Aaronem Mosis filium fuisse gratis & falso asseritur; ipsum Regem inauguratum fuisse, & utramque dignitatem in unica persona exinde viguisse, totidem falsa sunt, quibus evertendis vel sola par est Regum Judæorum Chronologia. Septem tantum dies inter deserta errasse Judæos, itidem falsum est & commentitium. Præterea rupes montis Sinai famem Israelitarum explere non poterant. Denique Judæos ex Ægypto fugatos esse propter lepram, falsum evidenter patet ex lege qua Moses sancivit leprosos extra castra separandos esse. Cum enim Israelitæ solo Mosis & Josue tempore tentoria fixerint, lex illa huic ætati coæva sit necesse est. Atqui sane impossibile erat leprosos extra castra relegare si omnes egressi fuissent leprosi. Quin immo longe magis congruum fuisset totius legis œconomiæ aliquam benignitatem erga leprosos exercere & de hac re præcepta condere; sicut lege illa præceptum erat advenas & peregrinos benigne excipere, quia Israel ipse olim peregrinus & advena fuerat in terra aliena; & sane in lepræ illius memoriam monumentum aliquod erexisset Moses, sicut festum Tabernaculorum instituerat in memoriam peregrinationis in deserto, & Agnum Paschalem in signum liberationis a servitute. Judæos enimvero non magis pudere debebat lepræ quam servitutis. Ergo falsitatibus scatet hæc historia. Immo nobis non parum favet. Supponit enim & aperte concedit hæc narratio Israelitas ex Ægypto egressos fuisse. Atqui isto semel concesso, jam narratio Mosaica fit necessario vera. Etenim vel sponte, vel vi Ægyptum deseruerunt. Jam vero non in seditione aut tumultu exierunt. Omnem enim substantiam ac supellectilem suam secum asportaverunt. Quod si vi & armis expulsi supponantur, sine aliquo certamine istud fieri non potuit. Quod si acies commissa fuerit, nec nisi victoria reportata Ægyptum deseruerint, cur tandem nullum hujus certaminis aut victoriæ extat monumentum? Ergo concesso semel Israelitarum ex Ægypto egressu, eventum illum ita contigisse, ut a Mose narratur, concedendum est.

Inst. Transitus Maris Rubri a viro perito tentari potuit. Moses enim diu ad oram hujus maris vixerat: facile ergo observare potuit æstus ejus horam, durationem, altitudinem, sicque Israelitis mare illud sicco pede calcandum offerre. Ergo.

R. neg. Ant. 1. Si maris Erythriaci trajectio venti & æstus ordinarii opus sit, id neque Israelitis neque Ægyptiis ignotum esse potuit. Ergo nec terreri debuere Israelitæ, nec Ægyptii tam imprudenter sese mari committere fluxus & refluxus horam ignorare non valentes. Sine amentia & absque stultitia eventum illum ut miraculum Israelitis proponere non potuit Moses. 2. Etiamsi hujus maris æstus Israelitas latuisset, illum tamen decursu temporum non advertere non potuerunt, cum tandiu ripam hujus maris sequuti fuerint. Ac proinde non potuerunt non observare quotidie statutis temporibus suis rem eam-

eamdem fieri; ergo debuerunt lapsu temporum hoc miraculum exauctorare. 3. Singulas hujusce eventus circumstantias discutienti, supernaturalem esse patebit. Judæos insequitur Pharao; eos reperit in castris super mare. Murmurantibus Israelitis ad Deum confugit Moses, statimque timido populo proximam nuntiat salutem. Jam vero vel colloquium istud cum Deo verum est, vel non. Si primum dicimus: supernaturalis est transitus ille. Si secundum: qua ratione istud evincitur? cur tacuit populus? cur hujus eventus monumenta servavit? pergit Moses. *Ægyptios quos nunc videtis, nequamquam ultra videbitis*. Undenam istud præscire poterat Moses? ut enim istud assertive prænuntiaret, scire debebat Pharaonem Israelitarum profectioni ac transitui non obstiturum; aut scire debebat an Pharao mari se commissurus esset nec ne, & si se committeret, an eo usque persequeretur, ita ut fluctibus operiretur. Præterea vel diu durabat fluxus, vel non. Si primum: Moses asserere non poterat Ægyptios ultra non videndos esse. Si secundum: plenam salutem Judæis spondere non poterat. Et quidem nihil ab æstu sibi promittere poterat Moses. Mare enim illud sex horarum spatio paulatim recedebat; sed etiam aliis totidem horis ad littus redibat, adeo ut uno tantum quadrante liberum iter permitteret 250. aut 300. passibus expansum. Nec statim ab eductis aquis pervia est arena, præcipue si mobilis sit, qualis est Maris Rubri, ut testatur Diodorus Siculus. Quidquid sit, sex horarum spatio mare illud trajicere non potuit tanta hominum multitudo immensa supellectili onerata. Deinde juxta Mosis narrationem eo manum suam extendente scinditur mare, & eodem modo postea nativum resumit statum. Et certe ventus qui tunc perflabat, orientalis fuit; ergo fluxum impedire, & aquas repellere debuit ad occiduam maris partem, ad quam tunc supponuntur Israelitæ. Ergo tunc sinum suum illis pandere non potuisset mare illud, vento aquas in illam ripam impellente. Præterea aquis influentibus submersi sunt Ægyptii, & eorum spolia in alteram ripam ad manum Israelitarum reportata sunt; jam vero in Deistarum narratione & hypothesi ventus propellere debuisset spolia illa in ripam Israelitis adversam. Ergo vera est narratio Mosaica.

Inst. Atqui transitus Maris Rubri nihil supernaturale sonat. Scilicet in tantum transitus ille esset verum miraculum, in quantum Israelitæ ab una maris illius ripa ad alteram sicco vestigio transiissent. Porro istud non constat; immo probabile est eos, aquis recedentibus, ripam sequutos esse ita ut semicirculum describerent. Nam 1. ex narratione Mosaica paucis horis transitum suum absolverunt Israelitæ. Sed sinus quem transierunt, tam brevi horarum spatio trajici non potuit. Nam sinus ille aperit spatium duodecim ac quindecim millibus Germaniæ latum quod non nisi tribus aut quatuor diebus emetiri non poterant Israelitæ. 2. *Num.* 33. 8. legitur Israelitas trajecto illo sinu ad Ætham, id est, ad eumdem locum unde pridie profecti erant, rediisse. 3. *Exod.* 14. narratur Israelitas Ægyptiorum spolia ad ripam collegisse. Porro ripa illa erat ea quæ spectat Ægyptios. Nam mare corpora ad viciniorem ripam semper repellit. Ergo.

R. n. min. Et dico Israelitas sinum Maris Rubri a ripa ad ripam revera trajecisse. 1. Enim ita diserte enunciat narratio Mosaica cujus veritatem jam vindicavimus. Verbum enim Hebraicum significat trajicere, transire, transgredi. Et etiamsi æquivoca foret hujus vocis significatio, facile ex adjunctis determinaretur. Nam adnotat Moses Israelitas intrasse in medio aquarum, aquas fuisse eis instar muri a dextris & a sinistris, quæ omnia supponunt Israelitas per medium mare a ripa ad ripam transiisse. 2. In hypothesi adversariorum, Israelitæ, nec Ægyptios, nec Philistæos effugissent; ad montem vero Sinai iter suum ex præcepto Dei non direxissent. 3. Sinus Erithræi latitudo non satis certa & comperta est viatoribus ut ex ea aliqua objectio & difficultas erui possit. Viatores narrant inter æstum reciprocum siccum manere per dimidiam horam spatium 300. gressuum; tempus illud brevius est quam ut Israelitæ nume-

ro

ro 600000. cum suis oneribus transire possint. 4. Equidem ad Ætham devenerunt Israelitæ, quia præter urbem hujus nominis a qua pridie profecti erant, adjacet aliud desertum ejusdem vocabuli. 5. Ægyptiorum cadavera ad orientalem plagam collecta sunt, quia procul dubio intumuerunt fluctus & coaluerunt ex ripa Ægypti ut sic intercluderetur Ægyptiis, adeo ut cadavera rejici potuerint ad ripam orientalem in qua stabant Israelitæ.

Inst. Josephus Judæorum Historicus *Jud. Antiq. l. 2. c. 7.* præfatum Maris Rubri transitum confert cum Alexandro Mare Pamphiliæ trajiciente. Referunt scilicet Strabo, Artemo, Seneca & Plutarchus Alexandrum cum exercitu suo mare illud sicco vestigio transfretasse. Omnes Historici Poetæ Græci eventum illum ut miraculum traducunt. Poetæ fingunt aquas scindi & iter pandere Neptuno antra sua petenti. Dum obsidebatur nova Carthago, Scipio major suos ducturus per mare ex æstu reciproco exsiccatum sic eos allocutus est: En Neptunus ipse Dux vester vobis viam aperit. Eadem arte & iisdem metaphoris usus est Moyses. Sic montes plaudere, saltare, exultare dicit. Unde sic. Ille eventus non est verum miraculum qui est mere naturalis: atqui transitus Mari Rubri mere naturalis est, teste Josepho & ex comparatione hujus cum aliis eventibus mere naturalibus. Ergo.

R. n. min. 1. Quantum ad comparationem institutam inter transitum Maris Rubri & Maris Pamphiliæ non valet paritas. Populi enim Heliopolis, licet Ægyptii, fatentur transitum Maris Rubri ab Israelitis nullam connexionem habere cum æstu maris reciproco: ita Artabanus & Diodorus Siculus. Israelitæ semper sibi persuaserunt transitum illum supernaturalem fuisse: at e contra, teste Plutarcho, nullum miraculum suspicatus est Alexander in transitu Maris Pamphyliæ. Arianus felicem Alexandri successum tribuit opportunæ ventorum mutationi & reciproco æstui maris, licet aliquem Deorum favorem in hoc agnoscat. Alexandri transitum sic describit Strabo nulla vel levissima miraculi suspicione. Scilicet eminet in Mari Pamphiliæ collis quidam Climax nomine per cujus clivum facile est iter: collem illum conscendere tentavit Alexander, at cum tunc sæviret hiems & aquæ intumuissent, exercitus totam diem iter facere in aquis & renes ipsos madefacere coactus est. In qua quidem narratione nihil nisi vulgare de se prodit: 2. Ad auctoritatem & testimonium Josephi; loquitur argumento ad hominem, hæc sunt ejus verba: *Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si priscis illis hominibus & ad malitiam etiam tum rudibus via per mare patuit, sive Dei voluntate, sive natura sponte, quandoquidem heri & nudius tertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium mare cessit, & aliam viam non habentibus illi iter aperuit, cum Deus ejus opera ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset.* Hæc Josephus. In quibus videtur id unum sibi proponere, nempe evincere hujus eventus possibilitatem ex alio eventu quem referebant Historici Pagani. Cæterum multa alia dicit Josephus tum c. 7. citato, tum c. 6. immediate præcedenti quæ aperte ejus sententiam exponunt. Nam vocat viam illam divinam, solis Hebræis propriam, ipsis Hebræis & Ægyptiis antea ignotam & insperatam. Fatetur Judæis tunc nullum fuisse effugium, nullam fugæ spem. 3. Ad alia exempla dico immensum esse discrimen inter historicum & poeticum stylum. Jam vero si omnes Historiæ ad poeticam emphasim reducantur, tunc omnis veritas collabatur ac prorsus intereat necesse est. Nec sane Moyses solo cantico hunc eventum celebravit, sed eum etiam in historia exaravit, & in hunc eumdem eventum sæpe Israelitarum officia velut in quoddam fundamentum reposuit.

Inst. Saltem naturali industriæ adscribi possunt multa alia Mosis miracula. 1. Quantum ad aquæ ex rupe productionem detegendis aquarum fontibus quam opportuna sit virga, vulgo *la baguette*, nemo nescit; hujus usum ultimo sæculo feliciter usurpavit quidam nomine *Aimaad*. Ferunt præterea fabulæ Pegasum rupe pede percussa fontem aquæ continuo exilire fecisse. Refert Tacitus frequentes esse in Arabia Onagros qui

qui fontes odorentur. His mediis uti potuit Moses & postea narrationem suam miraculi colore illinere. 2. Moses serpentem æneum erexit cujus ope serpentum morsus venenatos sanavit. In hoc supernaturale nihil est. Narrat enim Philostrates Apollonium Thyanæum serpentes incantasse, ita ut nocere non possent. Hac arte urbem Constantinopolim & Antiochem a serpentibus liberavit. Immo multos profert Strabo qui ophiogenetæ *σειγγενεῖς*, id est, a serpentibus geniti dicebantur, quique a serpentum morsu sanabant. Narrat Moses floruisse & germinasse virgam Aaron. Hæc loquendi ratio hoc unum significat, nempe Aaronem virgam illam utpote tot miraculorum instrumentum, ad pedes Dei in tabernaculo deposuisse, ut inde testificaretur Deum horumce mirabilium auctorem esse. Hæc explicatio nititur 1. in ipso-met textu sacro. Num. 17. 5. 10. *Quem ex his elegero, germinabit virga ejus ... Refer virgam Aaron in Tabernaculum testimonii ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel*. Germinabit, id est, erit in testimonium mirabilium quæ operati sunt Moyses & Aaron. Et inde fructus non quidem materiales, seu spiritales & metaphoricos feret, quia scilicet murmur rebellium sedabit & ad meliorem frugem eos adducet. 2. Ex consueto Scripturæ loquendi modo. v. g. *Isa.* 11. & 35. germinare denotat successus prosperos, virtutesque præclaras Messiæ. Ergo. Sic itaque in forma. Potuit Moyses scire artem naturalem aquarum detegendarum. Ergo nullum est hic miraculum.

R. n. ant. Moses artem aquarum detegendarum propriam sibi esse penitus ignorabat. Deum enim deprecatur ut sitim populi sedare velit. Moses & Aaron bis silicem percusserunt ex dubio, quod ad strictos juris apices exultus est Deus. Porro si naturalis Moysi hæc fuisset scientia & facultas, nullam pœnam ab eorum diffidentia repetiisset Deus; unicuique liberum est & innocens hoc vel illud, hocque vel illo modo operari, ubi ex propria agit industria. Ad secundum: adversus Moysen rebellat populus. Eorum scelus castigat Deus per serpentes ignitos. Moses omnium hominum mitissimus his remedium quærit, & a Deo monitus ac jussus illud in serpentis ahænei inspectione parat. Israelitarum rebellio intimam cum serpentis ahænei virtute & institutione connexionem dixit. Ergo non magis unum quam alterum negari potest. Ergo tam verum est Deum ipsum serpentem æneum instituisse, ac constat Mosi rebelles fuisse Israelitas. Et certe Apollonius & cæteri imaginis Astralis vulgo *Talismans* usurpatores, verba quædam proferebant; organis & aliis instrumentis musicis pulsabant, ægrotos tangebant, ulcus leviter premendo ac virus exprimendo; pariter Ophiogenetæ liquores quosdam ac potiones ægrotis propinabant, certas quasdam herbas serpentibus mortiferas subministrabant; immo ipso ore virus hauriebant, tactu & suctu curabant, inquit Plinius, *l.* 28. *c.* 3. eorumque medicamenta enumerat, *l.* 22. *c.* 11. At non ita Moses ope serpentis ænei; subito, nullis prolatis verbis, nullo tactu aut suctu, nullo medicamento curabat.

Inst. Saltem germinatio virgæ Aaron non est miraculum verum. Illa enim germinatio non est verum miraculum quæ est tantum metaphorica: atqui germinatio illa est tantum metaphorica. Ergo non est miraculum verum.

R. n. min. Germinatio enim illa est physica & proprie dicta. Quod patet 1. Ex contextu. Germinatio enim metaphorica in eo consisteret quod virga Aaron foret signum mirabilium Dei; sed ex contextu manifestum est eam constitutam esse *in signum rebellium filiorum Israel*. Deinde ex contextu germinatio illa prior est sedato populo; germinatio vero metaphorica, seu fructus qui in ea pendebant, nihil aliud forent quam sedatus populus & murmurationis cessatio, ac proinde posterior esset sedato populo. Certum est enim ex contextu ex virgæ prolatione ad populum sedatum fuisse tumultum; certum est adhuc virgam germinasse & fructus dedisse priusquam populo ostenderetur; unde ostensio est posterior germinatione; germinatio vero prior est populi sedatione. Præterea sic addit contextus: *sequenti die reversus* (Moyses) *invenit germinasse virgam Aaron*. Ergo virgæ illi aliquid novi acci-

cidit quod antea non habebat. Sed antea hoc habebat ut esset signum mirabilium Dei. Ergo. 2. Ex circumstantiis. Circumstantiæ illæ sunt Coræ & sociorum rebellio, populi murmur & tumultus. Ad Deum confugit Moyses seque locuturum promittit Deus. *Loquar ad te*. Virgas a singulis Tribubus receptas in tabernaculo ponendas jubet Deus; eum cujus virga germinabit, esse Sacerdotem a se delectum asserit: *quem ex his elegero, germinabit virga ejus*. Denique post transactam noctem virga Aaron germinasse invenitur, populo ostenditur, cessant querelæ, & virga in tabernaculo reponitur in signum rebellium Israel. Jam vero circumstantiæ illæ exigunt ut germinatio virgæ sumatur proprie & physice. Namque Deus inibi promittit aliquod ad cohibendas querelas filiorum Israel & quo declaretur quis sit legitimus Sacerdos: *quem ex his elegero*, &c. Signum illud debet esse ex una parte recens & novum; ex altera vero relativum ad tumultum populi. Jam vero germinatio physica & proprie dicta sola hos duos habet characteres. Germinatio enim metaphorica in eo consisteret quod virga foret signum mirabilium Dei. Sed mirabilia illa jam a longo tempore peracta erant, nec nova; non peracta erant ad sedandos populi tumultus & confirmandum sacerdotium in Aarone. Observat S. contextus virgam illam nocte integra mansisse in tabernaculo, & in eo repositam. Ad quid illa circumstantia nisi agatur de germinatione proprie dicta? Cui bono præcisa illa temporis determinatio? Si virgæ illius flores & fructus nihil aliud erant quam miracula præcedentia, inutile omnino ac supervacaneum erat noctem & diem unam expectare. Si ex sua in tabernaculo mansione hoc sensu florescit, pari ratione floruisse dicendæ sunt aliæ virgæ.

Inst. Eo sensu intelligenda est illa germinatio quem postulat consuetus Scripturæ loquendi modus: atqui germinationem metaphoricam postulat consuetus Scripturæ loquendi modus. Ergo.

R. n. min. Fateor in quibusdam S. Scripturæ locis intelligendam esse germinationem metaphoricam; at inde nullatenus sequitur eumdem sensum ubique esse affigendum. Metaphoræ usus fundatur ex una parte in rerum similitudine, ex altera vero in idearum nostrarum æquitate ac rectitudine & ingenii sagacitate qua rerum respectum, sub quo res comparantur, & similes sunt, facile ac sapienter secernimus. Hinc ut vox aliqua semper metaphorico sensu sumatur, requiritur ut semper sint eædem circumstantiæ, eadem res, eædem similitudinis rationes. Jam vero inter textus in objectione laudatos & eum quem discutimus, nulla institui potest comparatio. v. g. *Isai. II.* Non sunt eædem circumstantiæ; nam non agitur de edendo miraculo, de obfirmanda aliqua veritate. Non sunt eædem res; evidens est enim in loco *Num.* citato virgam esse virgam materialem; *Isai.* vero *II.* virgam illam esse hominem. Nam Spiritus Sanctus in homine requiescere potest, in virga materiali neutiquam. Pariter *Isa.* 35. dicitur solitudo germinare; sed ista metaphora aperitur ex antecedentibus & consequentibus. Nam 6. 10. & 34. Jerusalem exhibetur ut saltus, qui igne succendendus est & in quo remanere debent tantum Spinæ & urticæ. Non mirum ergo si Propheta eadem utatur comparatione ad prænuntiandum lætioris fortunæ reditum. At *Num. c.* citato, nihil simile explicationis causa occurrit. Ergo.

Inst. Testimonium Apostolorum circa Divinitatem & inspirationem librorum Veteris Testamenti nullius est roboris. Namque ideo librorum illorum auctoritatem commendarunt, quia libri illi eorum dictis consonabant & ut majorem vim suæ prædicationi inde adderent. Ergo testimonium illorum est suspectæ fidei.

R. n. ant. Et dico quod si semel dubia aut gratis conficta supponatur veteris Scripturæ divinitas, jam Apostolos nihil proficere, sive cum Judæis, sive cum Paganis Religionem Christianam ambientibus. 1. Quidem cum Judæis. Hi enim Religionem christianam amplectebantur, quia Christum illum esse agnoscebant quem ut Messiam sua prænuntiabant oracula, & Christianam professionem habebant ut salutis viam lege Mosaica præmonstratam; uno verbo

Re-

Religio Christiana erat divina in mente Judæorum hoc inter cætera argumenta, quod divini essent libri Veteris Testamenti. Hoc etiam ipsis clamabant Apostoli. Ergo nisi vera fuisset & divina codicum Judaicorum auctoritas, nihil apud eos movissent Apostoli. Et certe constat ex Apostolorum scriptis, & præcipue in Epist. ad Rom. Apostolos sæpe sæpius sua Judæis crimina ex lege Mosaica & ex antiquis codicibus exprobasse & evicisse. Jam vero cadebat ista accusatio nutante codicum illorum divinitate. Statim enim inclamassent Judæi, immerito eorum opprobrium argui ex lege quæ humanæ tantum erat auctoritatis. Nihil etiam profecissent cum Christianis, seu cum Paganis ad fidem conversis. Nutante enim Scripturæ veteris divinitate, nutabat etiam novæ inspiratio & Religionis Christianæ veritas, saltem in argumentandi methodo ab Apostolis adversus Paganos usurpata. Ergo si Apostolis suspecta, aut gratis excogitata ab ipsis fuisset librorum Veteris Testamenti divinitas, ab ea proferenda caute abstinuissent, hac enim fraude semel detecta, Religioni Christianæ nuntium statim dedissent novi illi Proselytæ. Porro timendum erat Apostolis ne fraus detegeretur. Constat enim ex eorum historia novos Fideles summa cum cura assiduos fuisse in pervolvenda veteri Scriptura ut viderent an res ita se haberent sicut prædicabant Apostoli, & an revera antiquis oraculis eventus sibi præsentes & coætanæi correspönderent. Porro omnino incredibile est Fideles illos adeo diligentes fuisse in discutienda ista oracula inter & eventus germanitate, & oraculorum ac librorum quibus proponebantur originem neglexisse. Ergo Apostoli libros Veteris Testamenti commendarunt ex agnita eorum divinitate.

Inst. Ideo Apostoli contra Judæos ex Veteri Testamento arguebant, quia validissimum inde eruebant argumentum quod vocant ad hominem. Atqui ex eo quod Apostoli admiserint librorum Veteris Testamenti divinitatem argumento ad hominem, non sequitur eos illam librorum illorum divinitatem revera agnovisse. Ergo nihil evincit testimonium Apostolorum.

R. n. maj. 1. Gratis supponitur argumenta Apostolorum ex veteri Scriptura desumpta esse tantum ad hominem. Nihil indicat in scriptis Novi Testamenti Apostolos hanc præcise argumentandi formam intendisse. 2. Hinc saltem conceditur Judæos omnes persuasam habuisse librorum suorum divinitatem; quod certe non contemnendum, nec levioris est momenti. 3. Esto quod hæc argumenti species Judæos revincere potuisset, at certe contra Gentiles ad fidem conversos non valuisset. Porro ex dictis etiam contra hos hoc argumentum usurpatum fuit. 4. Si semel Apostoli arguere supponantur ex Judæorum principiis, & principia illa falsa esse arbitrati fuerint, tunc mendacii reatum incurrunt & scelus horrendum in se suscipiunt. Sed hoc clarius patebit in sequenti responsione.

Inst. Nihil non tentaverunt Apostoli ut Judæorum animos lenirent & ad Religionem Christianam invitarent. Hinc legis Mosaicæ cæremoniarum observantiam aliquandiu tolerarunt. Atqui simili epikeja tolerarunt Judæorum existimationem de divina librorum suorum origine. Ergo nihil probat eorum hac de re testimonium.

R. n. min. & parit. Disparitas est quod legum cæremonialium observatio non fuerit per se mala quo tempore permittebatur, modo necessaria ad salutem non judicaretur; e contra vero verbum humanum divino supponere per se malum sit. Fides enim est quædam cultus & honoris species quæ soli Deo decerni potest. Quoddam genus Idololatriæ est eundem assensum hominum loquelæ præbere ac si Dei ipsius esset vox. Hinc Prophetæ sæviebant ubi consulebatur Deus Accaron. Ergo si fictitia sit librorum Veteris Testamenti divinitas, jam ex divinitatis hujus sensu, verbum hominum loco Verbi divini adoptatur. Quod sane tolerare nullatenus potuerunt Apostoli, quia hoc crimen est in quavis rerum circumstantia. Et vero nulla afferri potest ratio cur istud dissimulaverint Apostoli, dum tanto zelo invehebantur in eos qui jugum legis Mosaicæ Christianorum humeris imponere satagebant; dum Circumcisionis inutilitatem obtendebant

bant Apostoli, fictitiam esse librorum Judaicorum divinitatem non siluissent. Quin immo Apostoli illi primi alacres veteris Scripturæ auctoritatem proponunt, eosdem cum Judæis hac de re sensus præ se ferunt, noluntque sibi fidem adhiberi nisi quia Deus in illis libris locutus est. Non tantum ergo toletassent, sed expresse etiam admisissent scelus quod Idololatriæ speciem gerit. Valet ergo testimonium Apostolorum circa divinitatem librorum Veteris Testamenti.

QUÆSTIO III.

De divinitate Pentateuci, & inspiratione Librorum Veteris Testamenti.

Divinum hic illud dicimus quod divina auctoritate sancitum est, aut a Deo docetur & proficiscitur. In lege Mosaica tria occurrunt, nempe Leges, Cæremoniæ & doctrina. Sufficienter quidem tria a solo Deo esse ex dictis debent constare; at ne in aliquo nostro muneri desimus, hæc tria sigillatim, breviter tamen vindicanda insumimus; ex quibus Pentateuci divinitatem legitime, ni fallor, concludere nobis erit.

CONCLUSIO PRIMA.

Doctrina Pentateuco contenta non potuit esse nisi a Deo.

Prob. Ex dictis Religio debet esse Deo & homine digna; hominem docere debet quos sensus erga Deum gerere debeat, quem cultum & honorem ipsi rependendum habeat; quænam sit deinde propria hominis conditio sive præsens sive futura. Atqui hæc omnia docet Religio Mosaica, nec nisi a Deo talis doctrina dimanare potuit. 1. Hæc docet Religio Mosaica. Deum enim exhibet ut Ens summum, æternum, simplex, infinitum uno verbo in omni genere perfectionum. Homini tradit veram sui originem, docet ipsius animam simplicem esse & immortalem. Finem ipsi proportionatum ipsoque & Deo dignum proponit, non voluptates, non honores, non divitias, non terrenum quid & caducum, sed Deum ipsum. Quæcumque recta ratio homines edocet, hæc tradit; & quidem meliori ordine & luce, Religio Mosaica. Ergo. 2. Doctrina illa a solo Deo esse potest. Vel enim ab ingenii perspicuitate, vel a meliori indole hæc orta sunt. Atqui non ab ingenii sagacitate. Moses enim aut Judæi cæteris Populis acutiores non se proferunt. Ea vivebant ætate qua vix ratio sibi ipsi cognita barbara erat, abnormis & inculta. In aliis artibus & scientiis cæteris nationibus inferior, in Religionis negotio omnes superat unicus ille populus. Quod tot Philosophi ignorarunt, tam vivide sentit, tam acute intelligit sola gens Judaica. Unde fit ut dum Ægyptii v. g. inter quos Israelitæ plusquam ducentis annis vixerant, alii bovem, alii crocodilum adorarent, solus Israel Deum verum colat? Disputant, digladiantur inter se illi Græciæ Sapientes; variis & incertis fluctuant opinionibus, solus Israel uno & certo intuitu arcana divina penetrat. Et vero si hæc doctrina naturali sagacitate aut traditione, ab Abraham scilicet, descendebat, & ex naturæ ipsius sedula consideratione; eandem sagacitatem, traditionem & naturæ observationem præsumere potuerunt Ismaelitæ & Idumæi. Ergo, &c. Hæc doctrina non potuit etiam oriri ex meliori indole & dispositione. 1. Enim iisdem ac cæteri homines propensionibus servire videntur Judæi. 2. Si propensiones ac cupiditates illas non experiuntur Judæi, miraculum est soli Deo tribuendum. Nec præterea summa difficultatis præcise reponenda est in modo quo illam doctrinam animo concipere potuerint, quam in modo quo tandiu eam servare voluerint. Inter tot enim hostes & persecutiones, inter tot casus & rerum discrimina quibus alii Populi longe illustriores deleti, aliæque Religiones extinctæ fuerunt, gens Judaica adeo exigua cæteris sæpe nationibus permixta, extra patrios fines deportata, duræ cervicis ac legis impatiens Religioni sensibus asperæ per immensos annorum orbes constanti ac sincera fide semper adhæserit. Pro variis ætatibus non mutatur. Eadem Dei idea, eædem ejus perfectiones, eadem ipsi obsequendi necessitas apud Judæos constanter viget. Dum aliæ gen-

gentes novos quotidie undequaque Deos adveherent, aut veteres Sacerdotnm suasu ejicerent, solus Cæli creator Judæis sufficit. Ergo.

Et sane vel humana vel divina est doctrina Pentateuco contenta. Porro non humana, utpote quæ humanæ infirmitatis ac imbecillitatis characteres præ se non ferat. Ad quinque enim classes reduci possunt omnes humani Doctores. Alii quos voluptatis præcones dicere licet, qui sensualitatis præcepta tradiderunt. Alii superbiæ Doctores, qui hominem supra nativam ejus conditionem extulerunt, eosque omnia vanæ gloriæ dare docuerunt; alii curiositatis Magistri, qui vanis speculationibus se tradiderunt. Alii artis Politicæ, alii denique Moralis & Ethicæ sed cum iis vitiis quæ supra assignavimus. His infirmitatibus superior est Religio Mosaica. Ea solum docet & quidem plene ac sincere, quæ rectæ morum institutioni inservire possunt; sensibus anstera, vel ipsum cujuscumque inordinatæ cupiditatis desiderium fugiendum jubet. Ergo. Præterea doctrina Mosaica non temere præjudicatis Populorum opinionibus, neque humanis affectibus gratificatur. Non favet præjudiciis; siquidem Deum invisibilem & spiritalem exhibet. Non avaritiæ, omnem enim fere corrodendarum divitiarum ansam aufert, usuram prohibet; non libidini, adulterium enim, fornicationes, &c. prohibet. Non superbiæ, nam omnia in Deum, ut in principium refundit; constanter hominem deprimit, ut Deum extollat. Ergo.

CONCLUSIO II.

Leges Mosaicæ a solo Deo sanciri potuerunt.

PRob. Hi sunt humanæ legis characteres. 1. Humani Legislatores a Populis ad eas condendas & ordinandas deputabantur. 2. Hujus muneris capaces & idonei eligebantur; debebant esse Ethnicorum judicio, viri divini ac Deorum filii. 3. Leges illæ soli Populorum utilitati collimare debebant. 4. Hinc factum est ut iterum atque iterum reformarentur leges illæ, vel iis addendo, vel iis detrahendo, pro variis temporum circumstantiis. Jam vero eas vices non expertæ sunt leges Mosaicæ 1. Non a Populo suam habebat auctoritatem Moses. Tum quia alias Populus ille tam sæpe rebellis ac seditiosus quam Mosi dederat auctoritatem, certe ab eo repetiisset; tum quia ante Mosen nulla erat Respublica, nulla regiminis forma; tum quia si a Populo suam habuissent leges energiam, penes Populum fuisset eas abrogare. 2. Mirum profecto in ista temporum barbarie tales Mosen ordinasse leges quales nulla alia habuit Respublica. Certe quantacumque ingenii sagacitate polleret Moses, eas lege disponere proprio marte nunquam potuit quæ statim a sua origine plenam ac sibi propriam adipiscerentur perfectionem. Ergo Moses in illa legum compositione non tantum eruditus & sagax ingenio, sed aliquid amplius esse debuit, & a solo Deo eas habere potuit. Hinc 3. leges Mosaicæ nullam mutationem aut variationem expertæ sunt. Illa vero firmitas & constantia oriri non potuit nisi vel ex eo quod in illis legibus nihil deficeret, nihil vacuum aut inconcinnum esset, vel ex eo quod abstrahendo ab intrinseca earum perfectione, divina auctoritate sancitæ essent. Atqui quidquid dicatur, leges illas divinas esse oportet. Si enim nullus in eis defectus, si nullum in iis est vitium, solus Deus potuit leges adeo perfectas ordinare. 4. Quam duræ, quam parum ad Populi utilitatem terrenam accommodatæ fuerint leges illæ, jam vidimus & res per se clamat. Pauca sufficiant exempla. Aspera erat circumcisio. Jubebat lex ut ter in anno omne masculinum coram Domino appareret; solæ ergo remanebant domi mulieres & puellæ; inermes ergo erant urbes; quid non timendum habebant fœminæ sic omnium incursionibus expositæ, sine ullo etiam pudoris propugnaculo? Cur urbes sic desertas nullus obsessit hostis? Iterum; septimo quoque anno terra inculta manebat, servi libertatis jura recipiebant, &c. Hæc quam gravia forent nemo non videt.



CON-

CONCLUSIO III.

Divinæ auctoritatis sunt Cæremoniæ.

PRob. Cæremoniæ illæ duræ sunt & ratione sui & ratione suæ multitudinis; ergo eas adoptare non potuit Populus nisi intime persuasus divina auctoritate eas esse positas; sensus ille ac persuasio talis esse non potuit nisi quia vere divinæ erant illæ Cæremoniæ. Ergo. Et certe ritus illi ad hoc maxima ex parte inserviebant ut Judæis plurima facta in memoriam revocarent: sed facta illa sunt divina ut probavimus. Ergo.

COROLLARIUM PRIMUM.

Deus Mosi locutus est.

PRob. Duo sunt, ex dictis, divinæ locutionis sigilla, oraculum & miraculum: sed ex probatis vera oracula, vera miracula edidit Moses. Ergo.

COROLLARIUM II.

Libri veteris Testamenti sunt divini & divinitus inspirati.

PRob. 1. Ex iis omnibus quæ hucusque dicta sunt & probata. Ex definitione enim superius data, Liber divinus, seu divinitus inspiratus is est qui Deo dictante & jubente scriptus est. Porro ex probatis doctrina Pentateuco contenta est divina, divinæ auctoritatis sunt tum cæremoniæ, tum cæteræ leges Pentateuco contentæ; uno verbo sive res Pentateuco contentæ, sive stylus quo describuntur, supra naturæ humanæ captum excellunt; & aliquid plusquam humanum sonant. Ergo divinum est illud omne quod Pentateuco continetur. Ergo divinus est Pentateucus, & divinitus inspiratus. Argumenta enim quibus hæc omnia evicimus, eruebantur ex eo quod v. g. doctrina, sive de natura Dei, sive de origine hominis, a Mose in Pentateuco tradita non aliunde nisi a Deo ipso patere potuerit, eoque sit digesta modo qui nihil humanum sapiat; tales sunt leges a Mose adornatæ ut eas proprio marte cudere non potuerit. Ergo Deo docente & dictante hæc omnia executus est Moyses. Ergo etiam Deo jubente. Ergo Pentateucus divinus est ac divinitus inspiratus. Si non demonstrativum sit hoc argumentum, vim tamen non minimam sibi vindicat. Verum quia in re tanti momenti iis potissimum mediis quæ efficacius probant, insistendum est.

Prob. 2. Argumento præscriptionis: Judæi simul & Christiani in hanc Librorum veteris Testamenti divinitatem perpetuo consensu conspirarunt. Ergo certa est Librorum illorum illa divinitas & inspiratio.

Prob. ant. Judæi quidem. Quanta enim fuerit Judæorum erga Libros suos reverentia, quantum eorum obsequium præstiterint legibus in Libris illis contentis, quo denique zelo pro iisdem Libris etiam ad mortem usque exarserint, omnes norunt & supra vidimus. Jam vero zelus ille, reverentia illa oriri non potuerunt nisi ex præconcepto divinitatis hujus sensu, & ex certo comperta illa divinitate & inspiratione. Hinc sic Josephus contra Appion. l. 1. „Quantum fidei „ & auctoritatis nostræ Scripturæ Libris „ tribuamus, reipsa satis perspicuum est. „ Nam tanto & tam diuturno ævi curri- „ culo decurso, nemo illis vel addere, „ vel adimere, vel quidquam denique in „ eisdem immutare ausus est. Immo quod „ rata Dei præcepta decretaque sint pro „ certo existimare; iisque adhærescere, „ & pro illis, si opus sit, vitam liben- „ ter profundere non dubitare, om- „ nium Judæorum animis, statim ab in- „ eunte ætate, quasi insitum & innatum „ est. „ Et certe quam ægre & quanta cum difficultate suam Religionem abdicaverint & etiamnum deserant Judæi neminem latet. Atqui neminem latet etiam difficultatem illam præcipue oriri ex intima persuasione de legis suæ divinitate & Librorum in quibus exarata est, inspiratione. Ergo Judæi persuasum habuerunt divinos esse suos Libros. Idem Christiani etiam admiserunt. Christus enim Christianorum Deus & Parens missionis suæ divinitatem eruebat ex textibus & argumentis ex veteri Testamento desumptis; Apostoli constanter & uno ore clamant novum illud quod pro-

promulgant Testamentum, quodque ut divinam proponunt, esse veteris adimpletivum ac perfectivum; inter conventus suos Libros veteris sicut novi Testamenti ut divinos legebant & reverebantur; SS. PP. & Doctores Ecclesiæ Libros eosdem proferebant ut divinos & divinitus inspiratos. Sic v. g. S. Cypr. Epist. 55. & l. de Opere & Eleemosynis asserit Spiritum Sanctum loqui per Salomonem; Scripturam sanctam non posse mentiri, & quæ in ea dicuntur esse verba Dei. Nomine autem Scripturæ sanctæ Libros veteris & novi Testamenti intelligit, ut constat ex lib. de Testim. ad Quirinum. Origenes lib. 4. c. Cels. expresse asserit Judæos & Christianos conficeri Libros qui Sacri dicuntur, Spiritus Dei opus esse, & l. 3. asserit Christianos sicut Judæos antiquas scripturas recipere. Ergo Christiani Libros veteris Testamenti ut divinos habuere. Hinc SS. PP. ex veteri scriptura quasi ex suprema, infallibili ac divina auctoritate Hereticos revincebant. Sic S. Clem. Alex. S. Hyppol. S. Irea. Tertull. &c.

Prob. conseq. Nempe hoc ipso certam esse illam Librorum veteris Testamenti divinitatem. Nam Judei & Christiani, in aliis bene multis licet divisi & oppositi, in hanc divinitatem conspirare non potuerunt, nisi quia certis argumentis ipsis erat comperta. Judeorum animis insederat naturalis nescio quæ propensio ad idololatriam, & aversio a Lege Mosaica. Ut ergo legem illam amplecterentur contempta Idololatria, debuerunt habere motivum utraque dicta propensione fortius. Jam vero motivum illud non potuit esse aliud, nisi legis illius & Librorum quibus continebatur divinitas. Ergo certa est illa divinitas. Divinitatis enim hujus sensum haurire non potuerunt nisi ex Mosis testimonio miraculis confirmato, quo asserebat Deum hæc sibi dictasse. Porro motivum illud certum est & inconcussę auctoritatis. Si enim motivum illud esset dubię fidei & auctoritatis, vel quia Moses Judeos decepisset dicendo Deum ea sibi dictasse quę ipsi non dictaverat, vel quia Judæi decepti fuissent inepte credendo Moysen istud ipsis asseruisse, quod tamen non dixerat: atqui neutrum dici potest. Non primum: nam ex probatis Moyses non fuit deceptor nec ulla afferri potest ratio cur Legislator ille in aliis omnibus verax, in hoc præcise articulo illudere voluisset. Non secundum: nam ex concessis & ex supra probatis Judęi decipi non potuerunt, nec fuerunt decepti circa miracula a Mose patrata. Ergo nec decipi potuerunt circa legum suarum originem, & Librorum suorum divinitatem & inspirationem. Non magis enim in errorem induci potuerunt circa objectum testimonii Mosis, quam circa testimonium ipsum & miracula quibus nitebantur. Concipi non potest Judęos, in aliis multis litigiosos, incurios fuisse in scrutanda legum suarum origine, nec unquam a Mose quæsivisse qua auctoritate leges tam duras imponeret, & eorum codicem digessisset. Ergo posita Judæorum convictione, certa est Scripturæ veteris divinitas & inspiratio. Idem erui potest ex Christianorum persuasione. Qui enim in prima Christianæ Religionis ætate Christo nomen dedere, Libros veteris Testamenti ut divinos amplexi sunt, ex probatis, nec aliter Christianis Sacramentis initiari potuere. Attamen antea dogmata Judęorum, Libros veteris Testamenti sicut eorum custodes Judęos innato veluti odio, pro sua conditione aversabantur & contemnebant. Motivo ergo indubio adducti fuere ad deponendum istud odium. Jam vero ut tale motivum habuerint, satis est 1. ut divinitatem illam fide & auctoritate Apostolorum admiserint, deinde ut motivum illud sit indubium. Atqui hęc duo vera sunt. Primi Fideles inducti fuere fide & auctoritate Apostolorum. Nam ex dictis Apostoli expresse hanc illorum Librorum divinitatem docebant. Et vero cum Christiana Religione imbuebantur Pagani, Apostolos suscipiebant ut divinos Doctores & Magistros. Ergo nihil nisi eorum fide & auctoritate admittere potuerunt. Ergo Librorum veteris Testamenti divinitatem hac eadem fide & auctoritate admiserunt. 2. Motivum illud est indubium. Namque Apostoli suam prędicationem & missionem miraculis confirmabant. Porro miracula illa sunt certa, ut postea probabitur; & ut hic conce-

di debet si semel Apostolorum scripta eodem auctoritatis gradu admittantur quo recipiuntur Historiæ humanæ. Ergo Libri veteris Testamenti sunt divini & divinitus inspirati. Præterea cum Gentiles Christianæ societati nomen suum ascribebant, vel propter miracula, vel propter veteres Prophetias eventu completas, vel ex utroque simul motivo societatem illam amplectebantur. Jam vero quocumque tandem motivo ad ineundam illam societatem inducti fuerint, certum est quod plenam societatis hujus cognitionem habere non potuerint nisi Libros veteris Testamenti cognoscerent, & quo pretio æstimandi essent Libri illi, apprime callerent. Sed Gentiles Libros veteris Testamenti eodem pretio habebant ac Judæi ipsi: Ergo existimationem illam hauserant ex Apostolorum prædicatione. Ergo, &c.

COROLLARIUM III.

Vera est & divina Religio Mosaica.

PRob. Illa Religio vera est quæ veram de Deo habet existimationem, verumque cultum ipsi exhibet: atqui res ita est. Nam eam de Deo habet existimationem, eumque cultum ipsi exhibet quem Deus revelavit. Ex dictis enim non ab humana industria hæ notiones oriri potuerunt. Et certe certa constat nobis authenticitas, veritas & divinitas Pentateuci: ergo vera est & divina Religio Mosaica. Denique illa Religio veris miraculis, veris oraculis confirmata est. Ergo vera est & divina. Notatu sane dignum est unicum hunc Populum, immo unicam hanc familiam, Populum exiguum, rudem, ceteris omnibus Populis in Religionis negotio præcellere, sacra, Deosque eorum irridere, ac confutare & quidem argumentis omni exceptione majoribus. Quis tantam sapientiam Populo ceteroquin ignarissimo indidit? Undenam Moses inter Ægyptios educatus tam exquisitas hausit ideas? Undenam Magistrorum suorum numina tam sapienter irridere atque objicere didicit? Sane Dei digitum cæcus sit qui hic non videat. Nunc solvendæ sunt difficultates quæ contra has omnes assertiones proponuntur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBj. 1. Contra authenticitatem Pentateuci. Moses non potest supponi auctor Deuteronomii; Moses enim Jordanem non transiit: atqui tamen Deuteronomium trans Jordanem scriptum est. Sic enim incipit liber ille: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moses ad omnem Israel trans Jordanem*. Ergo.

R. Præpositionem, quam Latin. Interpres vertit per trans, in Hæbraico idiomate ambiguam esse, & ex æquo significare trans & citra, & ex circumstantiis ac adjunctis determinandam esse. Non desunt in sacris Codicibus utriusque significationis exempla. Num. 32. fatentur Gaditæ & Rubenitæ se terras incolendas accepisse *trans Jordanem*. Ibid. 35. assignat Urbes refugii tres *trans*, id est citra *Jordanem*. Confer. Deuter. 4. 41. item Deut. 3. 8. *Tulimusque in illo tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum qui erant trans*, id est, *cis Jordanem*. Og namque & Sehon ratione habita Mosis scribentis, erant cis Jordanem. Inde fit ut pluribus in locis Deuteron. post hæc verba *trans Jordanem*, subjiciatur ad Orientalem vel occidentalem partem. Denique Gen. ult. *Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem . . . . & idcirco vocatum est nomen loci illius Planctus Ægypti*. Ex quibus sic arguere licet. Si Pentateucum scripsit Esdras in Chananæa, ad occasum Jordanis, ut volunt adversarii, loca hæc utique ad orientem Jordanis quærenda erunt; quæ tamen ad occasum Jordanis sita esse constat. Contra vero si Mosen libri autorem agnoscamus, cum hæc scripserit nondum transmisso ab Hebræis Jordane, loca hæc ad occasum Jordanis assignaverit, ut debuit. Ex his omnibus patet ambiguam esse vocem Hebraicam. Observat Cor. a Lap. hic dici *trans Jordanem*, quia respectu Terræ promissæ, juxta quam Scriptura sacra solet assignare plagas & situs locorum, regio hæc trans Jordanem erat. Conjicit idem auctor Moysen forte scripsisse cis Jordanem, sed Josue aut quemlibet qui hæc Mosis diaria digessit in Canaan jam consistentem pro cis, substituisse trans Jordanem.

Sa-

Satius fortasse diceretur Versionem tum Septuaginta tum Vulgatam, concinnatam fuisse, cum jam Israelitæ trajecto Jordane in terra Canaan consisterent. Nec proinde mirum videri debere si trans appositum fuerit. Denique solvi potest hæc difficultas dicendo Hebraicam præpositionem derivari a verbo quod transire significat, ac consequenter hanc præpositionem primario ac proprie significare in transitu, inter transeundum, Gall. *au passage*, ut notat Pat. Houbig. in rad. Hebr. Hinc eodem ibi & in suis Bibliis observante, significat ad ripam. Quod confirmari potest ex Rab. Salom. R. David, & Sancte Pagnino, qui hanc vocem reddunt ad latus. Tollitur ergo tota hæc difficultas si vertatur non trans Jordanem, sed ad ripam, ad latus Jordanis, cum proximus esset & mox trajiciendus Jordanis.

Inst. Multa passim in Pentateuco occurrunt in laudem Mosis, quæ alienam manum manifeste innuunt. Vocatur enim homo, servus Dei, dicit se omnium mitissimum; additur nunquam similem ipsi surrexisse Prophetam, & cum Deo locutum esse facie ad faciem. Si enim hæc de seipso ipse dicat Moyses, jam superbiæ notam incurrere videtur.

R. Hæc nec alienam manum, nec superbiam referre. 1. Vox illa homo Dei idem sonat ac Propheta, v. g. Reg. 13. Seu homo a Deo missus. S.c 2 Reg. 13 Nec omittendum Hebræos adjectiva per ipsa substantiva sæpe exprimere, præsertim cum hac voce homo. Sic 1. Reg. c. 16. vir belli, id est bellicosus. Gen. 9. 20. vir terræ, id est agricola. 2. Reg. 16. 7. vir sanguinem, id est, homicida. Itaque homo Dei, id est homo divinus, seu a Deo missus. Sic S. Paulus vocat Timotheum hominem Dei, id est a Deo missum, divinaque institutione ad sacra munia destinatum. 2. Semel tantum seipsum laudat Moyses, sed ea, occasione qua laudem istam Dei gloria exigebat. Agebatur de Mariæ rebellione, quam Deus lepra castigaverat. Vindicanda ergo erat divinæ ultionis æquitas. Ergo Mariæ iniquitas ex Mosis mansuetudine evincenda erat. Etiamsi vero Josue huic Mosis narrationi inseruisset ipsum fuisse omnium mitissimum, non video cur ideo falsi suspecta fieret tota hæc narratio. 3. In eundem finem, nempe ad commendandum ministerium suum, sæpe sæpius se cum Deo facie ad faciem loqui commemorat. Cum enim leges & doctrinam promulget sola auctoritate divina fundatas non mirum si divinum commercium frequenter appellet.

Inst. In toto Pentateuco agitur de Moyse in tertia persona; ergo Moyses non est ille qui scripsit Pentateucum.

R. n. conseq. In tertia persona de se loquitur modestiæ causa, quia agit de donis cælestibus sibi concessis. Sic S. Paulus de visionibus ac revelationibus suis in tertia persona loquitur. Sic Esdras seipsum sæpe hæc vel illa agentem aut dicentem inducit. S. Joannes in tertia persona dicit se discipulum quem diligebat Jesus, seque capto Christo fugisse eadem phrasi insinuat. Omnibus sacris Scriptoribus hic mos familiaris est. Immo profanis usitatissimus est. In Commentariis Cæsaris, in Cyri expeditione a Xenophonte adornata, uterque, tum Cæsar, tum Xenopho de se loquuntur in tertia persona.

Inst. In fine Deuteronomii describitur Mosis obitus & sepultura. Jam vero repugnat Mosen ipsum propriam mortem & sepulturam exscripsisse. Ergo.

R. n. conseq. Etiamsi enim Moses non exaraverit ultima verba Deuteronomii, non sequitur totum Pentateucum alieno nomine Mosi suppositum fuisse. Hæc a Josue addita fuere, aut saltem addi potuere: immo fortasse caput Deuteronomii trigesimum quartum olim erat primum libri Josue.

Inst. Gen. 12. 6. legitur Abrahamum ex Haran venisse Chanaan. Et addit author: *Chananæus autem tunc erat in terra*. Hæc ultima verba significant eo tempore quo scripta sunt, jam non extitisse Chananæos in illa regione. Ergo author Geneseos expulsis Chananæis posterior extitit; atqui tamen cum Moses scribebat, aut scripsisse supponitur, Chananæi adhuc erant in terra Chanaan. Ergo.

R. n. utramque conseq. Conjicit Aben-Ezra Chananæos terram Chanaan invasisse cum ab aliis cultoribus occuparetur.

Quidquid sit de hac conjectura, locus ille nihil aliud significat nisi Chananæos non semper & a primævo tempore ibi habitasse. Quod quidem verum est; nam paulatim tantum filii Noe varias occuparunt terræ partes; innuitque textus allatus filios Chanaan regionem illam sibi affectasse longe antequam illuc accederet Abraham; & in hunc sensum recidit: Chananæus jam erat ibi. Porro potuit Moses hæc adnotare, sufficitque quod non ibi semper fuerint Chananæi. Sic Esdras idem annotat, licet ea scribat ætate qua vel infantibus ipsis illud notum esset. Significat ergo Moses in loco citato nondum expulsos fuisse Chananæos ex illa regione, cum Abraham illuc pervenit.

Inst. In Pentateuco multa narrantur quæ ultra Mosis vitam progrediuntur. *Exod.* 16. refertur filios Israel comedisse manna quadraginta annis, & donec tangerent fines terræ Chanaan. Pariter Gen. 36. enumerantur Reges qui regnaverunt in terra Edom antequam haberent Regem filii Israel. Primus textus supponit authorem Pentateuci eo scripsisse tempore quo terram Chanaan ingressi fuerant filii Israel, alter vero authorem nobis exhibet Regum temporibus coævum. Ergo.

R. Ad primum divino Spiritu prænoscere potuit Moses quanto tempore manna comesturi essent filii Israel; eo enim Spiritu & divina potentia cibum illum e cælo advocaverat; tanti beneficii durationem prænovisse non mirum, cum ejus precibus fuisset a Deo impetratum. Prævidit ergo Moses filios Israel semel terram Chanaan ingressos, jam cibo illo non usuros, & cum hæc scribebat, jam Chanaan fines pene attigerant filii Israel. Ad secundum dico 1. nomine Regis aliquando intellgi Regem proprie dictum; cum Moses prænuntiaverit in Pentateuco filiis Israel fore aliquando Regem, legesque ejus ac jura sanciverit, tunc potuit adnotare multos in Edom regnasse, antequam Israel Regem sibi constituisset. Unde textus facile exponi potest de Regibus proprie dictis; & sensus est regalem potestatem viguisse in domo Esau priusquam hæc regiminis forma adoptaretur a domo Jacob. 2. Juxta Maimonidem Reges illi qui in Edom regnarunt, Idumæis erant alienigenæ. Tuncque Mosis sensus est Idumæos servituti addictos ex prophetico Isaaci testamento jam septem vel octo Regibus extraneis serviisse, antequam ullum Regem sibi habuissent filii Israel. 3. Tandem alii nomine Regis eum intelligunt qui primas in Respublica partes obtinet. Multis confirmant exemplis nomen illud dari iis qui non Regia dignitate; sed summa rerum potiuntur. Potest ergo textus intelligi non solum de Regibus Israel, sed de ejus Judicibus. Juxta hanc explicationem vult Moses se primum fuisse gentis Judaicæ Principem, seu Judicem.

Inst. Multa loca alieno nomine donantur Pentateuco quam tempore Mosis habebant. Unicum sufficiat exemplum. *Genes.* 14. Abraham dicitur Reges persecutus usque Dan. Tempore autem Mosis civitas illa vocabatur Lais aut Lezem. Ergo Genesis Mose posterior est.

R. 1. Leves potuisse fieri textui Mosaico additiones ejus veritati minime infensas. v. g. In exemplo allato *Gen.* 14. forsan in textu legebatur: persecutus est eos usque Lais aut Lezem. Expositionis causa aliquis in margine adnotaverit Dan. Lapsu temporum transcriptores textui notam inseruerunt sic: persecutus est usque Lais, quod est Dan. Paulatimque ex textu Lais omnino excidit. Quæcumque antea attulimus argumenta de conservatione Pentateuci militant tantum contra mutationes essentiales. 2. Potuit esse multiplex civitas nomine Dan donata; sicut plures erant Ninive, plures Antiochiæ, &c. Quod sufficit ut non tam præceps feratur judicium. Ceterum probabile est nomen illud Mose fuisse antiquius. Ante Mosen enim extitisse Jordanem nemo negabit. Sciunt etiam omnes nomen suum Jordanem habuisse ex duplici fonte a quo oriebatur quorum uni nomen Jor, alteri vero Dan, quorum uterque eunti Damas occurrit. Ergo antequam urbi Lais nomen Dan indidissent Danitæ, alter Jordanis fons nomine Dan vocabatur. Ergo illud Dan designare potuit Moses.

A R-

ARTICULUS II.

De natura ac effectibus, seu sanctione Legis ac Religionis Mosaicæ.

INtricatissimam, si quę sit, quęstionem attigimus, nec sine aliquo animorum ęstu aliquot ab hinc annis agitatam. Hinc Deistas, inde etiam plurimos novatores, quin immo quosdam e Catholicis impugnandos habemus. Ut autem rite procedat pręsens hęc disputatio, quędam in antecessum observanda sunt. 1. Per naturam legis Mosaicę, ejus supernaturalitatem intelligimus. Supernaturale autem illud hic, missa omni disputatione, dicimus quod ad Deum refertur ut auctorem gratiæ & glorię. Legis ergo Mosaicę supernaturalitas ex ejus dogmatum & finis entitativa supernaturalitate ęstimari debet. Finis autem multiplex dici potest intentus per legem. Alius ultimate, alius proxime: Primus ille est qui ultimo loco intenditur, alter vero qui primo & immediate prospicitur. Rursus alius finis quasi extrinsecus, Legislatoris nempe proprius & personalis, alter intrinsecus legi, ad quem tendit lex nativo pondere. Item lex vel collective sumitur, in quantum complectitur omnia precepta, vel distributive, pro singulis speciebus preceptorum; & sic agi potest vel de fine totali & adequato totius legis, vel de fine uniuscujusque pręcepti.

2. Nomine legis Mosaicę intelligitur Vetus illud Testamentum quod datum est in monte Sina cujus quidem triplicis generis erant præcepta, moralia nempe, ceremonialia & judicialia. Ita S. Aug. vel intelliguntur libri in quibus exaratum illud Testamentum.

3. Inter effectus legis numerari potest opus dignum aliquo premio aut pœna, & premium ipsum ac pœna. Quę quidem duplicis sunt generis, futura nempe, aut ęterna, & pręsentia, sive temporalia.

4. Queri potest an lex Mosaica quoad omnes suas partes, id est, quantum ad omnia sua precepta, aut tantum quoad aliqua annexa habuerit pręmia vel supplicia futura. Queri etiam potest an Judęi pœnarum vel premiorum in altera vita succedentium cognitionem habuerint. Denique potest queri undenam eam hauserit Judęus cognitionem, an a lege, an aliunde. Immo duplicem sensum hoc patitur. Hanc enim cognitionem habuisse diceretur Judęus vel a lege sola & exclusive ad aliud medium, vel aliunde, nimirum ab anteriori revelatione & traditione divina sola & exclusive ad legem Mosaicam, vel ex utraque simul.

5. Promissio pręmii & comminatio pœnę potest intelligi vel de collatione, vel de cognitione. Item collatio vel legi propria adeo ut lex pręmium aut pœnam in proprio fundo, ut ita dicam, & in propria potestate habeat, ac suo nomine distribuat; vel collatio illa est legi aliena, & tanquam alieno nomine facienda distributio proponitur. Cognitio autem seu manifestatio pręmii alia expressa & explicita, alia implicita; prędmiumque illud lex manifestare potest vel clare verbisque expressis, vel implicite & obscure. Promissio autem vel cognitio implicita ea est quę includitur in aliis principiis clare & expresse traditis, & cum eis arctissime ac infallibiliter connectitur. Unde veritatis alicujus manifestatio ab illius manifestationis modo distingui accurate debet. Deinde promissiones illę vel generales sunt & totam gentem spectant, vel speciales & personales. Denique duplicem respectum & relationem dicebat Deus ad gentem Judaicam. Erat simul Deus & Princeps temporalis, seu civilis, hinc regimen Reipublicę Israeliticę vocatur Theocratia. Non mirum si pro ratione utriusque muneris, diversa sanxerit pręmia vel supplicia.

Circa quęstionem sic propositam, alii alia sentiunt, ut moris est. Deistę, quibus decretum est nullam agnoscere revelationem, statuunt 1. legem Mosaicam sancitam fuisse in pœnis & pręmiis tantum temporalibus. 2. Volunt Deum dedecere ut homines ad pręstanda Religionis officia excitet ex rebus temporalibus. Hinc concludunt revelationem, quę Moysi facta esse supponitur, Deo indignam esse ac proinde fictitiam esse. 3. Negant Judęos ullam ha-

habuisse futurorum cognitionem; aut si aliquam habuerunt, haustam esse volunt ex commercio cum Chaldæis. Hinc notiones illas contendunt non viguisse apud Judæos nisi post captivitatem Babylonicam.

Non desunt etiam qui difficultates quibus prima hæc subjacet sententia, declinare sibi videntur distinguendo inter œconomiam seu legem Mosaicam, & Religionem Judaicam, id est Religionem quam Judæi profitebantur: scilicet, juxta illos lex & œconomia Mosaica non erat Religio nec supernaturalis constitutio, sed œconomia mere civilis & politica, cujus Deus alias & quasi per accidens religiosum quidem erat objectum, at vi legis & fœderis Mosaici non erat nisi Rex temporalis. In hac itaque sententia vitæ futuræ cognitionem habuerunt quidem Judæi, in quo differt a præcedenti errore, sed eam habuerunt ex revelatione primum Adamo facta, deinde Noe & Abrahamo serie non interrupta tradita & confirmata usque ad Christum, at nullam ex lege vitæ futuræ cognitionem hauriebant: nullam dico; nam ex eo quod lex vetus bona alterius vitæ non doceret expresse, clare & formaliter, concludunt eam nullo omnino sensu & nullatenus docuisse. Suarezium sibi vindicant hujus sententiæ defensores. Scilicet Auctor ille de *Leg. l. 9. c. 6.* cum SS. Augustinus & Thomas afferant promissa legis Mosaicæ fuisse tantum temporalia, & id afferant etiam exclusive, ita ut non solum frequenter temporalia promiserit lex illa, sed etiam ita ut nihil excellentius promiserit; cum vero ex altera parte non possit negari quin antiqui Observatores legis Mosaicæ vitam æternam per eam sperarent, utramque partem sic conciliare aggreditur Suarezius. Lex *proprie sumpta* non promittebat præmia æterna, sed temporalia ut docent priores SS. PP. Attamen homines sub lege constituti vitæ æternæ promissionem & fidem habebant, non quidem ex lege, sed ex Patribus, id est, per traditionem eorum, adeo ut lex nullam promissionem spiritualem antiquæ promissioni addiderit. Legitimo itaque sensu dixerunt PP. legem Mosaicam temporalia tantum promisisse, quantum scilicet, ad promissiones quas ipsa addidit. SS. autem Chrysostomus & Hieronymus, quia non de sola lege, sed de toto Veteri Testamento loquuntur, exponendi sunt de promissione, expresso nomine regni cœlorum. Hæc Suarezius. Hujus vestigiis inhærentes quidam volunt legem proprie sumptam & quatenus distinguitur ab hac Religione quam a Patribus acceperant Israelitæ, si nudam litteram spectes, obtulisse tantum bona & mala temporalia; at volunt ea fuisse figuras bonorum & malorum futuræ vitæ, sensumque spiritualium bonorum fuisse mysticum, internum & sub cortice litteræ latentem, sed a Moyse revera intentum & ab omnibus Israelitis cognitum. Ratio fundamentalis hujus sententiæ hæc mihi esse videtur. Tria in lege Mosaica occurrunt præceptorum genera, moralia nempe, ceremonialia & judicialia. Præcepta primi generis non pertinent ad legem proprie sumptam & formaliter ut Mosaicam, hoc sensu quod totam & unicam vim suam ab illa lege mutuentur. Independenter enim ab ea & antecedenter ad eam obligabant; sicut si Rex qui edicto inseruisset præcepta illa moralia, non pertinerent ad illud proprie. Ita eodem modo ratiocinandum est de dogmatibus quæ tradebat lex Mosaica promulgando revelationem Patribus factam. Præcepta cæremonialia & judicialia pertinent quidem ad legem Mosaicam proprie, sed ex hac parte nihil addidisse videtur lex illa & altum silet de promissione vitæ futuræ.

Nos vero, salva quæ debetur aliter sentientibus reverentia; 1. præcepta moralia, ceremonialia & judicialia tres leges non dicimus, sed unam putamus legem conficere, cujus triplicis generis sunt præcepta. Sic Religionem Judaicam & legem Mosaicam non duo facimus, sed unum quoddam totum esse afferimus cujus plures partes distinguimus. Itaque lex, œconomia Mosaica, & Religio Judaica sunt verba omnino synonyma. Lex illa quæ mores componebat ad nutum entis supremi & supernaturalis eadem erat ad cujus normam jura civibus dividebantur. Lex Mosaica Judæorum Religionem exprimebat, hujus erat codex,

dex, uno verbo, erat ipsamet revelatio, Patribus tradita scripto mandata. Equidem præcepta moralia & dogmata Patribus revelata obsequium & fidem sibi vindicabant antecedenter ad legem Mosaicam & independenter ab ea, sed hæc II. observanda duximus 1. Legem Mosaicam proprie sumptam promulgare illa tum præcepta moralia, tum dogmata; non potest autem ea promulgare quin aliquo sensu doceat: 2. Observamus Mosen ea quæ recta prius dictabantur ratione, promulgare & proponere novo quodam modo, nempe ea evolvendo & difficultates antea multis impervias enodando, antiqua vero fœdera nova applicatione & determinatione sanciendo & extendendo. Sic lex & Religio Christiana proprie sumpta docere dicitur quæ tum lege naturali, tum revelatione Patribus facta, tum lege & Religione Judaica tradebantur; 3. Judæi quidem ad servanda præcepta moralia & tenenda dogmata supernaturalia obligati erant ex lege naturali & revelatione Patribus facta, ac proinde antecedenter ad legem Mosaicam; at nemo diffiteri potest novo ac speciali vinculo utrique obsequio religatos fuisse ex lege Mosaica: hinc utrumque non docere non poterat lex illa.

III. Contendimus legem Mosaicam nihil aliud esse quam fœderis Abrahamitici promulgationem & applicationem toti populo Judaico jussu Dei & Mosis ministerio factam. Ut ergo accuratam legis Mosaicæ notionem habeamus, clara præire debet fœderis Abrahamitici idea. Porro in illo fœdere duas distinguimus partes, spiritualem unam, temporalem alteram. Prima his circumscribitur. 1. Fidem & obedientiam omnimodam exigit Deus ab Abrahamo. *Ambula coram me & esto perfectus*. 2. Promittit omnium gentium benedictionem. *In te & in semine tuo benedicentur omnes gentes*. Deinde protectionem. *Ut sim Deus tuus & seminis tui post te*. Secunda complectitur circumcisionem quam imperat, & terram Chanaan quam promittit. Ita pariter duas illas patres in lege Mosaica distinguendas censemus. Hinc sicut relative ad duas fœderis Abrahamitici partes varia edita sunt oracula valde distincta nec inter se confundenda, sic circa legem Mosaicam relative ad duas ejus partes SS. PP. varias enuntiarunt propositiones. Qui in lege veteri æterna & spiritualia promitti dixerunt, primam partem inspexerunt; qui vero temporalia tantum in ea enuntiari asseruerunt, secundam partem in mente habuerunt.

IV. Inter legem Mosaicam sancitam esse in bonis æternis & ea docere latum esse discrimen adeo ut secundo probato, non ideo primum evictum maneat, licet ex primo alterum legitime concludere liceat.

His positis fatemur 1. promissiones generales quæ totum Israel spectant, temporales fuisse. Societates enim qua tales, præmiis donari aut suppliciis affici non possunt nisi in hac vita; in altera enim variæ societates aut confœderationes non amplius consistent, sed penitus dissolventur. Hinc promissiones & comminationes toti genti Judaicę, quatenus gens erat, non potuere esse nisi temporales. Fatemur 2. promissiones vel comminationes futurorum non contineri expresse & explicite in lege Mosaica. Fatemur 3. Promissiones vel comminationes futurorum non fuisse legi Mosaicæ proprias eo sensu quod vel eas sibi jure innato annexas haberet; vel eas regia manu ac velut suum patrimonium suo jure distribueret. Idem de bonis æternis ac de gratia dicendum est quam lex vetus suo jure non possidebat, quam indicabat, quam denique semper comitem habebat. Hoc sensu fatemur legem Mosaicam non fuisse sancitam in pœnis & præmiis spiritualibus & æternis. At contendimus 1. legem & œconomiam Mosaicam fuisse non tantum civilem sed supernaturalem. 2. Judæos omni tempore cognitionem habuisse futurorum plus vel minus expressam pro ratione temporum & personarum conditione. Hanc notionem habuere expressam ex revelatione Patribus facta & per traditionem ad posteros transmissa. Implicitam vero ex lege Mosaica. 3. dicimus legem Mosaicam proprie sumptam non fuisse sancitam in pœnis & prēmiis tantum temporalibus, bona temporalia non fuisse proposita ut prēmia proprie dicta, multo minus ut sola prēmia virtutis, sed Judęis legem

communis, ut leonis mox dicta, alia personalis & insitata, ut corporis apud Tertullianum.

9. Alio forsan nomine diversisque terminis eandem sensuum distinctionem exhibent alii, sensus nempe grammaticalis & litteralis. Grammaticalis ex Grammaticæ legibus æstimatur, litteralis ex intentione loquentis vel scribentis educitur: sint in exemplum hæc verba: *Ego sum vitis vera*. Vitis grammatice significat lignum uviferum. Absurdum esset Christum hanc se rem velle dicere, nec talis absurditas ei tribui potest. Aliam ergo significandi vim his verbis fecit & elegit. Hæc est illa ipsa significandi vis & energia quam personalem, factitiam & singularem appellavimus.

10. Si omnes homines eadem via insisterent, si verba & voces juxta primævam, communem & omnium electione determinatam usurparent, nulla profecto moveri posset difficultas. Omnes enim statim & bene noto signo internam loquentis aut scribentis mentem apprehenderent. Tota ergo & sola difficultas oritur ex illa significandi energia quam fictitiam & proprio marte temporum successu primævæ & communi additam supra commemoravimus. Istud in propatulo ponunt exempla jam decantata. v. g. Si Tertull. Deum dixisset simpliciter substantiam realem, nulla ex ejus scriptis nasceretur difficultas. Tota obscuritas oritur quod ex una parte multa dicat divinæ spiritalitati amica, ex altera vero Deum vocet corpus.

Duplex igitur hic premit difficultas. 1. Discutiendum quam ex utraque mox exposita significandi vi & energia adoptaverit auctor loquens aut scribens. 2. Ex hypothesi quod secundam adhibuerit, dignoscenda venit quam elegerit & propria institutione fecerit: cui solvendæ quæstioni duo, ni fallor, subservire debent. 1. Quid nomine sensus litteralis intelligendum sit. 2. Quibus mediis ac regulis secerni ac detegi possit. Monitum volo lectorem voces loquentis, scribentis & authoris parallelas esse. Has omnes modo una, modo altera complectemur & significabimus brevitatis causa. Nunc ad conclusiones deveniamus.

CONCLUSIO I.

Ad sensum litteralem tria concurrere debent. 1. Ratio signi. 2. Ratio signi electi & instituti 3. Ratio signi immediati.

Exponitur. In tanta Theologorum discordantia unanimus conspirare videtur consensus in eo quod 1. ea quæ internam mentem exhibent, necessario habeant rationem signi. Debent enim in latentis cogitationis cognitionem deducere. 2. Concedunt rationem signi instituti. Nam fatentur verba per se & independenter ab institutione humana nullam vim significativam habere. 3. Denique exigunt rationem immediatæ significationis. Qui enim sensum metaphoricum a sensus litteralis ordine abjiciunt, ideo abjiciunt, quia contendunt hunc sensum menti sese primo non offerre. Qui vero metaphoricum sensum ut litteralem admittunt, eo ducuntur motivo quod & loquentis & excipientis menti occurrat ut principaliter & immediate intentum. Ergo ex utraque parte conceditur sensum litteralem debere esse primum & immediatum; seu omnes volunt sensum illum litteralem esse qui primario & immediate ac per se menti auditoris aut lectoris occurrit. Generatim loquendo, sensus dicitur litteralis, quia vi litteræ emergit & nascitur. Quod vi litteræ emergit, primo & per se mentis oculos ferit: ergo ad sensum litteralem requiritur ratio immediatæ significationis, seu sensus litteralis is est quem verba primo per se & immediate præ se ferunt.

CONCLUSIO II.

Communis verborum significatio ex communi institutione discernitur & agnoscitur.

Exponitur. Ex dictis & ex concessis apud omnes, verba nullam habent significandi vim, nisi ex positiva & arbitraria hominum electione. Ergo communis eorum significatio ex communi omnium hominum electione & institutione desumenda est.

CON-

CONCLUSIO III.

ET COROLLARIUM.

Generatim loquendo sensus litteralis est ille quem præ se ferunt verba per se, proxime & immediate ex generali ac publica omnium hominum institutione, seu ex communi ac bene nota apud omnes & ab omnibus electa significatione.

EXponitur. Ex factis antea observationibus, verba sunt signa internæ cogitationis exterius manifestativa. Ergo generatim loquendo ad internæ illius cogitationis cognitionem deducunt. Deducunt autem ex vi significativa quam habent. Generatim loquendo eam non habent ex privata cogitatione & intentione loquentis; alias semper cognosci deberet illa cogitatio, priusquam perspecta fieret vis verborum significativa; at e contra signum prius debet esse notum re significata. Uno verbo tunc verba non essent signa cogitationis manifestativa, sed e contra. Verba itaque generatim loquendo suam sibi habent vim significativam antecedenter ad privatam & personalem loquentis cogitationem & independenter ab ea, sed aliunde & ab institutione nimirum quæ sit distincta a personali volitione & cogitatione loquentis. Hæc institutio non potest non esse communis. Ergo sensus qui se se primo & immediate offert ex communi significandi electione & institutione & sensus differalis dici debet. Verba generatim loquendo quandam habent significationem certam, fixam & universalem apud omnes rei ejusdem & eodem modo demonstrativam. Hanc non haberent, si generatim loquendo & semper nullam haberent nisi dependenter ab intentione personali loquentis. Ex dictis sensus litteralis dici debet is qui immediate apprehenditur; ex dictis etiam communis significatio ex communi electione & institutione desumenda est. Ergo communiter & generatim loquendo sensus litteralis dici debet quem verba proxime & immediate præ se ferunt ex communi & bene nota omnium institutione.

CONCLUSIO IV.

Privata, singularis & extraordinaria vocum significatio ex privata, singulari & extraordinaria loquentis institutione eruenda est.

EXponitur. Ex dictis verba vim significativam habent, non a natura sua, sed ab institutione positiva. Ergo sicut communem significationem a communi institutione, ita singularem a singulari institutione mutuantur significationem. Tunc enim tota vis significandi in illis vocibus & verbis oritur ex facta privatim propria authoritate verbi alicujus ad hoc vel illud exprimendum destinatione. Prius sane nota esse debet privata authoris ordinatio & electio quam illa vis significativa æqua lance æstimetur.

COROLLARIUM

ET CONCLUSIO. V.

Sensus quem proxime & per se ac immediate præ se ferunt verba ex singulari & bene nota loquentis vel scribentis institutione, litteralis est.

EXponitur. Ex una parte sensus litteralis talis debet esse ut menti primo occurrat; ex altera vero vis verborum significativa pendet a sola institutione. Ergo ubi privata est institutio, sensus ille est litteralis qui, posita illa privata institutione, primo & per se vi illius institutionis menti occurrit. Ergo ubi bene nota est privata institutio & electio, jam sensus quem proxime & immediate præ se ferunt verba ex bene nota privata illa institutione & electione, litteralis est, sicut generatim loquendo sensus litteralis ille censeri debet quem præ se ferunt verba ex communi & bene nota omnium institutione. Sit istud exemplum. In omni idiomate occurrunt verba ambigua, id est, multiplici & etiam opposita significatione donata, atque propria. Quid tunc præstandum? Indagandum quam ex his elegerit author. Quid fiet? Ea detecta electione significatio illa erit, omnibus fatentibus

bus quæ & authoris & auditoris menti primo & principaliter sit præsens. Ergo sensus ille erit hoc ipso litteralis. Ergo ubi adest institutio, determinatio & electio ad significandum, ibi adest significatio quia adest significandi vis & efficacia; ubi verba eo sensu usurpantur quo instituta sunt & ad sensum applicantur primario ad quem primario sunt electa & determinata, ibi adest significatio primaria. Ergo ibi adest sensus qui primo menti se offerat, ubi nota est institutio. Ergo sensus qui cognita illa institutione primo menti occurrit, litteralis est. Supponamus infantem qui communem & apud omnes receptam & cognitam significandi vim verborum penitus ignoret. Ubi terminos ad sensum illum penetravit, jam sensum litteralem eum habet qui primo menti ejus occurrit ex cognita & communi institutione. Ergo a pari ubi agitur de privata & personali institutione quæ antea ignorabatur, ubi nota est, sensus ille litteralis dicendus est qui primo menti occurrit juxta datam & deprehensam privatam institutionem. Omnes se habent respectu personalis & privatæ institutionis, priusquam nobis exposita fuerit; sicut infans respectu communis institutionis priusquam eam perspectam habeat. Quando Livius aut Cicero loquendo de quibusdam Catilinæ sociis qui Romæ delitescebant, dicit quod Manliana castra suspirarent; cum idem Livius decem viros appellat decem Tarquinios; cum aliquem audimus alteri ursi nomen imponentis, quæro quæ significatio menti primo & immediate occurrat? An Romani mente conceperunt aut Manlium revera contra Rempublicam tempore Catilinæ redivivum aliquid molitum esse? An decem viros totidem esse formaliter & persona Tarquinios a mortuis redivivos? An crassam & ursinam figuram nobis nostro fingimus animo? Minime. Statim primo, immediate & sine mora Catilinæ castra, decem viri horrenti figura homo, intelliguntur: alios quoscumque sensus statim & primario amovemus. Ergo alius se se immediate menti nostræ offert vel ex metaphorica quidem, sed communi, vel ex quocumque modo factitia significatione, sed ex circumstantiis, aut aliunde quocumque modo cognita & ex certo deprehensa privata institutione; ergo cum ille sensus proxime & immediate menti nostræ occurrat ex bene nota & perspecta authoris institutione, manifestum est aut sensum illum esse litteralem, aut nullum esse qui talis usquam denominari possit.

COROLLARIUM GENERALE.

Sensus litteralis est ille quem immediate & proxime præ se ferunt verba, sive proprie, id est, juxta communem institutionem, sive metaphorice, id est, juxta privatam institutionem accepta.

Exponitur ex præcedentibus Conclusionibus & Corollariis. Ita enim ex iis sequitur & aperta est ut ulteriori expositione non indigeat. Ex his omnibus cavendum est ne quæcumque in posterum occurrent, de fœdere Mosaico pœnas aut promissa alterius vitæ excludere semper judicentur, sicut nec etiam omnia indiscriminatim de illis pœnis aut promissis litteraliter intelligenda. Determinata jam sensus litteralis notione, quædam proponendæ sunt regulæ quarum ope detegere possimus 1. An author aliquis a communi significatione recesserit. 2. Quam instituerit & sibi fecerit significationem. Istæ nunc sequuntur regulæ.

REGULA I.

Ubi author aliquis constanter, perpetuo & uniformiter eandem vocem usurpat simpliciter nulla data unquam explicatione, nullis reclamantibus circumstantiis, tunc eam juxta communem significandi vim usurpasse censendus est.

Vindicatur: tunc nulla adest ratio conjiciendæ metaphoricæ aut factitiæ significationis; ac proinde communi significatione intelligenda est. Ubi prædicta hæc omnia concurrunt, cogimur, ut ita dicam, ad communem significationem. Si author aliam sibi proposuisset, in errorem invincibilem nos conjecisset. Si his positis, adhuc metaphoram prætendere aut subodorari liceat, jam nusquam certi esse poterimus de ullius authoris sensu.

RE-

REGULA. II.

Ubi author aliquis constanter, eodem modo & sensu exponi non potest quin apud eum inducatur contradictio, manifestum est indicium eum alicubi a communi & apud omnes recepta significatione recessisse.

Vindicatur. Nemini ulla contradictio gratis & sine evidenti ratione imponi debet. Author semper præsumendus est sanæ mentis fuisse nisi contrarium evidenter constet. Tunc autem author contradictionem incurreret, quando vel rei quam versat natura cum communi significatione pugnat, vel cum longe plures alii textus solam significationem communem evidenter recipiunt, nec cum alio privatæ significationis capaci, communi significatione intellecto compatiuntur; seu ubi ex adverso stant principia evidentissima quibus turpiter & directa fronte contradicerent alii termini, si juxta communem significandi vim sumerentur. Sic S. Paulus Evangelium vocat stultitiam, & postea Dei sapientiam. Scripturæ frequenter Deo tribuit quæ soli corpori conveniunt, dum tamen Dei simplicitatem & spiritualitatem meridiana in luce ponit. Hinc ubi in Scriptura leguntur textus communi Scripturæ doctrinæ adversi, textus illos non evolvimus juxta communem, sed juxta particularem seu metaphoricam significandi efficaciam.

REGULA III.

Ubi a communi verbi alicujus significatione recessit author aliquis, tunc ex antecedentibus, consequentibus circumstantiis & tota serie dignoscetur quem sensum fabricaverit & alicui voci aptaverit.

Vindicatur. Ex dictis enim, ubi author aliquis constanter & uniformiter vocem aliquam usurpat juxta communem significationem, seu ubi antecedentia & consequentia sensum illum exhibent, tunc nullus alius quærendus est. Ergo cum author aliquis vocem aliquam facticia donabit significatione, antecedentia & consequentia illam aperiant & determinabunt significationem. Tunc autem significationem illam aperiunt, vel cum eodem sensu usurpatam illam vocem semper exhibent, vel cum ipse vel in antecedentibus ad hunc sensum præparat, vel in consequentibus illum evolvit; vel cum subjecta materia, tota sermonis series, circumstantiæ & scribendi stylus per se clamant talem aliam vocem hoc vel illo sensu factitio & metaphorico sumendam esse. Innumera hujus generis suppeditant nobis exempla sacri codices.

REGULA IV.

Ubi exquiritur authoris alicujus propria significatio, minor pars ad majorem revocari debet. Prima ex posteriori æstimanda est.

Vindicatur. Certum est enim diuturnam non esse metaphoricam, seu factitiam loquendi rationem. Ergo ubi in textu aliquo solitario legitur aliqua hujus significationis vox, aut phrasis, manifestum est in ea, non in aliis collocandam esse metaphoricam locutionem, & ad majoris partis sensum accommodandam esse. Pars autem minor est, 1. cum brevior & rarior est, id est, cum plura favent alicui veritati proprio sensu sumpta quam nocent eadem communi significatione intellecta. v. g. Quædam leguntur loca in Scriptura sacra quæ immensitati divinæ parum favent, si communi significatione sumantur; at longe plures eam fovent; primi ad posteriores sunt revocandi. In illis collocanda est factitia & extraordinaria significatio quæ juxta posteriores textus inflectenda est. 2. Pars etiam minor illa est cui vis facienda minor est, id est, cum ex metaphorica significatione minor vis infertur sermonis legibus, quam communis naturæ legibus. Sic: *Mons Dei mons pinguis....... Ut quid huic invidetis Al. irruitis in eum.* Violaretur natura ex montibus qui locum suum desererent vel invidia afficerentur: violantur tantum leges sermonis, cum per montem Dei intelligitur Jerusalem, per montes vero irruentes, aut invidos, hostes Judæorum designantur. Tunc itaque vox mons & montes ad factitiam significationem

nem debent deflectere. 3. Denique pars minor est quę est minus principalis. Hinc metaphoricam seu factitiam significationem quibusdam sacris textibus adscribimus quia juxta communem significationem exponi non possunt quin cogamur ad metaphoram detorquere varias quas exibent imagines, si communi & usitato sensu sumantur: sit in exemplum hic locus. Circa hunc textum Psal. 18. hic usurpo textum primigenium, Hebraicum nempe. *Cęli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. . . . Non est vox, non verba, non auditur sonus eorum.* In his alterutrum prętandum est, aut metaphorico sensu sumenda est pars ista minus principalis: *cæli enarrant . . .* & tunc communis significatio his imprimetur: *non est vox . . .* aut prior pars communi sensu, posterior vero metaphorico intelligenda tunc veniet. Absurdum esset cœlis vocem & verba tribuere juxta communem horum terminorum significationem. Majus tunc incurritur incommodum. Pars ergo prima, utpote minus principalis exponi debet juxta extraordinariam & metaphoricam significandi vim & tunc habebitur significatio quam immediate & intendit & proponit auctor sacer. Nunc quędam enodandę sunt difficultates.

Prima: totum istud systema sibi non cohęret. Nam conclusio secunda videtur pugnare cum quarta. Etenim ex conclusione secunda verba eo ipso quo sunt signa, independenter ab intentione, seu institutione significant; attamen ex conclusione quarta verborum significandi vis tota pendet ab institutione, ac proinde ab intentione loquentis.

R. nullam esse contradictionem; in utraque enim conclusione agitur de quadam significandi vi specie diversa. In secunda conclusione agitur de quadam significatione quę omnium consensu determinata est. Patet quod illa sit independens a privata loquentis aut scribentis institutione; in quarta, quęstio est de vi significandi privata auctoritate verbo alicui impressa. Secunda conclusio enuntiat quamdam esse significationem ita ordinariam ut hoc ipso omnium quorumcunque verborum significatio non pendeat ab arbitraria loquentis aut scribentis voluntate; quarta vero docet prę-ter illam communem & naturalem, licet in institutionis principio arbitrariam, aliam esse quam sibi quisque pro libitu facit.

At, inquies, tunc verba non sunt signa; mens loquentis ex verbis non cognoscitur, sed potius e contra verborum vis & efficacia ex mente & intentione loquentis cognoscitur.

R. Tunc verba non esse internæ mentis & cogitationis signa antecedenter ad cognitam loquentis institutionem, sicut non sunt signa cogitationis in quocumque homine manifestativa antecedenter ad communem institutionem cognitam. At manifestata & deprehensa semel privata loquentis institutione, tam verba mentem ejus produnt & manifestant, quam communi significatione usurpata nihil significant nisi perspecta eadem communi significandi energia.

Satius fuisset, inquies, cum omnibus dicere sensum litteralem eum esse quem verba proxime præ se ferunt ex intentione loquentis.

Ideo non ita loquimur quia hæc propositio aut generatim loquendo foret falsa; sunt enim ex dictis multæ significationes quæ minime pendent ab intentione loquentis; aut obscurior est nostro judicio. Non satis evolvit in quam significationem cadant hæc verba: ex intentione loquentis. Clarius nobis sic visum est exprimere & certius definire sensum metaphoricum esse litteralem.

Secunda contra conclusionem quintam. Sensus privatus, seu significatio propria conficta auctoritate nunquam primo & per se menti occurrit; immo prævertit semper significatio communis.

R. Hoc verum esse ubi res agitur independenter, seu antecedenter ad cognitam auctoris institutionem. Constat enim hanc significationem loquentis in mente esse primam tunc temporis & immediate volitam ac intentam; v. g. quando S. Joannes enuntiat hanc propositionem: *vicit leo de Tribu Juda*, an primo & immediate intendit ferocem belluam? Minime. Nec etiam qui hæc legit aut audit hæc mente concipit, sed Christum ex virium superioritate & debellatis ge-

generose hostibus leoni omnino similem. Fateor quidem prærequiri & leonis notionem & S. Joannis intentionis seu institutionis cognitionem ; sed hæc notio est conditio sine qua non ; est quoddam præsuppositum. Constat nihilominus adepta semel primæva leonis notione, perspecta S. Joannis scribentis intentione seu institutione statim menti occurrere & ab ea apprehendi immediate posteriorem & factitiam significationem, rejecta omni alia quacumque.

At, inquies, significatio leonis primæva & communis primo menti occurrit & postea sensus Christi huic innixa.

R. Verum est de voce illa generaliter enuntiata, non de eadem voce in casu proposito usurpata. Verum est etiam de prioritate temporis, non in ordine ad mentem & ejus operationes. Necesse est ut mens prius tempore conceptam & animo efformatam habeat belluæ, cui leo nomen est, notionem. At inde non sequitur ita rem se habere relative ad mentis operationem & concipiendi modum. Certum est enim hominem qui hæc audit, modo S. Joannis institutionem nactus sit, statim & sine mora solam significationem S. Joanni propriam immediate attingere & retinere. Nunc legis Mosaicæ præviam aperiamus notionem altera digressione, antequam naturam ejus discutiamus.

DIGRESSIO II.

Legis Mosaicæ præsens investigatio nititur comparatione legem illam inter & fœdus Dei cum Abrahamo initum. Discutiuntur similitudinis inter utrumque rationes & ex illa collatione concludemus quid lex Mosaica edixerit circa alterius vitæ sanctionem. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Lex Mosaica proprie sumpta, seu fœdus Deum inter & Israel Mosis ministerio initum, est ipsum-met fœdus a Deo cum Abrahamo sancitum.

PRob. I. Ex verbis quibus Moses inauguratus est, ut ita dicam, in Legislatorem. Deus enim Moysen mittens sic eum alloquitur Exod. 3. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob.* Et paulo post: *Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob misit me ad vos: hoc mihi nomen est in æternum & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Non alia ratione nomen istud usurpat Deus in hac circumstantia nisi ut innuat se velle tandem exequi in Israele fœdus cum his Patriarchis initum. Nam 1. Deus declarat nomen suum Ichovah non iis indicasse, id est, hoc nomine non fuisse eis manifestatum. *Exod. 6. 3. q. d.* Promissionum mearum fidelitatem & constantiam non eis ostendi; ergo ideo tunc se Deum ipsorum vocat, quia in filiis eorum, id est, in Israelitis eas executus est Mosis Ministerio. 2. c. 3. dicit, *ego sum qui sum*, quæ verba, ut optime notant P. Houbigant & Oleaster sic ex Hebræo verti debent: is ero qui olim futurus sum, id est, talis ero quem futurum esse promisi; in promissionibus implendis non mutabor. Ergo ideo Deus se Deum Patriarcharum hic vocat, quia vult promissiones iis factas executioni demandare per Moysen. Antea exod. 2. 24. dixerat sacer scriptor: *recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac & Jacob.* Ergo sibi proponit fœdus illud ad Israelem extendere.

Prob. 2. Ex eo quod eadem sit fœderis Abrahamitici & Mosaici formula: sic enim Deus ad Abraham, Gen. 17. *Statuam pactum meum inter me & te & semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno ut sim Deus tuus & seminis tui post te.* Hæc verba: *ut sim Deus tuus*, &c. sunt formula fœderis Abrahamitici, his respondent hæc Deut. 7. *te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus.* Hinc in legis promulgatione Moses utitur constanter hac formula: *Dominus Deus tuus.* His verbis incipit fœderis promulgatio Exod. 20. Deut. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus.*

Prob. 3. Ex tenore utriusque fœderis: utrumque fœdus attendi potest quoad emolumenta, quoad obligationes & onera & quoad personas: jam vero hæc omnia eadem sunt in utroque fœdere. 1. Quantum ad emolumenta, ad tria revo-

revocari potest fœdus Abrahamiticum. 1. Deus promittit se Deum fore Abrahæ. 2. In ipso, id est, in filio ejus benedicendas omnes gentes. Demum multiplicandum esse vehementer. Porro tria hæc promittit Deus toti Israeli per Moysen. Promittit se fore ipsi Deum. *Ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in Populum*. Deut. 7. 8. & Levit. 11. & 22. & Deut. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei Populus peculiaris .... Vobis junctus est Dominus .... quia dilexit vos Dominus & custodivit juramentum quod juravit Patribus vestris*. Ideo Deus fœdus Mosaicum inivit ut custodiret, id est, ut impleret juramentum Patribus factum: sed juramentum illud præcipue consistit in eo quod Deus promiserit se fore Deum Abraham, &c. Ergo. 2. Promittit etiam semen in quo benedicendæ sunt omnes gentes. Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum*. Et antea. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus*. Propheta ille est semen in quo benedicendæ sunt gentes, & sic applicatur toti Populo, quantum fieri potest & sub alio nomine, promissio Abrahæ facta de semine, in quo benedicendæ sunt omnes gentes. Hinc sic S. Pet. ad Judæos Act. 3. *Vos estis filii Prophetarum & testamenti quod disposuit Deus ad Patres nostros dicens ad Abraham: in te & in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis*. Quantum ad multiplicationem affatim occurrunt textus in hanc rem in Exodo & Deuteronomio. Ergo 1. utrunque fœdus idem est quoad emolumenta.

2. Idem est etiam quoad onera & obligationes. Hæ sunt conditiones quas exigit Deus ex parte Abrahæ. 1. *Ambula coram me & esto perfectus*, id est, cole me, adora me fideliter, constanter, & in omnibus obsequere mihi; ambulare enim coram Deo, cum Deo est ex sincera animi propensione sentire & agere quæ Deus jubet & eum colere. Hinc Chaldæus vertit cole me. 11. Circumcisio imperatur. Porro hæc duo exigit etiam Deus a Populo Israel. De circumcisione res est aperta. Alterum constat Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde suo*.

3. Denique utrumque fœdus idem est quoad personas. In fœdere Abrahamitico stat ex una parte Deus, ex altera vero Abraham & semen ejus intellectum juxta limitationes a Deo sæpius oppositas. In fœdere Mosaico stat etiam Deus & totus Israel semen Abrahæ. Qui excluduntur a fœdere Abrahamitico quantum ad promissiones terrenas, vi hujus exclusionis non comprehenduntur in fœdere Mosaico, ut Ismaelitæ, Edomitæ, &c. Quantum vero ad promissiones cœlestes & toti humano generi communes, partem principalem habet gens Judaica sicut habuerat Abraham, ut patet ex promissione Prophetæ illius Deuter. 18. Propheta ille oriri debet ex gente Judaica, exclusive ad alium Populum; sed nemo excluditur expresse ab ejus documento.

CONCLUSIO II.

Fœdus Abrahamiticum ex aliqua sui parte erat supernaturale & annexa habebat ac proponebat bona spiritualia & æterna sensu litterali.

PRob. 1. Ex tenore promissionis. Constat in fœdere Abrahamitico duplicem promissionem, vel duplicem ejusdem promissionis partem distinguendam esse, temporalem unam, spiritualem alteram. *V. Rom. 4. & 9. & Galat. 3.* relative ad duplicem illam promissionis partem duplicis generis emissa sunt oracula, & Judæis promissa bona quæ confundi non debent. Fœdus Abrahamiticum potissimum consistit in benedictione; deinde in promissione seminis, seu filii, id est Messiæ, in quo reposita manet illa benedictio. Adest in illo fœdere benedictio propria & specialis Abrahæ, sed adest etiam alia benedictio generalis quæ ab Abraham in omnes gentes per semen, seu filium promissum descendere debebat. Hæc est illa benedictio quæ ex S. Aug. est ipsa-met justitia supernaturalis & gratia sanctificans quod negari non posse absque errore asserit S. Doctor *c. 16. de Civ. Dei* .... His positis, sic

sic argumentor. Fœdus Abrahamiticum in universali & omnibus communi benedictione præcipue consistit: atqui benedictio illa supernaturalis est & spectat spiritualia alterius vitæ bona. Benedictio enim illa vel spiritualis est & spectat bona supernaturalia, vel est temporalis & spectat tantum bona hujus vitæ ac significat omnes gentes Abrahamo esse subjiciendas, ut crassiores volunt Judæi: aut omnes gentes boni temporalis Abrahæ promissi participes fore: atqui posterius dici non potest; nam benedictio illa tres habet caracteres; 1. debet oriri ab Abraham, ab eo principium suum ducere & per illum communicari; 2. benedictio illa debet esse universalis & in omne humanum genus distribui. 3. Cum sit benedictio, aliquid faustum & felix omnibus gentibus renuntiat: benedictio enim illa ab Abrahamo quidem originem suam ducit, sed a Deo oritur tanquam a causa efficiente; sed benedicere ex parte Dei nihil aliud est quam benefacere & gratiam præstare. Jam vero nulla benedictio temporalis hos caracteres sibi vindicat. 1. Nulla est benedictio temporalis quæ in Abrahamo effectum suum sit consecuta & ab eo suam ducat originem, ut constat tum ex eventu, tum ex tenore verborum. Ex eventu quidem; nam Abraham terram Chanaam non obtinuit; in ea tanquam in aliena demoratus est. Multo minus universas gentes sibi subjecit; ex tenore vero; nam hæc verba: *in te & in semine tuo*, sic reddi debent: in te, id est, in semine tuo, seu in filio tuo. Et certe interprete S. Paulo, filius ille Christus est; sed Christus universas gentes temporalia ditione nec subdidit, ne subdere voluit; nam regnum ejus non erat de hoc mundo. Hinc neque Isaac, neque Jacob, neque ulli alii Abrahæ filii, aut etiam Judæi eorum nepotes ac posteri gentes universas sibi subditas habuerunt. 2. Nulla est benedictio temporalis ab Abrahamo orta quæ sit in omnes gentes universalis. Nam benedictio temporalis Abrahæ facta in terra Chanaan suum sortiri debet effectum; jam vero omnes gentes tali promissioni participare non possunt, immo gentes expresse excluduntur ab hac promissione. 3. Benedictio Abrahæ facta, si esset temporalis, non foret cunctis gentibus fausta & gratiosa. Nam benedictio illa omnes gentes Judæorum ditioni subjiceret, ac proinde soli Judæi benedicerentur; jam vero sacra & infausta foret gentibus benedictio quæ eas Judæorum servituti demanciparet: ex oraculo illo benedicendæ sunt omnes gentes; ex eventu non benedicerentur. Denique spiritualem benedictionem intellexerunt Judæi. Sic Luc. 1. intellexit Maria: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad Patres nostros Abraham & semini ejus*. Sic Zacharias ibid. *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris & memorari testamenti sui sancti: jusjurandum quod juravit ad Abraham, &c.* Confer. Genes. 22. 16. 17. 18. ubi jurat Deus benedicendum Abraham, & in ejus semine benedicendas omnes gentes. Sic Act. 13. Judæos alloquitur S. Paulus: *Et nos vobis annunciamus quæ ad Patres nostros repromissio facta est. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis Israel resuscitans Jesum*: Ergo. Maria & Zacharias & S. Paulus putant benedictionem Abrahæ datam suum sortitam esse effectum in adventu Messiæ. Ergo putabant hanc benedictionem esse spiritualem. Ergo ex tenore, &c.

Prob. 2. Ex scopo quem intendit Deus in suo fœdere. Sic habet Deus ad Abraham Genes. 17. *statuam pactum meum inter me & te ut sim Deus tuus*. Videntur hæc verba exprimere fœderis formulam, ut jam observavi; nam usurpantur in fœdere tum Abrahamitico, tum Mosaico. Deinde videtur ideo in Abraham benedicendas omnes gentes, quia Deus vult esse Deus Abraham. Jam vero hæc verba spectant vitam futuram & important hujus promissionem. Eo enim sensu intelligenda sunt hæc verba quo intellexerunt ipsi-met Patriarchæ, Scriptura, eventus & sensus quem native, genuine ac per se secum ferunt verba illa: atqui hæc omnia intelligendam præbent vitam futuram. 1. Quidem intellexerunt ipsi Patriarchæ. Nam ut observat Apostolus *Hebr. II.* Patriarchæ confitebantur se esse hospites & peregrinos super terram; significabant se aliam a Palæstina patriam inquirere. Meliorem appetebant patriam, id est cœlestem.

Sic

Sic ipse Jacob Pharaoni respondit: *dies peregrinationis meæ parvi & mali, & non pervenerunt usque ad annos Patrum meorum.* Quibus verbis significabat promissionem illam, *ero Deus tuus & seminis tui*, in se non fuisse impletam temporaliter. Ergo intellexerunt hanc promissionem de futura vita. Ergo.

2. Eodem sensu intellexit Scriptura. Sic hanc formulam exponit Jerem. 31. 33. loquendo de novo fœdere, nempe Christiano: *ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in Populum*. Sic S. Paulus Hebr. 11. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem.* Hinc idem Apost. Hebr. 12. vocat Esau profanum eo quod vendiderit primitiva sua. Quo nomine eum non donasset si temporales fuissent tantum benedictionis promissiones. Ex his patet Scripturam hæc verba sensu spirituali & de futura vita constanter intellexisse.

3. Eo sensu intelligenda hæc verba exigit eventus. Eo enim sensu intelligi non debet hæc promissio quo falsam esse eventus declarat: atqui eventus declarat hanc promissionem de temporali felicitate intellectam fore falsam & effectu suo frustratam. Namque hæc verba ad minus significant se Patriarchis præstiturum aliquid singulare, proprium & grande; inde enim volebat Deus erigere eorum animos ad grandia & difficilia quæ exigebat. Porro per promissionem mere temporalem nihil tale præstitit Deus Patriarchis. Esau enim æque lauta & splendida fortuna ac Jacob potitus est, immo suam durioribus laboribus sibi comparavit Jacob quam Esau. Ergo nihil præ Esau eximium ac grande habuit Jacob rebus omnibus bene compensatis. Joseph quidem primas tenuit in Ægypto, sed duram captivitatem expertus est ejus familia. Terra quidem Chanaan potitus est Populus Judaicus; sed quid hæc ad regnum Ægyptiorum, Græcorum, &c. Hæc ergo nihil eximium, aut singulare pro Patriarchis exhibent: atqui tamen Deus his verbis aliquid eximium & speciale promittit. Nam promittit quod aliis non promiserat; nempe se Deum fore Abrahæ modo diverso quo erat omnium Deus, ac proinde non tantum per providentiam ordinariam, sed per extraordinariam, specialem ac Abrahæ specialem & propriam. Ergo hæc promissio temporali sensu sumpta non fuisset eventu impleta. Uno verbo de omnibus illis Patriarchis sic pronuntiat Apostolus *Hebr.* 11. *defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus.*

Hinc 3. Idem suadet verborum tenor & contextus. Phrasis enim ista denotat quamdam rerum mutationem. Hinc declarat Deus se fore Deum Patriarcharum novo ac speciali modo & gradu beneficentiæ; sed Deus erat omnium Deus per creationem, per potentiam & ordinariam ac generalem providentiam. Ergo promittit aliquid quod diversum est a providentia ordinaria; sicque a plerisque auctoribus redduntur: *ero Deus tuus*, id est, quidquid boni a me summo bono expeti potest, illud tibi & posteris tuis conferam; quantus quantus sum vester ero, communicabo vobis mea bona, meam felicitatem, immo me ipsum, vester ero. Jam vero hæc præsenti vita circumscribi non possunt. His includuntur tum gratiæ qua internæ, qua externæ, tum gloria & beatitudo cælestis.

Nec observare pigeat hæc omnia confirmari tum ex eo quod Apost. *R.* 4. & 9. & *Galat.* 3. multiplicationem Abrahæ promissam sensu spirituali intellexerit, ac proinde fuit aliqua multiplicatio spiritualis ipsi promissa, tum quia benedictiones Ismaeli & Esau concessæ vix differunt a benedictionibus Patriarcharum nisi verba prædicta sicut benedictio omnium gentium intelligantur sensu spirituali.

CONCLUSIO III.

Fœdus Abrahamiticum alia ex sua parte erat temporale, nec nisi bona temporalia annexa habebat.

PRob. Ex ipsamet fœderis inspectione. Promittitur enim possessio terræ Chanaan; seminis carnalis multiplicatio. Fœderis violati reis intentatur mors corporis temporanea. Ad hanc partem pertinet circumcisio quæ nec veram & internam conferebat justificationem, nec originale delebat peccatum. Vide S. Paul.

Ep. ad Rom. & Galat. ubi probat justificationem non ex circumcisione oriri; unde concludendum est promissa spiritualia & æterna non esse circumcisioni annexa.

SCHOLIUM ET CONCLUSIO IV.

Lex Mosaica etiam proprie & stricte sumpta semper usurpari debet & attendi cum relatione ad duas illas memoratas fœderis Abrahamitici partes, & præcipue quoad primam, utpote principaliorem.

EVolvitur. Lex Mosaica proprie & stricte sumpta est lex quatenus a Mose ordinata est & promulgata, & sub hoc formali respectu. Porro lex prout a Mose ordinata est & promulgata, est fœderis Abrahamitici promulgatio, quoad omnes suas partes, ac consequenter tum quoad spiritualem, tum quoad temporalem promissionem. Est ergo lex Mosaica omnimoda totius fœderis Abrahamitici promulgatio & applicatio universæ genti Judaicæ facta a Moyse. In fœdere Abrahæ duæ sunt partes distinctæ, nec inter se confundendæ, ita pariter in lege Mosaica primum fœdus promulgante & repræsentante. Ergo sicut fœdus Abrahamiticum semper considerari debet relative ad duas suas partes, sic lex Mosaica semper attendi debet relative ad duas fœderis quod promulgat partes. Hinc nihil affirmari debet de lege illa nisi quod ipsi competit saltem ratione unius partis; nec de ea negari debet nisi quod ab utraque ejus parte excluditur. Sic, v. g. ut dicatur prædicta lex sancita tantum in pœnis & præmiis temporalibus, necesse est ut ratione utriusque suæ partis excludat pœnas & mercedes æternas.

Quod si quis per legem Mosaicam proprie intelligat ea tantum quæ superaddidit Moses, præcepta nimirum cæremonialia & judicialia, spuriam exhibebit notionem; de toto enuntiabit quod non nisi in partem cadit; aut effugium tentabit, aut eo tandem relabetur quæstio ut sit de nomine. Nunc absoluta hac præsenti digressione, ad propositæ quæstionis definitionem deveniamus & quæ sit legis Mosaicæ natura, quidque & quo sensu de alterius vitæ pœnis & præmiis docuerit, nunc est stabiliendum.

CONCLUSIO V.

ET COROLLARIUM I.

Lex Mosaica etiam proprie sumpta non erat tantum œconomia mere temporalis, politica & civilis, sed supernaturalis.

PRob. 1. ex dictis. Ex probatis enim lex Mosaica proprie sumpta est fœderis Abrahamitici quoad omnes suas partes promulgatio & applicatio toti Israeli facta a Mose: sed ex probatis fœdus Abrahamiticum quoad præcipuam sui partem erat supernaturale; gratiam & gloriam spectabat. Nam formula qua sancitur fœdus Abrahamiticum spectat gratiam & gloriam; vi formulæ hujus est fœdus spiritale: sed formula est eadem in utroque fœdere, ex dictis. Ergo lex Mosaica, &c.

Prob. 2. Ex consensu omnium, tum Judæorum, tum Christianorum. Judæorum quidem, Ps. 118. *lex Domini immaculata, convertens animas..... sapientiam præstans parvulis*. Uno verbo omnes sancti & justi legem suam habuerunt ut supernaturalem. Ergo erat supernaturalis; non enim eam alieno sensu intellexerunt; justi aliam ab aliis legem non habuerunt. Ergo ex consensu Judæorum, &c. Christianorum vero. Rom. 7. *lex spiritualis est..... ad vitam*. Act. 7. *qui* (Moyses) *accepit verba vitæ dare vobis*. Ipse Christus Matth. 18. juveni viam vitæ interroganti eam hac responsione aperit: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis.....? Hoc fac & vives..... si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ex his concludo. Illa lex est supernaturalis quæ spiritualis est, sancta, sapientiam præstans & ducit ad vitam supernaturalem & æternam: atqui talis est lex Mosaica. Ergo.

Prob. 3. Ex ipsamet œconomia Mosaica. Certum est Deum œconomiam illam rexisse modo & mediis supernaturalibus ac providentia speciali. Hinc miracula illa & oracula quæ supernaturali regimini destinata sunt. Lex Mosaica ordinabat varia sacrificia, varias cæremonias religiosas, ad testificandum summum er-

erga divinitatem obsequium. Jam vero hæc omnia pertinent ad Religionem, nec spectant Deum ut Regem civilem. Ergo.

Prob. 4. Ex legis ipsius constitutione & idea totali. Legis enim omnia præcepta reduci possunt ad omnimodam fidem, ad prædominantem amorem super omnia & ad proprie dictam adorationem erga Deum: atqui sane hæc cadere non possunt in Deum ut Regem mere temporalem. Fides enim illa sicut amor & adoratio sunt supernaturalia, nec externum tantum hominis habitum regunt. Hæ virtutes eodem modo & sensu in lege Mosaica sumuntur & præscribuntur quo in cæteris V. T. libris ac præsertim apud Evangelium & alia N. T. scripta; priora enim ad confirmanda & fulcienda posteriora advocantur: sed in Evangelio & in omnibus aliis N. T. libris hæc omnia prædicta sensu supernaturali intelliguntur. Ergo.

Prob. 5. Ex fine legis. Hæc est enimvero legis cujuslibet conditio ut ordinetur ad bonum societatis per media proportionata: pro natura boni ad quod ordinatur, æstimanda est natura legis, adeo ut si bonum illud sit reale; lex erit vere bona, si bonum illud sit naturale, lex erit tantum naturalis. Idem dic de mediis. Si bonum sit naturale, media erunt naturalia; si supernaturale, erunt supernaturalia media. Jam vero bonum ad quod ordinatur lex Mosaica simpliciter sumpta est supernaturale. Nam 1. manifestat Deum ut auctorem gratiæ & gloriæ. Data fuit enim, ut ait Suarez, in peculiarem Christi honorem, ad conservandam & augendam fidem explicitam Christi venturi. Hinc *finis legis Christus*. Rom. 10. 2. Jubet actus huic felicitati supernaturali comparandæ proportionatos, nempe actus fidei, spei & amoris supernaturalis. 3. Removet obices huic felicitati oppositos. Nam concupiscentiam comprimit; omne peccatum etiam internum arcet. Hinc manifestum est legem illam non esse datam a Deo tantum ut auctore naturæ, aut ut Rege temporali. Non a Deo ut auctore naturæ, tunc enim redundaret quidquid supernaturale est in illa lege, ut Messiæ venturi fides & promissio, virtutes felicitati supernaturali proportionatæ. Non ut a Rege temporali. Rex enim temporalem felicitatem & pacem civilem unice intendit per actus exteriores, concupiscentiam vero comprimere non insumit. At lex Mosaica amicitiam inter Deum & homines constituit, hominem reddit felicitatis æternæ idoneum per actus interiores; gratiam & gloriam obtinendam spectat. Ergo data est a Deo ut auctore ordinis supernaturalis. Totum est hoc S. Thomæ ratiocinium. Ergo jure ac merito negamus legem Mosaicam fuisse a Deo tantum ut Rege temporali.

CONCLUSIO VI.

ET COROLLARIUM II.

Lex Mosaica, etiam proprie sumpta, quoad unam sui partem, non in pœnis aut præmiis tantum temporalibus, sed in æternis sancita erat.

PRob. 1. hoc brevissimo argumento. Ex probatis Conclusione I. Lex Mosaica est totalis & omnimoda fœderis Abrahamitici quoad omnes suas partes promulgatio & ad populum Israeliticum applicatio. Continet, includit fœdus illud, immo est illud ipsummet fœdus adeo ut primum in secundum transeat: sed ex probatis Conclusione II. fœdus Abrahamiticum ex una sui parte supernaturale erat, & in pœnis ac præmiis æternis sancitum. Ergo & lex Mosaica.

Et vero lex vetus Deo dictante & inspirante per Mosen promulgata est. Deus dictare non potuit dogmata, præcepta & omnia quæ primam partem fœderis Abrahamitici constituunt & ea legi Mosaicæ inserere quin sanctionem æternam iis annexam dictaret quoque, legi huic insereret, ac proinde quin hæc sanctio fieret pars legis Mosaicæ. Promulgatio illa vim aliquam addebat legi & Judæis relativam. Hinc qui primum decalogi præceptum violabat, vi, non legis omni sensu, sed aliquo tamen, promulgationis nempe, & contra legem peccabat & æternis addicebatur suppliciis. Licet ergo primæ sanctioni nullas novas aut minas, aut promissiones addiderit Moyses, non inde sequitur primam

sanctionem esse ab ea ipsa omnino alienam & ipsi extrinsecam.

Prob. 2. Iterum ex prob. Concl. 5. Lex Mos. erat œconomia spiritualis & supernaturalis: ergo non erat sancita in pœnis & præmiis tantum temporalibus. Sapientis enim Legislatoris est tendere ad finem per media proportionata: jam vero sanctio mere temporalis non est proportionata œconomiæ supernaturali. In hoc enim œconomia illa erat supernaturalis quod data fuerit ad gratiam & gloriam obtinendam & ad utrumque disposuerit: atqui huic fini proportionata non fuisset œconomia mere temporalis. OEconomia enim illa exigit omnimodam sui abnegationem, omnium temporalium & vitæ ipsius pro servanda lege contemptum & omnibus aliis rebus prædominantem Dei amorem; nec externum tantum, sed internum hominis habitum moderatur: jam vero his omnibus præstandis proportionata non est sanctio mere temporalis; immo his opponitur: nam sanctio illa temporalis fuisset appendix providentiæ Dei ordinariæ: volunt enim quos hic refellimus Deum bona & mala temporalia decrevisse vel adipiscenda, vel subeunda quantum patiebatur providentia ejus ordinaria. Porro hoc ipso sanctio illa his omnibus præstandis proportionata non fuisset. Ideo enim temporalis Regum sanctio non est virtuti proportionata, ideo leges civiles sunt insufficientes quia hanc illarum sanctionem effugere possunt plerique multæque virtutes sicut multa vitia, absque mercede & pœna remanent: atqui pariter multos videre est qui ordinariam declinent providentiam: bona enim & mala temporalia sunt ordinariæ providentiæ appendices; juxta auctores illos Deus illa distribuit quantum patitur providentia ordinaria. Ergo multi bonis illis defraudantur, & a malis illis immunes abeunt. Ergo sanctio mere temporalis non est proportionata œconomiæ supernaturali.

Et certe bona illa sunt caduca nec ultra hanc vitam extenduntur; ergo nullam dicunt proportionem cum omnimoda, temporalium abnegatione, immo huic contradiceret sanctio mere temporalis. Legi Mosaicæ nunquam profecto Judæi fidem suam ad mortem usque obstrinxissent pro sanctione post hanc vitam non superstite. Absurdum esset mortem oppetere pro lege quæ nihil sperandum aut timendum post mortem haberet, nihilque præstaret in hac vita.

CONCLUSIO VII.

ET CORROLARIUN III.

Lex Mosaica quantum ad alteram sui partem in pœnis & præmiis tantum temporalibus erat sancita.

PRob. eodem ratiocinio. Lex enim illa promulgabat & genti Israeliticæ applicabat fœdus Abrahamiticum quoad omnes suas partes. Ergo quoad secundam quæ erat temporalis. Deinde ubi agitur de judiciis aut cæremoniis, Moses temporalia constanter & unice exprimit. V. S. Thom. 1. 2. q. 91. ar. 5. & q. 99. ar. 6. & S. Aug. hoc sensu dicunt Mosem nullam novam addidisse supernaturalem sanctionem.

CONCLUSIO VIII.

ET COROLLARIUM IV.

Lex Mosaica, etiam simpliciter sumpta, non est sancita tantum & quoad omnes suas partes in pœnis & præmiis temporalibus.

PRob. Illa lex non est sic tantum sancita quæ quantum ad unam sui partem in pœnis & præmiis æternis sancita est: atqui res ita est ex probatis. Ergo. Itaque ex una parte promissiones æternæ quas promulgavit lex Mosaica, jam antea sancitæ fuerant in fœdere Abrahamitico & notæ ex revelatione & traditione. Legis Mosaicæ postea factæ sunt pars, quia Deus ministerio Mosis cum Judæis iniit fœdus quod patribus pepigerat. Nam ut ait S. Augustin. nomine legis Mosaicæ intelligunt omnes vetus illud testamentum quod datum est in monte Sina. Illud vero idem est ac fœdus Abrahamiticum quod adoptando etiam ejus sanctionem adoptavit: quam novam addidit ea temporalis est. Utraque sanctio est vi legis, sed diverso sen-

sensu. Secunda est vi legis Mosaicæ solius; prima vero est vi fœderis Abrahamitici primum & præcipue, deinde vi legis cui inseritur; per quam toti genti applicatur & fit pars ejus.

Tota hæc Conclusio duplici nititur principio, quorum ne unum quidem in dubium revocari posse puto. 1. Fœdus Abrahamiticum duplici constat parte quarum una spiritualis est, supernaturalis & in bonis ac malis æternis sancita. 2. Lex Mosaica etiam proprie sumpta est ipsummet fœdus Abrahamiticum, adeo ut fœdus illud legi prædictæ fiat intimum, intrinsecum ac unum & idem fœdus. Hæc duo porro principia certa & inconcussa mihi videntur. Primum constat, 1. auctoritate S. Augustini loco citat. 2. Usu perpetuo & constanti Ecclesiæ defensorum qui primam illam partem insumpserunt ad probandam catholicitatem Ecclesiæ Christi. 3. Ex S. Paulo qui ex illo loco Romanis, Galatis & Hebræis probat Christum ejusque religionem & fidem prædicta fuisse. Secundum non minus certum est: 1. Enim eadem est utriusque fœderis formula & materia; Messiæ ortum, benedictionem supernaturalem, id est, gratiam & fidem quam Deus immediate Abrahamo promiserat, Israeli promittit ministerio Mosis. Quid enim est fœdus Abrahamiticum & Religio Christiana? Est Dei veri & supernaturalis cognitio ab Abraham orienda & a toto orbe per Christum consequenda. Lex Mosaica nihil aliud est quam eadem cognitio Judæis primum concessa ac deinde per universum orbem disseminanda. 2. Ex ipsa declaratione Dei qui alias frustra enuntiasset se velle cum Israelitis inire fœdus quod cum Patribus pepigerat. 3. Quia auctores sacri N. T. promiscue urgent verba fœderis Abrahamitici & legem Mosis ut probent Judæis impletam fuisse promissionem Patribus factam & sancitum fuisse novum fœdus; atqui utrumque illud promiscue urgere non potuissent nisi utrumque fœdus unum efficere existimassent. Ergo vera sunt & inconcussa duo memorata principia. Sed ex illis duobus principiis nativo veluti pondere dimanat hæc consequentia: lex Mosaica etiam proprie sumpta non in pœnis & præmiis tantum temporalibus est sancita: Ergo, &c.

CONCLUSIO IX.
ET COROLLARIUM V.

Lex Mosaica proprie sumpta pœnas & præmia alterius vitæ docebat sensu litterali quidem, sed implicito.

PRob. 1. Ex dictis fœdus Abrahamiticum proponebat bona & mala alterius vitæ; ex dictis etiam lex Mosaica est fœderis Abrahamitici promulgatio. Ergo lex Mosaica docebat, &c.

Et certe concedunt adversarii essentiale esse cuilibet Religioni docere pœnas & præmia alterius vitæ: jam vero lex Mosaica proprie sumpta erat Religio. Nam continebat dogmata revelata cultumque revelatum & divinitus institutum, cæremonias nempe, solemnitates & sacrificia. Hæc omnia includebat lex Mosaica proprie & stricte sumpta. Ergo sic accepta docebat, &c.

Prob. 2. Iterum ex dictis lex Mosaica erat œconomia supernaturalis; ergo pœnas & præmia alterius vitæ docet: OEconomia supernaturalis debet proponere motiva sibi proportionata: sed temporalia œconomiæ supernaturali non sunt proportionata, ut diximus inter prob. Concl. VI. Immo ut constat eadem Conclus. lex Mosaica erat sancita, quoad aliquam sui partem, in bonis & malis æternis. Ergo ea docebat. Debebat enim docere sanctionem qua munita erat.

Et certe nimium splendenti colore delineantur in illis libris Dei munificentia, bonitas & cura erga homines ut hæc extra hanc vitam non excurrant: aliud enimvero clamabant tot conspicua illa Dei judicia, horrendæque ac frequentes scelerum ultiones, nisi forte scriptura perpetuo inflata dicatur & constans reputetur exaggeratio.

Prob. 3. arg. præsumptionis. Dum enim Deus ut auctor naturæ gentibus aliis infidelibus futurorum cognitionem inseruerat, minime probabile est hanc cognitionem Judæis substraxisse, promulgando suarum voluntatum codicem,

dum eum multis aliis favoribus augebat. Pariter probabile non est Moysen tam momentosum dogma fini & observationi legis suæ adeo proportionatum alto prætermisisse silentio, cum ipse dogma illud teneret.

Prob. 4. Illud admitti debet quod exigunt Scripturæ veritas, Dei attributa plurima, & modus quo promissa illa exprimuntur: atqui 1. Scripturæ veritas. Sensus enim litteralis is est, ex dictis, quem Spiritus Sanctus primo & principaliter intendit, quidquid exhibeat cortex litteræ: ergo sensus litteralis ducendus est ubi alius haberi non potest salva Scripturæ veritate. Jam vero nullus supponi potest alius naturalis fœderis Mosaici sensus præter futurorum ac cælestium bonorum promissionem, salva Scripturæ veritate. Sibi enim alias contradiceret. Tota est enimvero in avocandis hominibus a pravis cupiditatibus, ab avaritia, ambitione, cæterisque inordinatis desideriis. Ergo bona temporalia ut vera ac germana virtutis præmia proponere non potuit. Hæc est enim natura præmii, ut possit esse ultimus contendentis ac athletæ finis. Ergo si Deus temporalia sic promisisset Judæis, temporalia iis tunc proposuisset ut finem virtutis ultimum, a quibus tamen constanter avocabat. Ergo sibi contradiceret: nec ea bona proponere potuit nisi ut incentiva & inducentia ad virtutem; alias, quæ antea reprobaverat desideria, ea fovisset. 2. Bonorum spiritualium sensum litteralem exigunt Dei attributa; Dei nempe bonitas, sapientia & veracitas. Bonitas enim veræ hominum utilitati consulit; sapientia ad finem tendit per media proportionata; veritas non fallit, nec unum pro alio supponit. Porro veræ hominum utilitati sola conducunt spiritualia; ex probatis, fini spirituali ac supernaturali a Deo destinata erat lex Mosaica; vera hominis spes in spiritualibus solis reponi potest. Bona terrena non sunt fini spirituali proportionata; unde sapientia Dei quæ finem illum supernaturalem & virtutes maximas docebat, præmia his relativa proponere debebat; nec Deus bona terrena spiritualibus supponere potuisset illæsa sua veracitate; præcipue cum terrenorum fragilitatem adeo vivide depingeret. Ergo. 3. Modus quo promissa illa exprimuntur, eundem sensum postulant. Inter promissa enim illa quæ in sacris Scripturis leguntur, non solum sunt generalia, sed sunt etiam personalia ac specialia; utraque absoluta sunt, omnem temporum circumstantiam complectuntur, uni tantum conditioni alligantur, nempe fidelitati in lege servanda. Uno verbo utriusque generis promissa eodem modo exponuntur. Ergo debuissent omni tempore, & erga omnes justos suum sortiri effectum, ut iniquitas non esset apud Deum: atqui tamen luce meridiana clarius est rem sæpe aliter in præsenti vita contigisse, quantum ad singulares & speciales promissiones. Ergo modus ille alium sensum postulat præter temporalem felicitatem. Et certe merces laboranti propria est, otioso vero & indigno concedi non potest. Ergo si Deus temporalia ut virtutis præmia, præsertim unice proposuisset, debuisset, & quidem ex justitia constanter malos a temporalium possessione arcere; sicut ex promissione regni & præmii cælestis Justis facta malos inde depellit. Atqui tamen bonis & malis communia fuere, etiam apud Judæos, bona & mala temporalia. Ergo. Hinc manifeste patet summam Dei veracitatem & fidelitatem in promissis, alium exigere sibi rerum ordinem, nec salvari posse in sententia opposita.

Denique illa lex pœnas & præmia alterius vitæ docet sensu implicito, sed litterali, quæ tradit principia & dogmata cum his pœnis & præmiis intime connexa: atqui talis est lex Mosaica. Et quidem præter jam proposita hucusque principia, sufficiat nunc Messiæ adventus quem prænuntiat: jam vero dogma venturi Messiæ cum præmiis & suppliciis alterius vitæ connectitur. Venit enim Messias ut bona spiritualia & æterna nobis conferret, ac mala ejusdem ordinis a nobis averteret. Ergo non potuit lex Mosaica Messiam prænuntiare, quin eo ipso alterius vitæ præmia & supplicia promulgaret. Et sane loca legis Mosaicæ quæ Messiam spectant, non designant tantum Messiam temporalem, sed sensu litterali designant Messiam spiritualem, li-

licet dogma illud quibusdam figuris involvatur. Ergo a pari præmia vel supplicia quæ virtuti vel vitio lex decernit, intelligi debent sensu litterali de bonis & malis spiritualibus, licet sub quibusdam figuris depingatur.

Dixi in conclusione: sensu litterali sed implicito. Sensus enim ille 1. est implicitus, quia includitur quibusdam generalibus principiis cum quibus connectitur; deinde quia involvitur quibusdam figuris & metaphoris. 2. Sensus ille sic absconditus, ex probatis, est tamen litteralis.

CONCLUSIO X.

Apud Judæos tum ante, tum post legem futuræ vitæ constanter viguit sensus & cognitio.

PRob. 1. argumento inductionis. De Judæis quidem ante legem: Genesis enim primus legis Judaicæ liber immensum ponit discrimen animam inter & corpus; illa dicitur Dei imago & similitudo. Dogma istud connectitur cum futuræ vitæ existentia. Deinde Patriarchæ seipsos dicebant hospites & peregrinos super terram; ac proinde aliam inquirebant terram & patriam, ut concludit & ratiocinatur S. Paulus *Hebr. II.* Patria illa non erat terra Chanaam; nemo enim inquirit terram in qua tunc habitat. Patria illa non erat Ur Chaldæorum; habebant enim tempus illuc revertendi. Ergo patria illa non poterat esse nisi cælum. Ergo hujus habebant cognitionem.

De Judæis vero post legem ante captivitatem Babylonicam. *Ps.* 118. „ Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem. *Proverb.* 14. Sperat..... „ Justus in morte sua. *Sap.* 3. Justi autem in perpetuum vivent & apud Dominum est merces eorum. *v.* 2. ante captivitatem Babylonicam innumeri floruere Prophetæ, aut alii pii viri qui futuræ vitæ dogma aperte professi sunt. Tales fuere qui ab impiis Regibus sive Israel, sive Juda extrema quæque Dei causa perpessi sunt.

Ipsomet captivitatis tempore. Sic Tobias 2. „ Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Testes sunt Daniel, Misac & Abdenago.

Denique post captivitatem Babyl. 2. *Machab.* 7. „ Rex mundi defunctos nos „ pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. „ Constans ergo fuit apud Judæos hæc sententia.

Prob. 2. argumento præsumptionis. Certum est non solum nunquam populum integrum, sed nec ullum hominem nisi vanum Philosophum hanc veritatem ignorasse. Ex probationibus ubi de hac re agebamus adductis constat natura duce hanc omnes amplecti veritatem. Floruit hæc apud populos barbaros, hominibus etiam rationis incultæ affulsit, in eorum animis sponte nascitur futuri Dei judicii expectatio; quanto magis hæc vigere debuerunt apud populum optimis institutum legibus, qui Dei naturam melius callebat, & virtutem impensius fovebat.

Et vero mirantur quicumque de Religione scripserunt, & quidem jure ac merito, Judæos solos ideas & notiones de Deo sinceras ac sublimes habuisse, omnibusque aliis gentibus & Philosophis in Religionis negotio doctiores fuisse, licet aliis in omnibus bardos & incultos; atqui sane nullus foret admirationi locus, nec quicquam aliis populis tanto præcellerent nisi alterius vitæ dogma accuratius & sincera veritate calluissent; hujus enim dogmatis apud alios Populos & Philosophos non omnino deerant vestigia. Ergo, &c.

Prob. 3. argumento consequentiæ & connexionis. Hominem ad immortalitatem a Deo destinatum esse & mittendum olim Liberatorem qui humanum genus in primæva dignitate restitueret, sunt dogmata cum altera vitâ connexa: atqui Patriarchæ & omnes Judæi hæc ultima dogmata tenuere. Ergo & alterius vitæ habuere sensum.

Obj. 1. contra secundam Conclusionem. Non probatur fœdus Abrahamiticum habuisse promissa æterna; aut saltem non valet argumentum desumptum ex hac formula: *ut sim Deus tuus.* Cuilibet enim Genesim & Exodum attentius introspicienti patebit hæc verba semper respicere tantum ad circumcisionem

nem & possessionem terræ Chanaam cum quibus semper conjungitur & ad quæ determinatur. Ergo verba illa non exprimunt promissa spiritualia.

R. n. ant. Verba præfata eundem sensum eandemque extensionem habent in fœdere Mosaico ac in Abrahamitico, ac proinde & in Genesi & in Exodo. Porro in hoc fœdere exprimunt promissa spiritualia. Respiciunt totum fœdus adæquate sumptum; non mirum si cum utraque utriusque fœderis parte, immo si modo cum una, modo cum altera conjungantur: Deus erat quidem Deus Abrahæ & Judæorum per beneficia temporalia; at nimium exilia erant beneficia illa ex una parte, nimium ampla præfata verba ex altera ut ex temporalibus suo effectu plena censeri possent, & ut temporalia promissa verborum illorum mensuram implerent. Hinc concludere est ultra præsentem vitam respicere & extendenda esse illa verba.

Inst. Verba Exodi: *Ego sum Deus, &c.* nihil probant. Hujus enim nominis mensuram impleverat Deus erga Patriarchas dum adhuc viverent; cum scilicet eos a periculis servabat, cum operibus & divitiis augebat, cum contra potentes Reges eos tutabatur, cum prole eos fœcundabat; cum hæc omnia etiam per miracula præstabat. Ergo hæc verba necessario non spectant vitam alteram.

R. n. ant. Ex jam observatis enim Deus Patriarcharum illorum nomina appellando, & eorum Deum se dicendo eximium quid ac præcellens iis proprie ac singulariter promittit: porro quæcumque tandem sit felicitas qua potiti fuerint, 1. innumeris malis compensata fuit, adeo ut vix bona malis æquiparari possint. Hospites & peregrini sunt, ubique liberantur quidem, sed ubique persecutioni sunt obnoxii; propria dimisit Abraham, ne passum pedis quidem apud Chananæos obtinuit. Quot molestiis exacerbatus fuerit Jacob, ipse Pharaoni testatur dum dicit: *Dies peregrinationis meæ, dies parvi & mali.* Vitam utcumque, immo, si libuerit, laute sustentavit in Ægypto; at quanti hæc emerit emolumenta clarum est ex malis quæ inde in totam ejus gentem dimanarunt.

2. Quæcumque tandem fuerit Patriarcharum illorum fortuna, ipsi non fuit propria ac personalis, sed cum multis impiis communis; immo ipsis præcelluere ex hac parte Alexander, Pharao, &c. Jacob quidem Dominus Esau paterna benedictione constituitur, at paterna prænuntiatione, tempus venire debebat quo jugum Jacob fratris sui de cervicibus suis excussurus erat Esau. Dives quidem Jacob, sed ditior eo Esau: potens quidem ille, sed hunc timet & reformidat quasi Dominum. Ergo.

Inst. Hæc verba spectant non præcise Patriarchas, sed eorum posteritatem, Judæos nempe, seu Israeliticum Populum; porro in Israelitis plenum suum sortiuntur effectum, ex singulari ac divina plane cura quam hujus Populi egit Deus: unde hæc verba: *Ut sim Deus tuus & seminis tui*, sic debent reddi; ut sim Deus tuus, id est, seminis tui; sicut hæc: *Benedicentur in te, & in semine*, per hæc reddi debent: in te, id est, in semine tuo. Ergo.

R. 1. n. maj. Si enim personas Patriarcharum non respicerent hæc verba, nec eos nominasset Deus, nec hunc locum in probationem appellasset Christus. Cæterum inter locum istum & hæc verba *benedicentur, &c.* nulla instituenda comparatio. Ex subjecta enim materia, ex rei natura manifestum est quod in persona Abraham, aut Jacob benedicendæ non sint omnes gentes.

R. 2. n. min. In angulo terræ enim recondita gens Judaica præcellentes habuit Græcos, Romanos, &c. Nec nisi in salute spiritali hæc verba apud ipsos suum sortita sunt effectum.

Inst. Fœdus illud temporale fuit, non æternum; spectabat enim possessionem terræ Chanaan, ut patet ex *Genes.* 17. 7. & *Deut.* 7.

R. dist. ant. Temporale fuit quoad objectum secundarium & minus principale, & signum fœderis: c. Quoad rem ipsam primario ac principaliter significatam: n. Duo includunt hæc verba. 1. Fœdus æternum, ex nativa significatione & vi propria, & illud est primarium ac principale. V. S. Aug. *l. de Civ. Dei*. 2. His adjunxit Deus beneficium temporale, nempe possessionem terræ Chanaan; sed illud his verbis

est

est omninò accidentale; quin immo terra Chanaan non promittebatur nisi ceu umbra & figura Patriæ cælestis; & illud recte intelligebant illi Patriarchæ, ut jam vidimus ex S. Paulo *Hebr.* 11. Circumcisio erat signum fœderis temporalis, mutatum est illud signum & per baptismum compensatum est, ubi remansit solum fœdus spiritale.

Inst. Atqui hæc verba: *Ego sum Deus Abraham, &c.* spectant fœdus temporale & terram Chanaan possidendam. Hæc enim verba eumdem sensum hic obtinent quem Genes. 17. sortiuntur, *ut sim Deus tuus & seminis tui*. Porro in posteriori loco exprimunt tantum fœdus temporale quo carnalis seminis multiplicatio promittitur & in carnalem populum eliguntur Abrahæ nepotes. Alias circumcisio foret verum & proprie dictum sacramentum. Itaque illa verba non spectant alteram vitam aut resurrectionem corporum quæ exprimunt tantum fœdus temporale: atqui res ita est. Ergo.

R. neg. min. Jam observavimus post Sanct. Augustin. fœdus Abrahamiticum duplici parte & promissione constare quarum una temporalis est, altera spiritalis. Hanc posteriorem partem afficiunt verba de quibus agitur, tum quia, ex probatis, horum mensuram non implet felicitas temporalis, tum quia terrena bona toti genti promissa justis & injustis ex æquo sunt communia. Jam vero bonis Abrahamitici fœderis spiritualis quæ ex præfatis verbis enuntiantur, non omnes ex æquo participant. Nam interprete S. Paulo, his tantum fruuntur filii promissionis, filii secundum spiritum. Porro, ex eodem S. Paulo, non omnes filii secundum carnem, filii sunt promissionis, aut æstimantur in semine benedicto. Cum ergo manifestum sit Deum non fuisse Deum uniuscujusque Israelitæ temporali protectione, manifestum est quod hæc verba spectent tantum filios spirituales Abrahæ. Præterea Deum esse Deum Patriarcharum & paraffe illis cælum, sunt ex S. Paulo quid unum & idem; ergo. Deinde Palæstina relative ad alias regiones nimium angusta erat quam ut horum verborum magnificentiæ responderet. Et sane insanüssent qui pro spe tantum terrena sanguinem fuderunt apud Judæos. Cæterum inde minime sequitur circumcisionem fuisse hoc ipso signum justitiæ supernaturalis per se operativum, de quo alibi.

Inst. Atqui hæc verba, *ego sum Deus, &c.* unice respiciunt fœdus temporale. Sic enim primum loquitur Deus: *Ego sum qui sum*, seu a verbo ad verbum: *Ego ero qui ero*, id est, is ero quem olim futurum me esse dixi; fidelis in promissis quæ mox sum impleturus. Addit postea Deus: *nomen meum Jehova non indicavi eis* Patriarchis. Nomen Jehova est nomen illud æternum. Nomen, id est, rem nomine significatam. Quasi diceret: promissiones non implevi erga eos. Jam vero non alia ratione hæc in memoriam revocat Deus nisi ut ostendat promissiones olim factas illas ipsas esse quas executioni mox daturus erat; non alia etiam ratione vult Deus Mosen uti hoc motivo apud Israelitas, nisi ut quod facturus esset indicaret: sed quod exequuturus erat est eductio Israelis ex Ægypto & ejus introductio in terram Chanaan. Sæpius promisit singulis Patriarchis terram Chanaan se eorum posteris daturum: *terram hanc dabo tibi & semini tuo*. Hæc *& semini tuo* debent verti per ista: id est, semini tuo, sicut hæc: *benedicentur in te & in semine tuo*, plerique vertunt Interpretes *in te*, id est, in semine tuo. Adeo ut personis Patriarcharum nulla facta fuerit promissio, sed tantum eorum posteris. Hinc *Gen.* 15. Deus prænuntiat Abrahæ mortem ante promissorum executionem, & Israelis servitutem in Ægypto. Expresse dicit semini Abrahæ dandam esse terram. Ergo hanc terram promiserat Deus Patriarchis, sed non iis dederat: hinc, ut ait S. Paulus: *Defuncti sunt non acceptis repromissionibus*. Ergo hæc verba: *Ego sum Deus*, respiciunt liberationem Israelis ex Ægypto; objectum habent signa & mirabilia stupenda quibus Deus se Deum, id est, protectorem Israelis declarabat. Unde sic arguo. Illa verba spectant tantum fœdus temporale quæ spectant tantum egressum Israelis de Ægypto: atqui talia sunt hæc verba: *Ego sum Deus Abraham, &c.* Ergo.

R. n.

R. n. min. Manifestum est ex allatis probationibus verba, de quibus agitur, plenum suum effectum sortita non fuisse in salute Ægyptiaca. Dico itaque verba illa primum Abrahæ dicta & deinde Mosi repetita non posse spectare tantum & unice liberationem a servitute Ægypti. 1. Inde sequeretur in fœdere personali cum Abraham Deum nullam personalem ipsi fecisse promissionem: quod absurdum est. Nullam porro revera fecisset in prædicta hypothesi; atqui tamen aliquam fecit. Sic enim Deus: *Statuam pactum meum inter te* .... Et: *ut sim Deus tuus & seminis tui* ... *Ego, ero merces tua magna nimis*. Absurdum est partem fœderis, nempe circumcisionem & fidem ad Abrahæ personam directam fuisse, non eam quæ est emolumentorum. 2. S. Paulus *Hebr.* 11. expresse asserit Patriarchas illos dum se peregrinos & hospites dicunt, aliam patriam, nempe cælestem inquisisse, illos expectasse civitatem cujus artifex & conditor Deus, Deumque ideo se Deum illorum dixisse quia paravit illis civitatem. Ergo teste Sancto Paulo, Patriarchæ non intellexerunt hæc: *ego sum Deus*, *&c.* de terra promissionis. Præterea idem Apostolus loc. cit. sic habet de Gedeone, Samsone, Jephte, Samuele, David & omnibus Prophetis: *hi omnes* ... *non acceperunt repromissionem*. Atqui tamen terram Chanaan possederant. Ergo non hic agitur de illa terra, quando dicitur Patriarchas defunctos esse non acceptis repromissionibus. Immo manifestum est hinc Sanctum Paulum arguere de promissionibus spiritualibus, & 1. probare ibi non agi de temporalibus, quia eas non sunt consecuti. 2. Eos exspectasse spirituales. Quod autem hic Deus in memoriam revocet verba a se antiquitus prolata, non quia unice respiciebant fœdus temporale, sed quia includunt fœdus illud quod ex aliqua sui parte complectitur terræ Chanaan promissionem tunc tandem executioni demandandam.

Obj. 2. contra V. Conclusionem. Lex Mosaica erat tantum civilis œconomia, non vero supernaturalis. Œconomia enim supernaturalis fuisset Religio; unde lex & œconomia Mosaica fuisset Religio: porro hoc falsum est: Namque Deus pluribus in locis *Deuter.* 27. *&* 28. *Josue* 24. *& Exod.* 19. Judæos relinquit liberos circa amplectendam legem ipsis a Moyse propositam; adeo ut ex libera Judæorum acceptatione viguerit lex illa: atqui Deus non potest homines relinquere liberos circa veram Religionem. Ratio enim quæ Deum impellit ad ordinandam aliquam Religionem, eadem omnem hominibus adimit libertatem in hoc casu. Ergo.

R. dist. min. Deus non potest homines relinquere liberos, id est indifferentes adeo ut Religionem non amplectendo non peccarent: c. id est, non potuit a Judæis exigere Religionem, ita tamen ut eam libere amplecterentur: n. Deus in locis objectis sese quodammodo ad hominum libitum componit, non quod popularis auræ arbitrio suum cultum permittat, quasi ex hominum voluntate suspensum maneat an colendus sit Deus, nec ne; sed ut libertatem hominis ostendat, manifestetque se & coli velle & velle coli libere. Enimvero libertas illa spectasset legem vel moralem, vel cæremonialem: atqui spectare non poterat 1. legem moralem. Deus enim non poterat legem illam eo sensu Judæorum libertati relinquere ut sive eam admitterent sive rejicerent, non peccarent: 2. non spectabat legem cæremonialem. Deus enim potest non manifestare cultum specialem quem sibi elegit: at posito quod illum promulget, parere tenentur homines sub peccato a quo immunes eos facere non potest Deus. Ita pariter de præceptis judicialibus. Sic iterum resumere juvat. Hic & sæpe alibi liberam homini relinquit mandatorum etiam moralium electionem: atqui tamen non eo sensu quod non eligentes non peccarent. Extrema enim rebellibus minitatur. Ergo. &c. Hinc vulgaris est Scripturæ phrasis: Eccli. 15. *Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum*. Et 3. Reg. 18. *Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum*. Quibus verbis certe homines non suæ libertati permittit Deus circa bonum & malum, circa idololatriam sectandam, aut fugiendam.

Inst.

Inst. Atqui Deus Judæos liberos relinquebat eo sensu quod non peccassent non amplectendo legem a Mose propositam. Nam cæteræ per orbem dispersa Nationes non tenebantur sequi legem Mosaicam: atqui tamen omnes homine tenentur amplecti Religionem & cultum a Deo præscriptum. Ergo.

R. dist. maj. Nationes non tenebantur sequi legem Mosaicam quoad signa externa quibus jubebat Judæos suam fidem protestari & cultum suum Deo reddere: c. Quoad substantiam Religionis a lege præscriptæ: n. dist. pariter min. Omnes homines tenentur amplecti cultum & Religionem a Deo præscriptam, quantum ad substantiam Religionis: c. quantum ad signa exteriora: subdist. Omnes ii ad quos dirigitur & promulgatur Dei jussio: c. omnes simpliciter, etiam ii ad quos non dirigitur aut promulgatur Dei jussio: n. Solutio facilis est & aperta. In lege & Religione Mosaica duo distinguenda veniunt, substantia nempe & modus seu accidentale. Substantia complectitur tum dogmata & præcepta naturalia, tum dogmata supernaturalia. Prima satis nota & promulgata erant per legem & rationem naturalem; ac proinde sufficienter ad hæc obligabantur omnes gentes a Judæis distinctæ. Dogmata secundi generis, scilicet supernaturalia, non omnibus quidem nota erant, sed omnibus erant necessaria necessitate, ut ajunt, medii ut justificarentur. Cætera omnia quæ modum legis & Religionis Mosaicæ constituunt, sunt quid accidentale respectu eorum quibus non erant manifestata. Sic cæremoniæ v. gr. quas, Deo jubente, instituit Moses, ad Religionem veram & proprie dictam pertinebant; sed erant tantum signa quibus volebat Deus Judæos suam exterius protestari reverentiam. Erant quid accidentale respectu eorum quibus Deus non ea præscripserat.

Inst. Atqui omnes simpliciter homines tenentur amplecti Religionom a Deo ordinatam, etiam quoad signa externa. Nisi res ita sit, duo sequuntur absurda. Fuisse tunc temporis duplicem Religionem Deo æqualiter acceptam, nempe Judæorum & aliarum gentium. II. Licere hominibus cultum novum respuere legi naturali additum, quando quidem cultus naturalis a Judæorum Religione distinctus erat Deo gratus, nec ab eo recedere tenebantur gentes.

R. n utramque sequelam. Quoad primam, erat tunc unica Religio grata Deo, ea scilicet quæ legis naturalis observationi fidem in Messiam venturum jungebat; sed Deo ita concedente erat multiplex signum quo fides illa & obsequium declararetur. Quoad II. licet hominibus non uti signis externis quæ Deus alicui genti tantum, non omnibus vero hominibus præscribit. Signorum enim illorum, seu cultus exterioris obligatio ex sola divinitatis voluntate desumi potest. Cultum vero novum naturali superadditum hoc ipso respuere innoxie non possunt ii quibus cultum illum imperat.

Inst. Religio non mutatur, nec subjacet temporum vicissitudinibus, æterna est & immortalis sicut Deus ad quem refertur: atqui tamen lex Mosaica mutata est. Ergo lex Mosaica non erat supernaturalis œconomia nec Religio.

R. dist. maj. juxta datam jam solutionem. Religio quantum ad substantiam non mutatur: c. Quantum ad signa exteriora: n. Rem ipse evolvat S. Aug. c. Faust. *l.* 19. *c.* 15. his verbis: „ Quanto errore delirant, qui putant, „ signis sacramentisque mutatis, etiam „ res ipsas esse diversas quas ritus propheticus prænuntiavit esse promissas, „ & quas ritus Evangelicus annuntiavit „ impletas; aut qui censent, cum res „ eædem sint, non eas aliis sacramentis „ annuntiari debuisse completas quibus „ adhuc complendæ prænuntiabantur... „ Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi verba quædam „ visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia & temporalia? „ Deus enim æternus est, nec tamen aqua & omnis illa actio corporalis quæ „ agitur cum baptizamus, & fit & „ transit, æterna est... Hæc omnia fiunt „ & transeunt, virtus tamen quæ per „ ista operatur, jugiter manet; & donum „ spiritale quod per ista insinuatur, æternum. „ Hæc est S. Aug. Ex quibus concludere est signa quibus agit Deus, esse muta-

mutabilia, virtutem vero per quam agunt signa, donum quod per illa confertur, sensus qui sub illis signis latent, esse æterna.

Inst. Saltem efficaciter non probatur legem & œconomiam Mosaicam fuisse Religionem. Inde enim probatur legem illam fuisse œconomiam supernaturalem, seu Religionem quod cultum externum a Deo ordinatum & dogmata revelata contineret: atqui neutrum efficaciter probat legem Mosaicam fuisse veram & proprie dicti nominis Religionem. 1. Dogmata istud non evincunt. Ut enim ex illis dogmatibus evinceretur legem Mosaicam esse Religionem, deberent illa dogmata esse legi Mosaicæ propria, intrinseca & intima; porro talia non sunt illa dogmata respectu Religionis Mosaicæ. Erant enim appendices vel rectæ rationis, vel anterioris revelationis. Idem ergo judicium debet ferri de lege Mosaica ac de edicto regio quod quædam dogmata jam revelata & asserta promulgaret ut majorem authoritatem inde iis conciliaret. Risum profecto moveret qui legem illam Religionis nomine donaret, propter dogmata in ea proposita. 2. Ut ex cultu externo legi Mosaicæ Religionis nomen deferretur, cultus ille deberet habere intimam & essentialem cum titulo Religionis connexionem; jam vero nihil est in immenso cultus externi apparatu quod ad Deum ut Regem civilem nativo ac facili clivo referri non possit. Constat enim Deum voluisse esse in specialem gentis Judaicæ Regem; hinc œconomia Judaica ab omnibus Theocratia vocata est. Hinc cultus alieni totidem læsæ majestatis scelera judicabantur; idololatria rebellionis pœna, id est, capite plectebatur. Deus de pace & bello consulebatur. Tabernaculum fœderis & postea templum erat ipsi loco palatii; ibi more principum erant atria, cubicula cuilibet pervia, ulterius reconditum erat secretius conclave quod primo regni administro tantum patebat, vocabaturque Sanctum Sanctorum. Ejus mensa splendide instruebatur, quod igne absumebatur portio erat ipsi adscripta, reliquiis pascebantur Ministri qui vario ordine in ejus aula ei deserviebant: Hæc ad alios fines transferri posse fateor; at ad usum mox determinatum naturaliter accommodari posse nemo etiam jure negare potest. Eo fortius ad Regem civilem hæc inflectere licet quod nihil est in cultus hujus descriptione quod illum ad cultum religiosum inclinet. Sic itaque resumere juvat. Lex Mosaica probatur Religio ex eo quod cultum externum a Deo revelatum & dogmata divinitus proposita promulgaret: porro inefficax est argumentum deductum 1. ex dogmatibus. In tantum enim dogmata illa probarent legem Mosaicam esse veram & proprie dictam Religionem in quantum essent huic legi propria & intrinseca: atqui dogmata in lege Mosis contenta huic non sunt propria & intrinseca. Illa enim dogmata legi alicui non censenda sunt propria & intrinseca quæ ad aliam tum legem, tum revelationem jam pertinent: atqui, &c. ergo.

R. 1. n. maj. Ut dogmata sint legi alicui propria & intrinseca, necesse non est ut nulla alia lege vel anteriori revelatione propositam jam fuerint, sufficit ut proponantur per revelationem legi huic propriam; porro licet dogmata lege Mosaica promulgata jam proposita fuerint alia lege aut anteriori revelatione & ad utramque pertineant, potuerunt proponi per novam revelationem prioris confirmativam. Confirmatio enim præcedentis revelationis potest esse vera revelatio. Nam ubi adest immediata Dei loquela, ibi adest vera revelatio: sed potest adesse immediata Dei loquela, licet Deus proponat dogmata jam ex anteriori revelatione nota. Lex naturalis erat certe revelationi Patribus factæ anterior: attamen dogmata & præcepta quæ tradebat revelatio illa ejus erant ipsique propria, licet jam propria fuerint legis naturalis: ergo a pari, &c. Nec valet hic comparatio cum edicto regio. Si enim edictum illud comitem haberet revelationem si Rex ille foret divinitus inspiratus, si Deus ipse per eum, sicut per Moysen, loqueretur; tunc censeretur Religio; si secus, neutiquam.

R. 2. n. min. Et dico dogmata illa fuisse propria & intima legi Mosaicæ. Nam totam legis illius compagem & essentiam constituunt, & in illa dogma-

ta

ta recumbit tota lex. Ratio quidem ea proponebat, sed insufficienter; ea vero promulgat lex Mosis modo sibi proprio, nempe vel evolvendo quod obscurum erat in lege naturali, vel enodando difficultates quibus explanandis impar erat lex naturalis. Praiverat quidem legi Mosaicæ quædam revelatio divina, at illa ipsa est revelatio quæ Mosi & Judæis iterata, scriptis mandari debebat ne periret. Sicut Adamo & Patriarchis locutus fuerat Deus, sic Moysi etiam easdem manifestavit veritates. Ex eo quod dogmata illa Adæ & Noe revelaverit Deus, sicut Abrahæ, Isaac & Jacob; ex eo quod revelationem illam fideli traditione Noe ab Adamo, Abraham a Noe & sic cæteri acceperint, non sequitur dogmatum illorum quam ex sibi personaliter facta revelatione habebant cognitionem huic revelationi non fuisse propriam & intimam. Ergo a pari licet Judæi eadem dogmata primo didicerint ex revelatione Patriarchis facta, non sequitur horum cognitionem revelationi sibi factæ non esse intimam & propriam.

Inst. Ille cultus efficaciter non arguit Religionem qui nativo sensu referri potest ad Deum ut Principem civilem: atqui talis est cultus exterior a Mose in lege sua propositus. Ergo.

R. 1. conc. totum. Non enim agitur an lex Mosaica possit esse œconomia civilis; sed an revera sit tantum talis. Uno verbo probandum est legem Mosaicam esse tantum œconomiam temporalem; argumentum præsens evincit tantum legem illam posse esse talem, non vero id unice esse.

R. 2. n. maj. Ex eo quod cultus externus Mosaicus referri possit ad Deum ut Regem civilem, sequitur ad majus cultum illum plures respectus habere posse ad Deum, alios ut supremum rerum omnium Conditorem, alios ad eumdem ut Regem terrenum: minime vero sequitur eum referri non posse ad Deum sub primo respectu, nec proinde arguere Religionem, & respicere ad Deum unice ut Principem terrenum.

R. 3. n. min. 1. Tota legis illius compages, miracula, prophetiæ, &c. arguunt plusquam principem civilem esse ejus objectum. 2. Amor super omnia, summa in Deum fiducia, sacrificiorum ritus, primitiarum ratio Deum ut Regem civilem spectare non possunt.

Inst. Ille cultus referri debet ad Deum ut Regem tantum civilem, in quo nihil est quod ipsum determinet ad Deum ut supernaturale Religionis objectum: atqui talis est cultus externus Mosis. Ergo.

R. n. min. Certum est enim quod sacrificia non possint respicere Deum ut Regem civilem. Deinde si Deus legem dedisset Israeli ut œconomiam civilem tantum, huic populo non se exhibuisset, nisi ut Regem civilem, & nomen usurpasset huic dignitati consonum. Porro res aliter se habet. Nam ubi Deus leges condit Religionis & cultum externum ordinat, constanter & uniformiter usurpat nomen Jehova, & in illud, aut potius in rem hoc nomine significatam reclinat totam obligationem. Sicut ultima ratio præcepti amoris super omnia est nomen Jehova, sic ultima ratio cultus externi quoad omnes suas partes ex eodem nomine desumitur. *Ego sum*, inquit constanter Deus, *ego sum Dominus*, Jehova, *Deus tuus*. Huic nomini Dominus, Jehova, adjungens *Deus tuus* ut novum addat obsequii motivum desumptum ex suis beneficiis quibus se involvit, ut ita dicam. Rem exemplis confirmare juvat. Exod. 20. 5. *non adorabis ea* (Idola)... *Ego sum Dominus* (Jehova) *Deus tuus*. v. 11. Sabbati observationem fundat in creationis opere quod die septimo absolutum est. Sacrificium Deo, Jehovæ soli offerendum edicitur *Exod.* 22. 20. *Confer. Exod.* 29. 45. *Numer.* 28. integrum & 29. 13. 36. cæremoniarum & solemnitatum institutio semper etiam refertur ad Jehova. *Exod.* 23. 17. *Deuter.* 6. 17. *Exod.* 28. 12. 30. 38. &c. Eodem fundamento nituntur omnia præcepta cujuscumque generis. Consule, si vacat, *Levit.* 4. 2. 4. 6. & 5. 17. & 18. totum, & 19. tot. & 20. 7. 8. & 16. totum. *Num.* 5. 6. *Deuter.* 4. 2. 6. & 5. totum, & 6. 4. In his omnibus nihil refert Deum ut Regem temporalem.

Obj. 3. contra conclusionem VI. Lex Mosaica nulla ex sui parte dici potest sancita in pœnis aut præmiis æternis. Illud dici non potest quod genuinum ever-

evertit discrimen novum inter & antiquum fœdus: atqui legem Mosaicam etiam in aliqua tantum sui parte sancitam esse in pœnis & præmiis æternis illud evertit genuinum discrimen novum inter & antiquum fœdus. In hoc enim juxta omnes Catholicos & juxta principia huc usque posita, in hoc, inquam, stat illud discrimen quod promissa æterna sint soli novo fœderi propria eaque suo jure, vi sibi innata, conferat; atqui eo ipso quo lex Mosaica, etiam quoad aliquam sui partem, in pœnis & præmiis æternis sancita sit, jam promissa æterna novo fœderi non sunt propria. Illa enim promissa non sunt soli novo fœderi propria quæ ex æquo veteri competunt: atqui eo ipso quo lex Mosaica, saltem quoad aliquam sui partem, in pœnis & præmiis sancita est, jam promissa æterna ipsi sunt ex æquo ac novo fœderi propria. Duplici enim de causa lex Mosaica tali donatur sanctione; 1. quia est ipsummet fœdus Abrahamiticum genti Judaicæ applicatum. 2. Quia fœdus Abrahamiticum quoad primam sui partem sic sancitum erat & æterna promissa sibi annexa habebat. Ergo promissa æterna erant fœderi Abrahamitico propria. Ergo erant etiam propria legi Mosaicæ, seu antiquo fœderi. Ergo non sunt propria soli novo fœderi. Deinde inter varias sanctionis conditiones, una est ut vi legis observatæ vel violatæ suum sortiatur effectum, nec effectus aliunde succedat. Ergo lex Mosaica non potest esse sancita in pœnis & præmiis æternis, etiam quoad unam tantum sui partem, quin lex illa ex hac parte æterna pro meritis vi sua & proprio jure distribueret; quod sane hucusque soli novo fœderi proprium fuit. Verbo dicam: lex Mosaica non potest esse eadem ac fœdus Abrahamiticum, quin sit sancita in pœnis & præmiis æternis: non potest esse sic sancita quin propria sibi habeat promissa æterna. Ergo destruitur genuinum discrimen novum inter & antiquum fœdus. Hæc sic paucis contraho. Illa sententia non est admittenda qua posita promissa æterna sunt veteri & novo fœderi ex æquo propria: atqui res ita est. Ergo.

R. n. min. Licet lex Mosaica sancita fuerit, quoad aliquam sui partem in pœnis & præmiis æternis, non inde sequitur promissa æterna veteri & novo fœderi esse ex æquo propria. Promissa enim æterna sunt Religioni Christianæ propria; 1. quia hæc promissa sunt fidei per se annexa, fides autem Religionis Christianæ est appendix specialis, est ejus substantia. 2. Quia Religio Christiana seu fœdus novum promissa illa exequitur & implet per se & vi propria, per media nempe quæ vim & energiam habent per se. Non ita in Veteri Testamento. Promissa illa non habebat nisi ratione promulgationis & applicationis, seu eo tantum sensu sancita erat lex Mosaica in pœnis & præmiis æternis, quia primam fœderis Abrahamitici partem Judæis promulgabat & applicabat. Hinc quoad istam partem lex Mosaica sancita erat in pœnis & præmiis æternis. Non quia lex Mosaica ut sic vi sua sola hanc stabiliret sanctionem, sed quia lex illa declarabat & promulgabat jam a Deo decretam fœderis Abrahamitici applicationem & extensionem, sanctionem a Deo primitus stabilitam promulgabat, & illa sanctio, seu prima pars fœderis Abrahamitici legi Mosaicæ adjunatur. Ergo lex Mosaica non per se & vi sua sola sic sancita erat. 2. Fides legi Mosaicæ non annexa erat per se nec nisi ratione fœderis Abrahamitici. Denique nec fœdus Abrahamiticum, nec lex Mosaica habebat media sibi propria quæ per se conferrent justificationem aut vitam æternam. Lex Mosaica per se non dabat gratiam: sacramenta enim ejus hanc per se non conferebant.

Inst. Ex concessis promissa æterna sunt fidei appendices: sed fides utrique fœderi est ex æquo propria. Est enim fœderi Abrahamitico propria, ut conceditur, quia hanc Deus Abrahæ promisit & dedit. Atqui pariter fidem illam genti Judaicæ per Moysen promisit & dedit. Uno verbo fœdus Abrahamiticum Judæis non potuit applicari per legem Mosaicam quin fœdus illud ipsis fieret proprium; ergo nec quin fides esset ipsi propria: ex quibus sic concludo. Promissa æterna sunt fidei propria: sed fides utrique fœderi est ex æquo propria: ergo.

R. n. min. Fides erat quidem fœderi Abrahamitico quoad primam sui partem pro-

propria; erat enim ejus veluti fundus & substantia, sed ex hac parte pertinet ad fœdus novum, immo illud idem est. At fides non erat sic legi Mosaicæ propria. Certum est quidem promissionem Abrahæ factam incorporatam fuisse legi Mosaicæ: at cum ea circumstantia ut semper remaneret fœdus Abrahamiticum, non vero fieret unicum fœdus Mosaicum & tum illud fœdus, tum fides ipsi propria vigeret vi solius legis & auctoritatis Mosaicæ. Nam fides in Christum novo fœderi magis propria est quam fœderi Abrahamitico; magis etiam propria erat fœderi Abrahamitico quam Mosaico. Attamen cum pars primi fœderis transierit in secundum, posterius fœdus eadem dici debet sanctione donatum, ac prioris pars illa, seu lex Mosaica dici debet sancita in pœnis & præmiis æternis quoad illam partem.

Inst. Ex dictis promissa æterna non erant propria legi Mosaicæ nisi ratione fidei quæ promissa illa sola vi sua & habebat & conferebat: sed fides potius ad fœdus Abrahamiticum quam ad legem Mosaicam pertinebat. Ergo legi Mosaicæ quatenus Mosaicæ promissa æterna non erant propria. Ergo lex Mosaica ut talis non erat sancita in pœnis & præmiis æternis, sed tantum temporalibus.

R. c. totum. quoad ult. conseq. Si per legem Mosaicam qua talem intelligatur illud tantum quod ex solius Mosis auctoritate viguerat, quodque antiquo fœderi per se solum nomine Dei addiderat, fatemur & jam concessimus legi sic intellectæ fidem & consequenter promissa æterna non fuisse propria. At prima pars legis Mosaicæ longe diversa erat. Fœdus spiritale sanciebat, licet jam antea stabilitum fuerit: verum est nihilominus prius illud fœdus fuisse genti Judaicæ auctoritate & ministerio Mosis applicatum & legi ejus insertum. Brevius dicam; certum est Deum ministerio Mosis illud fœdus iniisse cum Judæis ministerio Mosis quod antea immediate & per se solum cum Patribus pepigerat. Quidquid pertinet ad primum fœdus, pertinet ad secundum. Hinc quoad primam partem nullum erat essentiale discrimen inter fœdus Abrahamiticum & N. T. Nam docent omnes Theologi Patriarchas illos fuisse vere Christianos; immo justi omnes sub lege scripta vi fœderis Abrahamitici legi Mosaicæ inserti ad Religionem Christianam pertinebant, ut omnes docent PP. & Theologi. Itaque fides propria erat legi Mosaicæ, quia ipsi junctum fuerat fœdus Abrahamiticum cui propria erat. Non sic de Religione Christiana.

Inst. Certum est legem Mosaicam olim aliquando abrogandam fuisse nec æterno duraturam; sed cum illa abrogatione non possunt conciliari principia huc usque stabilita, seu positis semel illis principiis nulla afferri potest legis Mosaicæ abrogandæ causa & ratio. Si enim homines ad bona spiritualia per proportionata media sufficienter ordinabat; si bona & mala supernaturalia sibi annexa habebat, jam nulla ratio alterius stabiliendæ Religionis. Quid enim praecelleret nova illa Religio? Christiana sane nihil sibi prætendit quod non sibi vindicet lex Mosaica. Itaque sic resumere juvat: illud admitti non debet quo posito nulla afferri potest abrogandæ legis Mosaicæ causa & ratio: atqui posita prædicta sententia res ita est. Ergo.

R. dist. maj. Illud admitti non debet quo posito nulla posset dari ratio legis Mosaicæ abrogandæ quoad omnia, quoad omnes suas partes: c. quoad aliqua: n. Itaque fateor quod posita nostra sententia, nulla possit afferri ratio abrogandæ legis Mosaicæ quoad primam partem fœderis Abrahamitici quam repræsentat; sed fatendum est partem illam sicut legem naturalem quæ ejus legis partem moralem constituit, nunquam futuram fuisse abrogandam. Quantum ad alteram partem ejusdem legis cum in pœnis & præmiis tantum temporalibus foret sancita, aperta est futuræ aliquando abrogationis causa. Ordinabat enim ad bona spiritualia, sed non vi sua, nec per proportionata media sibi propria; gratiam enim conferre non potuit, ac proinde per se non sufficiebat. Ita S. Thom. 1. 2. q. 98. art. 1.

Inst. Ideo legi Mosaicæ annexa erat æterna sanctio, quia repugnat Judæos ad mortem usque obstinatos fuisse pro lege quæ non nisi temporalia aut promit-

mittebat, aut minabatur: atqui hæc ratio nulla est. Nam parti cæremoniali nulla erant annexa æterna: atqui tamen pro lege sua quoad hanc partem Judæi erant ad mortem usque obstinati. Ergo.

R. dist. secundam maj. Bona spiritualia non erant annexa parti cæremoniali per se & ratione sui: c. per accidens & ratione alterius: n. Primæ parti legis Mosaicæ annexa erant supernaturalia per se; quia fides in Christum hujus partis substantiæ suo jure bona illa possidebat: sed quoad secundam partem bona habebat tantum per accidens hoc sensu quo quilibet eas cæremonias servaret, fide per dilectionem operante vitam æternam consequeretur; qui vero eas violaret ex peccato, contra legem moralem pœnas æternas incurreret. Hoc noverant Judæi. Præfatum porro quod hic impugnatur argumentum non eo collimabat ut probaret sanctionem æternam fuisse legi Mosaicæ per se debitam, sed ut evinceret eam ipsi deberi quocumque tandem modo. Valet eo in casu quo nulla fuisset omninò nisi temporalis sanctio, nihil obtinet si adsit sanctio æterna, undequaque tandem succedant bona spiritualia.

Quæres forsan utrum fœdus Abrahamiticum bona & mala alterius vitæ docuerit clare, explicite, expresse & formaliter.

R. 1. Has voces non esse omnino synonimas. Illud clare exprimitur quod facili attentione deprehenditur utpote enuntiatum verbis obvio, simplici & genuino sensu usurpatis. Expresse illud enuntiatur quod positive & diserte dicitur verbis quæ primo suo conceptu ac directe rem significant. Explicite autem illud enuntiatur quod secundum primarium suum conceptum, per se nec in alio manifestatur. Denique illud formaliter docetur quod immediate & totidem terminis exprimitur. Expresse & formaliter idem sonare videntur, expresse autem aliquando cum clare confunditur. His positis.

R. 2. Fœdus Abrahamiticum clare exprimere bona & mala æterna. Clarum est enim & apertum nullum alium sensum suscipere verba quibus exprimuntur.

R. 3. Eadem bona in illo fœdere non exprimi formaliter. Totidem enim terminis non enuntiatur vita æterna.

R. 4. Eadem bona exprimi & non exprimi simul expresse & explicite. Opus enim est ratiocinio ut deducantur, sed adeo brevi, obvio & facili ut vix remorari possit.

Obj. 4. contra IX. Conclus. Nihil evincunt allata argumenta ad probandum Judæos futurorum cognitionem hausisse ex lege. Unum ex illis argumentis ex eo desumitur quod cum cæteri omnes populi hac instructi essent cognitione, probabile non sit vel Deum, vel Moysen ipsum hanc Judæis substraxisse; jam vero nullius est roboris hoc argumentum. Namque Deus potuit in lege Mosaica altum silere de futuræ vitæ promissionibus ea de causa quod cum jam aliunde Judæis notæ essent, inutile omnino erat de iis eos erudire. Deus ergo non inde Judæos hac cognitione defraudasset; sed abstinuisset a re inutili. Ex his sic argumentor. Ideo probabile non est legem Mosaicam omnino silere de promissionibus æternis, quia probabile non est Deum aut Mosen voluisse Judæis hanc cognitionem substrahere: atqui nec Deus, nec Moyses hanc cognitionem inde substraxissent Judæis, sed tantum abstinuissent a promulgatione rei jam apud Judæos notissimæ, & abstinuissent ab illa promulgatione tanquam ab inutili. Ergo non inde substraxisset hanc cognitionem.

R. 1. Retorqueri posset hoc argumentum. Si enim Deus aut Moyses abstinere potuerunt a futurorum promulgatione quod jam antea Judæis forent notissima, potuissent ergo silere de omnibus Decalogi præceptis; jam enim notissima erant Judæis tum ex rationis dictamine, tum ex divina revelatione & traditione.

R. 2. c. tot. argumentum. Quod hic impugnatur est tantum argumentum præsumptionis. E contra objectio præsens evincit tantum Deum absolute loquendo potuisse de altera vita silere; utpote jam nota; quod in præsentiarum & argumento proposito non negamus. Sed ex eo quod Deus absolute loquendo alteram vitam potuerit reticere, quia jam nota erat,

erat; non probatur Deum præsumi non debere de ea locutum fuisse, dum per Mosen Judæos suas voluntates speciales & extraordinarias doceret: evinci tantum potest Deum pauca habere dicere potuisse, nulla vero debuisse, minime.

R. 3. n. min. quoad utramque partem; & dico 1. alteram vitam, licet fuerit jam tum ratione, cum revelatione nota, debuisse promulgari in lege Mosaica. 1. Ex scopo Dei qui per legem Mosaicam sibi proponebat concessæ revelationis conservationi subservire & invigilare. Ut ergo scopum illum assequeretur Deus, debuit futuram vitam, licet jam notissimam, fovere, nutrire & conservare ac proinde astruere ac promulgare per legem Mosaicam. Ut autem hoc præstaret Deus, voluit revelationem primitus concessam ac consequenter alterius vitæ dogma scriptis mandare; ergo, &c. 2. Ex natura legis Mosaicæ. Cum enim lex illa ea transcriberet & juberet quæ cum præsentis vitæ emolumentis vix consociarentur, debuit etiam manifestare qua mercede vel pœna proportionata hæc urgeret; ac proinde docere sanctionem ultra hanc vitam superstitem. Debuit enim proponere motiva implendæ obligationi prævia. Sola altera vita erat tale motivum.

Dico 2. Alterius vitæ dogmatis promulgationem non fuisse inutilem, ac consequenter Deum non potuisse ab ea abstinere tanquam a re inutili. 1. Promulgatio & transcriptio illa non erat inutilis respectu legis naturalis, quam lex Mosaica evolvebat & explanabat. 2. Non erat etiam inutilis relative ad revelationem cujus oblivionem & alterationem præcavebat: hinc concludo Deum verisimiliter debuisse hoc dogma docere per Mosen. Namque hanc promulgationem multæ exigunt rationes, nullæ vero detrectant: porro verisimile est Deum non tacuisse id quod nullæ detrectant rationes, multæ vero postulant. Ergo.

Inst. Non valet argumentum desumptum ex Abrahamatici fœderis natura & conditione. Fatentur enim plerique Theologi SS. PP. & Interpretes mortem circumcisionis violatoribus comminatam esse tantum temporalem. Ergo fœdus Abrahamiticum non erat supernaturale, nec docebat bona alterius vitæ.

R. 1. n. conseq. Probaret istud argumentum fœdus Abrahamiticum non habuisse sibi per se annexa bona supernaturalia; aliud vero est bona illa sibi per se annexa & propria habere, & aliud ea docere.

R. 2. dist. Fatentur mortem tantum temporalem fuisse quantum ad pœnam prævaricationis externæ: c. quantum ad pœnam prævaricationis internæ: n. Prævaricatio interna est motus voluntatis quo lex rejicitur: certum est quod hic agatur de prævaricatione tantum externa, seu de actu externo præcise & sine ullo respectu ad internam voluntatis deliberationem. Nam agitur de infante octo dierum qui hujus deliberationi capax non est. At vero aliam mortem violati fœderis pœnam fuisse, testis est S. Aug. supra laudatus; testis est Scriptura S. *Ego ero merces tua magna nimis. Ego ero Deus tuus*. Jam vero observati fœderis mercedem proponere non potuit quin ejusdem violati pœnas minaretur. Ergo cum illas ultra hanc vitam extenderet, & has etiam in alterum ævum protendere debuit.

R. 3. dist conseq. Fœdus Abrahamiticum non erat supernaturale quoad omnes suas partes, c. simpliciter, & quoad ullam sui partem, n. Ut aliquod fœdus sit supernaturale, necesse non est, ut tale sit quidquid complectitur; sufficit ut una ejus pars supernaturalia complectatur. Porro fœderis Abrahamitici pars una, immo præcipua talis erat.

Inst. Non valet argumentum deductum ex relatione fœdus Mosaicum inter & Abrahamiticum. Nam sequeretur ex illo argumento legem Mosaicam bona alterius vitæ non solum implicite, sed expresse & clare docuisse, immo fœderi Mosaico per se annexa & propria fuisse; tale enim erat fœdus Abrahamiticum ut bona alterius vitæ doceret explicite & propria sibi haberet. Unde sic resumo. Ex præfato argumento sequeretur legem Mosaicam futuræ vitæ bona docuisse expresse & sibi propria habuisse.

buisse. Ergo illud argumentum nimis ac consequenter nihil probat.

R. dist. ant. Ex præfato argumento sequitur legem Mosaicam... quoad primam sui partem : c. quoad secundam : n. Legis Mosaicæ prima pars fœderis Abrahamitici primam partem repræsentabat : ergo cum fœderis Abrahamitici prima illa pars doceret explicite bona & mala alterius vitæ, eadem eodemque modo repræsentat lex Mosaica in prima sui parte. Ad plenam solutionem duo hic observanda ducimus; 1. quando dicimus fœderi Abrahamitico annexa esse per se alterius vitæ promissa & ea expresse docere, intelligimus primam hujus fœderis partem quæ continebat, *Ambula coram me, & esto perfectus*. Gen. 17. Hæc Deus ex parte sua exigit quæ ad duo reducuntur, ad fidem perfectam nempe & ad omnimodam legibus & voluntatibus Dei obedientiam. Deinde addit Deus : *In te & in semine tuo benedicentur omnes gentes ut sim Deus tuus & seminis tui post te*. Gen. 12. & 17. Hæc promittit Deus ex sua parte. His circumscribitur prima pars fœderis Abrahamitici, spiritualis nempe & supernaturalis. Deus exigit fidem & obedientiam, promittit gratiam & vitam æternam. Abraham primus per fidem justificationi participavit : *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*. Itaque fœdus Abrahamiticum per se annexa habebat illa bona vel mala, quia fides in Chr. totius justificationis radix & fundamentum & promissio vitæ æternæ vi fidei adipiscenda erant huic fœderi annexa. 2. Quando dicimus legem Mosaicam hoc posito eadem & docere & annexa habere, intelligimus legem illam non per se & vi sua sola ac independenter a quocumque alio adjuncto, sed ratione alterius fœderis sibi adjuncti & inserti; per se tamen eo ipso quo fit unum & idem fœdus cum eo quod ipsi inseritur; non vero quod Moses sola sua authoritate, licet divina, novas & antea inauditas promissiones superaddiderit. Sic promisit terram Chanaan, cujus promissio vim habebat, non præcise aut potius unice ex lege Mosaica, sicut certæ quædam aliæ comminationes & promissiones, sed ex lege tamen illa, quia renovabat, obfirmabat & applicabat toti populo Israelitico factam antea Abrahæ & semini ejus promissionem. Solutionem absolvo interrogando an lex Mosaica terram Chanaan promiserit per se, nec ne. Adversariorum responsio mea erit pro bonorum spiritualium promissione.

R. 2. Ut posset asseri legem Mosaicam æterna proposuisse explicite, & expresse, deberet proferri aliquis textus, c. ut posset asseri legem Mosaicam æterna proposuisse implicite, deberet proferri aliquis textus, n. Ideo necessarius esset textus in hanc rem expressus quia ageretur de expressa declaratione & promissione. Sed nullus talis textus necessarius est, immo nullus talis esse potest, ubi agitur de declaratione implicita. Lex Mosaica promulgando, & Judæis applicando fœdus Abrahamiticum, ea deinde stabiliendo, & docendo principia cum bonis æternis connexa, denique bona illa figurate, & metaphorice quidem, sed litterali sensu proponendo, docebat sufficienter quidem relative ad Hebræos jam aliunde edoctos, sed tamen implicite bona futura; Judæis arguentibus Messiæ venturi dogma non esse sufficienter in veteri lege propositum quia non erat clare, sed figuris involutum exhibetur, quid exhiberetur? Id nos præsenti dicemus argumento.

Inst. Atqui argumentum illud probaret præmia æterna esse legi Mosaicæ annexa & vi legis hujus successura. Nam ex dictis Deus promittendo se fore Deum alicujus promittit ei præmia æterna : sed Deus promittit se fore Deum Israelis vi legis Mosaicæ. Ergo lex Mosaica præmia illa annexa sibi habuisset per se & vi sibi propria.

R. n. min. Deus enim promittit se fore Deum Israelis vi juramenti quod juraverat ad Abraham. *Deuter. 7. 7. 8.* Promittit Abrahæ Deus se fore Deum ejus per fidem in Chr. quæ 1. fœderi Abr. præcipue vero N. T. pertinebat.

Inst. Nihil movet argumentum desumptum ex eo quod lex Mosaica doceat virtutes eximias ac consequenter debeat doce-

re

re præmia his virtutibus germana. Necesse enim non est ut virtutum praxis & merces eodem signo ac instrumento manifestentur; sufficit ut Legislator utrumque proponat quacumque tandem via id faciat: porro Deus jam præmia eximiis virtutibus addicta Judæis proposuerat per revelationem Patrum traditione firmatam. Unde sic urgere licet. Ut Deus virtutes eximias a Judæis exigat, sufficit ut præmia his adjudicata ostendat quacumque tandem via & modo: atqui Deus Judæis ostenderat alia via quam per legem Mosaicam præmia his virtutibus retribuenda. Ergo.

R. n. maj. Nam ex dictis lex Mosaica est promulgatio revelationis extraordinariæ patribus factæ, est quædam revelatio specialis genti Judæorum facta: jam vero lex Mosaica hanc revelationem promulgare non poterat, quin simul promulgaret sanctionem huic revelationi germanam; tum quia hæc duo secum invicem connexa sunt, tum quia alias suspicari potuissent Judæi sibi non parata esse illa præmia, & mirari silentium erga se; tum quia, ut jam dixi, revelatio scriptis ideo mandanda erat ut tutius conservaretur & facilius memoriæ recurreret. Sed eædem rationes militant pro fide futurorum.

Inst. Nihil probat argumentum deductum ex Dei erga Judæos providentia & promissionum ejus effectu. Supponit argumentum illud justos V. T. ex illis promissionibus, si temporales sint, rerum omnium terrenarum copia affluere debuisse: atqui istud gratis supponitur: ergo.

R. n. min. Ex fœdere Mosaico, id est, ex fœdere Abrahamitico per legem Mosaicam promulgato, & Judæorum genti applicato, Deus promittit tandem aliquando fore bonos inter & malos splendidam et apertam distinctionem. Ergo si distinctio illa terrena bona tantum spectet, promittit Justos rerum terrenarum copia, læta ac conspicua fortuna potituros esse. Ergo non gratis supponitur Justos ex illis promissionibus, si terram spectent, rerum omnium terrenarum copia affluere debuisse. Et vero Christo ipso interprete hæc verba, *Ego sum Deus Abraham....* spectant resurectionem. Ergo non simplex necessarium, sed aliquid splendidius.

Inst. Atqui gratis supponitur Justos V. T. ex ejus promissionibus, si temporales sint, rerum omnium copia affluere debuisse. Quamvis enim promissiones illæ temporales sint, earum executio id tantum exigit quod compatitur cum providentia ordinaria; erant enim ejus appendices & intelligendæ sunt sub hac conditione, quantum patitur ordo providentiæ ordinariæ. Porro omnium temporalium copia non semper compatitur cum providentia ordinaria. Ergo promissiones illæ non important secum absolute rerum omnium temporalium affluentiam. Unde sic in forma. Promissiones Judæis factæ ex lege Mosaica intelligendæ sunt in quantum compatiuntur cum providentia ordinaria: atqui cum providentia ordinaria non semper compatitur bonorum omnium temporalium affluentia. Ergo Justi V. T. ex illis promissionibus, si temporales sint, bonorum omnium temporalium copia affluere non debuerunt. Ergo istud gratis supponitur.

R. n. maj. Et dico promissiones V. T. non intelligendas esse cum apposita exceptione, nec esse appendices providentiæ ordinariæ tantum. Constat enim 1. ex contextu promissiones illas esse absolutas & pendere ab unica conditione, modo nempe executioni demandentur Dei præcepta. Ergo quoties conditio illa posita est, toties impleri debuissent & effectum suum sortiri; alias Deus debuisset aliam adhuc exprimere conditionem. 2. Constat promissiones quæ vi legis Mosaicæ aut fœderis Abrahamitici obtingere debebant, oriri a providentia speciali & extraordinaria & hujus appendices esse. Cum enim promissiones illæ supponantur legi Mosaicæ sanctiones, hoc ipso ordine dicunt ad providentiam extraordinariam ac specialem; fœdus enim illud erat speciale cum Judæis, & iis promittebat quod aliis gentibus non pollicebatur. Ergo promissiones Israeli factæ ex lege, qualescumque sint, sunt speciales. Ergo exigunt medium suæ executioni proportionatum, ac proinde providentiam extraordinariam. Ergo si temporales sint,

debent distribuere bona terrena ex providentia extraordinaria. Deinde legis sanctio niti debet Ligislatoris voluntate speciali. Ergo si bona temporalia sint legis hujus sanctio, debent Judæis succedere vi legis & ex voluntate speciali: sed voluntas specialis ordinem dicit ad providentiam extraordinariam. Nihil promisisset Deus aut Patriarchis aut Israelitis eorum nepotibus singulare ac proprium, si nihil nisi quod fluit ex providentia ordinaria; omnibus enim hominibus idem promittit. Ergo. Et certe promissiones generales eodem modo exprimuntur ac illæ de quibus agimus: sed promissiones generales non erant appendices providentiæ ordinariæ, sed specialis, qua semper divinitus recti sunt Judæi. Diversa procul dubio erat illa providentia ab ea qua Deus alias gentes regebat.

Inst. Atqui promissiones illæ intelligendæ sunt cum proposita conditione. Præsens difficultas spectat conciliandas promissiones cum earum executione, & in eo tota consistit quod si temporales sint, jam suum effectum non fuerint sortitæ eo modo quem postulat summa Dei veracitas, quia scilicet absolutæ videntur. Urget enimvero allata responsio impletas non fuisse illas promissiones, si temporales sunt; & impleri debuisse independenter ab ulla conditione quia absolute enuntiantur. At vero manifestum est absoluto sensu intelligendas non esse si subaudienda sit præfata conditio. Porro subaudiendam esse facile probari potest. Evidens est enim, nec quisquam negat primarium & obvium sensum verborum esse rerum temporalium; disputatur an verbis grammaticalibus hærendum sit. Pariter absolutæ videntur promissiones, & quæritur utrum cortici litteræ standum sit. Si leges consuetæ, si subjecta materia, si denique omnes circumstantiæ exigant & importent aliquam conditionem nativam & obviam, ea profecto subaudienda est. Porro cum ex concessis sensus quem verba præ se ferunt, sit aperte rerum temporalium, & ex concessis etiam promissiones temporales veraces esse non possint nisi subaudiatur conditio, ea certe subintelligenda est quam exigit subjecta materia; nativus enim verborum & primarius sensus alio trasferri non debet sine gravissima necessitate & ratione: ergo cum conditio quæ subjectæ materiæ magis congruit, sit exigentia providentiæ ordinariæ, ea est apponenda. E contra responsio supponit hic agi de bonis spiritualibus hoc solo titulo quod alias impletæ non fuerint & aliunde sint absolutæ. Ergo probatur eas non esse temporales quia sunt absolutæ. Ergo magis evidens esse deberet eas esse absolutas quam temporales. Porro licet evidens sit eas non esse temporales si sint absolutæ, non est tamen evidens eas non esse temporales. Immo conceditur primarium verborum sensum esse evidenter temporalium. Unde in tantum promissiones illæ absque prævia conditione essent accipiendæ in quantum evidens esset eas non esse temporales: sed nedum evidens sit eas non esse temporales, immo longe magis evidens est eas tales esse, utpote iis enuntiatas verbis quæ primo & obvie sensum temporalium evidenter præ se ferant. Ergo temere non est opposita præfata conditio. Sic itaque probo promissiones V. T. intelligenda esse cum apposita conditione. Illa conditio subaudienda est quam evidenter exigit subjecta materia: atqui præfatam conditionem evidenter exigit subjecta materia. Nam evidens est primarium verborum sensum esse temporalium. Ergo subjecta materia evidenter exigit præfatam conditionem.

R. n. min. Ideo enim volunt præfatam conditionem exigi ex subjecta materia quia supponunt nullam aliam hic esse materiam, nisi obvium & nativum sensum temporalium, id est, nisi verba & clausulas quæ obvie exprimunt & sonant temporalia; quod falsum est. Nam 1. diximus legem Mosaicam esse promulgationem fœderis Abrahamitici. 2. In fœdere Abrahamitico duas partes, seu duplicis generis promissiones distinximus. Alia nempe spiritualis, alia temporalis promissio. Illa exprimitur, tum his: *ut sim Deus tuus*, tum benedictione omnium gentium; posterior vero in possessione terræ Chanaan. Consequenter duplex promissio Judæis facta est a Moyse, una spiritualis, carnalis altera,

tera, & ad posterioris evolutionem multa addita sunt ex lege quę vi legis Mosaicæ solius Judæis contingere debebant. Ergo falso supponitur nullam hic subjici materiam nisi verba quæ obvio sensu terrena exprimunt.

Inst. Atqui promissionibus illis apponenda est præfata conditio. Nam eodem sensu possunt & debent intelligi promissiones V. T. Si temporales sint, quo hæc promissio Matt. 6. *Quærite .... primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*: atqui hæc verba intelligi debent cum præfata conditione, nec important Justos omnes res ad victum necessarias certo & infallibiliter habituros etiamsi obstaret providentia ordinaria. Ergo a pari de promissionibus Veteris Testamenti.

R. n. maj. Ex dictis enim præsertim in ultima proxime solutione falsum est in omnibus V. T. promissionibus agi de bonis terrenis; hic autem evidens est agi de illis bonis. Ergo promissiones Matt. debent accipi cum exceptione assignata, non item omnes Veteris Testamenti promissiones aut debent esse temporales, aut cum exceptione intelligi; cæterum duplicis generis distingui debet legis observatio, una exterior, quæ in externo & sensibili opere consistit; altera interior quæ omnimodam sui abnegationem & Dei dilectionem & totius hominis immolationem importat; bona æterna sola erant merces observationis interna. Nulla enim est proportio inter bona terrena hujus vitæ durationi circumscripta, & sui abnegationem; immo abnegatio sui directe opponitur bonorum fruitioni & eam arcet ac impedit.

Inst. Atqui promissiones Veteris Testamenti appendices erant providentiæ ordinariæ. Vel enim res ita est, vel promissiones illæ impleri non potuerunt sine perpetuis miraculis: atqui sane promissiones Veteris Testamenti impleri potuerunt & debuerunt sine miraculis. Ergo promissiones illæ appendices erant providentiæ ordinarię. Ac consequenter important tantum ut quo quisque legis observantior esset, eo communiter ac ordinarie secunda magis uteretur fortuna. Ergo non supponunt rerum temporalium copiam Justis affluere.

R. 1. transeat totum argumentum. Totum enim istud argumentum supponit, non probat, promissiones Veteris Testamenti carnales esse. Incommoda enim mox in objectione recensita urgent & occurrunt tantum in objectionis propositæ hypothesi. Etenim v. g. si promissionum temporalium executio non compatiatur cum providentia ordinaria, nec fieri possit sine perpetuis miraculis, hinc sequitur promissiones illas non fuisse mere terrenas & carnales.

R. 2. n. maj. Et dico promissiones Veteris Testamenti providentiæ extraordinariæ appendices fuisse, & tamen impleri potuisse sine miraculis. Deus enim fortiter & suaviter omnia disponit, nec ad miracula cogitur, ad exequendum id quod omnino concipit. v. g. Captivitatem Babylonicam comminatus est & reditum ex eadem captivitate promisit, utrumque exequutus est ex providentia extraordinaria ac speciali, sed servato naturali rerum cursu & ordine. Quidquid sit de illa miraculorum necessitate, observare liceat duplicis generis promissiones occurrere in Veteri Testamento, alias generales totique Judęorum societati factas, alias speciales & personales, ac unicuique personæ hoc vel illud facienti proprias. v. g. Promissio reducendi Populum e captivitate Babylonica est promissio generalis. At vero promissio de qua habet objectio, qua justus quilibet eo lætiori fortuna potiri debebat, quo legis observationi magis esset addictus, promissio, inquam, illa est particularis. Observ. deinde promissiones illas sive generales, sive personales eodem modo & absolute exarari in lege Mosaica. His positis, sic argumentor. Ad promissorum generalium executionem necessaria erant miracula vel non. Si necessaria fuisse dicantur miracula, ergo ad miracula tenebatur Deus. Cum enim promissiones illæ forent absolutæ, Deus eas faciendo, promittere censebatur miracula sine quibus promissiones impleri non poterant. Si vero necessaria non erant miracula, ergo nec necessaria erant ad promissionum particularium impletionem. Immo in hoc consistunt legis Mosaicæ promissiones, juxta ad-

versarios, quod unusquisque communiter & ordinarie eo lætiori fortuna uteretur, quo legis esset observantior. Jam vero 1. Falsum est promissiones illas in hoc esse reponendas ut communiter & ordinarie Justi læta fortuna potiantur. Promissiones enim illæ sunt absolutæ. Ergo non tantum communiter, &c. 2. Etiamsi in hoc consisterent, jam falsum esset fideli executioni demandatas esse.

Inst. Tota vis argumenti in conclusione supra propositi in hoc consistit quod cum promissiones illæ in singulis Justis quoad terrenam fortunam impletæ non fuerint, jam sua sanctione defraudata fuisset lex Mosaica, si agatur de promissionibus temporalibus: atqui promissiones illæ, etiam quoad terrenam fortunam, impletæ sunt in singulis Justis. Sic enim habet Psaltes Regius: *Junior fui, etenim senui, & non vidi Justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. Ex quo loco sic arguere licet. Teste Psalte Regio Justi nunquam caruerunt iis quę ad vitam sunt necessaria: atqui promissiones Veteris Testamenti spectant tantum ea quæ ad vitam sunt necessaria: ergo.

R. 1. n. maj. Psaltes enim non dicit: Justus nunquam derelictus est, sed non vidi Justum derelictum.

R. 2. n. min. Et dico promissiones Veteris Testamenti non spectare tantum res ad vitam necessarias; nam Deus promittit aliquid conspicuum, excellens ac splendidum. Jam vero tali promissioni non sufficit ut Justus habeat præcise res ad vitam absolute necessarias. Et vero idem objectum habent, proportione servata, promissiones generales ac promissiones speciales: atqui promissiones generales non spectant tantum res absolute necessarias toti genti, sed quid splendidum ac eximium. Ergo nec promissiones speciales spectant tantum res ad vitam singulis Justis necessarias.

Inst. In responsionibus huc usque allatis semper supponitur promissiones Veteris Testamenti esse absolutas & oriri ex providentia extraordinaria, & simul spirituales esse: porro inde sequitur absurdum. Cum enim promissiones illæ legi sint propriæ, jam sequitur Judæos bona spiritualia consequutos esse vi legis; deinde cum promissiones illæ legi Mosaicæ & Judæis forent propriæ, sequitur Gentiles bona spiritualia assequi nusquam potuisse: atqui utrumque absurdum est: ergo.

R. n. min. Et dico incommoda & absurda mox opposita ex nostris responsionibus sequutura, si promissiones illæ eo sensu legi Mosaicæ forent propriæ quod lex illa præfata bona promitteret & daret vi sibi propria. Porro contrarium docent responsiones allatæ. Itaque 1. lex Mosaica promittebat quidem bona spiritualia, seu potius docebat ea a Deo promitti, sed docebat simul bona illa non esse assequenda vi fœderis Mosaici. Hæc enim duo simul & ex æquo insinuabat & docebat, nempe Messiæ adventum, & bona spiritualia per eum esse retribuenda. 2. Lex Mosaica Judæis erat propria; ac consequenter modus quo vitæ futuræ bona cognoscebant, ipsis etiam erat proprius ac singularis. Immo ipsis facta fuerat promissio personalis: *quorum est promissio*, inquit Apost. At inde non sequitur Gentiles horum bonorum participes esse non posse; immo horum possessio ab Abraham per semen ejus ad gentes pervenire debebat. Hæc duo tantum sequuntur ex nostris responsionibus, & in his duobus nihil est absurdum.

Inst. Dum Reges civiles temporalia præmia decernunt legum suarum observatoribus, nihil agunt Regia majestate indignum, rem illicitam non perpetrant, nec cupiditati fomitem addunt. Ergo a pari Deus quatenus Rex temporalis potuit eadem præmia temporalia promittere, nec tamen inde cupiditatem accendere. Locuples enim substantia non est per se mala.

R. n. conseq. & parit. Disparitas est quod civiles Principes civilem & terrenam tantum utilitatem intendant; Deus vero, utpote auctor gratiæ, aliud longe diversum & excellentius suis legibus sibi proponat. Civilium Principum administratio tota naturalis est, naturalisque ordinis; e contra vero œconomia & lex Mosaica est supernaturalis constitutio, ex probatis. Principes terreni fini suo, id est terrenæ utilitati proportionata bona etiam ut præmia proponendo, nihil

agunt

agunt nisi quod eorum decet conditionem. Deus vero qui finem, id est, utilitatem cœlestem proponit, a scopo aberraret si terrena tantum præmia decerneret.

Inst. Atqui posita hac responsione cadit argumentum desumptum ex eo quod Deus temporalia unice proponendo cupiditati novas vires addidisset, & sic sanctitatem suam violasset. Ex concessis enim possunt licite Reges terrena proponere præmia: ergo id etiam potest Deus illæsa sua sanctitate, tum quia Reges temporales nihil legitime agunt si recedant a lege æterna, tum quia Deus erat Rex temporalis.

R. n. conseq. Jam attulimus disparitatem. Deus quidem erat Rex Judæorum temporalis, at id non erat solum; non dissimulamus Deum ut Regem temporalem potuisse terrena observationis externæ decernere; potuit etiam Judæos inescando iis proponere terrena bona ut incitamenta ad virtutem & internam legis observationem. Hinc eo tota devolvitur nostra responsio, nempe Deus, illæsa sua sanctitate, non potuit terrena proponere tanquam sola virtutis præmia. Cum enim lex supernaturalis sit, tali legi non congruunt temporalia ut unica sanctio. Cum Deus finem supernaturalem præcipue intenderet, media huic fini minus faventia Deus, utpote sanctus, eligere non debuit. Reges sua dona terrena proponunt ut incitativa ad virtutem.

Inst. Ideo Reges licite decernunt præmia temporalia, quia ea proponunt non tam ut præmia quam ut excitantia ad virtutem, & supponunt subditos vera virtutis præmia edoctos, ac proinde abusum horumce præmiorum. Jam vero Deus sufficienter eundem abusum præcavit: nam a nimio terrenorum bonorum amore perpetuo deterrebat; monebat esse esse verum felicitatis fontem. Concupiscentiam tum ex lege ipsa, tum ex revelatione primitus data reprimebat: jam vero, ut ait Sylvius, ea solum cupiditas rerum temporalium abducit a Deo qua plus vel æque concupiscuntur quam Deus. Quando autem bona temporalia moderate concupiscuntur, scilicet in ordine ad Deum, ea cupiditas non abducit a Deo. Unde sic in forma. Tunc non læditur sanctitas Dei cum bona terrena non proponuntur quatenus abducunt a Deo & præcavetur eorum abusus: atqui sic proponuntur bona terrena in lege Mosaica, etiam ut virtutis præmia: ergo non læditur Dei sanctitas.

R. n. min. Nam juxta oppositæ sententiæ patronos, proponuntur bona terrena ut unica observatæ legis præmia, altum siletur de bonis cœlestibus; jam vero bona terrena sic proposita non poterant non avocare a Deo. Ita enim & ea emphasi proponuntur ut cœlestium oblivioni locus daretur. Cæterum hocce argumentum magis directe eos ferit qui nulla alia volunt data a Deo præmia præter terrena; indirecte vero eos qui fatentur quidem alia fuisse virtutis præmia, licet sola fuerint ex lege proposita. Argumentum nostrum est quædam ratio convenientiæ. Scilicet cum lex Mosaica fuerit supernaturalis & cum Deus Judæos ad felicitatem eternam per eam legem deducere intenderit, non decebat ut ea constanter, uniformiter & unice proponeret pręmia quę magis idonea erant debilitando cœlestium amori, quam accendendo.

Inst. Atqui sic proponuntur bona temporalia a Deo, etiam quatenus pręmia, ut ab eo non avocent. Eo enim recidunt omnia huc usque allata ratiocinia ac si quis diceret: temporalia quę promittunt & decernunt Reges, sunt unica quę intendunt pręmia. Ergo sunt unica quę sibi proponere debent milites. Peccat sane hoc ratiocinium in eo quod Reges temporalia promittendo ęterna non excludant, immo supponant aliunde nota. Ita a pari lex Mosaica temporalia promittendo non excludit ęterna, immo ex Judęorum Religione jam ea cognita supponit. Hinc manifestum est ex lege illa, seu ex ejus de altera vita silentio Judęos ansam arripere non potuisse corda sua in temporalibus defigendi; aliunde enim, nempe ex sua Religione noverant alia esse pręmia. De illis cœlestibus pręmiis idem dicendum ac de gratia quę quidem non dabatur ex lege, sed tamen ab lege indigitabatur. Jam vero eo ipso quo Deus ęterna

non excludebat, immo & aliunde manifestabat, jam temporalia ut præmia prommittendo in lege Mosaica, Judæos aut a se, aut ab æternis non avocabat. Ergo. Hæc sic contraho. Ut temporalia non ita proponantur in lege Mosaica, etiam quatenus præmia, ut a Deo avocent, satis est 1. quod æterna præmia non excludat lex illa. 2. Quod præmia illa jam Judæis nota fuerint ex Religione ipsis propria: atqui hæc duo vera sunt. Ergo.

R. 1. n. suppositum hujus ratiocinii. Supponit legem Mosaicam esse œconomiam mere civilem a Judeorum Religione distinctam, quod gratis supponitur & solidis argumentis modo confutatum est.

R. 2. n. maj. Etiamsi lex Mosaica temporalia præmia unice proponeret ita ut æterna ex una parte non excluderet, ex altera vero aliunde cognita supponeret, temporalia tamen sic promittendo a Deo avocaret: tunc enim lex illa bona præfata proponeret nihilominus ut præmia; proponeret per se, proponeret unice: atqui hoc ipso a Deo avocaret: nam hoc ipso Judæos efficeret carnales & eorum animis maximam erga bona illa propensionem insereret. Si enim Deus æterna non aliunde manifestasset, si temporalia ubique & unice proposuisset, certo certius Judæos carnales effecisset: ergo cum per legem Mosaicam sic proponat, jam per legem, seu lex ipsa Judæos carnales facit. Et vero juxta difficultatis hujus patronos Deus spiritualia sub temporalium umbra involvendo & inde Judæos inescando eorum in temporalia propensionem fovisset. Ergo a fortiori vehementiori temporalium amore eorum animos accendisset, temporalia illa unice promittendo. Nec, ut iterum dicam, valet comparatio Deum inter & Reges civiles. Hi enim cum corpori eorum qui sunt in societate, invigilare tantum debeant, corpori propria bona tantum concedere debent; non ita de Deo qui est etiam pater spirituum. Cum Reges promovendis spiritualibus populorum commodis non colliment, sibi inde non opponuntur; non ita Deus. Denique Deus Regibus superior vetat ne bonis temporalibus inhæreant; hinc sufficienter monentur homines: non ita si Deus idem ex una parte a terrenis avocet, ex altera ad ea accendat: tunc quid agendum ignorant homines. Uno verbo Reges temporalia proponunt non ut unica virtutis præmia, sed ut unicam corporis mercedem.

R. 3. n. min. quoad primam partem. Lex enim æterna excludit eo ipso quo ea sola proponit: æterna enim nullo sensu promitti concluditur ex eo quod non promittantur explicite. Supponitur docere sola temporalia: ergo ex modo propositionis & indirecte excluduntur æterna in mente adversariorum. Non valet comparatio cum gratia. Nam gratia indigitatur in lege. Id unum porro volumus ęterna demonstrari ut pręmia, licet non darentur a lege, sicut nec gratia per eam dabatur.

Inst. Ponamus ex lege gratiam non solum non dari, sed etiam nec indigitari, in reatum certe non veniret, & modo gratiæ illius auxilium aliunde pateret: ergo a pari eo ipso quo futurorum notio Judęis patebat, legis silentium legi in crimen verti non potest.

R. n. conseq. In allata hypothesi Deus silendo gratiam aliunde certissime notam, sibi non opponeretur; at sibi contradicit ubi agitur de promissis. Dum enim ęterna silet, temporalia unice proponit; sed temporalia proponere non potest ut unica pręmia quin contradicat scopo sibi proposito Judęos a temporalibus avocandi & erigendi ad cœlestia. Potuit Deus non semper aut medium, aut motivum rei alicujus faciendę proponere, sed sicut, ex hypothesi quod proponat, medium a gratia diversum & ei contradictorium exhibere non potuit, sic nec eum debuit motivum motivo jam allato oppositum & ejus destructivum proponere. Ergo si bona ęterna vera virtutis pręmia ex Religione Judaica promisit, temporalia ut vera ejusdem virtutis pręmia ex lege Mosaica non potuit exhibere.

Inst. Promissa fœderi annexa ita debent esse clara & diserta ut ab utraque parte stipulante intelligantur: jam vero nativus verborum Mosis sensus indicat tantum bona temporalia. Ergo promissa spiritualia non ita sunt clara & diserta ut ab altera parte stipulante, Judęis nempe:

pe, intelligerentur. Ergo nullo modo exprimuntur.

R. 1. dist. maj. Promissa fœderi annexa vi solius fœderis ita debent esse clara, c. maj. Promissa fœderis annexa vi alterius in quo sunt clara & diserta ita debent.... n. maj. Itaque duplici modo promissa possunt esse alicui fœderi annexa. Vi fœderis illius solius, adeo ut fœdus illud sit illud solum quod promissa illa exprimat, promulget & complectatur. Tunc debent esse ex illo fœdere ita clara & diserta, ut ex utraque parte intelligantur. At res aliter se habet ubi promissa illa jam alteri quod posteriori inseritur & adunatur fœderi, annexa sunt & in illo clara & diser- Porro ad nauseam usque probavimus promissa æterna in fœdere Abrahamitico fuisse clara & diserta; deinde fœdus Abrahamiticum & Mosaicum unum & idem esse. Ergo.

R. 2. aliter dist. min. Nativus legis Mosaicæ sensus indicat tantum bona temporalia quoad secundam sui partem: c. quoad primam: subd. Quantum ad ea quæ ipse Moses addidit evolutionis gratia: c. quantum ad ipsam promissorum promulgationem: n. Itaque ut jam multoties dixi, in lege Mosaica, sicut in fœdere Abrahamitico duæ sunt partes quarum una temporalis est, altera spiritualis. Quoad primam & ejus adpendices ut circumcisio, judicialia præcepta, immo quoad signa externa Religionis, id est cæremonias, nativus sensus legis hujus indicat tantum bona aut mala temporalia & ad ea unice respexit Moyses, quia in his tantum pœnis aut præmiis erat Deo sic volente sancita. At vero quantum ad spiritualem partem, nativus sensus spiritualia indicabat eodem modo ac prima pars fœderis Abrahamitici quam recitabat & adoptabat: eam enim referebat eodem prorsus modo quo Abrahæ fuerat a Deo proposita. Quod si quandoque hæc promissa figuris involvit dum ea explanat divus ille Legislator, præcipue spiritualia bona semper intendebat, ac proinde sensus ille est litteralis ut patet Concl. V. Sicut Deus Abrahæ promittens seminis multiplicationem, sicut stellas cœli, principaliter intendebat vitam æternam in cœlis & prolis spiritualis multitudinem.

R. 3. n. ult. conseq. Ex eo quod Moses non explicite doceat bona & mala alterius vitæ, concludit objectio eum nullo modo ea docere, quod falsum est. Inter explicite & nullatenus docere datur medium, docere nempe implicite. Sic etiam falsum est Mosen unice ad temporalia respexisse, etiam in iis quæ antiquo fœderi superaddidit, seu in secunda sua parte. Sæpe enim, teste S. August. *l.* 4. Faust. *c.* 2. & *l.* 15. *c.* 10. & *Epist.* 140. ad Honorat. in illis temporalibus erant figuræ futurorum. Immo sæpe sæpius sensus figuratus transit in litteralem. V. Conclus. V.

Inst. Ex Judæorum Historia certum est constanter eos Deum modo propitium, modo immitem expertos fuisse pro sua erga legem reverentia, vel negligentia. Vid. *Jud.* 5. Ergo bona, vel mala in veteri lege promissa, sunt tantum temporalia.

R. dist. ant. Constat Judæos illud expertos fuisse quantum ad promissa generalia: c. Quantum ad promissa personalia: n. Duplicis generis promissiones distinximus, generales nempe & personales. Generales totam societatem Judaicam quatenus societatem spectabant; his promissionibus bona temporalia proponebantur, & fideliter ac constanter sunt impletæ. At præter promissiones illas generales, aliæ sunt particulares & personales quæ nimirum privatis & personis particularibus sunt addictæ, quæque non ita eventu sunt completæ, si semel dicantur respicere unice temporalia.

Inst. Ex concessis modo in ista responsione promissiones generales spectant bona temporalia, nec inde læduntur divina attributa. Ergo etiam ex temporalibus promissionibus, etiamsi speciales sint, non læduntur divina attributa. Deinde ex concessis etiam promissiones illæ generales constanti experientia fuerunt impletæ; jam vero impleri non potuerunt nisi in personis particularibus & determinate sumptis. Falsum est ergo salvari non posse Dei fidelitatem in promissis, si carnales sint & personales. Unde sic argum. Ex Concessis promissiones

ge-

generales temporales sunt, nec tamen læduntur divina attributa. Ergo ex concedendis promissiones speciales possunt esse temporales illæsis divinis attributis.

R. n. conseq. & parit. Disparitas est 1. quod promissiones generales, temporali sensu intellectæ constanti experientia executioni fuerint demandatæ. At e contra promissiones speciales nusquam quoad temporalia in omnibus impletæ fuernit ad quos personaliter factæ supponuntur. Ad id vero quod additur, promissiones temporales generales impleri non potuisse nisi in personis particularibus, evidenter falsum est. Tota enim societas aliqua potest esse opulenta, licet privata societatis membra modica aut etiam angusta fortuna utantur. 2. Disparitas est ex parte eorum quibus fiunt illæ promissiones. Si enim agatur de societatibus quatenus societates sunt, jam temporalia tantum iis promittere & largiri potest Deus; quia scilicet societates quatenus tales, ultra temporalis hujus vitæ terminos se non extendunt. Earum ergo conditio temporalia bona exigit, non ita de privatis; quod ergo societatibus temporalia tantum promittat Deus, hoc evenit ex societatis conditione & natura. Cæterum observa temporalia illa sive privatis, sive societatibus promissa, esse tantum virtutis incitamenta; nisi forte cum S. Augustino ea, præmia utcumque vocare velis.

Inst. Ubicumque Moses promissa fœderi annexa recenset, non modo æterna silet, sed & ea aliquando excludit; adeout ne unum Pentateuci locum assignare sit, in quo relative ad legem, æterna præmia commemoret Moses. Varii modi quibus exprimuntur illa promissa, ad duas classes reduci possunt. Prima: „ Ut prolongentur dies tui, ut multipliceris vehementer; ne disperdat te „ Dominus de terra, aut, ut possideas „ terram, ut diu vivas in terra quam ju„ ravit Patribus tuis, terram melle & la„ cte manantem." Hæc omnia altum silent, & qnidem implicite præ se ferunt vitam æternam. Secunda: proponuntur propositiones cum addito quod æterna excludit. Sic cum dicitur *Deut.* 4. „ Si.... decepti... feceritis vobis aliquam similitudinem.... testes invoco „ hodie cœlum & terram, cito perituros „ vos esse de terra.... atque disperget „ in omnes gentes, &c." Sic cum alicui additur: „ Ut bene sit tibi & filiis „ tuis post re usque in tertiam & quartam generationem." Manifestum est quod ibi excludatur cœlum. In eo enim non erit tertia aut quarta generatio; neque nubent enim, neque nubentur. Et præterea parentes filiis cœlestem patriam non merentur. Unde sic argum. Ubicumque exponitur legi Mosaicæ sanctio, non modo æterna silentur bona vel mala, sed eæ opponuntur clausulæ quibus excludantur. Ergo.

R. n. ant. quoad utramque partem. Recole probationes jam allatas & verba fœderis Abrahamitici Judæis directa. Fatemur itaque in textibus in objectione laudatis agi de sanctione temporali; sed 1. dicimus ibi enuntiari promissiones generales. 2. Negamus nullibi aliter proponi præmia virtuti debita.

Inst. Ut posset asseri legem Mosaicam æterna proposuisse, deberet proferri aliquis textus in lege in quo legis observationi æterna olim retribuenda esse doceretur: atqui nullus talis textus proferri potest. Ergo.

R. 1. n. maj. Etiamsi nullus occurreret textus expressus in promissiones alterius vitæ, potest tamen asseri legem Mosaicam æterna docere. Nam ex concessis ab iis qui diversam sequuntur sententiam, ex eo quod Patriarchæ & Prophetæ tenuerint dogmata cum hac veritate connexa, legitime probatur viros illos præsentem hanc veritatem tenuisse; ergo eo ipso quo lex Mosaica doceat illa eadem dogmata, jam dicendum est docere & alterius vitæ bona.

R. 2. dist. min. Nullus proferri potest talis textus distinctus a promulgatione primæ partis fœderis Abrahamitici: c. nullus potest proferri absolute: n. min. Saltem enim proferri potest ipsa promissio Abrahamo facta quæ quia a Moyse promulgata est, clara esse non desiit, nec facta est obscura.

R. 3. n. min. Non desunt enim textus in hanc rem absoluti: quos si hoc sensu non intelligamus, fortasse ex eo quod in

in lingua & stylo Judæorum parum exercitati eos genuino sensu non accipimus. Præter enim jam memoratos textus, ac præsertim Exod. 3. *Deus Abraham*, &c. Sit in exemplum Deuter. 32. 36. *Judicabit Dominus Populum suum & in servis suis miserebitur*: quem textum nunquam de altera vita forsan intellexissemus nisi horum verborum vim hanc esse genuinam docerent Machabæi 2. Macch. item ibid. *mea est ultio & ego retribuam*; quæ verba de altera vita intelligit S. Paul. Rom. 12. & Gebr. 10., 28. 29. 30. Sic Deuter. 3. 1.: *Et nunc Israel, audi præcepta & judicia .... ut faciens ea vivas*. Quæ verba de spirituali vita exponit Sap. 12. 13. & 14. 15. Ergo non admodum verum est deesse textus in rem nostram.

Inst. Cur ergo tam rara est de his bonis mentio in toto veteri testamento? Qua mente, quove consilio Moses ab his commemorandis adeo constanter abstinuit? Quasi vero non satis ad terrena propensi fuerint Judæi?

R. 1. Et dico duplici de causa sobrium fuisse Mosen in proponenda Judæis altera vita. Prima ratio desumitur ex circumstantiis in quibus versabantur Judæi. Etenim cum Moses pœnas & mercedes promulgaret, supponebat æternas Judæis jam ex anteriori revelatione & paterna traditione notas. Jam vero nulla urgebat necessitas, immo superfluum omnino erat iterum atque iterum inculcare rem notissimam ex jam vulgata revelatione & clara promissione, præsertim ubi revelatio & promissio illa inseruntur identificanturque legi & fœderi de quo agitur. Lex Mosaica si per se sola attendatur, erat primus gradus ad reformandum genus humanum, erat veluti prima machina ad amoliendam & evellendam idololatriam. Ante hanc legem, Religionem naturalem & superadditam ipsi revelationem conservarat quidem Deus in una familia; at latius grassante idololatria & tamen ex toto orbe exterminanda propaganda vero revelatione, voluit Deus populum instituere hujus revelationis testem ac custodem. Cum illa gente fœdus iniit quod cum Abrahamo inierat; sed ad conservationem illius fœderis multa addidit tum ad Populi hujus distinctionem & separationem ab aliis gentibus, tum ad terrorem vel inescationem ut attentius fœderis conservationi invigilarent: cum ergo intemerata fœderis initi primum cum Abrahamo, postea cum Judæis conservatio foret præcipuum motivum legis Mosaicæ quoad secundam sui partem quæ solius Mosis erat, scopo proportionatam sanctionem addidit, temporalem nempe solam.

Secunda ratio desumitur ex natura & conditione Judæorum. Infantes enim erant, ut ita dicam, Judæi quibus lex Pædagogus. Teneris autem adhuc infantulis non solidum proponit cibum pater, sed lac, saccarum & frustula, nec statim & unico intuitu omnes expandit paratos ipsis thesauros, sed paulatim ac maturo temporum intervallo. Messiæ promissi lux quædam apparuerat ante tempora Mosis; deinde œconomiæ Mosaicæ maxima pars cultu ad illum Messiam alludebat. Introducendo in mundum Filio Dei debebatur præmonitio ut & a suis & ab alienigenis reciperetur; at necessaria non erat lux ut in meridiano sole. Præterea lex Mosaica quoad secundam sui partem in servitutem generabat: servo autem non omnia heri secreta patefiunt; hinc non nisi obscure & implicite vitam æternam exprimebat in hac secunda parte. Eo unice collimabat lex illa ut spem insertam & ex priori revelatione conceptam nutriret & ad eam adipiscendam præpararet. Hinc iterum in promulganda vita æterna parcus erat Moses.

R. 2. multo magis exarsuram fuisse Judæorum in terrena propensionem si temporalia sola fuissent præmia.

Inst. Dogmata illa cum quibus connectebatur altera vita, sicut & præcepta Decalogi, seu moralia, non erant propria legi Mosaicæ; sed sola judicialia legem illam proprie sumptam constituebant. Ergo non ideo dicenda est lex Mosaica futuram vitam docere, licet traderet dogmata & præcepta huic connexa.

R. 1. esto ant. n. conseq. Dogmata & præcepta illa sint legi Mosaicæ propria nec ne, quid ad rem? Ut bona æterna promulget lex Mosaica, satis est

quod

quod ea promulget cum quibus connectitur alterius vitæ spes & promissio. Valeret argumentum si contenderemus futurorum cognitionem ex sola & unica lege Mosaica Judæis devenisse; vel vi legis hæc præmia obtigisse; at male inde concluditur æternam sanctionem nullo modo fuisse illa lege propositam & manifestatam. Independenter quidem ex lege Mosaica urgebant præcepta moralia sed urgebant etiam antecedenter ad revelationem & independenter ab ea. At tamen revelatio censetur & proponere & docere; ergo & lex censenda est tum præcepta moralia, tum eorum mercedes & pœnas in altera vita superstites docere.

R. 2. n. ant. Nam ut ait S. Tho. lex moralis, saltem aliquo modo pertinet ad legem naturæ, & etiam, ut notat Sylvius, ad legem veterem. Lex enim vetus erat legis naturæ & revelationis Patribus factæ promulgatio. Hinc Christus juvenem remittit ad legem ut ex ea præcepta moralia edifcat. Sicut Deus sui cultum, fidem, spem & caritatem ab Abrahamo expostularat, idem a tota Judæorum gente exigit lege Mosaica; ita ut sicut fœdus cum Abrahamo, ita lex Mosaica novum titulum, novum obligationis fundamentum adderet.

Inst. Ex una parte asseritur legem Mosaicam proprie sumptam nullam addidisse novam promissionem spiritualem; ex altera vero contenditur legem illam itidem proprie sumptam docere promissiones spirituales: atqui hæc duo sibi contradicunt. Ergo

R. n. min. Aliud est novam promissionem addere, & aliud jam factam promissionem docere. Secundum, non primum præstat lex Mosaica. Nihil aliud addidit nisi promulgare & scripto consignare quod primum viva voce tradebatur.

Obj. 4. Ex S. Paulo, discrimen inter Vetus & Novum Testamentum in eo consistit quod posterius in melioribus sancitum sit repromissionibus, nempe cœlestibus. Ergo non nisi in terrenis ac temporalibus præmiis & pœnis sancitum est Vetus Testamentum.

R. d st. ant. Quod in melioribus repromissionibus legi Christianæ propriis: c. In melioribus simpliciter: n. Disputat hic S. Paulus contra Judæos ad fidem conversos Jerusalem degentes, qui vexati a contribulibus suis ut hanc persecutionem declinarent, reditum ad Religionem Mosaicam meditabantur, fidentes ex ejus ritibus ac cæremoniis se eandem justitiam eademque salutis emolumenta faciliori negotio percepturos esse ex ritibus & sacrificiis Mosaicis, quam ex fide in Christum consignata per sacramenta & sacrificia novæ legis. Is ergo erat Judæorum error; nempe legi Mosaicæ per se & vi innata annexa esse eadem promissa æterna ac Christianæ professioni. Fingebant sibi Mosaica sacrificia & legales ritus posse per se & vi propria ac independenter a fide Christi & Sacramentis ac sacrificiis ejus conferre veram justificationem & vitam æternam. Id unicum ergo sibi proponere potuit S. Paulus, nempe legi Mosaicæ per se annexam non esse veram sanctificationem, sed fidei in Christum alligatam esse. Cum enim Judæi agerent de promissis legi Mosaicæ per se annexis, debuit & Apostolus agere de promissis legi Christianæ per se annexis. Ergo in eo discrimen illud reponit S. Paulus quod meliores illæ promissiones legi Christianæ & fidei in Christum propriæ essent & annexæ, non vero quod Vetus Testamentum nullo modo nulloque sensu promissa illa traderet. Manifestum est quod in præfato ratiocinio S. Paulus non legem Mosaicam totam & adæquate sumptam, sed secundam ejus tantum partem Novo Testamento opponat. Namque quam nominat legem, eam opponit Novo Testamento ratione fidei cui promissiones meliores ascribit: sed fides propria erat primæ partis legis seu fœderis Mosaici, eo ipso quo erat propria primæ partis fœderis Abrahamitici quod ipsi adunabatur. Ergo non opponebat ratione primæ partis; ergo ratione secundæ tantum partis, seu eorum quæ de novo & per se sola antiquo fœderi superaddiderat. Judæi enim agebant de secunda illa parte, nempe de cæremoniali quoad sacrificia quam fidei in Christum opponebant: ex sacrificiis, facilius quam ex fide promissiones celestes Abrahæ factas consequi se posse arbitrabantur. Probat Paulus promissiones illas ex sola fide in Christum esse adipiscendas.

Inst.

Inst. Atqui ex S. Paulo discrimen illud consistit in eo quod N. T. sancitum sit in promissionibus melioribus simpliciter, sive huic Testamento propriæ sint, sive non. Religionis Christianæ præ Judaica excellentiam probandam insumit Apostolus: atqui hanc excellentiam longe efficacius probat agendo de promissionibus simpliciter, & supponendo legem Mosaicam nequidem eas docere. Ergo ex S. Paulo discrimen illud, &c.

R. n. min. Sic enim habet S. Doctor: „ „ nunc autem (*Christus*) melius sortitus „ est ministerium, quanto & melioris Te- „ stamenti mediator est quod in melio- „ ribus repromissionibus sancitum est; „ eaque est divi Pauli argumentatio. Ideo melius ministerium sortitus est Christus, quia melioris Testamenti mediator est, ideo autem melioris Testamenti mediator est, seu ideo Testamentum illud melius est, quia in melioribus-repromissionibus sancitum est. Ubi Apostolus ex Testamenti excellentia, ministerii dignitatem, Testamenti vero excellentiam ex promissionum ejus excellentia repetit. Jam vero cadit totum Doctoris argumentum nisi agat de promissionibus Testamento per se annexis. Intrinseca enim rei alicujus excellentia evinci non potest nisi ex aliquo intrinseco; hæc enim excellentia in aliquo extrinseco constitui non potest; jam vero agit inibi Apostolus de intrinseca, personali & propria tum Christi, tum Testamenti excellentia. Ergo promissiones illæ debent esse huic Testamento propriæ & ei per se annexæ, alias non forent ipsi intrinsecæ. Ergo id unicum concludendum relinquit Apostolus cœlestium promissiones N. Testamento fuisse proprias, Veteri vero, sensu jam exposito, non fuisse proprias & intrinsecas; minime vero contendit Vetus Testamentum nullo modo eas docuisse. Licet enim primam partem fœderis Abrahamitici promulgando, bona cœlestia docuerit, etiamsi libuerit, explicite, licet in secunda sui parte eas docuerit implicite, non eas sibi ut secundæ suæ parti proprias arrogabat, nec etiam primæ suæ parti promissiones illas adjudicabat nisi ratione prioris Testamenti cui participabat.

Inst. In illa quæ S. Paulo supponitur argumentandi methodo causa sua cecidissent Christiani. Nam tunc utrumque Testamentum alterius vitæ promissiones æqualiter docuisset.

R. n. ant. Falsum est enim utrumque Testamentum alterius vitæ promissiones æqualiter docere. Vetus enim Testamentum, seu ut hic intelligit S. P. pars ejus cæremonialis quoad sacrificia, docebat implicite tantum, Novum vero docet clare, diserte & explicite, deinde promissiones illæ ex Apostolico ratiocinio sunt propriæ N. T. Veteri vero, nullatenus. Ergo nihil obtinent Judæi, nihil deperdit Christianorum causa, immo si Apostolus illa promissa consideret absolute & sine ulla cum Testamento connexione, jam nihil contra Judæos, nihil pro Christianis agit: nihil quidem contra Judæos; error enim Judæorum in eo positus erat ut vellent factas Abrahæ promissiones ex Religione Mosaica & Christiana ex æquo apprehendi posse, adeo ut sine Christiana posset earum effectus obtineri, illas proinde promissiones esse a fide Christiana independentes nullamque cum ea connexionem dicere. Ergo ut aliquid contra eos moveret S. Paulus, debuit probare promissiones illas esse legi Christianæ ita proprias & cum ejus professione connexas ut ex ea sola sperari possent. Alias nihil agit contra Judæos. Nihil etiam pro Christianis. Non poterat enim evincere extra Religionem Christianam præ Judaica nullam esse sperandam salutem nisi evinceret simul fidei in Christum jam missum, ac proinde Religioni Christianæ propria esse tum promissa cælestia, tum media his assequendis idonea.

Inst. Sufficienter stabit discrimen inter utrumque Testamentum, si vetus nullo modo & nequidem implicite doceat illa promissa, ea vero diserte doceat novum: hoc ipso enim patet prioris infirmitas & insufficientia; sicut legis naturalis evincitur imperfectio ex eo quod hæc non sufficienter proponat.

R. Esto quod silentium de alterius vitæ promissionibus foret novum insufficientiæ argumentum, non tam agitur de eo quod esset aut esse potest, quam de eo quod est a parte rei. Silet omnimode Apo-

Apostolus de eo insufficientiæ genere & argumento; urget tantummodo modum quo promissa fœderi novo sunt addicta. Silentium illud quod supponunt oppositæ sententiæ patroni, vetant argumenta supra allata. Nec ad evincendam legis Judaicæ insufficientiam necesse est concurrant omnigeneris argumenta.

Inst. Docere obscure & nullatenus docere sunt quid unum & idem, sicut videre, id est, cognoscere obscure est nullo modo videre & cognoscere.

R. 1. n. ant. Ex eo quod aliquid doceatur implicite solum, sequitur tantum illud non doceri expresse, directe & immediate; at minime sequitur illud nullatenus doceri; sicut ex eo quod aliquid videatur in alio nec cognoscatur nisi in medio aliquo, non sequitur illud nullatenus videri aut cognosci, sed tantum illud non videri in se & immediate: docere enim implicite est docere in alio, in alio veluti inclusum, per aliud & aliud docendo: jam vero docere in alio & aliud cum eo connexum docendo est illud vere docere, sicut promittere implicite & in alio est vere promittere, nec idem est ac nullo modo promittere. Ita docere implicite non opponitur docere simpliciter, sed opponitur docere expresse & formaliter: ubi docentur principia, docentur eo ipso conclusiones nativo ac facili clivo ex iis dimanantes. Eo ipso ergo quod lex Mosaica animæ spiritualitatem & immortalitatem docebat, eo ipso alterius vitæ præmia & supplicia tradebat, sicut eo ipso quo N. T. docet duas in Christo esse naturas, eo ipso docet in eo esse duas voluntates. Sit alterum istud exemplum. Justitia Dei nimium splendenti colore describitur in libris & lege Mosis quam ut intra angustos hujus vitæ limites restringatur ejus exercitium, nimium pariter magnifica erant legis promissa quam ut plenum suum in hac vita sortirentur effectum. Ergo cuilibet attendenti patebit hæc respicere ad alteram vitam. Conclusionum illarum evolutio mentis est attentæ, sedulæ & meditativæ, sed intelligenti sufficiunt principia. Hæc omnia magis adhuc vera & aperta censebuntur si menti recurrat hæc documenta ad eos dirigi qui jam edocti erant, nec nisi labilem memoriam timendam habebant.

R. 2. ad prob. n. aut dist. Cognoscere obscure quoad objectum tum stricte, tum minus stricte sumptum est nullo modo cognoscere: c. quoad objectum minus stricte sumptum est nullo modo cognoscere: n. Duplex itaque cognitionis objectum, aliud stricte sumptum, nempe illud præcise quod repræsentatur per ideam, seu perfectiones objecti quæ cognoscuntur per ideam. Hoc objectum cognoscere obscure est nullo modo illud cognoscere. Objectum minus stricte sumptum sunt perfectiones omnes alicujus objecti, tum illæ quæ repræsentantur per ideam, tum illæ quæ per eam non repræsentatur, licet sint revera in objecto repræsentato. v. g. Quando habeo ideam trianguli, non omnes omnino ejus proprietates & perfectiones menti præsentes habeo, sed aliquas tantum. Sic cognoscere non idem est ac nullo modo cognoscere; cognoscitur enim objectum stricte dictum. Ita a pari docere obscure, ita ut obscuritas sit adæquata, universalis & cadat in objectum tum stricte, tum minus stricte dictum, docere, inquam, sic, est nullo modo docere. At vero non sic alteram vitam docet lex Mosaica. Docet enim obscure, tum quia docet tantum implicite, tum quia dogma illud figuris involvebat; at objectum stricte sumptum, nempe immortalitatem animæ, summum Dei erga peccatum odium, justitiam Dei sceleris vindicem, & virtutis remuneratricem docebat clare, sed vitæ illius futuræ appendices non docebat nisi obscure. Multæ dantur in V. T. prophetiæ obscuræ obscuritate partiali, nec universali & adæquata; an ideo censendæ sunt eventus nullo modo prænuntiare? Minime sane. Ita pariter lex naturalis alteram vitam docebat, non tamen eo claritatis gradu quo revelatio, nec tam evolute; attamen non negatur ratione & lege naturali doceri alteram vitam. Ergo licet aliqua sit obscuritas in lege Mosaica quoad alterius vitæ sanctionem, non inde sequitur eam lege illa nullatenus doceri.

Inst. Ex eo quod Deus Judæis relative ad legem æterna distribuerit, non inde sequitur legem illam in pœnis & præmiis

miis æternis sancitam esse; sicut ex eo quod Deus leges civiles ex dilectione Dei observatas præmio donet æterno, non sequitur leges illas aut esse Religionem, aut in præmiis æternis sancitas esse.

R. c. totum. Ex eo enim hic non præcise argumentamur quod Deus fideles legis Mosaicæ asseclas præmiis donaverit æternis, sed ex eo quod lex Mosaica 1. præmia illa figuris involuta repræsentaret; 2. quod Judæi ex eadem lege scirent, licet obscure, æterna illa adepturos esse relative ad fœdus a Deo cum ipsis initum, ac proinde relative ad quædam præcepta Mosaica, præcipue moralia; 3. & præcipue quod lex illa sibi annexum haberet fœdus Abrahamiticum.

Inst. Si lex Mosaica fuisset sancita quoad primam sui partem in pœnis & præmiis æternis, debuisset annexa & propria sibi habere supernaturalia fini supernaturali obtinendo proportionata media.

R. legem Mosaicam quoad primam illam partem etiam media illa habuisse sibi propria. Media enim illa semper fuerunt fidei in Christum appendices. Quicunque ante Christum salvi facti sunt, per Christum meritorum efficaciam anticipantem salutem sunt consequuti; quicunque primæ huic fœderis parti adhæserunt, Deo præveniente, concomitante & subsequente sunt adjuti; sed fides primæ parti legis Mosaicæ erat propria sensu exposito.

Inst. Si æterna docuisset lex Mosaica, debuisset etiam media supernaturalia his adimplendis necessaria subministrare.

R. n. sequel. Aliud est aliquam veritatem docere, & aliud vires huic exequendæ præbere. Lex Mosaica docebat quidem implicite & obscure pœnas & præmia alterius vitæ, sed non ea promittebat suo nomine; id est, ut sibi propria, ac vi sibi innata & proprio nomine distribuenda. Duo ergo docebat ac insinuabat lex Mosaica. 1. Bona alterius vitæ per Messiam fore distribuenda. 2. Media his bonis assequendis idonea per eundem Messiam concedenda. Jam vero ubi bona non sunt fœderi alicui propria, ibi necesse non est ut media his assequendis idonea sint huic fœderi propria. Unde distingui posset antecedens. Si æterna docuisset ut sibi annexa & propria: c. Secus: n.

Inst. Si lex Mosaica præmia spiritualia non docet expresse, jam dici non debet supernaturalis.

R. n. sequel. Nam distingui debet finis Legislatoris, a modo quo finem illum exprimit. Ad supernaturalem felicitatem lex a Deo ordinata erat, finem illum non nisi implicite declarabat.

Obj. 5. contra X. Conclusionem. Non probatur Judæos constanter & etiam ante captivitatem Babylonicam habuisse futurorum cognitionem. Argumenta enim quibus illud evincitur, spectant Judæos a captivitate reduces: porro Judæi tunc multum dispares erant a suis Patribus ante illam captivitatem. Quantum hi propendebant in idololatriam, tantum illi ab ea abhorrebant; post captivitatem, animæ immortalitatem & alterius vitę dogma aperte profitentur, & ante captivitatem altum de his silent. Ante captivitatem nullus fere mortem pro lege sua appetiit, post vero, innumera fortitudinis hujus emicant exempla. Probabile est ergo Judæos captivitati superstites meliores illas quas de Deo & altera vita habuere notiones, ex commercio cum Chaldæis hausisse. Sic itaque resumo. Allata argumenta spectant tantum Judæos post captivitatem. Ergo non probant de Judæis quoad omnia tempora.

R. n. ant. 1. Enim argumenta prolata desumuntur ex motivis quæ spectant legem ipsam præcisam a variis temporis epochis. Recole probationem quartam IX. Conclusionis. 2. Absurdum est Judæos ab Idololatris didicisse idololatriam respuere; tamque discrepantem de altera vita doctrinam Chaldæorum nempe & Judæorum ab uno eodemque fonte dimanare. Judæorum enim doctrina longe purior erat, nec ingenium satis subtile iis supponi potest ut doctrinam adeo eximiam aut proprio marte confixerint, aut mentem Chaldæorum spuriam & adulteram reformaverint. Ergo cum Judæorum hac de re cognitio maximam cum sua lege connexionem & relationem habeat, nullam vero

vero cum Chaldæorum & Persarum scientia, longe magis rationi consonat hanc Judæorum cognitionem ad eorum legem, quam ad Chaldæorum commercium referre. 3. Si valeret objectionis suppositum, alterius vitæ sensus captivitate recentior esset: atqui tamen omnes libri Deuteronomii canonici de eo dogmate loquuntur ut antiquo & notissimo. Testes sunt Esdras & Nehemias qui Judaicam Rempublicam ad legis Mosaicæ normam restituerunt; testis est tota gens Judaica quæ in ipso Persarum imperio a Persarum doctrina & moribus adeo constanter discrepavit, ut patet ex historia Aman. 4. Falsum est Judæos ante captivitatem nulla fortitudinis signa pro Religione sua dedisse. Tunc enim temporis innumeri floruere Prophetæ & alii pii viri qui vitæ futuræ dogma aperte professi sunt. Tales fuere qui ab impiis Regibus sive Juda, sive Israel extrema quæque Dei causa experti sunt. Tales fuere qui ipso-met captivitatis initio Regi Nabuchodonosor fortiter restitere, Sidrac scilicet, Misac & Abdenago. 5. Judæorum erga Idololatriam horror oritur ex severiore Dei ultione, non vero ex nova & inaudita Dei cognitione.

ARTICULUS III.

De perfectione, duratione & abrogatione Legis & Religionis Judaicæ.

HUc usque Judaicæ Religionis veritatem & dignitatem vindicavimus. Nunc de ejus perfectione agendum. Cum enim demonstrata Religionis naturalis insufficientia veritatem Religionis ex veritate revelationis æstimaverimus, pronum est Religionis perfectionem & sufficientiam ex revelationis sufficientia & perfectione æstimare. Præterea ex dictis Religio qualibet actus internos & externos habet. Illos ad cognitionem & amorem Dei reduximus; hos vero in certo quodam cultus modo, in cæremoniis, v. g. in sacrificiis, &c. reposuimus. Videamus itaque utrum plena sit ac numeris omnibus absoluta revelatio Mosis ministerio Judæis commissa. Duo complectitur & docet illa revelatio, dogmata & cultum exteriorem ac publicum. Dogmata alia speculativa dici possunt, alia practica quæ præcepta moralia vocantur. Prima reduci possunt, 1. ad notionem Entis supremi & unius Entis creatoris, qui summa justitia virtutem præmio donabit, vitium supplicio afficiet. Quæ quidem & libertatem & futuram vitam important. 2. Ad spem & promissionem Messiæ. Dogmata seu præcepta moralia jubent Deum super omnia, proximum vero sicut seipsum amandum esse. Multa complectitur cultus exterior Mosaica revelatione & lege præscriptus. includit nempe Tabernaculum cui successit Templum Jerosolymitanum, sacerdotium, sacrificia & varias corporis ablutiones. De præceptis judicialibus parum curamus. Præcepta enim illa, ut habet S. Tho. 1, 2, q 104. ar. 3, instituta erant ad disponendum statum illius populi: mutato ergo statu illo, jam nullatenus vigent. Judæis libenter concedimus antiquatam non esse revelationem iis commissam quantum ad dogmata & præcepta moralia. Ratio manifesta est; in ipsomet idearum intuitu, ipsis-met rerum essentiis & ordine immutabili nituntur. At nobis concedant oportet hic ampliandam & revera ampliatam esse illam revelationem. Quantum vero ad cultum exteriorem, longe diversa est ejus conditio; hic potissimum controvertitur de ejus duratione. Duo itaque nobis probanda incumbunt. 1. Abrogandam esse legem & Religionem Mosaicam sensu exposito. 2. Revera & de facto abrogatam esse. Unde sit.

CONCLUSIO I.

Revelatio Mosaica uberiorem promittit & postulat Revelationem.

PRob. 1. Uberior dicitur revelatio vel ratione dogmatum, vel ratione auxilii, vel ratione loci. Porro triplici illo sensu revelatio Mosaica uberiorem exigit & promittit revelationem. 1. Ratione dogmatum, postulat revelationem plura & clarius evolventem. Ex dictis enim revelatio Mosaica non clare, non expresse sanctionem alterius vitæ aperiebat; manifestum est etiam quod SS. Trinitatis mysterium subobscure tantum

exhibeat. Et sic de aliis quibusdam dogmatibus. Ergo revelatio Mosaica ex sua conditione & natura aliam exigit & postulat revelationem plura clariusque evolventem; ergo exigit revelationem uberiorem ratione dogmatum. Promittit etiam, ut patebit ex dicendis in decursu ejus disputationis. 2. Ratione auxilii. Ex dictis enim lex vetus per se non dabat gratiam & media suis adimplendis præceptis necessaria. Constanter exhibet unicum gratiæ fontem Messiam; dum constanter in memoriam revocat semen illud Abrahæ in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ. Hinc Zachar. 12. *Effundam super domum David & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum.* Et Joel. 2. 28. *Et erit post hæc effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* Ergo postulat & promittit, &c. 3. Ratione loci, id est, latius patentem. Ex legatione enim Mosis, lex & revelatio divina soli Judaicæ genti data erat. Judæis apponebat Moses promissionem Abrahæ factam, Isaaco deinde & Jacobo confirmatam exclusive ad Ismael & Esau, his verbis digestam: *In te & in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*; Judæos commercio cum aliis gentibus interdixerat. Atqui tamen tum ex verbis promissionis, tum ex natura rei, immo ex Dei ipsiusmet attributis latius patere debebat divina revelatio. Manifestum est enim quod ex una parte inter angustos Palestinæ limites revelationem sibi a Deo commissam incluserit Moses; ex altera vero constat ex verbis promissionis revelationem Abrahæ factam & Judæis postea Mosis ministerio promulgatam ac scripto traditam ad omnes gentes perventuram. Ergo. Et certe nemo credat adeo pretiosa dogmata ex summa Dei erga creaturas suas bonitate manifestata, eo tantum fine revelata esse ut in angulo terræ reconderentur, & ut ita dicam, sordescerent, præsertim cum deposita fuerint apud gentem parum fidei & virtutis tenacem. Hinc omnes Prophetæ generalem illam divinæ revelationis promulgationem aliquando futuram uno ore prænuntiant. *Isa.* 19. „ In die „ illa erit altare Domino in medio ter„ ræ Ægypti & titulus Domini juxta „ terminum ejus. Erit in signum & in „ testimonium Domino exercituum in „ terra Ægypti. Clamabunt enim ad „ Dominum a facie tribulantis, & mit„ tet eis Salvatorem & propugnatorem, „ qui liberet eos. Et cognoscetur Do„ minus ab Ægypto. Cognoscent Do„ minum Ægyptii in die illa, & colent „ eum in hostiis & in muneribus: & vo„ ta vovebunt Domino, & solvent, & „ percutiet Dominus Ægyptum plaga, „ & sanabit eum, & revertentur ad Do„ minum, & placabitur eis, & sanabis „ eos. „ In his Isaiæ verbis videre est 1. oppressionem & liberationem quæ Israel, saltem carnalem, non spectant. De Ægyptiis enim hæc dicuntur. Ægyptii enim opprimuntur, clamant ad Dominum, a Domino eripiuntur. Præterea Judæi semel a Mose ex Ægypto salvati nusquam ibi captivi ducti sunt. 2. In illa liberatione ab Ægyptiis cognoscetur & coletur Deus, abolitaque Mosaica locorum distinctione altare Domino erigetur in Ægypto. 3. Liberatorem & Salvatorem Ægyptiis mittet Deus, cujus Salvatoris ope liberabuntur, instruentur & sanabuntur. Præterea *Isa.* 42. „ Ecce „ servus meus, suscipiam eum ... Dedi „ spiritum meum super eum, judicium „ gentibus proferet ... Dedi te in fœ„ dus Populi. & *Isa.* 4. Parum est ut sis „ mihi servus ad suscitandas Tribus Ja„ cob, & fœces Israel convertendas. „ Ecce dedi te in lucem gentium. Ut sis „ salus mea usque ad extremum terræ. „ *Et Isa.* 55. Ecce testem Populis dedi „ eum, ducem ac præceptorem genti„ bus. „ In quibus verbis hæc habemus. 1. Is de quo agitur tribus Israel suscitare debet, & fœces Israel convertere. 2. Parum est illud, nec in eo munus suum sistet; debet esse salus, lux, præceptor & testis gentium, & quidem omnium. 3. Religionis Judaicæ præcipua & nobilior pars in Dei cognitione consistit: sed ex ipsamet lege ac Religione illa & ex testibus citatis hæc cognitio ad omnes gentes venire debuit. Ergo Religio Judaica uberiorem, id est latius patentem promittit revelationem. Constat major propositio hujus syllogismi ex his *Isa.* 1.

„ Quo mihi multitudinem victimarum „ vestrarum? plenus sum. Holocausta „ nolui... Ne offeratis ultra sacrificium „ frustra. Incensum abominatio est mi- „ hi. Neomeniam & Sabbatum & Festi- „ vitates alias non feram ... Lavamini, „ mundi estote, auferte malum cogita- „ tionum vestrarum, &c. „ Deus sane ita loqui non potuisset de cultu qui perpetuus esse deberet & sine quo nullus Deo placere posset. Pars præcipua cultus quem Deus exigit his verbis, est cordis munditia, vera & sincera justitia. Ergo vera est major propositio; minor vero sic probatur. *Isa.* „ Repleta est terra „ scientia Domini ... In die illa radix „ Jesse, qui stat in signum Populorum, „ ipsum gentes deprecabuntur. „ *Et Sophon.* 3. „ Tunc reddam Populis la- „ bium electum ut invocent omnes in „ nomine Domini & serviant ei hume- „ ro uno. *Et Osee* 2. Dicam non Populo „ meo, Populus meus es tu, & ipse „ dicet, Deus meus es tu. *Et Zachar.* 9. de Messia. „ Loquetur pacem gentibus, „ & potestas ejus a mari usque ad ma- „ re & a fluminibus usque ad terminos „ terræ. „ Ex his omnibus textibus, Dei cognitio, invocatio, pax & cultus ad omnes gentes aliquando tandem extendenda. Ergo.

Prob. 2. Illa revelatio novam uberioremque promittit revelationem quæ novam legem, seu novum fœdus, novumque Legislatorem, seu novum fœderis mediatorem prænuntiat. Atqui 1. novam legem, seu novum fœdus. *Jer.* 31. „ Ecce dies venient, dicit Dominus: „ & feriam domui Israel & domui Juda „ fœdus novum; non secundum pactum „ quod pepigi cum Patribus eorum in „ die qua apprehendi manum eorum, „ ut educerem eos de terra Ægypti: „ pactum quod irritum fecerunt, & ego „ dominatus sum eorum, (vel secun- „ dum meliorem lectionem abjeci eos) „ dicit Dominus. Sed hoc erit pactum „ quod feriam cum domo Israel: post „ dies illos dabo legem meam in visce- „ ribus eorum & in corde eorum scri- „ bam eam & ero eis in Deum, & ipsi „ erunt mihi in Populum. Et non do- „ cebit ultra vir proximum suum, & „ vir fratrem suum; dicens, cognosce „ Dominum, omnes enim cognoscent me „ a minimo usque ad maximum. Quia „ propitiabor iniquitati eorum & pec- „ catorum eorum non memorabor am- „ plius. „ Ecce in his verbis 1. promittitur novum fœdus. 2. Ex hoc fœdere Deum condonaturum peccata iis qui hujus erunt participes. 3. Deum fore eorum Deum, ipsos vero Populum ejus. 4. Legem suam in corde & visceribus eorum inscripturum esse. 5. Ex illa inscriptione Deum ab omnibus cognoscendum. 6. Talem fore illam Dei cognitionem ut ultra vir non doceat proximum suum dicens: *Cognosce Dominum*. Ex his manifestum est, 1. adesse fœdus novum & ab antiquo distinctum ratione temporis; posterius enim priori opponitur. Nec tantum distinctum, sed excellentius *non secundum pactum, &c.* Præterea verba illa in futuro designant non Testamentum Mosaicum quo a multis annis jam sancitum fuerat, sed aliud ab ipso diversum. Porro diversitas illa se tenet quoad extensionem, seu universalitatem, stabilitatem & efficaciam. Quoad universalitatem quidem. Prius erat cum solis Israelitis, at novum cum omnibus gentibus sanciendum est. Quoad stabilitatem. Primum pactum irritum fecere Judæi, irritum fecit & Deus qui abjecit eos; tandiu stabit illud fœdus novum quandiu stabunt leges solis in lumine diei & lunæ ac stellarum in lumine noctis. Quoad efficaciam tandem. Prius enim erat in tabulis lapideis, posterius in corde. Et certe fœdus illud novum dicitur: sed, ut ratiocinatur S. Paulus, *Hebr.* 8. dicendo novum veteravit prius. At si prius Testamentum culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur; aufert primum, ut sequens statuat. Ergo novi fœderis promissio antiqui abrogationem importat. Et certe jam supra in hac probatione evicimus revelatione Mosaica aliam promitti latius patentem, omnesque gentes ad eam vocandas esse. Porro posita illa gentium vocatione, jam novum fœdus veteri succedere debere docet tum ratio, tum Scriptura. Ratio enim suadet fœdus cujus promissa unicam tantum gentem spectant, ad omnes homines pervenire non posse. Neque enim omnes gentes terram Chanaan possidere pote-

poterant. v. gr. Circumcisio in unius Populi distinctionem instituta, omnibus hominibus & gentibus in signum distinctionis imprimi non poterat. Templum, arca, &c. omnibus gentibus non sufficiebat. Idem ex textibus allatis asserit Scriptura. Ergo. 2. novum Legislatorem, seu, fœderis mediatorem. Sic enim *Deuter.* 18. Mosen alloquitur Deus: „ Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui. Et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. „ Hæc Dei verba sic Moses Populo reddidit: „ Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit Dominus Deus tuus: ipsum audies. „ Hic describitur novus Propheta. Agitur enim de Propheta qui in posterum venturus est; a Mose distinguitur, huicque successurus est. Porro novus ille Propheta est Legislator. Nam 1. dicitur Mosi similis. Sed Moses fuit Legislator & fœderis Judaici mediator. Deinde Deus ponit verba sua in ore ejus, qui autem verba illa adire noluerit Deus ultorem ejus se constituit. Porro per nomen *Verbum* frequenti & usitato loquendi modo legem intelligit Scriptura sive Hebraico, sive Græco, sive Latino idiomate, nec alium sensum hic suscipit istud vocabulum. Præterea si nihil dicere debuisset Propheta ille, quam quod Myses dixerat, neque modo diverso; opus non fuit promitti Prophetam in quo Deus verba sua poneret, & qui ea loqueretur, hacque differentia a Moyse distingueretur. Ergo Propheta ille talis est ut aliquid aliud revelaturus sit præter ea quæ tradidit Moyses. Ergo locus ille designat eum qui novam legem novumque fœdus conditurus erat.

CONCLUSIO II.

Cultus Legis Mosaicæ externus alium perfectiorem promittit & postulat; hinc aliquando abrogari debuit.

PRob. Cultus externus legis Mosaicæ hæc importat, nempe Arcam Domini, Templum, Sacrificium, Sacerdotium, Festa: porro hæc omnia abroganda erant. Arca quidem & Templum hujus asservandæ causa ædificatum. *Jer.* 3. „ Convertimini filii revertentes, dicit Dominus. Quia ego vir vester: & assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicet ultra: Arca Testamenti Domini. Neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius: nec visitabitur, nec fiet ultra. *Et c.* 7. „ Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini. „ Ibi agi de temporibus Messiæ manifestum est ex sequentibus præsertim *c.* 3. Tunc fiet ut Arca oblivioni detur nec visitetur: oblivio illa nascetur ex ipsa Religione, nimirum ex scientia Dei & doctrina Pastorum juxta cor Dei. Totus legis Mosaicæ cultus & ejus sanctitas in Tabernaculum & Templum recumbit. Sancta sunt utrumque Tabernaculum & Templum propter solam Arcam quæ est thronus Dei & ejus majestatis imago quædam. Ergo abolita Arca, ruit cultus Mosaicus cujus Arca illa erat centrum. 2. Sacrificium. *Malach.* 1. „ Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. *Et Dan.* 9. Confirmabit autem (*Messias*) pactum multis hebdomada una & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium & erit in Templo abominatio desolationis. „ Agitur hic de sacrificio quod offeretur ubique & a gentibus; repelluntur sacrificia a Mose instituta. Sacrificii enim permanentia & duratio ab illius acceptatione pendet. Ergo cum Deus asserat se jam non acceptaturum sacrificia Mosaica, ea aliquando tandem esse abroganda oportet. Et certe illa lex abrogari debuit quoad sacrificia, quæ suam ex hac parte infirmitatem constanter vel

ipsa profitebatur. Atqui, &c. quod evincitur a S. Paulo. 1. Ex frequenti sacrificiorum illorum iteratione. Si enim lex hostiis quas indesinenter offert per singulos annos, asseclas suos potuisset perfectos facere, cessassent offerri, cum nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati. Atqui tamen in ipsa sacrificiorum annua celebratione commemoratio peccatorum fit. Ergo. 2. Idem eruit S. Paulus ex eorumdem sacrificiorum multitudine & numero. Sacerdos enim Leviticus, quisque vice sua, sæpe easdem offert hostias; quasi inde protestans eas nunquam posse auferre peccata, ubi enim horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. Porro in Veteri Testamento prænuntiatur sacrificium unicum cujus vi & efficacia Deus peccatorum non recordatur amplius. Ergo. 3. Sacerdotium. Ex dictis modo abrogari debuerunt vetera sacrificia; ergo & cessare debuit Sacerdotium his offerendis destinatum. Ut enim ratiocinatur S. Paulus ad *Hebr.* „ Omnis „ Pontifex ex hominibus assumptus pro „ hominibus constituitur ut offerat dona „ & sacrificia pro peccatis: „ ergo necesse est hunc habere aliquid quod offerat. Ergo si antiquæ desint victimæ, antiquum Sacerdotium desit necesse est. Hinc *Isa.* 66. „ Ego autem ..... venio „ ut congregem cum omnibus gentibus, „ & linguis, & venient & videbunt „ gloriam meam ... & assumam ex eis „ Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus. „ *Et Ps.* 109. Juravit Dominus & non „ pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æ- „ ternum secundum ordinem Melchise- „ dech. „ Ecce in his verbis 1. Sacerdotes ex gentibus. 2. Novus Sacerdotii ordo. Ordo autem ille a priori differt juxta S. Paul. 1. Ex cæremoniis quibus institutum est utrumque Sacerdotium. Alii enim sine jujejurando Sacerdotes facti sunt: hic autem cum jurejurando. Deinde ex diversitate Tribus ex qua uterque oriundus erat Sacerdos. Nam is de quo hæc dicuntur, de alia Tribu est, de qua nullus altari præsto fuit, in qua nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Præterea ex utriusque ordinis capitum distinctione. Alii enim secundum ordinem Aaron Sacerdotes inaugurati fuerant, hic autem secundum ordinem Melchisedech. 4. Ex utriusque ordinis legum diversitate. Nam illi secundum legem mandati carnalis, hic vero secundum virtutem vitæ insolubilis. 5. Ex utriusque Sacerdotii effectibus. Lex enim nihil ad perfectum adducit; hujus Sacerdotii reprobatio fit propter infirmitatem ejus & inutilitatem. Si enim consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, inutile omnino fuisset alium surgere Sacerdotem non secundum ordinem Aaron, vel secundum ordinem Melchisedech. 6. Ex numero Sacerdotum. Nam in Veteri Testamento alii plures fiebant Sacerdotes, quia morte prohibebantur permanere. Hic autem cum maneat in æternum, unicus est, & sempiternum habet Sacerdotium. Lex constituebat Sacerdotes homines infirmos, jusjurandum vero, Filium in æternum perfectum. Jam vero translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. 4. Festa & solemnitates. Sic Amos 5. „ Odi & projeci festivitates ve- „ stras: & non capiam odorem cœtuum „ vestrorum .... aufer a me tumul- „ tum carminum tuorum, & cantica „ lyræ tuæ non audiam. „ Hæc nulla expositione indigent, & præterea de his iterum infra.

CONCLUSIO III.

Uberior illa Revelatio, novique cultus manifestatio Mosaica Lege promissa & prænuntiata, Messiæ adventu alligatur.

PRob. Ex principiis hucusque positis & probatis. Eadem enim argumenta quibus probavimus & uberiorem revelationem & novum cultum externum promulgandum esse; eadem argumenta novum illum cultum & uberiorem illam revelationem Messiæ ascribitur. 1. Quantum ad revelationem. Sic ex locis citatis, uberior illa revelatio consistit in perfectiori Dei cognitione quæ ad omnes gentes extendi debet: sed illa cognitio ministerio Messiæ ibidem ascribitur. Supra *Isa.* 42. Ergo. Deinde uberior illa revelatio effusioni Spiritus Sancti alligatur: sed effusio illa Messiæ ascribitur. *Zachar.* 12. *Joel.* 2. Præterea uberior illa reve-

revelatio conjungitur cum novo fœdere & novæ legis promulgatione. Sed novum illud fœdus, novæ illa legis promulgatio Messiæ tribuitur. *Jerem.* 31. *Deut.* 18. Ergo 1. uberior illa revelatio Messiæ adventui alligatur. 2. Idem dicendum de novi cultus manifestatione & promulgatione. Nam sic legitur *Amos* 7. „ Odi & projeci solemnitates vestras. „ Quod si obtuleritis mihi holocautomata & munera vestra, non suscipiam. „ Aufer a me tumultum carminum tuorum & cantica lyræ tuæ non audiam. „ Et revelabitur quasi aqua judicium, „ & justitia, quasi aqua fortis. „ Vide *Sophon.* 3. 8. 9. 10. *&c.* Ex quibus verbis cultus antiqui abolitio alligatur promulgationi novæ justitiæ; utrumque enim in citato textu conjungitur. Atqui novæ justitiæ manifestatio est genuinum Messiæ opus. *Isa.* passim. Deinde *Ps.* 39. „ Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; holocaustum „ & pro peccato non postulasti, tunc „ dixi: ecce venio. „ Certum est 1. in hoc Psalmo agi de Messia, immo Messiam ipsum ibi loqui. Qui enim ibi loquitur, proponit sibi enarrare justitiam, mirabilia & cogitationes Dei de nobis. Exhibet se ut rerum istarum stabilitum ac institutum a Deo præconem. Deinde antecedentia & consequentia exhibent nobis tum constitutionem Decreti divini per quod munus istud suscipit Messias, tum hujus constitutionis causam & rationem; quæ quidem ratio in solum Messiam cadere potest. David enim, aut quicumque alius purus homo sibi persuadere non poterat se posse omnia veteris legis sacrificia supplere. Ergo Messias est ille qui in illo psalmo loquitur. Certum est 2. hic prænuntiari sacrificiorum abolitionem. Nam duo hic enuntiantur maxime inter se opposita. „ Sacrificium noluisti, & tunc dixi: ecce venio, &c. „ Ergo, ut concludit S. Paulus: „ Aufert primum ut sequens „ statuat. „ Ergo Messias prænuntiat se illum fore qui sacrificia abrogaturus sit. Denique sic habet *Ps.* 109. „ Juravit Dominus & non pœnitebit eum: „ tu es Sacerdos in æternum secundum „ ordinem Melchisedech „. Hic psalmus in solum Messiam cadere potest, ut probat Christ. *Matth.* 22. & explicat S. Paul. *Hebr.* 1. *&* 13. Ille de quo agitur, jubetur sedere a dextris Dei, quod idem est, teste S. Paulo 1. *Cor.* 15. ac regnare. Sed regnare proprium est Messiæ. Et certe hic agitur 1. de Sacerdote. 2. De Sacerdote æterno. 3. De Sacerdote qui jurejurando instituitur. 4. De Sacerdote secundum ordinem Melchisedech. Atqui hi characteres in solum Christum & Messiam cadunt. V. *Hebr.* *c.* 7. *&* 6. *&* 5. ex quibus sic argumentor: his verbis prænuntiatur abrogandum esse Sacerdotium, ac consequenter omnem cultum externum Veteris Testamenti: „ translato enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat: „ sed abrogatio illa fieri debet per Messiam. Nam is de quo agitur in Psalm. citat. id est Messias, est Sacerdos novus qui veteri succedit secundum ordinem omnino diversum. Sed nisi abrogaretur Sacerdotium Leviticum, & consequenter cultus Mosaicus, inutile fuit alium surgere Sacerdotem qui non foret secundum ordinem Aaron. Ergo ideo Messias introducitur novus Sacerdos, quia antiquum Sacerdotium, & cultus ejus exterior per Messiam abrogatur. Ergo abrogatio illa ac consequenter novi cultus manifestatio adventui Messiæ alligatur.

CONCLUSIO IV.

Nova affulsit Revelatio illa Mosaica Revelatione promissa.

PRob. Ex dictis veri Dei cognitio est revelationis Mosaicæ pars præcipua & nobilior: atqui cognitio illa gentibus jam multis a sæculis successit: ergo. Et certe existere Christianos luce meridiana clarius est. Jam vero evidens est revelationem Christianis commissam esse illam ipsam uberiorem revelationem a Mose prænuntiatam. Nam Religio Christiana eam Dei cognitionem, &c. promulgat quam promittit Religio Judaica. Ut postea patebit.

CONCLUSIO V.

Cultus externus a Mose institutus jam diu abolitus est.

PRob. 1. Ritus cæremonialis hæc complectebatur: personas sacras, ut Sacerdotes & Levitas; actiones sacras, ut varia varii generis sacrificia; tempora sacra, ut Festa & Solemnitates; loca sacra, ut 1. Tabernaculum, deinde Templum. Jam vero hæc omnia jam diu ablata sunt. Perturbatæ ac confusæ sunt Genealogiæ, non Sacerdotali, non Regia, non Prophetica dignitate fulgent. Dirutum est Templum, extra quod sacrificare illicitum. Expulsi sunt ex terra Chanaan, cui alligabantur Festorum celebrationes ac determinationes. Evanuit Arca, divinæ voluntatis interpres quædam. Hæc omnia Religionis & cultus exterioris capita a Deo ipso ita ordinata sunt, ut Judæis nunc aliam Religionis formam texere non liceat. Ergo cum eadem voluntate divina Templum, Arca, Jerusalem, & cætera ad cultum Mosaicum pertinentia diruta & eversa fuerint, jam sequitur cultum illum jam non esse a Deo amplius volitum, ac proinde esse abrogatum. Et sane adventui Messiæ alligatur, ex dictis, cultus illius cessatio: atqui jam advenit Messias; Christus enim est ille ipse Messias, ut probatur ubi de incarnatione agitur, & ut facile præterea constabit postea ex ejus miraculis & oraculis.

Prob. 2. ex præsenti Judæorum conditione. Ea enim erat œconomia Mosaica ut Deus Judaicæ gentis curam gereret specialem, ex illa singulari providentia Judaica gens debebat esse Populus a cæteris totius orbis nationibus distinctus, separatim degere & habitare. Promissiones genti Judaicæ a Deo factæ uni tantum conditioni alligatæ erant, nempe hujus gentis pietati. Jam vero licet a 700. & amplius annis legi Mosaicæ serviat, pro virili parte, & ab Idololatria maxime abhorreat, nulla tamen apud istum Populum effulsere singularis hujus curæ & providentiæ Dei signa. In varias & longe a terra Chanaan dissitas regiones hinc & inde dispersus Israel Deum nisi iratum & ultorem non sentit aut experitur. Quanta cura Deus revelationis suæ integritati invigilaverit, vidimus; licuit etiam advertere quo favore Populum Judaicum prosecutus fuerit Deus, dum divina penes se Judæus habebat eloquia. Si ergo divinæ revelationis adhuc custos esset, eadem protectio ipsi deberetur; alias Deus voluisset suam perire revelationem. Attamen propria manu, ut modo dicebamus, varias sui fœderis partes Deus ipse abstulit; immo fœderis illius executionem impossibilem effecit dum Templi reædificationem quam impossibilem prædixerat, variis etiam miraculis ipse vetuit. Inter alia, sit istud quod refert Ammianus Marcellinus Scriptor Ethnicus Juliano coævus *l. 23. c. 1.* his verbis: „ Julianus Imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, „ ambitiosum quondam apud Jerosolymam Templum instaurare sumptibus „ immodicis cogitabat, negotiumque „ maturandum Alypio dederat Antiochensi: cum itaque rei idem fortiter „ instaret Alypius, juvaretque Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum exustis „ aliquoties operantibus inaccessum; hocque modo, elemento destinatius repellente, cessavit inceptum. „

COROLLARIUM.

Abrogata est Religio Mosaica.

PRob. Illa Religio abrogata est cujus revelationi alia successit & cujus externo ritui finis impositus est: atqui ex probatis, &c. Ergo.

Obj. 1. Nihil probat Deuteron. 18. Nam Propheta qui ibi promittitur, est Josue. Ergo.

R. n. ant. 1. Verba hic sunt in futuro; *suscitabit*, *suscitabo*, *ponam*, *&c.* Ergo non possunt designare Josue. Nam tunc vivebat jam ætate provectus, omniumque rerum a Mose gestarum consors præcipuus fuerat. 2. Deus diversis longe verbis demonstrarat Josue post Mosen Populi ducem futurum esse. 3. Hæc verba *sicut tu*, *sicut me* designant non ducem belli, sed Legislatorem. Porro Josue nec fuit Legislator, nec præcipue is erat

erat Legislator qui novas leges conderet. 4. Hæc verba, *ipsum audietis*, *ponam verba mea in ore ejus*, designant missionem vel ordinariam, id est qualem Mosis successores habuerant, & ejusdem ordinis, vel extraordinariam. Atqui hæc verba non designant missionem ordinariam, seu ejusdem ordinis ac Mosis missionem. Tunc enim non tam prophetam illum quam ipsum Mosen Populus esset auditurus. 5. Addit *Deuteron.* 34. „ Non surrexit ultra Propheta in Israel „ sicut Moyses, quem nosset Dominus „ facie ad faciem. „ Ergo Josue non est ille Propheta similis Moysi.

Inst. In tantum valet locus ille, in quantum agit de Propheta singulari: atqui locus ille non agit de propheta aliquo singulari, sed de collectione & perpetua successione Prophetarum.

R. n. min. Oraculnm enim istud tunc deberet intelligi de Prophetis numero plurali. Porro numero plurali intelligi non potest. Nam obstant 1. pronomina tum primitiva, tum demonstrativa, quæ Hebræis dicuntur affixa, numero singulari apposita. Porro iis affixis singularibus plures accommodari personas vetant Hebraicæ linguæ leges vel ipsis hujus linguæ Tyronibus notæ. 2. S. Pet. *Act.* 5. hunc locum Messiæ & Christo applicat. Jam vero invalidum fuisset istud contra eos argumentum si agatur in illo loco de successione Prophetarum, non vero de singulari Propheta & Messia. Statim enim inclamassent Judæi, immerito unum Jesum a S. Petro appellari, tacitis aliorum Prophetarum nominibus, frustraque urgeri locum illum esse de uno Messia dictum, dum tamen plures Prophetas spectat. Inde evicisset tantum B. Petrus audiendum esse Jesum a Judæis, ut fuerant audiendi cæteri Prophetæ; non vero Jesum esse Messiam, quod tamen probare intendit. 3. Propheta de quo hic agitur, debet esse Mosi similis, id est, debuit habere caracteres Mosi proprios. Debuit ergo ejusdem ac Moses divinæ familiaritatis ac legislationis privilegio gaudere. Jam vero in illa collectione nullum video qui Mosen referat vel ratione divinæ illius familiaritatis, vel ratione legislationis. Non novas leges cudebant Prophetæ illi, sed legem Mosaicam explanabant. Illis in visione tantum apparebat, vel per somnium loquebatur. 4. Enuntiat textus, Prophetam *sicut tu*, *sicut me*. Porro longe magis pronum est concludere Prophetæ singulari opponi his verbis Prophetam singularem, quam plures Prophetas; rationi enim consonum non videtur hominum collectionem homini singulari comparare, aut opponere. 5. Id probat perpetua Judæorum & Christianorum interpretatio; hinc enim Jeremiam, vel Josuam intellexere Judæi. Hinc mittunt ad Joannem Baptistam interrogantes: *Tu es qui venturus es?*

Inst. Eo sensu intelligi debet locus ille de quo agitur, quem suadent ac important tenor vocis & textus series, nempe antecedentia & consequentia: atqui 1. tenor vocis: vos enim Propheta sumitur aliquando pro Prophetarum successione. Ut Ps. 73. *Jam non est Propheta*. Immo ut valeat argumentum ex illo textu desumptum, Messias, id est, Christus debet esse Propheta ille: atqui locus ille etiamsi Prophetam singularem designaret, in Christum cadere non posset. Nam Christus, utpote Deus, Mosi similis dici non potest. 2. Antecedentia. Nam Dei responsio & promissio relativa fuit ad Populi petitionem: *Ut petiisti a Domino tuo in Horeb*. Sed petitio Populi fuit de successione Prophetarum perpetua. Petierunt enim ut Deus jam amplius per se non loqueretur, sed per Legatos suos; petitioni annuit Deus, seipsumque opponit Legatis suis. Uno verbo immediatam Dei visionem & loquelam a se deprecantur Judæi: ergo mediatam postulant, & hanc concedit Deus: ergo non unus Propheta, sed Prophetarum collectio ex utraque parte intelligitur. Et sane addunt Judæi: *Ne forte moriamur*. Quæ quidem ratio exigit ut Deus in posterum loquatur perpetuo ministerio hominum, & contra hominem Deum militat. Ratio autem illa non cadit præcise in Deum cum terroris apparatu loquentem, hæc enim eadem ratio passim redditur in scripturis, etiam ubi non adfuit ille terroris apparatus: ut videre est in exemplo Manue; ac proinde ratio illa tangit tantum Deum immediate loquentem. Denique oracu-

 lum

lum istud hæc verba immediate præcedunt; a v. 9. usque ad v. 15. „ Quando „ ingressus fueris Terram quam Dominus „ Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari „ velis abominationes illarum gentium.... „ Gentes istæ quarum possidebis Terram, „ Augures & Divinos audiunt: tu autem „ a Domino Deo tuo aliter eruditus es. „ Prophetam, &c. „ His ergo Auguribus & Divinis Prophetarum successionem opponit, qui quidem Prophetæ idem apud Judæos munus obibunt, eidemque inservient ac Augures & Divini apud gentes. Augurum societati, Prophetarum seriem opponit. Ergo. Ex consequentibus vero idem probatur. Sic enim sequitur: „ Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ „ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex „ nomine alienorum Deorum, interficietur. „ Ibi Propheta ille novissimus arrogantia deceptus opponitur Prophetæ priori quem Mosi similem missurus est Deus: atqui per Prophetam novissimum non intelligitur Propheta talis & determinate sumptus, sed generaliter & plurali sensu. Quasi diceret Deus: loco Augurum quos gentes consulunt & audiunt, mittam vobis serie continua Prophetas qui legem meam vobis explanent. Quod si quis inter illos Prophetas ea dixerit in nomine meo, quæ ego non præcepi ei, interficietur. Ergo.

R. n. min. ad ejus probationem. Ad primam; dico inusitatam esse in Scriptura acceptationem Prophetæ singulari numero, sensu vero plurali. Nullum hujus rei legitur exemplum in S. Script. Manifestum est in *Ps.* 73. & *Deuter.* 18. 20. agi de Propheta generatim & indeterminate; sed magnum est discrimen inter utrumque loquendi modum. Uno verbo utriusque textus series est omnino diversa. Christus quidem Mosi dissimilis secundum divinitatem a qua hic præscinditur; sed est similis secundum humanitatem, quæ hic unico attenditur ex scopo hujus loci. Scopus enim ille est lenire Israelitarum animos ex fulgure & tonitru consternatos: his promittitur fœdus longe mitiori apparatu promulgandum. Hinc novi illius fœderis mediator proponitur tantum ut homo. Novus itaque ille Propheta attenditur non secundum totam suam naturam, sed secundum eum respectum quem postulabant circumstantiæ. Et certe constat apud omnes non hic agi de plena & adæquata similitudine, sed tantum de ea quæ ad rem est & Moysen spectat sub eo respectu qui ipsi specialis est & ipsum distinguit ab aliis hominibus & Prophetis. Porro speciales prærogativæ ac respectus ejus distinctivi tales sunt. 1. Familiaritas cum Deo. Deus Mosen alloquitur non in somnio, sed os ad or. 2. *Num.* 12. 7. Fidelitas in ministerio. 3. Legislativa potestas. 4. Virtus miraculorum. 5. Mediatoris munus. Jam vero illi characteres in nullum hominem singularem, nec etiam in Prophetarum collectionem cadunt; soli Christo competunt. Ergo solus Christus est ille Propheta. Ad secundam probationem deductam ex antecedentibus, dico 1. non præcise visioni & locutioni Dei immediatæ opponi petitionem Populi, sed locutioni per fulgura & tonitrua: ut patet ex contextu. Hinc illud: *Ne moriamur*. Quæ quidem ratio spectat tantum Deum cum illo majestatis splendore loquentem. Hinc contra Hominem Deum non militat. Nimio terrore correpta uxor Manue mortem timuit eo quod vidisset Dominum; his fortasse nixa verbis Dei ad Moysen: *Non enim videbit me homo & vivet*. Immo etiamsi Populi timor immediatæ Dei visioni opponeretur, non inde necessaria foret multorum Prophetarum successio; sufficit Propheta nomine Dei loquens temperato majestatis splendore, ut in Christo Deo simul & Homine. 2. Equidem petitioni Populi relativa est Dei responsio. Petierat Populus ut Deus jam non amplius loqueretur inter fulgura & tonitrua; at petitio illa non connectitur cum immediate præcedentibus. Proprie enim loquendo non postulat aut Prophetam, aut Prophetarum successionem. Ignorabat adhuc Prophetas Israel, nec aliud nisi præsentem circumstantiam attendebat, inscius adhuc utrum deinceps Deus iterum locuturus esset. Populus ergo in Horeb nec Augures, nec successionem Prophetarum cogitabat. 3. Falsum est Prophetas illos Judaicos ejusdem fuisse ordinis & muneris

ac Augures & Divinos in gentibus. Prophetam ergo illum prænuntiat Moses per incisam & separatam orationem; quæ sæpe in ejus historia recurrit, nec ullam dicit connexionem cum Auguribus, bene vero & unice cum petitione Populi in Horeb. Immo posset dici Prophetam illum unicum, omnibus Ethnicorum Divinis opponi; nec quicquam inde contra nos sequeretur. 4. Juxta Interpretationem quam refellimus, Prophetæ serie perpetua decurrere debuissent statim a Mose mortuo usque ad Christum; id exigebat enim causa desumpta ex Auguribus & Divinis; attamen nullus, aut fere nullus eminet sive a Mose ad Samuelem, sive a Malachia ad Christum. 5. Vox Propheta eodem sensu sumi non debet in toto loco illo; tria enim inibi prænuntiat Deus a se longe distincta. 1. Admonetur gens Judaica ne mores Populorum terræ Chanaan imitetur. 2. Respondet petitioni populi in Horeb. 3. Docet quid agendum sit si surgat Propheta Idolorum assecla. Tria illa objecta sunt omnino diversa. Ad consequentia vero manifesta est utriusque Prophetæ distinctio. In illo Deus verba sua ponit, hic vero exhibetur ut ordinarius minister. Circa falsum Prophetam jubet Deus ut interficiatur, at circa Prophetam singularem denuntiat: *Ego ultor existam*. Quæ verba conspicuam ac severam designant ultionem ut patet ex *Gen.* 9. 5. & 22. 42. Vide etiam *Paraphras. Chald.* ac proinde diversa est sanctio. Deinde esto quod hic Deus Populum præmuniat contra falsos Prophetas; at inde non sequitur Prophetam illum seductorem fore unum ex illis Prophetis quos serie continua missurus erat Deus.

Inst. Ex concessis, & ut patet ex textu, petitioni Populi relativa erat Dei responsio; *ut petisti in Horeb*, inquit textus: atqui de Messia, aut de nova lege nihil cogitabat Populus. Ergo.

R. dist. maj. Relativa erat Dei responsio aliqua ex parte: c. Ex omni parte: n. Dei responsio non est Populi petitioni relativa hoc sensu quod Deus nihil determinate promitteret nisi quod Populus determinate petierat; petitio enim Populi hoc sensu intellecta est tantum occasio Dei responsionis. Scilicet ut ipse exponit Abarbanel Comment. in *Deuter. c. 5. v.* 37. occasione sermonis in monte Horeb habiti, ubi mediatorem Judæi expostulant, illorum precibus annuens, promittit Prophetam Mosi similem se eis daturum. Sicut enim Moses ex his verbis, non quid sonent præcise, sed quid valeant concipit; nam Judæi sic affecti erant ex timore ut melius & blandius optarent sibi fieri verbum; sic Deus etiam audit & respondet, non secundum verba exterius sonantia, sed secundum affectum interius ardentem. Id unum ergo respicit Dei responsio, nempe terrorem Populi ex majestatis divinæ apparatu conceptum, & terrorem illum sedare insumit. Hoc solo sensu relativa est Populi petitioni Dei responsio.

Inst. Plurimi etiam inter Catholicos oraculum istud duplici sensu litterali exposuerunt, quorum alius successionem Prophetarum, alter vero Messiam spectat.

R. 1. esto. Nihil inde contra nos pro Judæis. Fatentur enim illi Interpretes hunc locum spectare Christum principaliter & litterali sensu. 2. Ubi duplex sensus litteralis adhibetur, debet uterque suo objecto apponi posse quoad omnes suas partes; jam vero oraculum istud sensum sortiri non potest plenum & adæquatum, si intelligatur de successione Prophetarum ut dictum est. Cæterum contra hos Theologos apponimus *Act.* 3. 22. & 7. 37. ubi Apostoli probare insumunt ex hoc loco Christum esse Messiam, tacentibus nec reclamantibus Judæis: atqui tamen respondere potuissent in adversa sententia immerito argui ex textu, qui designat successionem Prophetarum, non vero Prophetam singularem. Præterea ad hunc locum Deuter. alludit Christus Joan. 5. 46. De me scripsit Moses, alludunt etiam Judæi Joan. 6. 14. dum quærunt a Sancto Joanne-Baptista: Propheta es tu, aut dum loquuntur ibidem de Propheta venturo. Ergo.

Obj. 2. Nihil movet locus *Jer.* 31. Ut enim aliquid probaret, deberet evincere distinctionem, immo diversitatem novi fœderis ab antiquo. Atqui locus ille hanc distinctionem non exprimit. Nam

ex

ex allata probatione diversitas illa reponitur in his verbis : *Dabo leges meas in corde, &c.* At vero hæc innuunt tantum legem eandem, scilicet Mosaicam, diverso tempore & modo promulgandam esse, quæ jam amplius irrita non fiet, quia cordibus exarabitur. Itaque verborum istorum sensus hic est : Dabit Deus Populo suo novam & vehementem inclinationem, ac validam voluntatem ad implendam Mosaicam illam legem. Et in hoc consistit ratio hujus novi fœderis, non vero in eo quod lex illa nova & alia futura sit a lege in monte Sina. Unde ex eo loco non probatur lex nova & a Mosaica distincta, in quo prænuntiatur tantum nova ejus legis, Mosaicæ nimirum, promulgatio : atqui in verbis Jeremiæ modo prolatis, non nova lex, sed tantum nova ejusdem legis, Mosaicæ nimirum, promulgatio promittitur. Ergo locus Jeremiæ allatus nihil probat.

R. n. min. Et dico contrarium evinci tum ex sententia veterum Judæorum, tum ex loci ipsius textura, tum ex aliis locis parallelis. 1. Quantum ad veteres Judæos, hæc verba Jeremiæ de novo fœdere per Messiam sanciendo constanter & uniformiter intellexere. Rabbi Abarbanel in hunc locum *q.* 5. „ Hoc dictum „ docet Deum tempore futuræ redem„ ptionis daturum Populo suo legem no„ vam & aliam loco ejus quam habe„ mus. „ Rabbi Albo, hic nobis alias infensus, Ihkarim *l.* 3. idem testatur de omnibus priscis Judæis. „ Ecce, inquit, „ sic constat mentem illorum (*priscorum* „ *Judæorum*) fuisse omnes Israelitas post„ hac accepturos esse doctrinam alteram „ ut priorem, prorsus immediate ex ore „ Dei. „ His accenseri potest Grotius eorum affecla. „ Ita, inquit, tempora a „ Deo sunt directa, ut tempora Christi „ quadrent exactius; per hunc enim fœ„ dus non antiquum renovatum est, sed „ factum est plane novum ; & quidem „ non diuturnum, sed æternum. „ 2. Ex ipsa textus serie & textura. Jam enim diximus fœdus inter illud de quo agitur, & fœdus antiquum hic describi oppositionem. Adest oppositio 1. ratione temporum. *Ecce dies venient .... dabo .... feriam, &c.* 2. Ratione effectuum. *Non secundum pactum ...., dabo leges meas, &c.* 3. Ratione loci. *non secundum .... in die qua eduxi eos de terra Ægypti* : Non ergo hic commemoratur pactum Abrahæ, aut circumcisionis : sed agitur de solo fœdere quod Mosis ministerio in monte Sina sancitum est. Ergo in alio loco stabilietur novum illud fœdus. 4. Ex aliis locis parallelis. Jam diximus nomen illud *verba* usu frequentissimo in Scripturis venire pro lege & fœdere ; ac proinde hic agitur de lege & fœdere : jam vero *Malach.* 3. Messias vocatur *Angelus Testamenti*. Isai. 42. datus *in fœdus Populi*. Ibid. Datur *in lucem gentium*. Ps. 2. *Prædicat præceptum Domini*. Unde sic arguere licet. Illud quod post dies illos ex Jeremia futurum est, est illud idem fędus per Messiam sanciendum, non diffitentibus Judæis : porro ex aliis Prophetarum locis, fędus per Messiam sanciendum, non est tantum fęderis Mosaici mera renovatio. Nam fędus illud per Messiam sanciendum, describitur ut Messiæ proprium, hujus enim est Angelus. Messias est in lucem. Deinde fędus illud præcipue & potissimum spectat gentes. Deinde hic loquendi modus *ecce dies venient*, Messiæ est proprius ; per dies enim venturos sæpe in Scripturis designatur illud tempus. Præterea, ut modo observavi, fędus de quo hic Jeremias habet, non in Sina stabiliendum est. Sed ex multis aliis locis fędus per Messiam sanciendum non in monte Sina, sed in monte Sion sanciri debet : ergo non est ejusdem fęderis renovatio. Hinc Sinai & Sion ratione verbi Domini & manifestatæ gloriæ sibi opponuntur in scripturis. *Exod.* 19. 20. *Isa.* 2. 3. *Mich.* 4. 2. *Agg.* 2. 7. *Hebr.* 12. 26.

Inst. Totum hoc *Jerem. c.* 31. attente pervolventi manifestum erit antecedentia & consequentia spectare reditum e captivitate Babylonica. Deus ibi promittit Populo sua multiplicaturum beneficia. *Dabo*, inquit, *leges meas, &c.* id est, efficiam ut legem meam memoria teneant ; facilem hujus cognitionem præstabo ex multitudine Synagogarum. Dabo leges.... in cordibus, &c. per clariorem legis explicationem, &c.

R. n. ant. 1. In illa explanatione omnia emolumenta in textu allato enumerata ministerio Esdræ Judæis succedere debuissent ; nam sunt appendices novæ illius

illius promulgationis; ac proinde per hujus Promulgatorem præstari debuissent. Atqui tamen hæc non sunt data per Esdram. Non multas erexit Synagogas, non eam clariorem subministravit legis explanationem, non in corde Judæorum altius ac vividius quam Moyses inscripsit. 2. Jeremias hic plura & majora Populo prænuntiat beneficia, quam antea habuerant, ut vult objectio: atqui post captivitatem Babylonicam nec plura, nec majora fuere quam antea beneficia Populo concessa. 3. Vel ipse Rabbi Abarbanel fatetur hic agi de singulari, immo miraculosa Dei in Populum suum providentia, quæ sane sensum sui non facit in sola Synagogarum multiplicatione. Et sane, hæc verba *dabo leges meas, &c.* aliquid eximium & internum significant, quibus & hæc sunt synonima: *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Synagogarum multitudo uberiorem quidem potest præstare legis cognitionem, at ejus executionem conferre non potest. 3. Non diffitemur in citato capite agi de reditu e captivitate Babylonica, at rem illam ibi unice agi falsum est, & cognosci potest vel ex ultimo *v. Non evelletur & non destruetur ultra in perpetuum.* Quod falsum esset de possessione terræ Chanaan, ut patet experientia. Itaque postquam Deus promisit se post captivitatem propitium fore Populo suo, ipsique undequaque successura esse bona, ad tempora Evangelica delabitur pius Vates. Et merito; sicut enim captivitas Babylonica peccati & ejus miseriarum est figura, sic nova Jerusalem & liberatio per Cyrum, est typus futuræ per Christum redemptionis.

Obj. 3. Illa lex nec abroganda, nec abrogata fuit quæ est in æternum duratura: atqui talis est lex Mosaica.... Levit. 16. *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum.* Idem fere Deut. 19. & alibi passim.

R. dist. maj. In æternum æternitate absoluta & proprie dicta: c. Relativa & improprie dicta, n. Vox illa *in æternum* & huic synonimæ non unum eundemque sensum obtinent in Scriptura, præsertim veteri. Persæpe enim, fatentibus etiam Judæis, cogente textu, æternitatem tantum improprie dictam; relativam & indefinitam, immo etiam aliquando brevem temporis durationem quandoque significant. Sic Exod. 2. Servus statuitur in sæculum mansurus; vox illa in sæculum denotat ibi tempus usque ad Jubilæum. Ex subjecta ergo materia res est definienda. Porro relativam, conditionatam ac improprie dictam esse legis Mosaicæ æternitatem probant gravissima quæ pro ejus abrogatione allata sunt momenta. Ergo. Et certe ea voce usus est Moses, ea utuntur sæpe & homines, cum significare volunt ea quæ sic jubent, non annua esse aut certis temporibus, puta, belli, pacis accommodata; quo tamen non impediuntur homines quominus novas de iisdem rebus constitutiones edant, ubi id publica exegerit utilitas. Sic & Dei præcepta data Hebræis, ut observavimus, alia erant temporaria, quandiu nempe in locis desertis ageret Populus, ut *Exod.* 27. *Deuter.* 23. 12. Alia adstricta erant habitationi terræ Chanaan, ut *Deuter.* 12. 1. 20. & 26. 1. *Num.* 23. 52. Ab his ergo ut illa distinguat, perpetua vocat quo intelligi possit, non debere ea usquam intermitti, tacita semper hac conditione: nisi Deus contrariæ voluntatis signa manifestet. Quod quidem loquendi genus omnibus Populis commune, eo magis obvium erat Hebræis, quod nativum hujus vocis sensum ex subjecta materia eruendum esse optime callerent, ut patet ex dictis & frequenti usu hujus vocis in veteri Testamento.

Inst. Atqui hæc verba designant æternitatem proprie dictam. Verba enim quibus Moses legis suæ durationem expressit, vocem illam in sempiternum ad æternitatem omnimodam determinant. Sic v. g. *Deuter.* 31. „ Respondebit ei canticum istud „ pro testimonio quod nulla delebit ob- „ livio ex ore seminis. *Jer.* 31. Si defe- „ cerint leges istæ (*diei & noctis*) coram „ me, tunc & semen Israel deficiet. „ *Ps.* 118. Initio cognovi de testimoniis „ tuis, quia in æternum fundasti ea.

R. n. ant. ad prob. Ad primam dico hic agi de cantico Mosis ultimo. Ibi exprimit certitudinem & immutabilitatem divini consilii, & tria complectitur. 1. Pœnas & supplica quæ Deus in-

insumpturus est ex infideli Israel. 2. Liberationem Israel a captivitate peccati per Messiam. 3. Vocationem gentium ad fidem. Quæ nullo modo favent legis Mosaicæ æternitati, immo ipsi nocent. Ad secundam probationem. Textus Jeremiæ spectat novum fœdus & ejus stabilitatem. Ad tertiam. Psaltes agit de lege morali. Si quando similia occurrant de lege cæremoniali, serio attendenti patebit ea esse conditionata, conditionemque aut præcedere aut sequi.

Inst. Prophetarum ultimus Malachias Prophetiam suam concludit: „ Mementote legis Moysi servi mei quam mandavi ei in Horeb... Ecce ego mittam vobis Eliam, &c. „ Ex quibus verbis lex Mosaica perseverare debet usque ad Eliam. Ergo abrogari non debuit.

R. 1. Textus ille non dicit custodiendas esse sanctiones Mosaicas usque ad Eliam. Sed duo enuntiat valde a se distincta. 1. Legis observationem commendat. 2. Eliæ adventum prædicit. Deinde vox illa *mementote*, juxta contextus seriem, non importat nunquam abrogandam esse legem Mosaicam, nec inde præcipit Malachias ut illud credant Judæi; sed ut Populus legem illam colat posthabitis hominum placitis.

Inst. *Deut.* 12. „ Quod præcipio tibi „ hoc tantum facito; nec addas quid- „ quam aut minuas. „ Ergo ex mente Dei lex est immutabilis, ac proinde & æterna.

R. dist. conseq. Est immutabilis privata & humana auctoritate: c. Divina: n. Legislator quilibet idem vetat in quacumque lege sua; at potest vel per se, vel per alium ad id muneris a se deputatum legi suæ addere & detrahere. Sic ipse Rabbi Albo *l.* 3. *c.* 13. *in Deuter.* 12. fatetur Scripturam hic prohibere ne nos ad arbitrium nostrum aliquid addamus præceptis, vel detrahamus; at nihil prohibere quin Deus aliquid addat vel detrahat pro sua sapientia.

Inst. Sic ipse Christus *Matt.* 5. „ Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere.

R. 1. esto totum. Hic enim agitur de lege morali, ut indicat totius capitis series.

2. Dist. ant. Non venit solvere sensu Judæorum & etiam Apostolorum adhuc rudium & imbecillorum: c. Non venit solvere ullo modo, ullo sensu: n. Legem & Prophetas aliquando solvi debuisse, aliquo & certo quodam sensu, designant tum experientia, tum hæc alia ejusdem Christi verba. Matt. 11. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*. Cum ergo asserit Christus se non venisse solvere legem aut Prophetas, hæc dicit sensu opposito tum pravæ Judæorum interpretationi & consuetudini, tum Discipulorum præsenti tunc dispositioni. 1. Quantum ad Judæos; Judæi legem solvebant dum falsis Scribarum & Pharisæorum interpretationibus serviebant; dum suis actibus legem violabant. Solvebant Prophetas dum regni divini, id est Messiæ, adventum certis quibusdam observationibus alligabant, ut ipsi exprobrat Christus. Deinde Judæi Christum habebant ut seductorem & unum ex illis impostoribus qui nulla auctoritate, nullo nisi pravæ libertatis desiderio legis abrogationem sæpe attentarant. Præterea Christus Judæis eam exprobrat legis explicationem ex qua omnia ejus præcepta everterentur. (*Vide Matt.* 15. 16. his se opponit Christus: *Non veni solvere*, id est, non temero jura Dei, non sicut putatis propria hic auctoritate ago; sed impleo & perficio. 2. Quantum ad discipulos & Apostolos quos eo loci alloquitur Christus, cum iis habet eum qui dicitur in monte Sermonem. Hunc aggreditur occurrendo tacitæ objectioni quæ mentem eorum subire poterat. Scilicet ex libertate quam iis concesserat circa Sabbati observationem, libertatem illam ad omnia præcepta etiam moralia extendi posse, & existimare se a lege Mosaica semel liberos, nulli jam legi addictos iri. His dicit: *Non veni solvere, sed adimplere*. In eundem modum dicebat S. Paul. *Rom.* 6. „ Quid „ ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? absit. „ Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus? &c. „ Nativum autem hunc esse horum verborum sensum, patet ex totius Sermonis Christi serie. Ex isto enim principio duas educit conclusiones. Primam: eum qui solverit unum de manda-

datis, etiam minimis, & sic docuerit homines, minimum futurum esse in Regno cælorum. Secundam: suorum Discipulorum longe perfectiorem esse debere legis adimpletionem præ Scribis & Pharisæis. Toto hoc sermone incumbit Christus in aperiendo vero legis sensu, in corrigendis pravis interpretationibus. His opponitur *non veni solvere*, *&c.* Unde hæc omnia manifeste innuunt hic agi vel de solutione mera & vacua, ad mentem Judæorum cui opponitur figurarum adimpletio per Christum; vel de solutione quæ etiam præcepta moralia evertat, ut suspicabantur. Apostoli cui opponitur severa de minimi præcepti violatione ultio, & jussio de ardenti summæ perfectionis desiderio. Uno verbo excluditur legis solutio quæ in Dei contemptum vergat, non quæ Dei consiliis ac decretis obsignata erat. Consuli possunt quæ alibi in alio opere de hoc textu disputavimus ad hunc textum cum legis abrogatione & æternitate conciliandum.

Inst. Nihil corrigitur, nihil solvitur, nisi quod est imperfectum: porro Deus legem imperfectam condere, aut semel conditam mutare non potuit quin in injustitiæ aut vanitatis & inconstantiæ suspicionem veniat.

R. dist. maj. Nisi quod est imperfectum vel absolute vel relative: c. Absolute: n. Dico itaque 1. legem Mosaicam fuisse imperfectam relative. Legis perfectio desumenda est ex ejus proportione cum scopo & fine intento. Porro lex Mosaica eo fine a Deo erat instituta ut plebem Messiæ pararet. Ergo minus perfecta esse debebat quam lex per Messiam danda. Ergo relative ad legem illam imperfecta erat œconomia Mosaica. Et certe sapiens Legislator in condendis legibus subditorum indoli & conditioni sese accommodat; Judæi erant adhuc rudiores, erudiendis pueris similes solidum cibum capere non poterant. Lex eorum erat Pædagogus, & hoc iterum sensu imperfecta relative. V. S. Aug. *Epist.* 137. 138. alias 4. 5. 2. Non est autem imperfecta absolute, quia nullum in ea relative ad finem intentum reperitur vitium. Immo fini intento optime collimabat, & erat infantili Judæorum conditioni proportionata. Porro licet lex illa foret perfecta in se & absolute sumpta, Deus potuit eam condere & conditam corrigere, absque ulla injustitiæ aut levitatis labe. Deus enim nulla lege cogitur ad plenam & omnimodam sui manifestationem, sicut, ut jam diximus, non tenetur manifestare sua attributa quantum potest; ergo potuit dare legem imperfectam, id est imperfectam sui cognitionem; quæ quidem lex aut cognitio est imperfecta tantum relative ad aliam ampliorem quam dare decrevit, & relative ad indolem eorum quibus se manifestat. Ergo.

Inst. Ex Ps. 118. *Lex Domini immaculata*, Hebr. perfecta *convertens animas*. Ergo corrigi non debuit. Et sane præcepta moralia, de quibus hic agitur, ad dilectionem Dei & proximi a Christo & Apostolo reducuntur. Porro hæc duo docet lex Mosaica eodem perfectionis gradu ac lex Christiana.

R. dist. Perfecta in suo genere, pro circumstantiis in quibus data est, & relative ad finem destinatum: c. Absolute: n. Ad prob. dico legem Christianam a veteri in hoc differre quod clarius & disertius hujus duplicis mandati consequentias, & consectaria evolvat.

Obj. 4. Nihil evincunt oracula de gentium conversione. Hanc enim Prophetæ sic vaticinabantur aut quia gentium conversionem optabant, aut quia Judæos his comminationibus ad legem servandam incitabant.

R. n. ant. ad prob. Ad primam: verba Prophetarum nimis sunt absoluta & diserta, ipsa oracula nimium sunt multiplicia, ac in circumstantiis determinata ut rem chimericam & nunquam eventuram designent. Deinde mirum est vota illa tanta cum proportione eventu completa, & in omnibus ac singulis circumstantiis esse firmata. Denique vocatio illa gentium cum Judæorum reprobatione constanter & perpetuo conjungitur; quæ certe non sonat Prophetas illos genti suæ adulatos. Ad secundam: etiamsi oracula illa essent comminationes, nihil obstat quin comminationes illæ vera sint etiam oracula. Præterea meræ comminationes sub conditione solent exprimi; oracula de vocatione gentium sunt absoluta. Deinde nullus, nisi Deo revelante,

te, potuit animo præconcipere legem de Sion exituram & verbum de Jerusalem proditurum. Denique pœnam aliquam comminatur, malum proximum, & statim post prævaricationem infligendum assignat. Attamen vocatio gentium novissimis diebus affigitur. Immo pœna reo est indecora; at vocatio gentium, ex Prophetis, est gloria Jerusalem. Ergo.

Obj. 5. Religio ex se & ex natura sua non est caduca & fragilis; immortalis est & æterna sicut Deum quem colit. Ergo aut œconomia Mosaica non erat Religio, aut si talis sit, non potuit abrogari.

R. dist. ant. Religio quoad substantiam est immortalis & æterna: c. Quoad modum: n. Audiamus ipsum S. August. hæc nobis edisserentem. „ Quanto errore delirant, inquit c. Faust. *l. 9. c. 25.* „ qui putant signis sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, „ quas ritus propheticus prænuntiavit „ esse promissas, & quas ritus Evangelicus annuntiavit esse impletas; aut „ qui censent, cum res eædem sint, „ non eas aliis Sacramentis annuntiari „ debuisse completas, quam iis quibus „ adhuc complendæ prænuntiabantur.... „ Quid enim sunt aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi verba quædam „ visibilia, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia & temporalia? Deus „ enim æternus est, nec tamen aqua, „ & omnis illa actio corporalis quæ agitur cum baptisamus & fit, & transit, æterna est... Hæc omnia fiunt & „ transeunt... virtus tamen, quæ per ista „ operatur, jugiter manet; & donum „ spirituale quod per ista insinuatur, æternum est „. Hæc ergo sanctus Augustinus ubi distinguit 1. signa quibus exercetur & manifestatur Religio; en Religionis modus. Signa ista transeunt, nec tamen Deus transit. 2. Donum spiritale his signis transmissum, & virtus donum illud transmittens; en Religionis substantia; en quod in Religione æternum est. Item veritates tum speculativæ, tum practicæ quæ ipsamet rerum essentia nituntur, sunt etiam Religionis substantia, nec pendent a signis exterioribus quibus significantur.

Obj. 6. Præsens Judæorum conditio non evincit eos jam non esse veræ revelationis custodes. Duo siquidem involvit præsens illa Judæorum conditio, luctuosam nempe & acerbam omnium malorum congeriem, & stupendam in quodam statu mortis permanentiam. Jam vero horum primum nihil evincit, secundum vero contrarium propositæ assertioni probat. Ac 1. quidem quantum ad præsentem calamitatis statum, ex eo nullatenus probatur Judæos non esse veræ ac legitimæ revelationis custodes. In tantum enim status ille istud evinceret, in quantum foret pœna spretæ ac neglectæ revelationis a Christo propositæ: porro nedum evincatur statum illum esse pœnam neglectæ illius revelationis, immo planum est & apertum eum esse pœnam iteratæ a Judæis Idololatriæ. Utrumque enim & Idololatriæ scelus & ejus supplicium pronuntiavit Moses. Deut. 31. v. „ 19. & 20. Populus iste consurgens for„ nicabitur post Deos alienos in terra ad „ quam ingreditur ut inhabitet in ea. „ Avertentur ad Deos alienos, & ser„ vient eis. Et c. 32. v. 15. 16. 18. dere„ liquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo. Provocaverunt „ eum in Diis alienis .... Immolaverunt „ Dæmoniis & non Deo... Deum qui te „ genuit dereliquisti „ &c. Qui quidem textus nihil exhibent nisi Idololatriam. Pœna autem huic prænuntiato sceleri reservata sic describitur, *c. 31. v. 17. 18.* „ Et irascetur furor meus contra eum „ in die illo, & derelinquam eum, & „ abscondam faciem meam ab eo, & „ erit in devoratione. Et *c. 32. v. 21.* „ 22. 23. 24. 25. Ipsi me provocaverunt „ in eo qui non est Deus.... & ego pro„ vocabo eos in eo qui non est Popu„ lus .... Congregabo super eos mala.... „ consumentur fame... foris vastabit eos „ gladius, & intus pavor, &c. „ Ecce vindictam Idololatriæ sceleri modo prænuntiato affixam. Hujus vindictæ duo sunt præcipui characteres. Primus reprobatio a Deo. Reprobatio illa est absoluta ac perpetua, tum quia nulla temporum restrictione limitatur, tum quia cum novi Populi substitutione conjungitur. Secundus omnium omnino malorum, tum a dextra, tum a sinistra conglomeratio. Hoc duplici charactere vestitur

præ-

præsens Judæorum calamitas, adeo ut merito judicetur illam ipsam esse quam delineavit Moses in Idololatriæ ultionem. Pronum est ergo concludere calamitatem illam non esse neglectæ revelationis Christianæ pœnam, sed præcedentium scelerum ultionem. Ergo ex illa calamitate minus feliciter evincitur Judæos non jam esse veræ ac legitimæ revelationis custodes.

2. Contrarium probat Judæorum duratio & constantia inter tot acerbitates ac destructionis principia. Evanuerunt enim innumeræ gentes; immensa perierunt imperia, licet potentissimis munita præsidiis; at vero permanent Judæi, licet omnia contra eos ubique & ab omnibus ferro & igne tentata fuerint. Porro hæc permanentia probat Judæos esse etiam nunc Populum Dei & fidos revelationis ejus custodes. Duratio enim illa non potest non esse nisi fœtus paternæ ac specialis providentiæ. Specialis illa providentia spectare non potest Populum hostem & reprobatum. Prospicit ergo Deus suæ revelationis conservationi. Ergo spectat Judæos ut fidos genuinæ revelationis custodes.

Et certe ideo Deus gentem illam conservabat ante tempora Christi, etiam inter sævissima quæque, quia suam tutabatur revelationem. Ergo a pari idem dicendum est de temporibus post Christum; nulla afferri potest disparitatis ratio. Si enim recurras ad Christianæ revelationis promulgationem quæ Judaicæ Religionis insufficientiam arguat, supponis quod est in quæstione. Christianæ enim revelationis veritas eruenda est ex reprobatione & præsenti Judæorum statu. Si conservationem illam prætendas ut jungitur cum calamitate, nihil moves; nam eadem & conservatio & calamitas recurrit in captivitate Babylonica in qua tamen nulla erat aut Populi, aut revelationis ejus reprobatio. Ergo exponenda est illa reprobatio ad sensum prophetiæ Mosis, & ex iteratis Idololatriis eruenda. Ergo non ex spreta Christi revelatione. Sic itaque totum istud argumentum resumere juvat. Duo involvit præsens Judæorum conditio; 1. cumulatam omnium malorum congeriem; 2. Duratam conservationem in illis malis: atqui horum primum nihil probat, secundum vero Judæis favet. Ergo ex præsenti Judæorum conditione non probatur eos non esse legitimæ revelationis custodes.

R. n. min. Quoad utramque partem.... Judæorum conservatio in suo miseriæ statu Deum iratum indicat. Illa Dei ira in nullam aliam causam refundi potest, nisi in aliquam culpam. Constanti enim rerum ordine Deum benignum, ubi fideles erant, experti sunt, nec adversum, nisi ubi ab eo discesserant. Jam vero culpa illa nulla alia esse potest præter repulsam Messiæ & revelationis ab eo propositæ. Ergo.

Inst. Quoad primam part. Præsens Judæorum miseria non probat eos jam non esse legitimæ revelationis custodes. In tantum istud verum esset in quantum miseria illa foret pœna neglectæ revelationis a Christo propositæ: atqui miseria illa est pœna iteratæ Idololatriæ. Ergo.

R. n. min. Et dico præsentem Judæorum sortem fluere ex indurata cervice contra Christum Deum & nomine Dei loquentem. Hæc enim Judæorum calamitas tribus vestitur characteribus qui verificari non possunt in Idololatriæ ultione, acerbitatis scilicet, universalitatis & durationis. Præcesserit ergo oportet crimen gravissimum, toti genti commune & quod adhuc perseveret nulla expiatione deletum, ac proinde insolitam, nec transitoriam pœnam expectet. Jam vero nullum tale aliud crimen in gente Judaica reperiri potest præter occisum Christum. Nullam enim Idololatriam nunc redolet gens Judaica; antiquas hujus sceleris labes jam sufficienti & pœna & fletu abluerat; tota hæret in observanda lege Mosaica quantum finit præsens eorum status. Cum venit Christus, toto cœlo distabat Populus Judaicus ab Idololatria.

Inst. Calamitas quam patiuntur Judæi eos omnes habet characteres quos describit Moses: sed calamitas quam describit Moses respondet Idololatriæ: ergo præsens calamitas quam patiuntur Judæi, est pœna Idololatriæ.

R. 1. n. maj. Calamitas quam prænuntiavit Moses, non habet absolutæ & diuturnæ reprobationis characterem quem præ se fert præsens eorum miseria. Inter alias enim ultiones quas de Judæorum Idolo-

lolatriis repetebat Deus, nonnulla interdum paternæ benevolentiæ signa dabat; Prophetas mittebat mox futuræ liberationis prænuntios & sponsores; integra stabat societas; hic vero omnia contrarie succedunt.

R. 2. dist. min. Respondet Idololatriæ, sed non hodiernæ Judæorum agendi rationi: c. respondet Idololatriæ & simul hodiernæ Judæorum agendi rationi: n. Ut valeret argumentum, necesse foret vel ut Moses Idololatriæ de qua loquebatur, ascripsisset pœnam quam nunc solvunt, vel ut declarasset eos Idololatriæ reos fore, cum eam durarent miseriam quam minabatur. Tuncque assignanda esset nova Judæorum Idololatria hujus afflictionis temporibus vicina. Porro nihil horum dici potest. 1. Enim calamitas quam præfatur Moses, non est eadem ac ea cui subjacent Judæi; ex dictis. In illo ipso Mosis oraculo castigationis limites ponuntur: *v.* 26. 27. 35. 36. 43. „ Cessare „ faciam ex hominibus memoriam eo„ rum. Sed propter iram inimicorum di„ stuli ... Judicabit Dominus Populum „ suum & in servis sus miserebitur... „ sanguinem servorum suorum ulciscetur, „ & vindictam retribuet in hostes eorum, „ & propitius erit terræ Populi sui. „ In his vides calamitatem a Mose prædictam non esse sine remedio; at tot anni, immo tot sæcula effluxerunt ex quibus dura exercentur fortuna Judæi absque ullo solatio: hanc calamitatem vaticinatus est Daniel eodem modo & eadem de causa ut executioni demandatur. Ergo non est ea quam prædixit Moses Idololatriæ responsuram. 2. A captivitate Babylonica huc usque ne levissima quidem occurrit Idololatriæ suspicio in gente Judaica. Jam vero præcedentes Idololatrias sufficienter ultus est Deus; iterata plenæ veniæ signa concessit. Ergo iterum pœnas earum sumere jam non decet Deum. 3. Vel Idololatriæ illæ forent, quarum reus fuit Populus ante ingressum Chanaan, vel post: ex contextu *c.* 31. & 32. manifestum est agi de Idololatriis post adeptam terram promissam. Sed ex illis nulla est quæ statutam a Deo plagarum mensuram non acceperit. Ergo.

Inst. Et prob. maj. scilicet præsentem Judæorum calamitatem omnes habere characteres quos describit Moses. Unus ex præsentis Judæorum miseriæ characteribus est reprobatio gentis Judaicę quę plagarum diuturnitati consociatur: jam vero illo etiam charactere vestitur calamitas a Mose prędicta. His enim verbis indicatur reprobatio: *abscondam faciem meam ab eis, provocabo eos in eo qui non est Populus:* xv. Rom. 10. Sed reprobatio, miserię diuturnitatem importat. Ergo. Unde sic resumo. Calamitas a Mose comminata reprobationem absolutam importat. Ergo eadem est ac pręsens.

R. n. an. Vitium hujus argumenti in eo consistit quod hęc verba: *provocabo eos in eo qui non est Populus* referat ad Idololatriam prędictam; quod stare non potest. Nam substitutio illa Populi est perpetua ex se; sed in eodem loco pœnę prenuntiatę pręfiguntur limites. Ergo reprobatio illa non respicit Idololatriam. Observandum est novi Populi electionem in locum Judęorum nullibi in scripturis ascribi Idololatrię Judęorum; deinde reprobationem illam deleri non posse ex scripturis, nisi per Judęorum participationem novo cuidam testamento condendo; e contra calamitas qua premuntur Judęi, finem acciperet per hostium eorum deletionem.

Inst. Quoad conservationem Judęorum. Ante Christum passum Judęorum conservatio probabat Judęos esse legitimę revelationis custodes, etiam dum variis vexarentur malis; ut Machabęorum tempore. Ergo a pari pręsens eorum conservatio idem evincit.

R. n. conseq. Disparitas in eo consistit quod conservabantur cum innumeris divinę benevolentię signis; nunc autem conservantur dispersi, palabundi, cęlesti eos perurgente judicio. Conservantur uno verbo cum omnibus irę divinę signis. Conservantur etiam Dęmones & damnati in inferis, nec ex illa conservatione quicquam inferri potest in eorum gratiam. Itaque non tam conservatio ipsa quam ejus modus attendi debet.

TRACTATUS DE RELIGIONE

LIBER TERTIUS.



SECTIO IV.

De Religione Christiana.

ECce tandem ultimam & præcipuam hujus controversiæ partem attigimus. Judæos revelationis hujus custodes jam non esse constat ex iis quæ de eorum legis abrogatione modo diximus. Ergo apud alios inquirenda est illa uberior revelatio quæ legis naturalis ruinas resarciat. Et quidem, ut jam monuimus, litem illam dirimere facile possemus ex propositionibus supra stabilitis. Probavimus enim uberioris illius revelationis promulgationem & cultus Mosaici abrogationem Messiæ ascribi. Nobis ergo sufficeret evincere Jesum illum Nazarenum quem suum fundatorem agnoscunt Christiani, esse illum ipsum Messiam Judæis olim promissum. Quod quidem lubenti animo exequeremur nisi hæc in alio tractatu legerentur. At nobis propositum fuit huic disputationi propria scribere, ne studiosa juventus orbe annuo eadem volvere ac revolvere cogatur. Brevitati semper studentes, quædam omisimus argumenta quæ hic congerunt Religionis Christianæ defensores, æstimantes hinc minus distractam ac divisam fore legentium attentionem. Quam ergo amplexi sumus methodum in asserenda Religione Judaica, huic insistimus in vindicanda Religione Christiana. Ex miraculis & oraculis Christo propriis totam rem istam æstimamus, tantoque lubentius hanc viam arripimus quod jam complanata sit ex iis quæ supra pro Religione Judaica protulimus; jam victoriam quasi manu prensamus. Quæcumque enimvero protulimus argumenta ad probandam factorum Judaicorum veritatem, ea militant ad stabilienda facta Christiana. Unde si Judæi argumenta illa invalida & sine robore dicant pro Religione Christiana, eadem invalida esse pro Religione Judaica contendant necesse est. Sic si quis Paganus, v. g. ab ipsis quærat cur credant miracula a Mose facta, nihil aliud dicent, quam inter suos adeo perpetuam constantemque ejus rei famam fuisse, ut ex sola oculatorum testium relatione proficisci debuerit. Porro eodem nos nitimur argumento ubi Christianam Religionem astruimus. Ergo aut in utroque, aut in neutro casu valere debet illud momentum. Hic supponimus facta Evangelica esse possibilia; & merito quidem, probata nimirum miraculorum possibilitate. Facta autem Evangelica hic voco eventus, miracula, oracula & omnia quæ Christus patravit aut edidit in Judæa, ac rerum istarum congeriem. Hæc itaque stabilienda sunt de Religione Christiana, hujus nempe veritas, divinitas & sanctio.

ARTICULUS I.

De veritate Religionis Christianæ.

SIcut Religionis Judaicæ veritatem & divinitatem primario in veritatem & divinitatem Pentateuci reposuimus; ita Religionis Christianæ veritas & divinitas in veritatem & divinitatem librorum Novi Testamenti juxta nos recumbunt. Librorum etiam illorum veritatem non minimum suffulcit eorum authenticitas. Hic autem libros Novi Te-

Testamenti quatuor præsertim Evangelia appellamus; deinde Apostolorum Epistolas. Ac quemadmodum divinam Mosis legationem ac missionem ex oraculis & miraculis deduximus, sic iisdem sigillis obsignatam Christi missionem divinam esse inde eruimus. Hincque revelationis ac Religionis Christianæ veritatem simul & divinitatem nobis pronum erit concludere. Sic ergo rem aggredimur.

QUÆSTIO I.

De authenticitate Librorum Novi Testamenti.

Memoriæ sane non excidit librum genuinum, seu authenticum eum esse qui ab eo authore scriptus sit a quo scriptus esse dicitur. Nec etiam mentem fugit librum illum ut genuinum habendum esse, qui ut talis habitus sit ab omnibus proxime & continua serie sequentibus eum ætatibus. Meminit denique librum coætaneum eum esse qui eo circiter tempore scriptus sit, quo res in eo scriptæ contigerant. His in memoriam revocatis, sit

CONCLUSIO I.

Fictitia Librorum Novi Testamenti suppositio est impossibilis.

Prob. Libri cujuslibet suppositio pendet ex circumstantiis temporum, locorum, personarum & rerum. Atqui ex omni parte & ratione omnium istarum circumstantiarum impossibilis est librorum Novi Testamenti suppositio. 1. Ratione temporis. Nullum excogitari potest tempus, nulla assignari potest epocha in qua supponi potuerint illi libri. Vel enim ante, vel post subversam Jerusalem, vel ante, vel post mortem Apostolorum suppositi fuere illi libri. Atqui 1. non ante subversam Jerusalem. Toto enim tempore fervebant persecutiones contra Apostolos & Christianos. Cudendis ergo mendaciis tempus illud non erat aptum. Nimium deinde recens erat factorum memoria, viciniora tempora quibus contigisse narrabantur, quam ut aliquid fingi posset. Idem est ac si quis contenderet die quadam totam Judæam vespere decubuisse factorum illorum ignaram, immo de eorum falsitate convictam, mane vero surrexisse inversis, ut ita dicam, ideis, mutato cerebro, alia memoria factorum illorum veritatem adeptam. Ut brevissimo illo temporis intervallo mendacia sua persuadere potuissent Apostoli, supponi deberet omnes homines delirasse ac gravi sopore obrutos Religionis Christianæ institutionem somniasse; ac omnes insanivisse rerum antea gestarum immemores. Immo oporteret aliquem eo stultitiæ devenisse ut somnia sua scriptis mandavisset & in omnes orbis partes transmisisset: supponi denique deberet totum orbem eo usque desipuisse ut chimæram admisisset pro ea ad mortem usque obstinatum. Quæ omnia sibilo potius excipienda, quam solida ratione confutanda. 2. Non post subversam Jerusalem. Corruente & excisa hac civitate numerosæ erant Christianæ Ecclesiæ Romæ, Philippis, Thessalonices, &c. quibus sane impossibile fuisset persuadere ipsis scriptas fuisse ab Apostolis Epistolas, quas tamen Apostoli non scripserant. Præterea in omnibus fere Novi Testamenti libris mentio fit Jerusalem; ne unum quidem verbum de ejus excidio in iis occurrit: atqui sane eventum tanti momenti non tacuissent libri illi, si conscripti & suppositi fuissent post eversam Jerusalem. Præsertim cum inservisset istud ad confirmandam Religionis Christianæ veritatem ex prophetia eventu completa. Ergo libri illi adhuc superstite Jerusalem exarati sunt. Ergo non potuere supponi post eversam illam civitatem. Deinde recurrunt argumenta modo allata contra suppositionem quæ Hyerosolimitanum excidium antecessisset. 3. Non ante mortem Apostolorum, iisque adhuc viventibus. Supponamus, v. g. gratis confictas esse Epistolas S. Pauli, & aliquem ejus nomine eas falso inscripsisse. Diu istud latere non potuit S. Paulum. Nam arctissimo cum iis Ecclesiis quas fundaverat commercio consociabatur; frequenter suos ad eas mittebat Discipulos eas invisendi, consolandi & monendi gratia; immo eas sæpe sæpius personaliter invisebat. Ergo tale

le mendacium perspectum non habere non potuit S. Paulus. Jam vero nec etiam contra detectam fraudem reclamare non potuit. Quis ergo concipiat libros ut divinos agnitos fuisse, immo tanta religione asservatos esse renitentibus iis quorum nominibus insigniebantur, etiam eo ipso tempore quo libros illos exauctorabant Apostoli? Deinde etiam si S. Paulus fraudes illas aut ignorasset aut tacuisset, haud impune sane tulissent Ecclesiæ illæ ad quas directæ fuerant illæ Epistolæ. Earum enim author Ecclesiarum illarum institutorem se traducit & nominat. Noverant sane illæ Ecclesiæ & loquendi & scribendi modum primi sui Apostoli; nec dum oblivioni tradita erant sive dogmata ab eo tradita, sive facta propriis oculis excepta. Itaque vel concedent Deistæ Ecclesias illas vere fundatas esse ab iis quos earum Institutores faciunt illæ Epistolæ, vel istud negabunt. Si negant, jam factum publicum negant gratis & sine ullo emolumento. Idem est ac si negarent extitisse Christianos. Si vero concedunt, jam fateantur etiam necesse est Epistolas eorum esse quorum nomina præ se ferunt. Utrumque enim factum arctissimo connectitur vinculo; nam Epistolæ illæ multa ferunt quæ in solos Ecclesiarum ad quas diriguntur fundatores cadere possunt. Prætorea scire an Epistolæ illæ eorum authorum essent æque sensibile ac cognitu facile erat, ac scire an revera Ecclesiæ tales ab his aut ab illis fundatæ essent. v. g. Tam sensibus obvium erat & cognosci facile poterat an Corinthianam Ecclesiam S. Paulus fundasset, quam an Epistolas ejus nomine insignitas scripsisset. Unde tam repugnat suppotitias fuisse illas Epistolas, quam Ecclesias non fundatas esse ab iis a quibus institutæ credebantur. Utraque fraus ex æquali parte patuisset. Ergo librorum Novi Testamenti gratuita suppositio detectu facillima fuisset, & vel ab uno evinci potuisset. Ergo fraus impossibilis erat viventibus Apostolis. 2. Erat etiam iis demortuis. Si enim agatur de tempore quod eorum mortem proxime excepit, nimium recens erat Apostolorum tunc temporis memoria, quam ut innumeris Ecclesiis persuaderi posset ab ipsis acceptas fuisse Epistolas, de quibus tamen nunquam audierant. Quis credat, v. g. Romanos non stolidioris sane ingenii, talem fraudem uno ore combibisse? Nec omittendum Paulinas Epistolas, immo libros illos omnes non satis hominum propensionibus accommodatas esse, ut nullo prævio ac maturo examine statim admittantur. Denique si attendantur circumstantiæ in quibus conscriptæ sunt illæ Epistolæ, manifesta erit earum suppositionis impossibilitas. v. g. Epist. ad Romanos ad eos directa est eo tempore quo Judæi & Gentiles ad fidem conversi de suis meritis acriter inter se disceptabant. Quo animorum æstu exarserint Corinthiani cum iis scripsit S. Paul. quanta severitate in eos sævierit, nemo ignorat. Tales sane circumstantiæ suppositioni non favent, immo adversantur. Quantum vero ad alia tempora quæ Apostolorum mortem subsecuta sunt, quo magis ab illa morte discedimus, eo magis fraus repugnat. Tunc enim adsunt ubique terrarum innumeræ hominum myriades qui librorum illorum fidem ac veritatem agnoscunt. Quin ab ipsa Apostolorum morte, & per singulas variorum sæculorum epochas varia exarserunt dissidia quæ huic suppositioni viam præcludant. v. g. Polycarpus Romam venit cum Episcopo Romano collaturus de Paschate celebrando. De hac quæstione inter se convenire non possunt duo eximii illi viri; de authenticitate & genuinitate librorum Novi Testamenti nulla tamen inter eos unquam fuit disceptatio. Ergo nulla 1. assignari potest suppositionis epocha. 2. Eadem suppositio repugnat ex parte locorum & personarum. Libri illi omnium manibus ubique terebantur; citantur etiam & appellantur ab omnibus celeberrimis viris qui his libris sunt coætanei, aut posteriores. Præterea quo zelo pro eorum librorum conservatione exarserint Christiani; qua eos reverentia coluerint, nemo nescit. Hinc unoquoque sæculo si quis vel librum supposuerit, vel genuinum corruperit ipsi aut addendo, aut detrahendo, statim in eum & quidem severe animadversum est; fraus statim detecta, statim confutata. Unde sic arg. Illud opus genuinum est cu-

jus suppositio, si adulterinum fuisset, debuit esse evidens & conspicua: atqui tales sunt libri Novi testamenti. Nam libri illi omnium oculis obversabantur, omnium manibus terebantur, proferuntur ab auctoribus coætaneis & posterioris cujuslibet ætatis serie non interrupta, horum denique causa omnes ad mortem parati semper fuere: atqui repugnat tot homines, sic affectos, & quibus libri illi erant tam familiares, deceptos fuisse circa librorum illorum genuitatem; ergo eorum suppositio, si adulterini sint, evidens ac conspicua fuisset. Ergo repugnat illa suppositio ex parte locorum & personarum. 3. Repugnat etiam ex parte rerum. Nam doctrina quam tradunt illi libri, sensibus est aspera & austera, ad mortem usque pro se certandum docent libri illi; dogmata proponunt rationi impervia. Porro incredibile omnino est innumeram hominum multitudinem conspirasse in talem fraudem, tam nocivam, tam audacem, tamque difficilem. Præterea nullam non cautionem adhibet qui pecuniam suam aliis mutuo dat; quanto minus negligens erit, non dico, unus homo, sed immensa hominum multitudo in recognoscendis libris quorum causa bona omnia abdicat. Et sane eo nexu ac vinculo inter se connectuntur libri illi ut unus suppositius esse non possit, quin cæteri omnes eamdem suppositionis labem contrahant. Ergo cùm repugnet omnes simul libros Novi Testamenti suppositios esse, immo cum id nullus huc usque dixerit, repugnat etiam vel unum suppositionis argui posse. Ergo.

CONCLUSIO II.

Libri Novi Testamenti eos habent Auctores quorum nomina præ se ferunt.

PRob. 1. ex Conclusione mox præcedenti. Impossibilis est librorum illorum suppositio. Ergo libri illi eos habent auctores, &c.

Prob. 2. Argumento probabilitatis & convenientiæ. Si semel conjicere liceat Apostolos libros conscribere debuisse ad normam librorum Novi Testamenti, probabile erit libros illos Novi Testamenti quos habemus, auctores habere Apostolos. Quæ enim probabilitas eos deluisse in re necessaria & eorum fini ac scopo adeo convenienti? Unde sic in forma propono. Ut probabile sit libros Novi Testamenti eos habere auctores quorum nomina præ se ferunt, satis est quod probabile sit Apostolos tales conscripsisse libros: atqui probabile est Apostolos tales conscripsisse libros. Nam constat Apostolos & Evangelii prædicationem & fundationem meditatos fuisse non ut caducum quid aut aliquot dierum, sed ut opus constans & æternum: atqui hoc semel posito Apostolorum consilio, probabile est eos libros Novi Testamenti quos habemus, ab iis conscriptos fuisse. Nam posito semel dicto Apostolorum consilio, ea media usurpare debuerunt quæ tutiora & aptiora forent ad assequendum illud propositum: atqui nullum fuit ipsis tutius & aptius medium Evangelio in æternum conservando quam conscribere libros & codices in quibus Evangelii hujus facta, dogmata & præcepta continerentur. Ergo probabile est Apostolos, pro sua sapientia & pro eo quem intendebant fine & consilio, libros Novi Testamenti quos habemus, conscripsisse. Et vero probabile est Apostolos non magis incautos ac incurios fuisse pro Evangelii constantia & duratione, quam legum conditores & Imperiorum fundatores, aut Philosophos alicujus nominis & Sectarum Principes, aut denique Hæresiarchas. Porro hi omnes vel leges suas, vel scholæ suæ principia, vel Hæreseos suæ capita scriptis mandare curarunt. Ergo probabile est Apostolos summam Evangelicæ historiæ, ejus dogmatum ac præceptorum etiam scripto reliquisse, & id eorum sapientiam maxime decet.

Prob. 3. Ex consensu & testimonio omnium Christianorum. Jam istud argumentum delibavimus. Nihil venerandum magis est quam fides publica; nihil firmius ac certius quam id in quod conspirant homines alias discordes, & in omnibus, patria, indole, &c. dispares. Porro omnes ad unum Christiani testantur librorum illorum authenticitatem. Recole quæ supra diximus de Mose Pentateuci

ci authore. Et certe impossibile est fideles deceptos fuisse in ista quaestione. Si enim decepti fuissent, vel quia libros illos falso putassent esse Apostolorum, vel quia ignorassent librorum illorum authores, & deinceps nomina Apostolorum iis libris apposita fuissent: atqui 1. falso & temere sibi persuadere non potuerunt omnes Ecclesiae particulares per orbem dispersae libros illos esse Apostolorum, dum tamen eorum non essent. Nam libri illi sunt maximi momenti, perpetuo eorum oculis observabantur, & manibus terebantur. Ergo libri illi non potuerunt a Fidelibus recipi nisi certo comperta eorum authenticitate. 2. Fideles ignorare non potuerunt, &c. Commercium enim facile erat inter varias Fidelium urbes; si Apostoli propria manu sua opera Fidelibus tradebant, tunc res confecta erat. Si opera illa aliena manu asportabantur, facile erat eorum originem recognoscere. Poterant Corinthiani quaerere ab Alexandrinis an Evangelium S. Marci sub ejus nomine revererentur, &c.

Prob. 4. Ex confesso adversariorum. Ne unus quidem ex Religionis Christianae hostibus vel infensissimis istud negare ausus est. Non Celsus, qui Religionem illam ab ipsis-met incunabulis impugnavit. Non Julianus Apostata ille, qui nihil aut ignoravit aut reticuit ex his quae in hanc Religionem aliquam opprobrii notam respergere possent. De hac suppositione altum silent Amelius, Porphyrius. Nullum hujus suppositionis ne levissimum quidem vestigium produnt Haeretici. Ergo. Et certe Haeretici temporibus Apostolicis proximi Simon, Cerinthus, Ebio, &c. detestandam doctrinam spargebant. Hos revincebant Catholici ex libris Novi Testamenti. Ergo ex utraque parte supponebatur authenticitas librorum illorum. Utrimque concedebatur libros illos eorum esse authorum quorum nominibus insigniebantur. Alias frustra authorum illorum authoritas in medium fuisset prolata. Quis enim Haereticis illis fictitios Apostolos, ementita eorum scripta proferre ausus fuisset.

COROLLARIUM.

Libri Novi Testamenti sunt authentici.

Prob. Ex data definitione. Is liber est genuinus, seu authenticus, qui ab eo authore scriptus est a quo scriptus esse dicitur, & talis habitus est ab omnibus sequentibus eum aetatibus: atqui tales sunt libri N. T. Ex probatis enim tum argumento probabili, tum ex impossibilitate suppositionis, tum denique ex unanimi omnium Christianorum consensu, & etiam ex confessio adversariorum libri illi eos habent authores quorum nomina prae se ferunt. Ergo sunt authentici. Hinc conclude totam nutare certitudinem historicam, si dubia adhuc maneat librorum N. T. authenticitas. Undenam etenim commentaria de bello gallico & civili Caesari certo ascribuntur? Quia nempe Cicero, Strabo, Suetonius, Plutarcus, uno verbo, quia omnes authores qua coaetanei, qua subsequentes ea opera Caesari tribuunt. Hac eademvia constat opera Platonis, Aristotelis, Varronis, &c. eorum revera esse authorum. Ergo dum Ecclesia universalis, dum variae per orbem dispersae particulares Ecclesiae, dum omnes Episcopi serie continua sibi invicem succedentes asserunt libros N. T. ab Apostolis se accepisse, & eorum esse quorum nominibus insigniuntur; nisi id certum sit, nihil certum erit; ita S. Aug. *l.* 33. *c.* Faust. *c.* 6. nec otiosum erit advertere testimonium pro libris N. T. longe melius esse quam pro citatis modo operibus, 1. Quia libri N. T. sunt majoris momenti. Quia ad mortem usque pro libris suis destinati erant Christiani. 3. Quia libros illos quotidiana manu terebant Christiani, ac proinde eorum originem ignorare non poterant. Libros illos diligenter asservari & plenis in comitiis Christianorum legi solitos esse testes sunt P. le Brun, *explic. Carm. t. I.* Origenes, *Hom.* 7. *in Exod.* Tertull. *Apol. c.* 39. Justinus, *Apol* 1. *c.* 67. &c. Hinc lectores instituti propriis oculis perspiciebant, propriis manibus veritatem istam palpabant.

CONCLUSIO III.

Libri Novi Testamenti sive sint Apostolorum, sive aliorum, ejusdem sunt antiquitatis ac Apostoli, seu ac ii quorum nomina præ se ferunt.

PRob. 1. Illi certe libri sunt Apostolorum temporibus coævi qui recentioris ætatis signa nulla præ se ferunt, immo ætatis Apostolicæ notas omnes habent, ac proinde & authorum quorum nominibus insigniuntur: atqui 1. in illis libris nulla occurrunt recentioris ætatis signa. Nihil enim dicunt eorum authores quod non consonet cum tempore illo Apostolico; nihil quod non pertineat ad locorum situm, ad hominum usus, ad formam regiminis, ad Religionis denique cultum hac ætate vigentem. Judæos, v. g. exhibent Romanis subditos, Jerosolymamque Romæ tributariam. Varias Principum & procuratorum successiones ac vicissitudines secundum hæc tempora commemorant. Nihil his scriptoribus excidit quod vel rerum verisimilitudinem, vel temporum supputationes lædere t. Porro Judicibus ipsis in rerum historicarum narratione peritioribus, impossibile est falsam cudere Historiam, eamque ita locis, temporibus ac personis cognitis accommodare ut nulla incurratur contradictio: ergo narratio librorum N. T. nihil præ se fert quod Apostolica tempora repræsentet. Et sane nulla sunt in illis libris quæ cum Historicis, sive Judæis, sive Paganis ullo modo dissentiant. Summa namque est consensio qua sacrorum, qua profanorum Scriptorum in iis quæ de Judæorum sui temporis Religione, legibus, politia, &c. memoriæ tradiderunt libri illi. Ergo.

2. Multas ætatis Apostolicæ notas gerunt libri illi. v. g. In Evangeliis Matthæi, Marci & Lucæ referuntur Christi vaticinia de Judæorum sorte urbisque excidio. Altum silent tamen iidem de rerum exitu & oraculorum illorum eventu, non alia sane ratione, nisi quia, quo tempore scribebant illi authores, Prophetiæ illæ nondum effectum suum sortitæ erant. Alias certo certius eventus adeo memorabilis meminissent, ex quo licuisset tanto jure & magistrum suum commendare, & legem Judaicam elevare, & Religionem Christianam extollere. Et certe idem astruunt omnes circumstantiæ. Authores enim librorum illorum Jerusalem degunt, in Templo adorant, ad tribunal Sacerdotum deferuntur; ergo Templum adhuc perstabat; ergo Jerusalem adhuc superstes erat. Ergo libri illi conscripti sunt ante Jerosolymitanum excidium, ac consequenter tempore Apostolorum. Denique Epistolam, v. g. ad Galatas pervolventi patebit ejus authorem nihil non movere ut populum illum ab erroribus Judæorum abducat. Jam vero tanta authoritate Galatas non fuisset allocutus author ille, nisi eorum revera primus fuisset Apostolus, & eo tempore scripsisset quo agitatæ erant illæ quæstiones apud Galatas. Porro prætensam illam authoritatem parvipendissent, nisi & Epistola illa fuisset S. Pauli, & S. Paulus primus fuisset eorum Apostolus.

Denique Epistolam v. g. ad Galatas attente pervolutanti duo patebunt, nempe & ab hujus Ecclesiæ fundatore eam conscriptam esse, & definitas in ea quæstiones tempore Apostolorum agitatas esse: quoad primum, illud patet ex c. 7. v. 8. 9. 10. 11. c. 5. v. 10. alterum vero manifestum est ex c. 1. v. 6. 11. „miror quod sic tam cito transferimini in aliud Evangelium „ & v. 4. c. 2. statim post visitatos Apostolos memorat subintroductos fratres falsos, qui per circumcisionem explorabant aliorum libertatem. Ergo quæstiones in Epistola illa definitæ temporibus Apostolorum agitabantur. Confer v. 4. usque ad v. 18. c. 2. Denique Epistola illa definivit quæstionem, & quidem viventibus Apostolis, ut evincit totum c. 2.

Prob. 2. Ex consuetudinibus Christianorum & solemnitatum originibus. Reipublicæ enim Christianæ usus & consuetudines maxima ex parte tradunt illi libri, multaque instituta apud nos servata ibi describuntur. Nullum institutum ibi describitur quod servatum esse non constet. Dies Dominica, festa Paschatis, Pentecostes, &c. Episcoporum, Præsbyterorum & Diaconorum distin-

ctio, &c. Hæc omnia cum Evangelistarum narratione & Epistolis Apostolorum mirum in modum consentiunt; unde sequitur illos libros Christianis semper fuisse normam vitæ ac proinde a primis magistris fuisse conscriptos. Dum enim ex una parte consuetudines quasdam & Domini quædam præcepta videmus in Evangelio commemorari, ex altera vero easdem consuetudines eademque præcepta a prioribus Fidelibus exerceri, haud dubium quin libri sint primis Religionis Christianæ, ac proinde Apostolorum temporibus coævi. Unde sic resumo: præcipua Festa, Solemnitates & consuetudines, sacrorum Ministrorum ordo, præcepta & alia bene multa quæ a prima sui constitutione sequuntur Christiani, ea sane eorum origini & Apostolorum temporibus sunt coæva: atqui hæc omnia libris Novi Testamenti sunt etiam coæva. Nam hæc omnia in illis libris leguntur ut instituta & jam observata, & ideo præcipue a Christianis observantur quia in illis libris descripta reperiuntur. Ergo etiam libri illi sunt Apostolorum temporibus coævi.

Prob. 3. Illi libri sunt sane Apostolorum ætati coævi quorum textus appellantur ab authoribus Apostolorum ævo coætaneis: impossibile est enim suspicari textus illos fuisse alio desumptos, præsertim cum Patres secundi sæculi eosdem textus proferant, & authores Novi Testamenti nominatim appellent. Porro tales sunt libri Novi Testamenti. Testes hic appello SS. Ignatium, Polycarpum, &c. Horum etiam habemus discipulos, SS. Iræneum & Justinum. Adeo ut testium continuam nec interruptam seriem ab Apostolis ad nos usque texere liceat.

Prob. Denique ex zelo Ecclesiæ adversus librorum sacrorum quoscumque interpolatores. Hac constanter methodo eos revincebat: libros nempe illorum esse recentes & novos, sibi ipsis & Apostolis incognitos fuisse libros tales; clamabant ex sola temporis ratione præscribi posse authoritatem. Porro hæc methodus supponit libros illos vel esse genuinos Apostolorum fœtus, vel saltem esse eorum ætati coævos. Ergo.

CONCLUSIO IV.

Sive Libri illi sint Apostolorum & eorum quorum nomina præ se ferunt, sive sint aliorum, nihil inde eorum veritati deperit.

PRob. 1. ex temporum epocha & circumstantiis. Vel enim libri illi doctrinam Christi ubique primi divulgarunt, antequam existerent Apostoli qui doctrinam illam disseminarant, vel libri illi promulgati sunt post divulgatam ab Apostolis viva voce Christi doctrinam. Si primum; quomodo libri illi persuadere potuerunt Romanis directam fuisse ipsis epistolam a S. Paulo; aut S. Paulum Romæ Evangelium prædicasse, cum persona illa sit merum nomen & vox sensu vacua? Quomodo toti Judææ, totique Galilææ persuasum est Christum ibi cum discipulis suis Evangelium annuntiasse; miracula patrasse, &c. Ergo facta illa, si falsa sint, persuaderi non potuerunt, etiamsi libri Novi Testamenti non sint eorum Apostolorum quorum nomina præ se ferunt. Si secundum; ergo inde sequitur antea extitisse Apostolos, Christum crucifixum fuisse, & a Christianis ut Messiam adoratum esse. Atqui posita semel Apostorum prædicatione, repugnat libros illos huic prædicationi posteriores, contraria facta eidem prædicationi & ab ea diversa continere; statim enim reclamassent omnes se nunquam talia audivisse, immo contraria edoctos fuisse. Ergo sive sint suppostitii, sive non, stat inconcussa eorum veritas & certitudo. Demus, v. g. libros illos exaratos fuisse 40. aut 50. aut 60. annis post mortem Apostolorum, attamen evidens est ante illud tempus fuisse Ecclesiam in urbe Jerusalem? Ibi Apostoli viva voce miracula Christi evulgaverant. Atqui hoc posito veraces sunt libri illi, cuicumque authori ascribantur. Nam Ecclesia illa Jerosolymis fundata, efformari aut consistere non potuit nisi perspecta veritate factorum quibus tota nititur Religio; quin immo factorum illorum veritatem manu contrectare debuit. Ergo si fictitia

 fuis-

fuissent illa facta, eorum falsitatem ultro agnovissent. Ergo etiamsi libri illi aliorum authorum essent, etiamsi an. v. g. 60 post mortem Apostolorum exarati fuissent, vera sunt quæ in iis referuntur.

Prob. 2. ex unanimi librorum illorum receptione. Quacumque enim tandem epocha libri illi editi fuerint, sive ante, sive post Apostolorum mortem, quemcumque habeant authorem, certum nihilominus est libros illos ab omnibus receptos fuisse summa cum reverantia ut fidelissimos factorum Evangelicorum testes; porro vel reverentia illa oriebatur ex eo quod Matthæus, v. g. aut Marcus forent eorum librorum authores, præcise & independenter a factorum veritate, vel ex eo quod factorum illorum veritatem perspexerint. Jam vero reverentia Christianorum erga libros illos oriri non potuit ex eo quod Matthæum, v. g. aut Lucam, aut Marcum haberent authores. Matthæus enim aut Marcus ut testes fidem & reverentiam sibi conciliare non potuerunt nisi ex eorum testimonii ac prædicationis cum eventuum existentia & veritate consonantia. Ergo Christianorum reverentia erga Apostolos ac proinde erga libros N. T. debuit oriri ex intime perspecta factorum veritate. Jam vero factorum veritas independens est ab illa quæstione utrum libri in quibus narrantur, hunc potius quam illum habeant authorem. Quis enim eo usque desipuerit inter Christianos ut facta illa contra notitiam publicam admiserit ea tantum ratione quod a tali vel tali authore relata fuerint? Semper menti recurrat hic agi de factis publicis & maximi momenti.

Prob. 3. ex testimoniis extraneis. Quidquid sit enim de authenticitate librorum illorum, certum est facta qua in eis referuntur & eorum veritatem colligi ex aliis authoribus apud quos eadem leguntur eodemque modo saltem quoad essentialia: ergo etiamsi incertis authoribus essent libri illi, vera nihilominus forent facta in iis exarata.

Prob. 4. ex ipsa veritatis & certitudinis natura. 1. Veritas una est, simplex & in quodam indivisibili consistit. Majus & minus non suscipit; unde quod semel verum est, magis vel minus verum aut falsum esse non potest. Hinc si semel verum sit Christum a mortuis resurrexisse, hæc vel illa patrasse miracula, vera erit factorum illorum historia independenter ab authoribus qui eam historiam scripserunt; nec facta illa erunt minus vera eo quod a tali vel tali authore conscripta non fuerint: ergo 1. veritas factorum est prorsus independens ab illa quæstione an a tali vel tali authore promulgata fuerint.

2. Quantum ad certitudinem, hæc omnino independens est a nomine quo inscribitur historia. Pendet quidem a fidelitate & sagacitate scribentis; sed utrumque cognosci & constare potest independenter a nomine authoris. Cognoscitur nempe & constat ex ipsa-met factorum consensione, ex circumstantiis temporum & cæteris argumentis de quibus mox infra. v. g. Quisquis tandem ille sit qui libros ediderit, sive Matthæus, sive alius, quis tam sublimes divinitatis ideas ei dedit? Undenam soli libri sacri de Religione digne disseruerunt? Quis facta excogitare potuit librosque exarare quos difficilius est, vel unum vel plures homines supposuisse quam uni homini facta illa concigisse? Stupendum magis foret aliquem factorum illorum seriem proprio marte fabricasse quam Christum horum esse authorem. Quisquis tandem ille sit librorum author, nec præceptorum sapientiam, nec mysteriorum majestatem, nec dogmatum sinceritatem, nec elocutionis ac sermonis sublimitatem invenire potuit.

Obj. 1. Non probatur legitime libros illos non posse esse suppositítios. Tribus argumentis tota volvitur impossibilitas suppositionis; primum deducitur ex temporum circumstantiis quorum nullum aptum erat fraudi. Alterum deducitur ex personis quæ absque numero ubique opera illa legerunt & in medium attulerunt. Ultimum denique desumitur ex natura rerum de quibus tractant libri illi circa quas, utpote maximi momenti, incurii esse non potuerunt homines. Jam vero nullum ex his argumentis sufficienter evincit suppositionis impossibilitatem. 1. Quidem tota hæc impossi-

possibilitas experientia evertitur. Certum est enim innumera prodiisse Evangelia fictitia; absque numero prodiere opera ementito Christi & Apostolorum nomine insignita: in has suppositiones nervos omnes suos intendebant Hæretici, immo quandoque Catholici. Manifestum est ergo quod suppositionis ac fictionis consilium in mentem aliquibus venire potuerit. Opera gratis conficta diuturno tempore a SS. PP. cum honore appellata sunt; ea Fideles ipsi aliquandiu summa prosequuti sunt reverentia, potuerunt ergo decipi circa originem librorum sacrorum. Evanescunt hic prætensæ difficultates ex temporum, personarum & locorum circumstantiis exaggeratæ. Eodem tempore apud easdem personas, iisdem in locis fingi potuerunt sub nomine Apostolorum & Evangelistarum nostra Evangelia. Res & controversia eadem utrobique & æqualis momenti.

2. Ad singula devenio. Quantum ad ptimum argumentum deductum ex impossibilitate assignandi epocham huic suppositioni, facile est respondere nullam præcise assignari posse, immo nec debere, cum hic non agatur de reali & actuali suppositione, sed de ejus possibilitate. Quocumque tempore fabricari potuerunt, quia quolibet tempore alia ejusdem naturæ fabricata sunt opera. Ad secundum argumentum deductum ex zelo Fidelium pro libris, facilis est responsio. Omnes enim si Christiani ad mortem parati erant pro illis libris quos inspiratos putabant; ergo parati erant ad mortem pro libris Apocryphis; nam multi Christiani multos Apocryphos Apostolorum esse bona fide putabant. Nonne Apocryphi omnium manibus terebantur? Nonne ubique cum pari genuinorum reverentia legebantur? nec tanto oculatos fuisse Christianos dicatur; falsorum enim Evangeliorum inventio evidenter probat eos hac in re non decipi omnino non potuisse. Ex eo quod severi sint & attenti quam maxime homines in collocanda pecunia, minime sequitur eos longe attentiores in collocanda fide & salute sua. Nemo enim nescit, ipso teste Christo, filios sæculi prudentiores esse in sua generatione filiis lucis. Ubi semel præterea quisque Christo nomen dedit, jam zelo gloriæ ejus exarsit; non mirum ergo si avide arripuerit quæcumque huic scopo collimabant. Uno verbo quæcumque argumenta huc usque allata sunt pro authenticitate librorum N. T. ea, si quid valent, probant authenticitatem apocryphorum. Hæc itaque sic paucis resumo. Illa impossibilitas non sufficienter probatur cujus argumenta eliduntur aliis suppositionibus ejusdem naturæ & ordinis actu & realiter existentibus: atqui talis est impossibilitas suppositionis librorum N. T. ejus argumenta eliduntur & falsa demonstrantur suppositionibus falsorum Evangeliorum.

R. n. min. & ejus prob. Et dico inter spuriorum Evangeliorum realem suppositionem & prætensam librorum nostrorum suppositionem nullam esse paritatem, tum quoad libros in se, tum quoad eorum acceptationem, tum quoad eorum acceptationis perseverantiam & durationem. 1. Quidem adulterina illa Evangelia evidentes suppositionis characteres præ se ferunt, nullos vero Evangelia nostra. 2. Unanimi omnium Christianorum consensu recognita & acceptata fuerunt Evangelia nostra, a paucis vero & in obscuro commendati fuerunt libri apocryphi. 3. Statim ut hi in plenam lucem prodierant, eorum originis fraus detecta est, nostri vero libri accurate licet & longissimo tempore sollicitati, semper & constanter ut genuini accepti sunt. Non mirum si aliquo & breviori tempore mendacium veritatis loco dominetur; mirum vero foret si quo magis lyncei oculi veritatem introspicerent, mendacii larva deluderentur. Ergo ex eo quod potuerint supponi spuria Evangelia, minime sequitur fieri posse ut Evangelia nostra eandem habeant originem.

Inst. Atqui spuria Evangelia sunt eiusdem naturæ & ordinis ac Evangelia nostra. Nam utriusque generis libri agunt de Religione. Deinde longissimo tempore libri apocryphi a multis SS. Patribus pari honore cum libris nostris appellati sunt. Jam vero id fieri non potuit nisi quia vel nulla, vel levissimi momenti suppositionis signa præ se ferebant.

bant. Hinc signa & indicia illa contempserunt SS. illi PP. Enimvero Fidelium multitudo eos admiserunt libros quos ipsi proposuerunt SS. PP. & Ecclesię Doctores. Ergo ex SS. PP. consensu, omnium consensum colligere possumus. Jam vero diuturno usu apud omnes fere Christianos genuinę originis nomen obtinuerunt Apocryphi, quemadmodum libri authentici. Deinde vel SS. PP. authoritas invicta est pro authenticis vel non. Si primum; invicta esse debet dum Apocryphos promulgabant. Si secundum, nec authenticos agnoscere debemus. Sic itaque paucis evinco spuriorum acceptationem ejusdem esse naturę & ordinis ac authenticos. Authenticorum origo constat ex unanimi Fidelium consensu promulgantibus SS. Patribus: atqui pariter SS. Patres Apocryphos diuturno tempore promulgaverunt; ergo Apocryphorum acceptatio ejusdem naturę & conditionis est ac authenticorum.

R. 1. Argumentum istud nimium probare. Probaret enim nullum admittendum esse librum ut authenticum & genuinum. Nullum enim fere est opus, nulla historia cujus apocryphi non extiterint saltem aliquo tempore. Illegitima admodum est hęc argumentandi methodus: fuerunt aliqui libri Apostolis falso adscripti: ergo omnes libri qui iis adscribuntur, possunt esse aut sunt suppotitii: quasi quis Horatii aut Virgilii opera omnia supposititia esse inde argueret quod quędam falso iis fuerint adjudicata. Ad hanc argumentationem statim responderetur pro genuinis authorum illorum operibus militare argumenta quę nihil faciunt pro spuriis; id & nos hic respondemus.

R. 2. n. min. Equidem consensus Fidelium in libri alicujus originem ęstimari debet ex consensu SS. Patrum; at consensus SS. PP. circa apocryphos non habet eandem unanimitatem ac circa authenticos. Inter SS. enim Patres multi sunt qui apocryphos ab aliis probatos non approbabant; immo multi eos rejiciebant. At e contra quos ut authenticos nunc habemus, ii omnium ore tales relati sunt eo fere instanti quo prodierunt. Uno verbo acceptionis universalitas non est utrobique eadem. Cęterum nullum suppetit argumentum libros apocryphos & genuinos pari honore & dignitate a majori parte SS. PP. appellatos fuisse. Quod si fecissent, errore facti fecissent ex quo nihil magis concludere est contra authenticorum genuinitatem aut pro spuriorum authenticitate quam ex eo quod plura emerserint opera ementito Virgilii aut Platonis nomine. Spuriorum Evangeliorum confectio vera prȩextitisse evangelia supponit. Apocryphi quidem suppositionis indicia multa offerebant; sed eos non statim detexerunt SS. PP. cum nihil fere nisi piumn & factorum cognitę veritati dissonum in iis deprehenderent.

Inst. Atqui spuria & adulterina evangelia ejusdem ordinis sunt & naturę ac authentici. Ideo supponi non potuerunt libri authentici, quia suppositionis hujusmodi consilium nemini in mentem venire potuit: atqui futilis est hęc ratio. Namque certum est spuria fabricata fuisse evangelia, in quibus multa narrabantur quę non contigerant; ergo consilium suppositionis alicui in mentem venire potuit.

R. n. min. ad prob. dico in prȩsenti suppositione distinguenda esse, nominis nempe & factorum suppositionem. Deinde duplex suppositionis tempus & epocha. Vel enim suppositio illa fit viventibus adhuc iis quibus ista supponuntur, vel iis prȩsertim longo temporis intervallo post eorum mortem. His positis, dico 1. ante confectam genuinam factorum evangeliorum narrationem, neminem potuisse fictitiam & rerum veritate destitutam fabricare historiam. Huc redeunt gravissima inter probationes allata argumenta desumpta ex factorum natura & hominum indole. Ut enim fatetur author libri cuj. titulus *Emile, ou de l' Education*, difficilius est integram factorum evangelicorum excogitare collectionem quam unum hominem factorum illorum seriem implere. Ergo nemini in mentem venire potuit eam collectionem gratis fabricare quantum ad primam originem. Quod vero spectat ad nominis impositionem, vel facta quę in nostris evangeliis referuntur, sunt vera & talia qualia referuntur, vel non. Si primum; parum intere-

tererat ea celeberrimi cujusvis authoris nomine insignire. Cum enim essent publica & in prima sui origine maxime nota, parum ad eorum veritatem & authorisationem, si ita loqui fas est, referebat an hujus vel illius essent authoris. Sola sua publicitate obtinebant; sicut nullo tali vel tali authore indigeo ut probem Romam existere. Si vero facta illa in prima sui origine sint falsa, cum ex natura sua sint publica, hoc vel illo authore non ita certa fieri possunt ut, si sint fictitia, pro veris haberi possint. Relatoris persona frigida est ad intrinsecam factorum veritatem & certitudinem. Ergo 1. quoad primam factorum originem nemini in mentem venire potuit spuria fabricare evangelia, tum quoad intrinsecam factorum veritatem, tum quoad authorum nominis suppositionem.

2. Posita semel factorum veritate fatemur alicui in mentem venire potuisse huic veritati addere vel detrahere, & ut meliorem sibi faceret titulum, unum ex Apostolis aut Apostolicis nomen suo operi præfigere potuisse. Etsi enim non concipiatur aliquem totam factorum collectionem excogitare potuisse, concipitur tamen aliquem veræ factorum collectioni peregrinum aliquid inserere tentare potuisse aut detrahendo aut addendo. v. g. Nullatenus concipitur aliquem proprio marte fabricare potuisse Christi nativitatem, passionem, resurrectionem quoad substantiam; at concipitur in mentem venire potuisse alicui fabricare modum aliquem novum quo Christus vel natus vel mortuus fuerit. Hinc Basilides non negavit substantiam nativitatis, passionis aut resurrectionis Christi, sed modum impugnavit dicendo non Christum ipsum, seu filium Dei passum fuisse, sed alium nescio quem ejus figura & persona passum fuisse. At factorum substantiam in dubium non revocavit: sic Calvinus non Christi in Eucharistia præsentiam ab omnibus ad suum usque tempus creditam præcise negavit, sed modum impugnavit, realem esse negando; & hoc plurimis SS. Patribus imposuit. Ergo posita nostrorum Evangeliorum veritate alicui in mentem venire potuit huic veritati aliquid addere aut detrahere, licet nemo excogitare potuerit primam factorum veritatem.

Inst. Non tantummodo factorum modum, sed ipsam eorum substantiam gratis quidam fabricavere, ut postea patebit. At quidquid sit, ideo librorum N. T. suppositio est impossibilis quia nulla ejus epocha assignari potest: atqui hæc ratio nulla est & extra disputationis sphæram excurrit. Valeret enim istud argumentum si ageretur de actuali suppositione; at hic non controvertitur præcise an revera & actu supposita fuerint evangelica opera; sed an absolute loquendo potuerint supponi. Porro manifestum est independenter a quacumque assignata epocha nostra evangelia potuisse supponi. Namque certum est quacumque data epocha sive ante, sive post Apostolorum mortem; sive ante, sive post excidium Hyerosolymitanum fabricata fuisse adulterina evangelia quæ, aliquandiu saltem, summa cum veneratione exculta fuere: jam vero eodem tempore enasci potuerunt evangelia nostra eadem veneratione. Ergo nulla fingendæ alicujus epochæ necessitas. Ergo nullum ex epocharum circumstantiis emergit argumentum. Unde sic in forma. Eodem tempore excogitari potuerunt evangelia nostra quo fabricata sunt spuria & adulterina. Ergo aliqua temporis epocha nostra evangelia gratis fabricari potuerunt.

R. n. ant. Disparitas se tenet 1. ex parte inventionis: facile describi potest series factorum quæ realiter contigerunt; poterit forsan aliquis supponere unum aut alterum factum, at continuam eventuum inter se connexorum seriem ita ut nulla fraus pateat, nullus excogitare poterit. Sit istud exemplum. Genuina Cæsaris gesta poterit aliquis digerere, posset forsan aliquis unum aut alterum factum fingere, plenam eorum seriem, quacumque temporis epocha fabricare nullus potest; ita a pari nulla temporum epocha integrum Christi gestorum ordinem nemo primus fingere potest; at erit quidam temporum articulus in quo aliquis huic ordini aliquam circumstantiam, aut particulare aliquod factum addere poterit, sicut Cæsaris vitæ & præexisten-

ti

ti historiæ aliquid addi potest, licet tota historia fingi non posit.

2. Disparitas se tenet ex parte acceptationis. Qua volueris assignata epocha poterit glifcere ementitum aliquod factum particulare veræ gestorum feriei gratis superadditum, & a quibusdam aliquo temporis spatio, nondum eluquata veritate, ut certum accipi: at repugnat immensam & absolutam factorum inter se connexorum congeriem gratis confictam fidem apud omnes invenire. Repugnat, v. g. omnia facta quæ Cæsari tribuuntur, si fictitia sint, ab omnibus ut certa teneri, licet aliqua in temporis circumstantia unum aut alterum factum tali possit narrationi superponi & a multis aliquo tempore admitti. Ergo eodem tempore fabricari non potuere evangelia nostra quo spuria conficta sunt.

Inst. Non magis urget aliud argumentum desumptum ex zelo Christianorum pro libris suis. Vel enim agitur de omnibus Christianis erga omnes quos ut sacros habebant libros, vel tantum de aliquibus Christianis. Si de aliquibus tantum agitur, nihil magis inde concludi potest quam ex eo quod aliqui Christiani libros illos deseruerint. Si vero de omnibus Christianis agatur & de omnibus libris quos ut divinos agnoscebant, inde sic arguere licet. Pro libris suis ad mortem parati erant omnes Christiani: ergo parati erant ad mortem pro libris qui non erant genuini. Ergo ex illo zelo nihil concludi potest pro authenticitate librorum nostrorum. Ex his itaque sic concludo. Ex illo Christianorum zelo erga libros authenticos nihil inferri potest qui eodem & æquali æstu ardebat pro libris spuriis & adulterinis: atqui res ita est. Ergo.

R. 1. retorqueo arg. Ex illa hominum æstimatione erga libros Ciceronis, v. g. vel Virgilii nihil concludi potest quæ æqualis fuit erga libros spurios & adulterinos: atqui talis fuit æstimatio hominum erga libros spurios quos ut authenticos habebant: ergo hominum æstimatio circa genuinos Ciceronis aut Virgilii libros nihil probat.

R. 2. n. maj. tanquam de falso supponentem. Supponit major æqualem fuisse reverentiam & zelum Christianorum erga libros spurios ac erga quos ut genuinos habemus; quod falsum est: non omnes enim Christiani ut authenticos admittebant libros qui spurii judicantur. Ergo quicumque ad mortem erant parati pro libris authenticis, non erant parati ad mortem pro libris adulterinis.

R. 3. n. m. Zelus & æstimatio Christianorum erga libros sacros toto cœlo distat a zelo quo libros spurios prosequebantur; 1. ex eo quod plurimi quædam spuria Ciceronis aut Virgilii opera ut genuinos eorum fœtus aliquo tempore habuerint, concludi non potest aut nulla esse utriusque auctoris opera, aut parem fuisse eorum reverentiam erga supposititia ac erga authentica illorum auctorum opera. Sic nec istud inferri potest in causa librorum sacrorum. Deinde æqualis fuit reverentia aliquo tempore erga libros spurios errore facti; sed errore illo detecto, evanuit illa reverentia. Non item zelus erga libros vere authenticos: 2. ex eo quod omnes Christiani ad mortem parati essent pro libris authenticis, non sequitur eos omnes ad mortem obstinatos fuisse pro libris supposititiis. Namque non omnes Christiani pro authenticis habebant libros quos ut fictitios rejicimus: ergo non omnes qui mori cupiebant pro libris authenticis, ad mortem erant parati pro libris fictitiis: 3. Christianorum zelus pro libris adulterinis supponit quosdam præextitisse genuinos. Alias quomodo induere potuissent zelum pro authenticitate cujus nullam habebant notionem. Si enim nullam authenticorum habebant notionem quomodo aliqua exemplaria ut authentica sibi fingere potuerunt? Si vero aliquam habuere notionem, ergo aliqua extitere authentica. Spuriorum notio genuinorum notionem supponit; & genuinorum notio eorum existentiam importat: ergo zelus Christianorum erga libros spurios nec fuit æqualis reverentiæ erga genuinos, nec supponit nullos esse authenticos.

Inst. Nihil movet argumentum deductum ex librorum N. T. momento. Nihil majoris enim momenti esse potest quam veras leges habere a fictitiis di-

ſcretas, attamen in hoc graviſſimo ac diuturno errore deluſi ſunt Chriſtiani. Falſæ nimirum decretales longo tempore viguerunt. Enimvero non pluris intereſt vera evangelia a falſis quam veras decretales a ſpuriis ſecernere. Dum enim evangelia de vita æterna decernunt, leges hominum ſtatum qua præſentem, qua futurum figunt & determinant; porro non minus ſupponi potuerunt evangelia, aut quilibet libri divini quam decretales. Sicut enim decretales illæ factitiis erant inſignitæ nominibus, ſic falſis auctoribus imponebantur evangelia. Dum evangelia illa falſam ſtruebant narrationem; ſic decretales ex ſpuriis ſcript. S. interpretationibus falſa obtrudebant dogmata. Denique ſicut fieri potuit, nemine reclamante, ut vigerent decretales illæ, ſic idem fieri potuit de adulterinis evangeliis. Hæc ſic abſolvo. Potuerunt Chriſtiani admittere fictitias decretales; ergo & ſuppoſititia evang.

R. n. conſeq. & parit. 1. enim legum originem, præſertim ubi remota eſt, pauci diſcutiunt & diſcutere poſſunt; ſoli doctiores legum inveſtigationi incumbunt: at facta in prima ſui origine notiſſima omnes leviſſima ac facili diſcuſſione ſemper evolvunt. Deinde falſæ decretales ab omnibus agnitæ & propoſitæ non fuerunt; e contra evangelia noſtra ubique & ab omnibus & propoſita & agnita fuere. 2. Solis ignorantiæ temporibus obtinuerunt fictitiæ decretales; ubi oculatiores ac magis ſeduli fuere homines, ſtatim patuit fraus & exauctoratæ ſunt leges illæ. Omni tempore obtinuerunt evangelia noſtra. Quo magis oculati facti ſunt homines, quo majori cura diſcuſſi ſunt ſacri noſtri codices, eo majori cum reverentia ſuſcepti ſunt. 3. Decretales, ut plurimum, non ſpectant niſi ſingularem ſtatum & conditionem aliquorum: e contra evangelia ſpectant omnium hominum cujuſcumque conditionis ſortem tum præſentem, tum futuram. 4. Si nullæ unquam extitiſſent genuinæ decretales, nullæ ſuppoſititiæ confictæ fuiſſent; falſæ decretales aliquas veras præextitiſſe ſupponunt: ſi nulla fuiſſent unquam genuina evangelia, nulla falſa excogitata fuiſſent; falſa evangelia alia præextitiſſe vera ſupponunt. Sicut ergo ex eo quod fabricatæ fuerint falſæ aliquæ decretales, non ſequitur falſas omnes eſſe quas nunc habemus, ita ex eo quod ementito incude fabricati fuerint quidam evangeliorum libri, minime ſequitur ſpurios omnes eos eſſe quos nunc præ manibus habemus. Itaque non æqua eſt ex omni parte comparatio.

Inſt. Ultimum ſuppoſitionis impoſſibilis argumentum deſumitur ex hominum indole quos in collocanda aut mutuo danda pecunia adeo cautos, probabile non eſt incurios ac negligentes fuiſſe in recognoſcendis libris ad quorum normam vivere ipſis erat. Jam vero argumentum iſtud quotidiano omnium hominum uſu conſtantique experientia falſi convincitur. Quotidiana ſcilicet nos docet experientia maximam hominum partem longe minori zelo & cura rebus Religionis quam temporalibus incumbere. Tota ergo hæc argumentatio falſa nititur ſuppoſitione.

R. Ut ſolvatur hæc difficultas, diſtinguendam eſſe Religionem ſemel acceptam ab accipienda. Ubi agitur de Religione in qua a nativitate degitur; verum eſt homines pro majori parte ſumme incurios eſſe in diſcutienda ejus veritate. At ubi agitur de nova amplectenda Religione, de priore mutanda, quantum arrecti ac difficiles ſint homines docet nos experientia: teſtes ſunt Beroenſes, qui quotidie ſcrutabantur an hæc ita eſſent. Ergo valet allata argumentatio.



Obj. 2. Legitime non probatur libros illos non eſſe ſuppoſititios. Librorum N. T. authenticitas nititur præcipue unanimi omnium Chriſtianorum conſenſu. Porro argumentum illud eſt inefficax. Ut enim conſenſus quilibet ſit argumentum efficax, his tribus debet gaudere dotibus. 1. Debet eſſe omnino a præjudiciis liber. 2. Debet eſſe unanimis. 3. Fulciri debet conſenſu & teſtimonio extraneorum; aut ſaltem ab eo non diſſentire: porro nulla ex his dotibus ſibi vindicat Chriſtianorum conſenſus & teſtimonium erga libros ſacros. 1. Quidem certum eſt quemlibet hominem eo ipſo quo aliquam combibit ac præjudicavit opinionem, tam prompto complectitur animo

mo quæ huic opinioni favent, lubens occurrit iis omnibus quæ præconceptam sententiam fovere ac tueri possunt. Quam faciles fuerint primi Christiani in accepcando quidquid Christianæ causæ patrocinabatur, testes sunt innumeri illi spurii aut saltem dubii libri quos avidi acceptarunt. Deinde nemo judex in propria causa. Non audiendi ergo Christiani dum nescio quos libros prætendunt multis quidem refertos miraculis, sed iis insignitos authoribus qui ipsis placuerunt; Cristianorum intererat libros suos famosis decorare nominibus unde aliquam ipsis conciliarent authoritatem. Christianorum ergo hac in re testimonium & consensus potest esse præjudiciorum fœtus.

2. Consensus ille non est unanimis. Namque a plurimis ignorati sunt libri quos ut canonicos habemus, a multis etiam impugnati sunt. 1. PP. priorum sæculorum libros nostros omnino ignorarunt: nam eos nunquam inter opera sua, aut disputationes suas appellaverunt. Nusquam Matthæum, Lucam aut alios Evangelistas nominarunt. Quosdam equidem textus in medium protulerunt Evangelicis textibus omnino simillimos. At incertum est an ad evangelia nostra respexerint, immo certum est eos nullo modo ad evangelia illa respexisse. Textus enim illi quos proferunt, non leguntur in evangeliis nostris eo modo quo ab iis appellantur: leguntur vero eo modo apud Apocryphos quos citant illi PP. Jam vero hoc posito, nulla est ratio cur judicetur citantium menti præsentia tunc fuisse evangelia quam Apocryphos; immo magis pronum est concludere PP. illos respexisse ad apocryphos cum quibus citationes illæ maximam dicunt consonantiam & germanitatem, dum nullam, aut fere nullam habent cum evangeliis nostris. Si enim evangelia nostra in mente habuissent, jam falsarii & adulteratores haberi deberent, cum genuinos textus alieno colore depinxerint: Sic v. g. Polycarpus plurima verba Christo tribuit quæ ejus non sunt, aut in evangeliis nostris non leguntur: vel ergo falsarius est; vel verba illa aliunde desumpsit: v. g. Vel ex apocryphis, vel ex orali traditione. Unum aut alterum sufficiat exemplum. S. Clemens, 2. *Ep. v. 5. p. 185.* sic refert: „ ait Dominus: eritis sicut agni „ in medio luporum. Respondet Petrus „ & dicit: si ergo lupi agnos discerpe- „ rint. Dixit Jesus Petro: non timent „ agni post mortem suam lupos, & vos „ nolite timere eos qui occidunt vos & „ post nihil possunt vobis facere. Sed „ timete eum qui postquam mortui fue- „ ritis, habet potestatem animæ & cor- „ poris ut mittat in gehennam." Ita pariter idem 2. *ep. v.* 8. „ ait quippe Domi- „ nus in Evangelio: si parum non ser- „ vastis, quis magnum vobis dabit; dico „ enim vobis: qui fidelis est in minimo & „ in majori fidelis est." Priora verba concolori quidem stylo leguntur Matt. 10. & 16. Luc. 10. & 12. Posteriora vero Luc. 10. Attamen evidens est nullo sensu dici hæc verba esse Matt. aut Luc. aut Clementem ad illos Evangelistas respexisse. Nam nec eorum initium nec eorum finis in illis evangelistis reperiuntur: Victor Capuensis quædam S. Polycarpi fragmenta profert in quibus quatuor evangelia nominatim appellantur; at fragmenta illa nullam obtinent authoritatem.

3. Non solum libros nostros ignorasse videntur antiquiores PP. ante S. Justinum, sed multi tum interni, tum externi, multos ex libris nostris positive rejecerunt; v. g. epist. ad Hebræos, SS. Petri, Judæ, Jacobi, Apocalypsim S. Joannis alii non agnoscut, alii aperte rejiciunt: plerique Hæretici alii alios libros respuebant: ergo nullus extat unanimis Christianorum consensus sufficiens eorum authenticitatis argumentum. Ex his sic inferre licet: librorum N. T. authenticitas Christianorum consensu nititur? jam vero consensus ille nihil evincit. Ille enim consensus nihil evincit qui ex parte consentientium est vel præjudiciorum, vel vanæ credulitatis fœtus, nec unanimis, ab adversariis vero legitime impugnatur: atqui talis est Christianorum consensus circa libros N. T. quæ omnia per partes resumo. Librorum N. T. authenticitas præcipue recumbit in consensu & testimonium Christianorum: atqui consensus ille nullius est roboris. Nam consensus ille

ille est temere præjudicatæ opinionis & nimiæ credulitatis fœtus: ergo.

R. n. min. ad prob. dico 1. Consensus adeo universalis non potest esse aut præjudiciorum aut vanæ credulitatis fœtus. Hoc repugnat naturæ consensus universalis. Recole dicta inter probationes. Deinde temere præjudicata opinio vel ex præcipitatione, vel ex prava educatione oritur; porro consensus primorum Christianorum non ex præcipitatione oriebatur: nam nisi cum summa attentione rebusque serio perpensis Christo nomen dederunt. Non ex educatione: nam in adversa opinione educati fuerant. Non in Religione Christiana, sed aut in Judaica, aut in Ethnica fuerant instituti, ac proinde si præjudiciis præoccupati fuere, præjudicia illa contra Religionem Christianam, non pro ea militabant. Ergo consensus ille non erat præjudicatus. 2. non erat etiam vanæ credulitatis fœtus. Argumento est difficultas qua quidam recepti sunt libri, ut epist. ad Hebræos. Vanam illam credulitatem expungit zelus quo exarserunt Catholici adversus Hæreticos qui libros istos violabant aut iis addendo, aut iis detrahendo, aut aliquem ex illis respuendo, aut denique novum aliquem supponendo. Jam diximus spurios codices non ubique, non ab omnibus, non semper agnitos fuisse ut evangelia nostra. Ex eo quod aliquamdiu decipi potuerint Christiani aliqui circa unum aut alterum librum obscuræ originis, non sequitur omnes Christianos decipi potuisse constanter circa vera evangelia. Qui Christianorum albo inserebantur, & ex illis libris ad Christum se convertebant, in hoc non poterant decipi, an scilicet Christiani scripturas illas tunc temporis pro canonicis habuerint: ergo nullus nimiæ credulitati locus. Addendum juvat evangelia nostra agnita fuisse ab ipsis Hæreticis. v. g. Ev. S. Mat. recipiebant Nazaræi & Ebionitæ. Ev. Luc. Manichæi & Marcionitæ approbabant: qui sane facilioris credulitatis incusari non possunt.

Inst. Atqui consensus Christianorum erga libros N. T. nullius est roboris. Nam nemo judex in propria causa. Ergo consensus Christianorum, &c.

R. 1. trans. ant. n. conseq. tum quia testimonium Christianorum extraneorum consensu firmatur; tum quia audiri solent omnes Populi, ubi agitur de legum suarum origine, nisi adsint ex adverso positiva argumenta.

R. 2. n. ant. Verum non est axioma nisi ubi agitur de causa personali, falsum ubi quæstio est de alia re.

Inst. Ille consensus nihil probat qui non est unanimis: atqui consensus ille præsens non est unanimis. Nam inter libros illos alii aut dubii aut ignoti omnino fuerunt, alii vero aperte rejecti: ergo non fuit circa eos libros consensus.

R. 1. transeat tot. arg. Ex illo enim argumento id tantum ad majus sequitur libros illos supra inter prænotata appellatos non esse certæ auctoritatis, nec sufficienter eorum evinci authenticitatem; at non inde sequitur nullos esse libros quorum sufficienter constet authenticitas. Constare enim nihilominus potest authenticitas eorum qui variationes illas non sunt experti.

R. 2. dist. Alii ignoti aut dubii, alii vero aperte rejecti omnes: n. quidam libri: subd. aliquandiu & brevissimo temporis intervallo: c. constanter: subd. ab aliquibus: c. ab omnibus: n. Itaque 1. dubium aut oppositio non fuit circa omnes libros N. T. Sed tantum circa aliquos; quales sunt supra laudati, ex quo nihil sequitur contra alios. Deinde dubium illud non fuit universale. Dum enim libri illi ab aliquibus Ecclesiis respuebantur, aut ignorabantur, in multis aliis legebantur & agnoscebantur ut canonici. 3. Dubium illud non fuit perpetuum, sed brevissimo temporis spatio excussum.

Inst. Dubium illud qualecumque tandem fuerit, supponit rationes & momenta ex quibus sequitur libros omnes suppositios esse, aut saltem quibus positis, jam non probatur suppositios non esse.

R. n. sequel. Nedum enim inde aliorum nutet certitudo, immo novo robore obfirmatur. Si enim tam acriter inter se de uno aut altero disputarunt Christiani, concipi non potest quomodo omnes simul libros prompto ac facili animo recepissent, si ejusdem suppositio-

ſitionis nota vel leviſſime reſperſi fuiſſent. Deinde ut valeret iſta inductio, neceſſe foret ut dubium circa libros illos ejuſdem foret & univerſalitatis & durationis ac conſenſus circa libros alios; quod falſum eſse comprobavimus. Denique falſum eſt illos ipſos libros qui aliquandiu dubii manſere, hoc ipſo ſuppoſitionis argui poſſe. Facta enim & dogmata in illis contenta in aliis traduntur libris qui nuſquam ſuppoſitionis incuſati fuere: ergo nulla utilitas ex unius aut alterius ſuppoſitione: ergo aut omnes aut nullos ſuppoſititios eſse oportet. Prius impoſſibile eſt & repugnat: ergo & poſterius.

Inſt. Eo ipſo quo libri illi aliquandiu dubii fuerunt, ſemper dubii manere debent: explicari enim non poteſt qua ratione primum dubii certi poſtea evaſerint.

R. n. ſequel. Librum aliquem eſse canonicum nihil aliud eſt quam eum in ſacrorum ſcriptorum ordinem referri tota conſentiente Eccleſia. Hujus conſenſus duplex cauſa; prima quod liber hic contineat doctrinam revelatam, vel ſaltem a revelata non diſſonam. Secunda quod auctor ipſius fuerit hic vel ille vir ſacer & divinus, id eſt, cui libri illius doctrina vel immediate a Spiritu Sancto revelata fuerit, vel in illa deſcribenda divinum adfuerit auxilium ſpeciale. Quod certitudo haberi potuerit circa primum, patet jam ex dictis & patebit adhuc ex dicendis in decurſu diſputationis. Eo devolvitur poſterius an ſcilicet auctor fuerit revera, & ſemper habitus fuerit ut divinus ſenſu mox expoſito. Auctorem illum ſemper habitum fuiſſe ut divinum, certi eſſe poſsumus ex traditione; illum talem fuiſse potuit conſtare primis quidem Eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus iis omnibus argumentis quibus certa eſse poteſt inſpiratio & divinitas libri cujuſcumque. Fatendum tamen hoc poſterius non eandem ſemper habuiſse certitudinem: ſed majorem vel minorem juxta varias rerum & temporum circumſtantias. Sit exempli gratia epiſtola ſancti Pauli ad Romanos: 1. ſciendum hanc epiſtolam ſcriptam fuiſse ab auctore tali, & miſsam fuiſse ad Eccleſiam particularem, Romanam nempe; ab hac autem Eccleſia vicinioribus Eccleſiis communicatam, & ſic deinceps uſque dum per univerſum orbem Chriſtianum evulgata fuerit, quod fieri non potuit niſi gradatim, ut 1. ab una Eccleſia, deinde a pluribus, paulatim tandem ab omnibus Eccleſiis recepta fuerit & agnita. Quælibet autem Eccleſia particularis, ſtatim ac lectam audivit epiſtolam, eam recepit qua proportione certa fuit & nomine Pauli transmiſſam fuiſse & doctrinæ jam notæ conſonam. Quis fuerit autem ejus auctor nec ipſamet Eccleſia particularis aliam potuit habere certitudinem quam ejus perlator aliæque circumſtantiæ potuerunt ipſi tribuere. Hinc patet plurimas involvi circumſtantias particulares circa libri cujuſvis canonici auctorem, quarum certam omnino habere cognitionem difficillimum quandoque fuit, ita ut modo majorem, modo minorem habuiſse neceſse ſit. Hinc fieri potuit Eccleſias aliquas ab initio eos libros non recepiſse, quia iis nondum ſatis compertum erat de auctore. Poſtea autem re maturius expenſa, ac verius cognita ad normam cæterarum Eccleſiarum ſe compoſuiſſe.

Inſt. Plurimi Chriſtiani quoſdam libros rejecerunt: ergo non erat unanimis conſenſus.

R. n. conſeq. Fuere quidem inter eos qui Chriſto nomen dederant qui certos quoſdam libros reſpuerent, vel quia peculari ſuo dogmati adverſos eos experirentur, vel quia ut mala Chriſtianis intentata declinarent, ſub Judæorum nomine latere tentabant, cum ſua iis libera erat Religio. v. g. Manichæi V. T. rejiciebant. At minori numero fuerunt ut auctoritatem aliquam faciant, ſtatimque ab aliis Eccleſiis revicti ſunt & repulſi: jam monuimus evangelia noſtra ab ipſis Hæreticis recepta fuiſſe. Denique ab eccleſia rejecti ſunt illi Hæretici hac de cauſa: ergo unanimis eccleſia libros illos recipiebat.

Inſt. Atqui omnibus & Chriſtianis & diuturno tempore ignoti manſere libri N. T. Illi libri omnibus & Chriſtianis & diu ignoti manſere qui priorum ſæculorum Patribus ignoti fuere; ab

ab iis enim in omnes fideles dimanabat fides : atqui omnibus priorum sæculorum Patribus incogniti fuere libri Novi Testamenti: ergo & omnibus Christianis & diu ignoti mansere libri Novi Testamenti.

R. n. min. Equidem a Patribus ad Christianos dimanabat fides ; at falsum est , generatim loquendo apud omnes Patres ignotos fuisse libros Novi Testamenti ; namque Patres secundi & tertii sæculi perpetuo clamant aut supponunt esse in Novo Testamento divinas scripturas : sed eo ipso agnoverunt eorum authenticitatem . I. Unanimi consensu tenent & clamant esse in Novo Testamento divinas scripturas . Unum aut alterum sufficiat factum ad hujus rei probationem . III. Sæculo de iteranda Hæreticorum tinctione acriter disceptatum est . Sancto Cypriano opponebatur constans traditio ; vice versa opponebat *Scripturas Apostolorum* : ex altera parte scripturæ illæ non ut spuriæ respuebantur , sed exponebantur ad sensum traditionis : ergo ex utraque parte concessum manebat existere scripturas divinas sub nomine Apostolorum , Deinde idem sanctus Cyprianus textus & auctoritates tum Veteris tum Novi Testamenti in suæ causæ patrocinium advocat . Tertullianus multa loca appellat ex Novo Testamento deprompta , immo *l. 5. c.* Marc. expresse asserit Spiritum Sanctum in epistolis beati Pauli locutum . Idem adstruit Origenes *l.* 4. de principiis : ergo 1. Patres illi clamant aut supponunt esse in Religione Christiana libros divinitus inspiratos . 2. Quæro quinam esse possunt illi libri nisi quos sub nomine Apostolorum novimus . Alias appellentur libri quos ut divinos habebant : ergo eorum etiam librorum authenticitatem perspectam habebant. Fieri enim vix potest ut libros illos ut divinos habuerint nec eorum auctores inquisierint . Licet enim librorum illorum veritas & divinitas ab eorum authenticitate sit indepedens , fatendum tamen utramque nonnullo inter se connecti vinculo. Hinc quandoque suspensa desiit manere libri alicujus divinitas cognito ejus auctore qui suam inspirationem certam habebat ex miraculis & unanimi omnium consensu.

Inst. Illi libros Novi Testamenti nunquam cognoverunt qui eos nunquam in medium proferunt , eorumque auctores nusquam nominant : atqui res ita est : ergo libri N. Testamenti ignoti fuerunt Patribus priorum sæculorum.

R. 1. n. maj. Hujusmodi enim argumentum non est nisi negativum , quod proinde allatis supra positivis probationibus præponderare non potest . Sunt enim auctores qui semper , & sunt qui nunquam citationes apponunt . Auctorum primi sæculi opera brevissima sunt; non mirum si nullas appellent auctoritates. Plerique eorum ita V. Testamentum proferunt ut ipsum non hominent & nullam apponant citationem . Silentium illud inde forsan repetendum quod cum utroque , & præsertim Novo Testamento pleni essent , ad illud quasi natura propendente alluserint , nulla expressa allusione.

R. 2. n. min. Papias enim, teste Eusebio, *l.* 3. agnoscit SS. Matt. & Marc. Ergo tempore Papiæ genuina erant duo illa Evangelia . Idem dicendum de sancto Polycarpo cujus coætaneus erat Papias . Evangelia porro illa hac in hypothesi non possunt suppositionis argui quin & arguantur etiam Papias & Eusebius.

Inst. Atqui Patres priorum sæculorum nunquam in medium protulerunt evangelia , aut eorum auctores appellaverunt . Unicum quod suppetit hujus rei argumentum ex eo desumitur quod Patres illi sæpe ad evangelia alludant & respexisse videantur dum simillima evangeliis proferunt: atqui hoc argumentum nullum est . Illa enim verba non sunt ex evangeliis deprompta quæ non in illis evangeliis, sed in apocryphis eo leguntur modo quo a Patribus proferuntur : atqui verba illa non in illis evangeliis, sed in apocryphis eo leguntur modo quo a Patribus proferuntur: ergo non probant sancti Patres ad evangelia allusisse & respexisse.

R. n. min. & dico allatum argumentum suum habere pondus : 1. Incertum

tum est undenam quosdam textus hauserint PP. priorum sæculorum. Nullo evinci potest argumento eos ex apocryphis desumptos esse. Cum enim nec etiam apocryphos distincte appellent, nullo jure ad eos respexisse dicuntur: omnia suadent eos menti præsentes habuisse sacros nostros codices quos aliis quibusdam mutatis reddebant quia eos ex memoria proferebant: quæ autem nullibi evangeliorum leguntur, ea forsan ex traditione didicerant.

2. Genuinam evangeliorum originem ex illis textibus solis non probamus. Alias evangelia esse authentica non magis sequeretur quam apocryphos. 3. Patres Apostolici quidam non solum alios textus omnino evangeliis nostris germanos proferunt, sed etiam quædam opera appellant, v. g. epistolas sancti Pauli. Evangelia sancti Joannis, ut Origenes, SS. Matt. & Marci, ut Papias, &c. Jam vero hinc manifestum est nec citationis omissionem codicum nostrorum authenticitati nocere, nec falsarios esse PP. licet evangeliorum textus ad verbum non reddant.

Obj. 3. Libri Novi Testamenti sunt aut possunt esse suppositititii. Duplex hujus possibilitatis aut etiam actualis suppositionis occurrit probatio. Prima desumitur ex codicum illorum promulgationis epocha. Secunda ex eorum constructione. 1. Quidem evangeliorum & librorum Novi Testamenti canon non prodiit nisi sub finem regni Trajani; ex quo duo concludere licet. Primum hoc tantum tempore digestum esse illum canonem; unde potuerunt eodem in temporis articulo conscripta esse. Secundum ante tempora Trajani incogniti erant illi codices, ac cum apocryphis permixtim confusi erant; unde tam potuerunt supponi quam ipsi apocryphi. 2. Evangelium sancti Matthæi evangelio sancti Lucæ non consonat; inter utrumque occurrunt quædam contradictiones ex quibus pronum est concludere auctores illos sibi fuisse ignotos. Alias enim contradictiones illas caute declinassent, ne fidem sibi speratam averterent. Sic itaque codices evangelici evulgati non fuerunt nisi ætate Trajani; juxta alios an. 60. juxta alios vero an. 117. atqui in illa hypothesi libri illi suppositionis argui possunt: ergo.

R. 1. n. maj. utpote conjecturam nullo suffultam argumento. Hanc enim non probat Dodvvellus hujus difficultatis auctor.

R. 2. transeat maj. Dato enim quod hoc tantum tempore librorum Novi Testamenti canon prodierit, non sequitur libros illos usque ad illud tempus ignotos mansisse. Sibi ipsis contradicunt hujusce difficultatis auctores. Etenim si libri illi cum apocryphis erant confusi & indistincte proferebantur, ut contendit Dodvvellus; ergo non erant ignoti.

R. 3. n. min. Multo minus sequitur potuisse fabricari cum apocryphis illis. Nam ex eo quod operum Horatii, v. gr. aut Virgilii collectio confecta non fuerit nisi multis post eorum conscriptionem annis, minime sequitur illa opera in suppositionis suspicionem venire.

Inst. Atqui librorum Novi Testamenti constructio probat illos esse suppositios. Nam inter Evangelistas, v. gr. inter Matthæum & Lucam occurrunt contradictiones non leves: sed contradictiones illæ supponunt aut evangelium Matthæi Lucæ incognitum fuisse, & sic posse esse supposititium, aut revera alterutrum ex industria fabricatum esse. Ergo evangelia merito suppositionis arguuntur.

R. dist. Occurrunt contradictiones apparentes: c. reales: n. Contradictiones illæ facile conciliantur & feliciter ab interpretibus explicantur. Ergo ex iis concludi non potest evangelia esse spuria & adulterina. Contradictiones illæ evincunt auctores sacros non sese mutuo serviliter exscripsisse, nec in fraudem conspirasse. Nec inde concludere est auctores illos sibi invicem ignotos fuisse. Sanctus Lucas potuit cognitum habuisse evangelium sancti Matthæi & loqui ac scribere eo modo quo locutus est & scripsit. Ejus enim evangelii procemium cæteros Evangelistas non spectat, sed narrationes ab aliis Christianis contextas

tas. Cum in rei veritate sancto Matthæo non contradicat, suum factorum evangelicorum ordinem texere potuit cognito sancti Matthæi Evangelio. Testatur synopsis criticorum post veteres tria priora evangelia sancto Joanni oblata ab eo recognita & approbata fuisse.

QUÆSTIO II.

De veritate & integritate Librorum Novi Testamenti.

TEstimonii ac cujuslibet narrationis historicæ veritatem jam supra æstimavimus ex testium, seu relatorum tum sagacitate ac peritia, tum sinceritate ac fidelitate. Tota controversia versatur in quæstione facti. Apostolorum itaque & peritiam circa facta quæ commemorant, & fidelitatem in narratione juxta factorum methodum discutiamus & in aprico ponamus.

CONCLUSIO I.

Facta quæ referuntur in Novo Testamento, sunt maximi momenti.

PRob. Illa facta sunt maximi momenti quorum objecta sunt maximi momenti: atqui objecta factorum quæ narrant Apostoli in libris Novi T. sunt maximi momenti. Nam spectant Deum, Gentiles, Judæos, ac denique Christianos. 1. Spectant Deum. Nam libri illi revelationem divinitus factam memorant, facta supernaturalia in hujus revelationis confirmationem referunt, ejusdem revelationis auctorem a mortuis resurrexisse asserunt. Atqui hæc omnia Deum tangunt. Si enim res humanas curet, eas præcipue curare debet quæ ad honorem cultumque suum pertinent. Et certe ut brevi illo, sed invictissimo sancti Pauli argumento utar, si Christus non resurrexit, Apostoli inveniuntur falsi testes Dei, quoniam testimonium dicunt adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit. Ergo Dei intererat factorum illorum falsitatem manifestare. 2. Judæos etiam spectabant illa facta. Deicidii enim incusantur, in reatum violati fœderis divini, ac temeratæ Dei ipsius majestatis veniunt. Cultum suum a Deo ipso Mosis ministerio ordinatum collabentem vident, ille pro Messia agnoscendus iis proponitur quem cruci affixerunt; quæ omnia sane Judæis sunt maximi momenti. 3. Paganos non minus movere debent hæc facta, simili fere ratione. His enim funditus evertitur eorum Religio, corruunt templa, oracula, ritus sacri; insuper sequenda ipsis sunt præcepta & dogmata sensibus austera, voluptatibus & vitæ deliciis inimica. Sacerdotes, Magistratus, Plebs, omnes uno verbo conditiones, omnes & singuli Gentiles, sive ii qui Christo nomina dabant, sive ii qui ipsi renuebant, facta illa frigidi audire non poterant. 4. Tangit & Christianos factorum illorum veritas. Ex iis enim coguntur ad martyrium involare, & innocuis etiam vitæ deliciis nuntium dare. Non solus intellectus sub jugo Mysteriorum captivatur, sed & voluntas duris stringitur præceptis. Non effrænata tantum coercetur licentia, at ipsa jubetur virtutis perfectio. Ex illis libris spem omnem suam hauriunt, emolumenta omnia, prærogativas omnes, & causæ suæ justitiam depromunt. Jam vero hæc omnia Christianos maxime tangunt. Si enim hæc omnia falsa sint, inanis est prædicatio Apostolorum, inanis est & fides Christianorum. Jam vero quærere liceat ubinam tot conspecti fuerint Populi, tot simul motivis & rationibus una eademque causa inter se consociati? Ergo facta illa erant maximi momenti.

CONCLUSIO II.

Facta Novi Testamenti sunt publica.

PRob. Agitur enim de factis in prima sui origine notissimis & evidentibus, v. gr. Circa nativitatem sancti Joannis Baptistæ agitur de re quæ divulgata fuit in omnia montana Judææ; quæritur an totus Populus in Templo

suspensus Zachariam nimium morantem expectaverit; an toto vidente eodem Populo & mutus fuerit, & postea linguæ usum receperit. Quæritur utrum commota fuerit tota Jerusalem venientibus Magis; an Christus iteratis vicibus plura hominum millia paucis panibus & pisciculis saturaverit. Quæ omnia sunt publica.

Et certe illa facta sunt publica quæ talia sunt ratione loci, temporum, personarum & ratione sui: atqui facta evangelica talia sunt, 1. ratione loci. Evulgata sunt enim in Judæa ubi peracta sunt, eo tempore quo recentia erant & omnibus notissima. Nam Apostoli hæc annuntiando miracula Ecclesiam Jerusalem constituerunt. 2. Ratione temporum. Nam trium annorum spatio peracta sunt illa facta; & paucis ab hinc hebdomadibus hæc publice in urbe Hyerosolimitana prædicarunt Apostoli. 3. Ratione personarum & testium. Innumeri enim testes nominatim appellantur, aut proferuntur adhuc tunc temporis, cum hæc scribebantur & dicebantur, superstites, qui Christo commensales fuere. 3. Ratione sui: agitur de ægris sanitati, & mortuis vitæ restitutis; facta sunt sensibus subjecta, innumera & quotidiana & sexcenties ac millies repetita. Quin immo Apostoli coram omnibus miracula operantur ejusdem notorietatis ac ea in quorum testimonium sua edunt miracula. Hic notare juvat discrimen inter Religionem Christianam, & cæterarum gentium originem; initia Sinarum, Assyriorum, Romæ, Francorum, &c. sunt omnino obscura; prima Religionis Christianæ incunabula involvuntur factis innumeris quæ a prima sui origine notissima fuerunt; testes horum factorum fuere testes oculati aut coævi, ut mox videbimus.

CONCLUSIO III.

Apostoli factorum quæ narrant, Testes oculati, aut saltem iis coævi fuere.

PRob. Testes illi octo sunt, 1. quatuor nempe Evangelistæ; 2. SS. Petrus, Paulus, Jacobus & Judas. 3. SS. Matthæum, Joannem & Judam elegerat Christus vitæ suæ comites & testes. Hinc illud sancti Joannis: *Quod audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis.* Sanctus Matthæus ad Apostolatum vocatus est cum ad telonium sederet. SS. Petrus & Joannes electi sunt cum piscarentur. Sanctus Jacobus aut Apostolus fuit, aut, ut alii volunt, Christo consanguinitate proximus. Paulus ab ipso Jesu in cælo regnante mysteria edidicit. Lucas quæ de vita Jesu scripsit, facile scire potuit & cognovit natus in locis proximis; is per ipsam Palæstinam sæpe peregrinatus ubi & locutum se ait cum iis qui oculati rerum testes fuerant. Haud dubie, præter Apostolos, quibuscum amicitiam habuit, alii quoque tum vivebant a Jesu sanati & qui mortuentem ac redivivum viderant. An sanctus Marcus facta quæ narrat, propriis conspexerit oculis incertum est, at ea accepisse constat ab aliis Apostolis, præsertim a S. Petro cujus sectator & interpres erat teste S Iræneo. Hæres. *l. 3. c. 11.* Ergo testes illi aut fuere oculati aut coævi.

COROLLARIUM I.

Apostoli decepti non fuere, immo non potuerunt decipi.

PRob. Illi decepti non fuere qui eorum quæ narrabant certam, habere potuerunt & habuerunt revera notitiam: atqui Apostoli certam habere potuerunt & habuere notitiam eorum quæ narrant. Nam ex una parte agitur de factis publicis & quidem maximi momenti, ex altera vero Apostoli, qui ea descripserunt, horum fuere testes aut oculati aut coætanei: ergo circa illa facta decepti non fuerunt Apostoli. Dixi non potuisse decipi: nam cum facta illa sint maximi momenti, non potuerunt quin illa accurate & maxima attentione discuterent: ergo non potuerunt decipi. Et sane ut potuissent decipi, debuissent credere se miracula, ægrotos sanatos, mortuos exsuscitatos, &c. vidisse, quæ tamen non

non viderant. Immo debuerunt sibi persuadere se mortuis vitam, cæcis visum, claudis gressum reddidisse, & multa alia miracula patrasse, cum tamen nihil horum fecissent; quod repugnat vel in uno homine sobrio & sanæ mentis: quanto magis in pluribus? Ergo nihil scripserunt Apostoli quin eorum certam habuerint cognitionem.

CONCLUSIO IV.

Apostoli in iis quæ narrant, noluerunt decipere.

PRob. 1. Ex defectu argumentorum ex parte adversariorum. Qui enim testes ut deceptores recusant, debent momenta sua proferre quibus evincant testes voluisse decipere, eorumque voluntatem a vero deflexisse. Porro nullum tale argumentum proferri potest adversus Apostolos. Certum est enim eos sæpe sæpius ante Judicum sive Judæorum sive Gentilium tribunalia stetisse, nec unquam fraudis aut doli incusatos fuisse. Porro si doli & fraudis argumenta aliqua fuissent, non ea sane reticuissent eorum tum accusatores, tum judices. Et certe ad dolos propinandos requiritur mala voluntas & ingenium subtile: atqui nulla utriusque argumenta præ se ferunt Apostoli: immo contra eorum innocentiam ne mutire quidem unquam potuerunt, aut quidquam mussitare hostes eorum vel infensissimi: ergo.

Prob. 2. ex natura factorum. Ex probatis enim facta de quibus agitur, sunt facta publica & gravissima. Porro fraudis consilium animo combibisse circa talia facta impossibile est, nisi omnes simul insanirent. Vel enim concepto semel decipiendi consilio, felicem successum sibi promiserunt, vel non: atqui quidquid dicatur, fraudis consilium animo combibere non potuerunt Apostoli quin omnes simul insanirent. Nam si successum sibi promiserint, jam sperarunt se posse persuadere innumeris hominibus vera esse facta quædam publica & maximi momenti, quæ tamen falsa erant; vel si nullum successum sperarunt, debuerunt esse mali gratis, & certæ morti aut infamiæ sese exponere; jam vero in utroque casu insaniissent Apostoli: ergo.

Prob. 3. ex eorum narrationis stylo & scribendi modo. Quando enim occurrunt in historia narrationis simplicitas, accurata omnium circumstantiarum descriptio, tunc Historiæ sinceritas extra omnem suspicionem posita est. Porro 1. summa est in narratione simplicitas, nulla admirationis exclamatio circa miranda opera sui magistri, nulla querela circa dolendam ejus sortem. Res altissimas terminis simplicissimis describunt. 2. Accuratam enumerant circumstantiarum seriem. Nam, verbi gratia ubi de Juda proditore scribitur, observant, *Act.* 1. ex pretio argenti emptum fuisse agrum qui vocatus est ager Sanguinis; addunt agrum illum destinatum esse in sepulturam Peregrinorum, Judam suspensum crepuisse medium, istud denique notum fuisse omnibus habitantibus Jerusalem. Porro harum circumstantiarum enumeratio omnem fraudem amolitur. Insani enim fuissent si dum fraudes nectunt, excogitant circumstantias fraudi detegendæ aptiores; planum enim omnibus erat inquirere de agro illo, & de ejus tum nominis tum destinationis & usus origine. Uno verbo, in omnibus factis Novi Testamenti memorantur circumstantiæ loci, temporis & personarum. Appellantur vici, urbes, annus, mensis, dies. Producuntur nomina testium, personarum coram quibus res gestæ sunt. Porro absurdum est impostori tales appellare testes, tanto nempe numero, eosque ipsos quibus verba dare sibi proponit: ergo.

Prob. 4. ex natura & indole Apostolorum. Ad fraudes enim nectendas requiritur ingenii subtilitas, præsertim ubi toti mundo error propinandus est. Impostores seipsos commendant, sibi famam & nomen aucupantur. Jam vero contraria eminent in Apostolis. 1. Sine litteris erant, Christi doctrinæ vel ipsa prima principia vix ac ne vix capiebant; ad omnia, ad fraudes præcipue, rudes erant & inculti. 2. Ipsi suam promulgant ignorantiam, suos produnt nævos, suam imbecillitatem ingenue faten-

tur. Christi ipsius terrores scribunt in horto Olivarum, ejusque fugam cum quæritur ab inimicis. Narrant ambitiosas contentiones inter se ortas; describunt a Magistro suo sibi sæpe sæpius exprobratam incredulitatem, ignorantiam. Seipsos, suam gloriam, sua omnia negligunt. Quin immo in suis scriptis & sermonibus sinceritatis & veritatis amorem perpetuo commendant. Jam vero quis credat homines dolis propinandis intentos tanto veritatis amore ardere? tam sæpe veritatem jubere? Quis concipiat societatem talibus auctoribus institutam erroris & mendacii fœtum, tanto in pretio sinceritatem habere, ut sinceritatis servandæ causa ad mortem usque sit destinata? Ergo.

Prob. 5. Ex motivo quod inter scribendum habuerunt Apostoli. Illi decipere noluerunt qui ex solo veritatis amore & intima convictione scripserunt: atqui tales fuere Apostoli. Nam vel facta illa credidissent ex præsentis Magistri sui reverentia, vel ex magisterii ambitione, vel ex alicujus aut emolumenti spe, aut mali timore. Atqui nihil horum dici potest. Non primum: nam Evangelium non scribunt aut prædicant nisi post Christi mortem. Jam vero etiamsi talia admisissent ex reverentia Magistri, ea sane reverentia post ejus mortem veritati cessisset. Undenam præterea ea Apostolorum in doctrinam Christi reverentia, ut huic quicquam addere aut detrahere reformident? Plato Socratis doctrinam ampliavit, Platoni Aristoteles assiduus contradictor, soli Christi Discipuli inter se unanimes cum Magistro suo consentiunt; perpetuo clamant se nihil docere nisi quod a Magistro suo acceperunt. Quod si suo aliquando nomine difficultatem aliquam solvant, accurate monent se propria auctoritate tunc agere. Ut S. Paulus 1. *Cor.* 6. 12. & 25. *præcipio non Dominus, sed ego*. Jam vero consensus ille in solam convictionem refundi potest. 2. Non ex Magisterii ambitione. Ne unus quidem inter eos conversionem mundi animarumque salutem cum Christo partiri ambit. Nullus ne minimam quidem laudis umbram ex hoc sibi decerpit: immo tale nomen a se summa cura omnes amoliuntur; miracula operantur, totum orbem luce Evangelii illuminant, Ecclesias condunt, hæc omnia soli Christo dant, nihil sibi servant; ergo consensus Apostolorum non potest oriri ex magisterii ambitione. 3. Denique consensus ille oriri non potuit ex spe aut timore. Christus enim eorum magister in cujus verba jurant, Christus, inquam, clare & expresse ipsis denuntiavit nullum terrenum emolumentum ex evangelii prædicatione sibi promittere posse; nullum temporale malum ipsis minitatus est, si evangelium non prædicarent: ergo. Et vero si tantopere præsentium bonorum amorem exarsissent ut inde falsa scribere & evulgare instituerint, sane ex eodem amore debuerunt fraudem fateri, ubi ex illa confessione aliquid sibi promittere potuerunt: atqui tamen nulla spes, nullus timor eos adducere potuit ut faterentur se errorem intendisse.

Prob. denique ex modo quo facta illa testificati sunt. Certum est enim Apostolos ad mortem usque pro factorum illorum veritate decertasse. Porro hoc posito, repugnat, etiam metaphysice, Apostolos decipere voluisse. Omnia enim facta quorum testes sese ferunt Apostoli, ad unum, ut ita dicam, reduci possunt, nempe ad resurrectionem Christi. De uno illo facto inter eos agitur; hoc enim semel comprobato, Christi & missionis ejus divinitas indubie asserta manebat, hoc veluti cardine tota volvebatur quæstio. Adsunt enimvero duodecim testes factum illud una voce asserentes, ut testes oculati, mediis in suppliciis inter acerbiora tormenta, cruciatibus veritas ab iis exquiritur, factum illud negasse ipsis sufficiebat ut a suppliciis & morte liberos se facerent; mortem tamen præponunt, capite plectuntur variis temporibus, variis in locis: jam vero istud metaphysice repugnat si falsa sint facta quæ testificantur: indoli enim & naturæ hominum metaphysice repugnat homines privatas ac sibi intimas propensiones ablegare, malis omnibus se dedere ut mendacium pro mortuo stabiliant, nullo inde ex parte hominum sperando emolumento, nullo etiam ex parte Dei expectato contra quem falsum testimonium dixerunt: nisi enim supponatur

per-

perſpecta ipſis facti illius veritas, jam nullum habent & habere poſſunt ſuæ aſſertionis motivum niſi propriæ exiſtentiæ odium, quod eſt amare malum qua malum, amare malum phyſicum propter ipſum malum. Quod ſane naturæ & indoli hominum metaphyſice repugnat, quod hucuſque inauditum eſt: fuerunt enim & ſunt quotidie qui vel pro patria, vel pro falſa opinione quam veram eſſe ex errore putabant, mortem oppetierint, at hucuſque ne unus quidem repertus eſt qui ſanguinem ſuum fuderit pro facto cujus falſitatem intime perſuaſam habebat.

Et ſane ſi talibus ſcriptoribus fraudulentam mentem ſupponere liceat, jam nulla erit hiſtoria cujus ſinceritatem in dubium revocare non debeamus.

CONCLUSIO V.

Apoſtoli in iis quæ referunt, non potuerunt decipere.

PRob. 1. ex natura factorum. Nam ex dictis facta illa erant publica eo tempore quo divulgabantur, & maximi momenti: ergo impoſſibile eſt omnes homines in iis diſcutiendis incurios ac negligentes fuiſſe, aut fraudem diu latere potuiſſe: ergo etiamſi voluiſſent decipere Apoſtoli, nunquam potuiſſent. Immo, ut jam advertimus, tale conſilium animo concipere ſobrii non potuere. Sive enim ex parte Judæorum, ſive ex parte Gentilium, impoſſibile erat talia ipſis perſuadere, niſi vera fuiſſent. Unde ut decipere potuiſſe ſupponatur, ſupponi debet tum Apoſtolos, tum eos omnes qui in ipſis fidem adhibuerunt, inſaniiſſe: atqui hoc impoſſibile eſt: ergo.

Prob. 2. ex circumſtantiis temporum in quibus evulgati ſunt illi libri: 1. enim certum eſt evangelium & epiſtolas ſcriptas non fuiſſe niſi poſt prædicationem evangelii. Jam vero hoc poſito repugnat ut totus orbis per libros Novi Teſtamenti deluſus fuerit: tunc enim Apoſtoli ſcribere non potuere diverſa ab iis quæ viva voce docuerant. Alias in illis libris lecta fuiſſent nova & inaudita, immo his quæ audita fuerant, contraria & adverſa. Tunc ergo & ſcripta & audita contemptui cito fuiſſent. Vel unus ſufficit Iræneus l. de Monarchia in exemplum curæ & diligentiæ cum qua ſcripta Evangeliſtarum & Apoſtolorum conferebantur cum iis quæ viva voce de miraculis Chriſti annuntiabant Diſcipuli Chriſti. Ergo ſcribere non poterant diverſa ab iis quæ viva voce tradiderant; ſed cum prædicabant ea facta Apoſtoli, tunc erant notiſſima; ergo. 2. Eo tempore pervulgata ſunt illa evangelia quo bellum acre exarſerat Judæos inter & Chriſtianos; tempore quo ambæ partes de oraculorum ſenſu inter ſe diſceptabant; hoc etiam tempore ſerpebant diſſidia inter Fideles Romæ degentes inter Corinthios, Hebræos, Galatas. Jam vero in hiſce rerum circumſtantiis Apoſtoli idiotæ, ac ignobiles Judæis tunc oculatis falſa pro veris nunquam perſuaſiſſent. 3. Quatuor Evangelia non ſimul, ſed ſucceſſive prodierunt. Suum promulgavit ſanctus Matthæus 8. vel 9. annis poſt mortem Chriſti. Marci vero volumen in lucem prodiit decem annis poſt librum ſancti Matthæi. Idem temporis intervallum interjacet inter evangelium ſancti Marci & ſancti Lucæ. Quadraginta tandem annis poſt illos ſuum conſcripſit evangelium ſanctus Joannes. His poſitis, ſic argumentor. Vel ſancti Matthæi evangelium, quod primum extitit, ut verax ac ſincerum ab omnibus agnitum fuit, vel ut falſidicum & mendax habitum fuit. Si primum, vincimus. Nam impoſſibile eſt ut lapſu temporum notorietas aliqua huic evangelio adverſa acceſſerit. Repugnat etiam tres alios Evangeliſtas Matthæo ad tale mendacium conſenſiſſe & illud uno ore narraſſe. Si ſecundum; impoſſibile eſt omnino ut tres alii Evangeliſtæ detectas jam fabulas, & prodita mendacia iterato proponere auſi fuerint. Nemini ſane in mentem veniet facta iterum ſcriptis mandare quorum veritas conclamata eſt & falſitas evicta ac in aprico poſita: ergo impoſſibilis error in circumſtantiis in quibus divulgata ſunt evangelia.

Prob. 3. ex natura librorum & ex conditione auctorum. Illa hypotheſis eſt rejicienda quæ repugnat tum ex natu-

ra librorum qui falsitatis ac mendacii arguuntur, tum ex conditione auctorum: atqui 1. ex natura librorum. Libri enim illi ita inter se connexi & concatenati sunt ut omnes aut mendaces, aut veraces esse necesse sit. Omnes & singuli eadem facta commemorant, eadem docent mysteria; eadem tradunt præcepta, ita ut si semel unus sincerus sit, aut adulterinus, sortem ejus omnes alii sequantur oporteat. Immo vel una pars, vel unus textus, v. gr. Actuum Apostolorum, si intactus remaneat; omnibus aliis certam fidem facit. 2. Idem patet ex conditione auctorum, id est, Apostolorum. Nam Apostolos arguunt Deistæ ut falsarios qui veterem adulterarunt Scripturam, Prophetas interpolativere, ea mente eoque consilio ut spuriis miraculis fidem facerent, adulterinoque Messiæ veri & genuini nomen deferrent: at istud omnino repugnat. Qui enim tanti sceleris rei traducuntur, natione & origine sunt Judæi, legem Patrum suorum zelantes, summa denique erga Scripturas veneratione perfusi; Messiæ tempora ardentioribus votis exoptant, at simul Christum ut Messiam non nisi post validissima argumenta denique tandem agnoverunt. Et certe qui sic in mendacii suspicionem veniunt, novis ac evidentibus miraculis rerum quas narrant & scribunt, veritatem obfirmant; jam vero impossibile omnino est ut omnes auditores suos simul & spectatores deludant falsa renuntiando ac operando. Enimvero quid in Apostolorum narratione negabunt Deistæ? Negabunt ne Christum fecisse miracula? sed tunc negent etiam necesse est Apostolos fecisse miracula. Apostoli enim sua ediderunt miracula ad confirmanda miracula Christi. Deinde miracula sive Christi, sive Apostolorum iisdem constant argumentis. Denique Discipuli Christo non adhæserunt, nisi ex comperta miraculorum ejus veritate. Ergo si negentur miracula Christi, negari debet Apostolos extitisse & miracula fecisse. Quod si negent Apostolorum miracula, idem ac si negarent Apostolos in carcerem detrusos fuisse; carcerem enim non subierunt nisi propter doctrinam miraculis confirmatam. Sic proinde hoc idem est ac si negarent Apostolos extitisse; quin immo idem est ac si negaretur mundum ad fidem adductum fuisse. Mundus enim Christo non credidit nisi propter Christi & Apostolorum miracula. Ergo.

Prob. 4. ex modo quo decepissent. Vel Apostoli singuli seorsim & sine ulla conventione decipiendi consilium mente conceperunt, vel mutuo inter se inito fœdere. Atqui utrumque impossibile est: ergo impossibile est Apostolos mendacium docuisse. 1. Enim ridiculum est & chimæricum mendaces sic solitarios ita inter se in narratione convenire, ut essentiali factorum veritati nihil decidat, nullaque appareat contradictio saltem essentialis. Deinde timendum habebant singuli nisi singuli insaniissent, ne quis eorum adversus fraudem reclamaret, aut saltem rerum seriem aliter ordinaret. v. g. Timere debebant ne dum unus aut alter Christum a mortuis redivivum multis apparuisse contendisset, alius enim uni tantum manifestum se præbuisse voluisset, alii fortasse tandem nulli visum esse dixissent. Uno verbo fraus nullo fœdere ordinata cito evanescit. 2. Impossibilis est conventio inter Apostolos inita. Recole quæ supra diximus ubi de Religione Judaica; quibus hæc adde specialia. Vel Christum inter & Apostolos, vel Apostolos inter & Populum, vel inter Apostolos tantum, vel inter omnes illos simul initum fuisset illud pactum. Atqui 1. fœdus illud initum non fuit inter Christum & Apostolos: nam vivente Christo iniri debuisset fœdus & pactum illud: porro incredibile est Christum eas fraudes nectere voluisse quæ mortuo ipsi tantum prodessent. Deinde repugnat ut Christus dolo intentus omnes operum suorum longe antequam fiant, præmonitos faciat; v. g. si resurrectio Christi aut Lazari sit merum figmentum purusque ludus, eam prænuntiare non debuisset. Hinc enim ad fraudes detegendas attentiores reddebat; præsertim cum duodecim illi quos solos habebat fraudis conscios & adjutores, forent ad fraudem rudes & parum idonei. Præterea mirum est Christum ad fraudes dispositum

fitum sensus qui omnium Judæorum mentibus insidebant, directa fronte impugnasse, cum e contra qui dolos parant præjudicatos sensus in suam causam convertant. 2. Non Apostolos inter & Populum. Agitur enim hic, ut sæpe adnotavimus, de factis publicis & maximi momenti; sicut ergo impossibile est Apostolos ea vidisse sibi fingant, quæ non viderant, sic repugnat ut persuadeant Apostoli populo ut credat, & dicat se ea vidisse quæ non viderat; & sicut Apostoli, ita Judæi quid sua interesset eo usque oblivisci non potuere, ut res tam sibi injucundas & infelices contra propriam conscientiam admitterent. Ex jam dictis, impossibile est ut natio integra conspiret in factum fictitium. Sit exempli gratia panum multiplicatio in deserto. Ut populus in fraudem conspiret, vel ipsi persuadendum fuit ex paucis pisciculis & modico paue expletam fuisse ejus famem, cum tamen nec panes, nec pisces tetigisset aut vidisset, vel ex advecta occulte sufficienti annona, saturatus populus miraculi larva delusus est. Porro neutrum ex his dici potest. Primum absurditate omni absurdius est. Secundum conciliari non potest cum angusta Christi & Apostolorum pauperie. Deinde eam rerum copiam quæ decem aut quinque millibus sufficiat, difficile est abscondere in deserto. Duodecim illi homines decem aut viginti millibus oculis patent, nec populus in fœno reclinatus otiosus aut negligens erat in observando undenam alimenta sua extraherent Apostoli. 3. Non inter Apostolos solos. Repugnat enim omnes ad unum tum Apostolos, tum Discipulos pro sua probitate, immo pro nativa hominum omnium indole in tale fœdus conspirasse, ne uno quidem contradicente. Repugnat ut nullus tanti sceleris horrore perculsus fuerit; repugnat ut nullus senserit quam stultum esset & insanum pro chimæra mortem oppetere & ambire. Saltem repugnat ut decursu temporis nullus ad saniorem mentem redierit; vix ac ne vix fieri potest ut nullus amico, aut parenti, aut consanguineo mysterium revelaverit. Enimvero totum illud negotium ex non violando secreto pendet; & secretum illud innumeris committitur, præsertim mulierculis quarum infidam loquacitatem nemo nescit. Mulieres tamen primæ resurrectionem dominicam evulgant. Deinde quid profuisset pactum illud solos inter Apostolos, cum ageretur de factis publicis & maximi momenti? Quomodo etiam potuissent, posito illo pacto, persuadere Judæis & Gentibus se facta illa vidisse quæ tamen non viderant? Præterea in factis essentialibus omnes Evangelistæ consentiunt, in levioribus quibusdam circumstantiis discrepant. 1. Enim stylo differunt, licet una sit omnium mens & simplicitas. Sic inter SS. Matthæum & Joannem, inter utrumque & S. Lucam maxima est styli disparitas. 2. Nec eodem loco, nec eodem tempore, nec eodem ordine res scripserunt, ac proinde tale consilium prius inter se non composuerant. Evidens est unumquemque suum sibi proposuisse scribendi ordinem in recensendis factis; quod si opus suum ex mutuo consilio fuissent executi, haud dubie generalem juxta temporum seriem texuissent Historiam. 4. Si inter se consensissent, manifestum est quod leviores quasdam quæ occurrunt contradictiones caute devitassent, præsertim cum non simul & eodem tempore scripserint; v. gr. sanctus Lucas post sanctum Matthæum scripsit; quomodo Christi genealogiam Matthæo tam dissimilem ordinavit? Si vera erat S. Matthæi historia, cur S. Lucas non explicat & ostendit se nihil dicere huic sancti Matthæi narrationi adversum? aut si falsa sanctus Matthæus narret, cur eum non confutat sui vindex S. Lucas? Immo vix ac ne vix fieri potuit ut circa utriusque genealogiæ diversitatem ortæ non fuerint lites inter Christianos, etiam SS. Matthæi & Lucæ temporibus; attamen S. Lucas constans fuit in sua retinenda narratione; huic nihil addere, nihil decerpere voluit. Constantia illa cum pacto quod supponitur compati non potest. Ergo repugnat fœdus illud inter Apostolos. Denique pactum illud inter omnes illos simul initum, chimæra est. Quo magis fraudis participes multiplicas, eo magis fraus repugnat, eo difficilius secretum evadit. 1. Repugnat

omnes

omnes in mortem ruisse propter chimæram. Etiamsi unus id audere posset, de innumeris credi non potest, præsertim de iis qui antea non prudentiæ, sed & summæ timiditatis ac ignaviæ signa dederant. 2. Fieri non potest ut nullus inter tormenta veritatem tandem confessus non fuerit. Præterea tam facile tormentis cessisset mutua eorum in dolum confœderatio, quam timori cesserat capto eorum magistro zelus eorum in fidem & veritatem præsente Magistro quem intimo diligebant affectu, quem ut Messiam habebant, ardore & zelo exæstuarunt, adeo ut cum ipso Jerusalem & ire & mori auderent, alter tamen ad mulierculæ vocem rigido timore corripitur, alii omnes Magistro relicto aufugiunt. Nihil sane minus eo mortuo præstitissent, præsertim si fraudi militassent. Ergo etiamsi Apostoli decipere voluissent, tamen non potuissent.

COROLLARIUM II.

Apostoli veraces sunt.

PRob. Illi veraces sunt qui decipere nec voluerunt, nec potuerunt. Atqui: ergo. Hinc manifestum est legitimum esse Apostolorum testimonium, cum eas habeat conditiones quæ cordato viro ad assensum sufficiunt. Hic ergo concludere possemus vera esse quæ in libris Novi Testamenti leguntur. At cum fortasse alicujus mentem subire posset timor ne adulterati essent illi libri, etiam hanc formidinem ex omnium animis excutere operæ pretium est. Sit itaque.

CONCLUSIO VI.

Facta Novi Testamenti integra ad nos devenere, saltem in essentialibus.

PRob. 1. Ex eo quod nulla possint proferri adulterationis argumenta. Etenim si summo jure agere velimus, non nostrum est probare, sed adversariorum. Certum est enim ab Apostolis usque ad nos summa cum reverentia asservatos esse illos libros, & ut divinitus afflatos habitos esse. Incredulus interpolatos esse illos libros pertinaciter contendit; suam assertionem ipsius est probare. Nam undequaque tandem veniat illa in hos libros Christianorum reverentia, sive a præjudiciis, sive a nimia credulitate oriatur, constat tamen illam venerationis sensum omnibus Christianis in omni ætate fuisse nativum & communem. Probet ergo Deista non obstante illa reverentia adulterationem revera contigisse. Frustra inclamabit Deista, fortasse possibilem in se esse illam alterationem, illam posse non absurde supponi pro librorum illorum antiquitate. Harum suppositionum sua proferant argumenta increduli; si non aliis quam Deistarum ratiociniis Christiana niteretur Religio, si Deistarum sola methodo gratisque confictis hypothesibus nostra stabiliremus principia, vanos ac steriles nos esse statim inclamarent. Eodem jure cum iis agere possumus. Quidquid sit, illud tamen nos inter & illos immensum semper versabitur discrimen, quod nos priores possideamus, jamdiu possideamus, & possessio sit legitimus in rem titulus; illi e contra, neque possessionem, neque alium titulum proferre valeant. Unde sic in forma resumo. Illa hypothesis hoc ipso rejici potest, quo nulla ratione legitima nititur; (ideo enim Deistæ facta Novi Testamenti respuunt; quia non satis comprobata iis videntur;) jam vero adulteratio librorum Novi Testamenti nulla ratione legitima nititur. Nam probari deberet illa adulteratio, etiam posita librorum & factorum evangelicorum natura, & Christianorum in libros illos reverentia: atqui nulla proferri potest legitima ratio quæ posita sive librorum & factorum evangelicorum natura, sive Christianorum erga libros illos reverentia, adulterationem aut ejus possibilitatem evincat. Recurrunt enimvero Deistæ ad librorum illorum antiquitatem: sed sicut Christianorum reverentia erga libros illos, libris illis est coætanea, ita natura factorum & librorum illorum est eadem ac in prima sui origine. Ergo nisi directe evincant libros illos interpolari potuisse etiam posita Christianorum erga illos reverentia, librorum illorum antiquitas possibilem non faciet alterationem. Ergo.

Prob. 2.

Prob. 2. ex circumstantiis. Illa adulteratio absurda est & repugnat cujus assignari non potest epocha, seu tempus, motivum, materia, auctor. Atqui nullum ex his assignari potest. 1. Epocha assignari non potest. Tempus enim illud fuisset vel ætas Apostolorum, vel immediate subsequens, vel remotior. Atqui non primum: nam repugnat libros Novi Testamenti corruptos fuisse eo tempore quo toti erant Apostoli in disseminanda Religione ubique gentium, & Ecclesias a se fundatas solliciti invisebant; eo tempore quo intenti erant ut Ecclesias illas a Pseudo-Prophetis & contra falsas eorum doctrinas præmunirent & sub ipsis eorum oculis corruptos: fraudes illas sane nec ignorassent, nec impune tulissent Apostoli. Immo Fideles pro sua erga Apostolos & eorum libros innata reverentia statim reclamassent. Non secundum; ea enim ætate recens erat Apostolorum memoria, & prædicatio cujus epitome continebant libri illi; authentica horum exemplaria in Ecclesiis asservabantur; omnium manibus terebantur libri illi & quotidie qua privatim, qua publice legebantur. Adulterari ergo non potuerunt nisi videntibus & consentientibus illis Ecclesiis; porro omnium illarum Ecclesiarum consensum in illam adulterationem impossibilem & absurdum esse jam liquet ex probatis, & adhuc patebit ex dicendis. Æque absurdum esset supponere omnes Christianos universim dispersos inito veluti fœdere errorem nobis propinasse, ac supponere unum hominem omnibus Christianis illusisse, ipsis persuadendo ut divina, facta Apostolis omnino peregrina, immo Apostolorum actionibus & miraculis contraria ac iis adversa quæ modo & recenter ab Apostolis didicerant. Non tertium. Eo enim tempore sermone vulgari scripti erant libri illi, in varias linguas translati & ubique disseminati. Innumera horum exscripta erant exemplaria; ab ipso jam secundo sæculo vulgati & omnibus cogniti erant illi libri; in medium proferebantur veluti quidam controversiarum Judices, aut potius ut codices irretractabilis auctoritatis ad quorum normam Episcopi sua judicia, Fideles vero suum obsequium componebant. Jam vero in talibus rerum circumstantiis impossibilis fit adulteratio. Etenim si unus Doctor aut Pastor libros illos temerare attentasset, omnes alii reclamassent: si consensissent omnes simul Doctores, tenuisset Populus; si & Doctores & Populus illud passi fuissent, extranei, Gentiles nempe, Judæi, Hæretici haud impune tulissent. Nec omittendum statim a morte Apostolorum, & in omni fere deinceps sæculo varias exortas esse discordias & hæreses; omissis enim Gnosticis, omnibus nota est Millenariorum opinio quam Papias excogitavit quindecim annis a mortuo sancto Joanne. Huic successit quæstio de Paschate; postea venerunt Ariani, &c. Fervente discordiæ æstu neque Catholici, neque Hæretici Scripturarum integritatem impune violassent, ex utraque enim parte ex Scripturis arguebatur. Etiamsi unum aut alterum exemplar corrumpi potuisset, omnia simul adulterare impossibile omnino fuisset. Nostris diebus, præsenti tempore libros illos vitiari non posse insciis Christianis nemo diffitebitur; atqui semper & omni tempore idem murus astat contra fraudem: ergo.

Et certe vel alteratio illa scriptis SS. Patrum est anterior, vel iis est posterior. Si primum: ergo ipsamet Apostolorum ætate contigit; ætatem enim Apostolorum proxime excipiunt SS. Patrum scripta. Nullum inter utrumque intercedit temporis spatium. Jam vero probavimus ea ætate impossibilem esse alterationem. Ergo, &c. Non secundum: hanc enim hypothesim evertunt quæcumque Veterum scripta. Nam omnes textus ex evangelio exscripti & prolati a Scriptobus antiquis eodem modo & sensu etiamnum adhuc in evangelio leguntur. Ne unus quidem textus essentialis deesse comperitur. Attamen si corrupti fuissent libri Novi T. jam non iidem nunc essent ac tempore Apostolorum. Dicendum ergo esset Scripturarum violatores loca etiam SS. Patrum temerasse in quibus proferuntur illi evangelici textus; sed repugnat illud posterius. Sic enim falsos textus veris & genuinis supponendo in operibus SS. Patrum, perpetuum delirium in illis operibus insertum,

tum fuisset. Etenim SS. Patres loca sacra in medium afferebant ut sua probarent placita. Si corrumpantur apud illos illa loca, jam pro argumentis probativis, reperta fuissent argumenta causæ suæ adversaquæ perpetuis & putidis scaterent contradictionibus: ergo.

2. Non possunt assignari res in quibus interpolatio facta sit. Vel enim mutatio illa facta fuisset in rebus levioris momenti, vel in factis essentialibus. Sed in rebus tantum levioris momenti, nihil proficiunt Deistæ contra nos, qui pugnamus tantum pro essentialibus; nihil etiam movent pro sua causa; stat enim nihilominus certum & inconcussum plurima facta legi in N. T. ex quibus certo & efficaciter concluditur veritas Religionis Christianæ. 2. Libri illi non possunt dici interpolati in essentialibus. Essentialia enim hic voco miracula quæ veritati Religionis Christianæ conducunt. Porro si facta illa addita aut adulterata essent, vel in omnibus exemplaribus & libris, vel in uno, aut altero tantum istud contigisset; porro jam probavimus fraudem irrepere non potuisse in omnibus exemplaribus aut libris. Etiamsi vero singulare aliquod exemplar, aut liber aliquis Novi T. adulteratus fuisset, nihil inde contra nos. Nam in uno etiam evangelio omnia continentur veritati Religionis asserendæ sufficientia. Quodlibet enim eorum continet Christi nativitatem, mortem, resurrectionem, miracula & oracula. Præterea facilius non fuit facta illa addere, quam libros illos omnes & integros supponere & fingere. Nam facta illa sunt librorum illorum substantia, librosque illos constituunt. Libri illi nihil aliud sunt quam vel miracula; vel res cum miraculis connexæ.

3. Nullum potest assignari hujus alterationis motivum. Certum est enim & inconcussum, neminem sanæ mentis sine aliquo motivo agere. Nemo gratis malus esse vult; omnes in suis actibus aliquam utilitatem sibi proponunt; jam vero ex prætensa illa librorum Novi Testamenti interpolatione, nullum emolumentum, nulla utilitas emergere potuit, nullum est solidum hujus interpolationis motivum. Nam motivum illud fuisset vel præceptorum aut mysteriorum evangelicorum emollienda durities; vel eorumdem præceptorum aut mysteriorum augenda severitas vel obscuritas: atqui neutrum dici potest. 1. Non vitiarunt libros illos ut præceptorum evangelicorum duritiem emollirent: nam sensibus austera ac inimica etiam nunc in evangelio leguntur præcepta. Talem præterea alterationem non tentassent homines quales erant primi Christiani & Apostoli, ab omni nempe voluptate alieni, & pietatis rigidi custodes; ergo. 2. Non etiam ut severitatem moralium præceptorum augerent. Nam nullus jugum sibi gratis aggravare & officia multiplicare meditatur. 3. Non sibi proposuerunt sacrorum mysteriorum fulgorem temperare; obscura enim adhuc ac humanæ sagacitati impervia continet evangelium. 4. Non sane illam interpolationem susceperunt ea mente ut res incredibiles ac densis tenebris involutas proponerent, qualia sunt Mysteria. Nedum enim inde suam causam promoverent, immo funditus eam perdebant. Omnium enim animos a se inde avertebant. 5. Nullus assignari potest auctor. Corruptor ille fuisset vel Judæus, vel Christianus, vel Gentilis: atqui neque Gentilis, neque, &c. libros illos violarunt. 1. Non Gentiles. Hoc repugnat ex parte Gentilium & Christianorum. Quantum ad Gentiles quidem tale consilium mente concipere non potuerunt. Etenim librorum nostrorum violationem in se non suscepissent, nisi vel ex odio Christianæ Religionis, vel ex fovendi Paganismi consilio: jam vero ex neutro illo motivo libros N. Testamenti, quales nunc sunt, corrigere potuerunt Pagani. Tunc enim debuissent ex libris illis expungere oracula, & præsertim miracula tanto numero & splendore patrata, & in libris illis relata. Ethices principia adeo sancta & pura libris nostris consignata aut omnino sustulissent, aut saltem suæ gentilitatis ac Philosophorum principiis accommodassent. Non tam constans esset principiorum moralium puritas in illis libris. Absurdum est enim Paganos libros Christianorum ex motivis allatis correxisse eo modo qui Paganismo multum noceat, Christianismo vero multum faveat. Ergo Pagani tale consi-

consilium mente non conceperunt, etiamsi vero mente concepissent, nusquam illud exequi potuissent. Repugnat enim omnes libros, omniaque eorum exemplaria simul vitiari potuisse. Ergo tale consilium exequi non poterant Gentiles. Ergo repugnat talis interpolatio ex parte Gentilium. Quantum vero ad Christianos. Non impune tulissent interpolationem ab hostibus factam, & cujus auctores diu latere non potuissent. Deinde absurdum est in illa hypothesi Christianos tam assidue & invincibiliter libros suos opposuisse Paganis qui libros illos violaverant. Ergo 1. Pagani, &c. 2. Judæi, &c. Præter rationes mox allatas ipsis & Gentibus communes has addere juvat. Etenim si Judæi libros illos temerare voluissent, intacta non reliquissent tot ipsis adversaria & contraria, miracula scilicet oraculaque plurima; Christi adversus ipsos objurgationes & alia innumera ipsis omnino indecora procul dubio expunxissent. Nemo credat divinitatis characteres in illis libris undequaque scintillantes, nihil aliud esse quam invidiæ fœtum. Non denique Christiani. Vel enim unus tantum tale commentum meditatus esset, vel omnes simul in illud conspirassent. Utrumque illud omnino repugnare patet ex jam dictis ubi de libris Mosaicis.

Prob. 3. ex eodem argumento quo supra Librorum Veteris Testamenti integritatem asserimus. Ex probatis enim vera scripserunt Apostoli, nec deceptores, nec decepti: ergo vera nobis adest in illis revelatio ut fusius postea concludetur. Jam vero Dei attributa postulant ut semel datam revelationem custodiat & ejus conservationi ac integritati invigilet. Dei ipsius causa agitur. Eadem motiva quæ ad concedendam extraordinariam revelationem eum impulerunt, eadem illibatam ejus conservationem urgent & exigunt: absente enim illa Providentia, non solum inutiles, sed nocivi fierent codices illi divinæ revelationis custodes. Dum enim sub nomine Dei & ejus loquelæ traducerentur, nihil tamen nisi humanum continerent. Immo ab una adulteratione ad aliam fieri tandem posset progressus ut impia ac scelestissima quæque dogmata docerent. Deus ergo pro sua veracitate & sapientia ac omnibus suis attributis librorum sacrorum integritati invigilare debuit. Ergo.

COROLLARIUM III.

Vera sunt quæ hodie leguntur in libris Novi Testamenti.

PRob. Ea quæ in illis libris leguntur testes habent & peritos & veraces, qui nec falli, nec fallere potuerunt; facta illa illibata & intemerata ad nos devenere: ergo vera sunt, &c. Et vero auctores & testes illi octo sunt, oculati, aut coætanei factis quæ memorant, non facta tantum, sed eorum circumstantias, causas & motiva perspecta habuerunt. Porro nulla historia tales sibi habet conscriptores & tamen maximam fidem jure ac merito sibi vindicant historiæ humanæ: ergo vera sunt, &c. Uno verbo Religio Christiana unico facto veluti quodam cardine volvitur, nempe Christi resurrectione. Quod quidem factum ea fulget evidentia ac existentia Persorum & Romanorum. Undenam enim Cæsaris victoriæ æque certæ nobis sunt ac si eas propriis conspexissemus oculis? Ideo sane quia victoriæ illæ referuntur ab auctoribus coætaneis, veridicis, & ætatis suæ testimonio ac consensu approbatis: atqui pariter & eodem certitudinis gradu constant ea facta evangelica. Scriptorum N. T. fides certa est 1. ex testimonio Scriptorum hujus ætatis qui eos appellarunt & in medium protulerunt. 2. Judæorum & Paganorum suffragio quibus nemo persuasisset fictitios Apostolos & vera miracula fuisse. 3. Confesso Hæreticorum illius tunc temporis quibus fictitiam & umbratilem auctoritatem opponere nemo ausus fuisset. 4. Totius Ecclesiæ universali testimonio quæ libros illos publice legebat.

COROLLARIUM IV.

Si in illis libris oracula, & miracula leguntur, vera erunt.

ERgo si in libris illis legantur oracula & miracula a Christo edita, ve-

verum erit illa tum oracula, tum miracula Christum habere auctorem. Librorum enim illorum sinceritas importat factorum illorum omnium quæ in iis narrantur veritatem. Nec obstat quod miracula sint facta supernaturalia; nam cum sint possibilia, actualis eorum existentia pendet a veracitate auctorum & librorum quorum testimonio nituntur.

Obj. 1. Efficaciter non probatur vera esse quæ continentur in libris Novi Testamenti. Præcipua enim argumenta quibus istud evincitur, sunt Apostolorum testimonium & traditio universalis: atqui 1. ex testimonio Apostolorum efficaciter non probatur, &c. Nam ex testimonio eorum qui decipi potuere, non probatur efficaciter, &c. Atqui Apostoli decipi potuere. Nam ex concessis erant rudes & inculti ingenii. Ergo decipi potuerunt.

R. n. ult. min. Ea quæ narrant Apostoli, sunt facta sensibilia immo publica & quæ propriis viderant oculis: jam vero licet rudes fuerint Apostoli, circa facta hujusmodi decipi non potuerunt. Unusquisque enim summo jure judicat de propriæ sensationis existentia ac conscientia, & ad hoc non subtile requiritur ingenium. Præterea cum facta illa non solis Apostolorum oculis conspecta fuerint, at sint publica, & ab innumeris credita, non soli Apostoli, sed omnes quotquot crediderunt decepti fuissent; quod absurdum est. Nam inter eos fuere viri non pauci ingenio præpotentes.

Inst. Atqui decipi potuere. Nam inde præsertim probatur decipi non potuisse Apostolos, quia Christi & rerum ab eo gestarum fuerant testes oculati, ac Christo coævi & commensales: sed istud non constat nisi testimonio Apostolorum, quod est fidei & auctoritatis dubiæ. Illud enim gratis fingere potuerunt, ut illo titulo, licet falso, se commendarent: unde sic concludo. Apostolos decipi non potuisse non constat nisi quia Christi erant testes oculati & commensales: sed Apostolos tales fuisse non constat nisi ex Apostolorum testimonio. Ergo Apostolos decipi non potuisse non constat nisi testimonio & argumento dubio ac vitioso.

R. n. min. & dico 1. Quod independenter ab Apostolorum testimonio constet eos fuisse Christi testes oculatos. Nam independenter ab Apostolorum testimonio certum est hic & nunc existere Christianos; porro æque certum est Christum olim extitisse, Discipulosque quosdam sibi convivas habuisse, ac constat existere hic & nunc Christianos. Eadem enim Historiæ monumenta quæ Christianorum originem nobis produnt, eadem nos docent omnes qui successu temporum Christo nomen dederunt, sic institutos esse vel ministerio Apostolorum & eorum qui Christi testes fuerant oculati, vel ope eorum qui Apostolis successerunt. Et sane iisdem criticæ regulis constare potest Apostolos fuisse Christo coætaneos, ac quodlibet aliud factum historicum. v. gr. Omnes fatentur Polybium coætaneum fuisse Scipioni cujus historiam texuit. Id constat 1. quia ita fert ejus narratio. 2. Quia id testatur traditio non interrupta, & unanimi omnium consensu hæc Historia ipsi adjudicatur, ut Scipioni coæva: atqui paria pro libris Novi Testamenti militant momenta. Ergo 1. independenter ab Apostolorum testimonio constat eos fuisse Christo coætaneos ac testes ejus oculatos. Dico 2. quod etiamsi ex solo Apostolorum testimonio constaret eos Christo fuisse coævos, non inde factum istud nutaret: nam nulla ratio dari potest cur in hoc potius quam in alio decepti aut deceptores fuerint. Dico 3. quod etiamsi dubium & incertum esset illud testimonium, nihil inde concludi posset contra veritatem & certitudinem factorum evangelicorum. Ut enim certa sint facta evangelica, satis est quod referantur a testibus fide dignis, id est, qui nec decipi nec decipere voluerint aut potuerint: atqui etiamsi ex solo Apostolorum testimonio constaret eos fuisse Christo coævos, constat tamen aliunde Apostolos nec deceptos, nec deceptores fuisse. Certum est etiam independenter ab Apostolorum testimonio vera esse facta evangelica: nam 1. independenter ab Apostolorum testimonio constat, & consentiunt tum Judæi, tum Gentiles, tum Christiani Jesum Nazarenum quondam vixisse in Judæa, eum-

eumdemque cruci affixum in ea mortuum esse. Constat 2. Jesum eumdem post mortem suam ab innumeris adoratum fuisse; multi enim hac de causa ultimo supplicio affecti fuere sub Neronis imperio. Jam vero hujus adorationis nulla alia afferri potest causa, nisi veritas miraculorum Christi, & rerum ab eo gestarum. Ergo etiamsi Apostoli non fuissent Christo coævi, staret veritas factorum evangelicorum. Ergo etiamsi ex solo Apostolorum testimonio constaret eos fuisse Christo coætaneos, ac proinde etiamsi illud incertum esset, nihil inde, &c.

Inst. Efficaciter non probatur Apostolos decipiendi mentem non habuisse. Etenim probatur Apostolos decipere noluisse ex candida quam præ se ferunt sinceritate: atqui illa ipsa sinceritas potest esse fœtus doli & mendacii. Candidam enim & ingenuam mentem affectant sæpe & ipsi mendaces, ut suis mendaciis meliorem fidem faciant.

R. n. min. & prob. 1. Si semel valeat principium in objectione propositum, jam ruit pene omnium omnis certitudo historica, & discernendæ veritatis factorum omnis fere elabitur via. Quæcumque enim occurrat in historico sinceritatis species, semper respondebunt increduli, dolosam esse hanc sinceritatis speciem. 2. Vera est & genuina illa sinceritatis species in Apostolis. Apostoli enim Judæi erant origine, olim piscatores, natura rudes ac pinguis ingenii. Atqui sane repugnat tales homines adeo subtiles fuisse ut summam sinceritatis ac candoris speciem cum summa decipiendi intentione conciliarent, ita ut nullus, ne Lynceus quidem, extrema fallentem fraudis lineamenta non perspiceret. Deinde cum non omnes simul eodem tempore scripserint, concipi non potest quomodo in tali consilio ita felices fuerint ut mendacium idem eodemque modo promulgarent.

Inst. Ut decipiendi consilium mente conceperint Apostoli, satis est quod aliquam utilitatem sibi promittere potuerint ex divulgata sua doctrina, quamvis spe sua defraudati fuerint: atqui quamvis Apostoli spe sua defraudati fuerint, aliquam tamen utilitatem sibi promittere potuerunt ex promulgata sua doctrina; nempe propriam gloriam, nominis famam, &c. Ergo decipiendi consilium, &c.

R. n. min. Apostoli enim proselytis suis sæpe sæpius prænuntiabant passuros se multas tribulationes. 1. *Thess.* 3. 4. Noverant ergo solam infamiam & miseriam sibi successuram esse ex prædicatione evangelica. Et vero si aliquam utilitatem sibi sperassent ex suo docendi munere, tot annorum experientia edocti ab errore suo resipiscere tandem aliquando debuerunt. Denique si terrenam utilitatem ex prædicatione evangelii sibi promittebant, eligere debebant doctrinam quæ terrenæ utilitati non opponeretur; at contrarium fecerunt Apostoli. Ante Christi resurrectionem eos omnes gerebant affectus qui humanitatis sunt appendices; post resurrectionem autem illam, omnes illos affectus deposuisse videntur. Præsentem vitam contemnunt, ad futuram solam anhelant; virtutis amorem, vitii ac præsertim doli & mendacii odium constanter commendant. Jam vero repugnat tales viros decipiendi consilium mente concepisse. Ergo.

Inst. Atqui testimonium Apostolorum nullius est momenti. Certum est enim testimonium illud impugnatum fuisse multis & solidis operibus. Opera vero illa jam non supersunt, sed deperdita, immo Christianorum industria e medio sublata sunt. Undenam enimvero opera illa jam non extant? an temporum injuria id factum est? Sed intacta remanserunt Apostolorum opera. Jam vero nulla ratio reddi potest cur illa, non vero hæc opera tempus corroserit. Ergo sola Christianorum factione id contigit, quia scilicet opera illa fraudem & mendacium testimonii Apostolorum detegebant. Ergo testimonium illud vehementissimam fraudis suspicionem præ se fert. Unde sic: illud testimonium vehementissimam fraudis suspicionem præ se fert, quod robur suum ac veritatis speciem habet ex sola suppressione operum quibus detegebatur mendacium Apostolorum: atqui tale est testimonium Apostolorum: ergo.

R. n. min. Facile evolvi potest jactu-

ra librorum Paganorum inter collabentis imperii Romani ruinas. Paganorum duplex erat classis. Alii docti, sapientes, & Philosophi parum curabant suam religionem, immo plerique eam taeite deridebant. Libros ergo pro ejus defensione exaratos facile spernere potuerunt. Alii vero plebeji, rudes, & agrestes libros ipsos parvipendebant, plerumque penitus ignorabant; religionem suam ex inera consuetudine colebant. Quid ad eos libri illi? Uno verbo nullus Paganus spem, affectum, & omnia sua in libris illis reposuerat. Ergo facile exponi potest incuria librorum illorum: inter Christianos certa est disparitas. Testimonium enim Apostolorum pondus suum habet ex momentis quibus supra probavimus Apostolos nec deceptos, nec deceptores fuisse. Quantum ad suppressionem operum quæ Gentiles Philosophi adversus testimonium Apostolorum exaraverant; 1. horum operum soliditatem immerito tantopere extollunt Deistæ. Etenim quid contra nos præstent, facile dijudicari potest vel ex eorum fragmentis, vel ex aliis libris ejusdem generis qui adhuc supersunt. Nec sane tanta quanta volunt Deistæ evidentia factorum evangelicorum veritatem infringebant illa opera, cum iis non obstantibus innumeri Christiani ad martyrium undequaque convolaverint. 2. Nulla hic Christianorum malitia; opera adversariorum nostrorum nativa sua conditione interierunt. Scilicet irruentes undique Barbari & ferro & igne omnia devastantes tum sacra, tum profana monumenta destruxerunt. Inter hos tumultus Christi Discipuli parum curarunt Ethnicorum opera; solliciti fuere pro iis tantum operibus quæ Religioni & sibi pretiosa erant. Deinde devictis Gentilibus ad Hæreticos tota conversa est Ecclesia Christi; cumque a primis nihil ultra timendum haberet, eorum tela sprevit. Præterea vilescunt omnium oculis difficultates rite semel solutæ, quasque nemo tuendas suscipit. Talia erant argumenta a Paganis & Judæis proposita. 3. Manifestum est nullam ex parte Christianorum machinationem hic intercedere. Nam plures auctores Christiani Gentilium opera, aut eorum fragmenta seu potius eorum systemata & argumenta servavere. Sic sanctus Justinus Tryphonis objectiones, Origenes Celsi principia refert & confutat. Idem præstiterunt Tertull. Theophil. Antioch. Minut. Felix, Arnob. Lactant. Euseb. Cæsar, &c. Jam vero si Christiani Gentilium opera malitiose suppressissent, jam nullam operum illorum mentionem fecissent Patres, sed opera illa ex integro obruere tentassent. Jam vero opera illa exscribere, ea confutare, non est ea supprimere. Nec sane concipi potest tale consilium si Christianorum mente conceptum fuisset, a nullo manifestatum aut detectum fuisse. 4. Constat Judæos recentioribus Christianis multa mala intentasse, at nulla opera contra eos scripsere. Primum quod in hoc genere occurrit opus, est Thalmud qui quidem secundo ad majus sæculo ascribi potest, nec nisi quinto sæculo absolutus, nec ullam difficultatem, ullam probationem præ se fert, sed tantum pueriles & aniles fabulas. 5. Vel prætensa illa operum illorum suppressio facta fuit tribus prioribus sæculis, & tunc impossibilis erat, tunc enim flammis & gladiis devovebantur Christiani; in id unum intenti erant ut cultum suum, cæremonias, libros, personas & omnia sua antris & speluncis reconderent. Non sane satis potentiæ habuerunt ut opera Hierosolymis & Romæ plena in luce edita æterna nocte sepelirent. Id vix potuissent vel ipsi Imperatores potentissimi. Vel ista suppressio facta est quarto sæculo, & tunc omnino inutilis cum jam altas radices emisisset, & solide stabilita esset Religio Christiana. Ut quid enim Religio illa timuisset opera jam probro & contemptu exesa? Denique mediis in persecutionibus, inter cruces & carceres nata est, crevit & coaluit Religio Christiana. Repugnat ergo in lucem prodiisse libros Christianæ Fidei incusatores; alias enim accusatio legitime comprobata sufficiens fuisset, immo suppliciis efficacior fuisset ad evertendam evangelicam veritatem.

Inst. Atqui testimonium Apostolorum nullius est momenti. Illud enim testimonium nullius est momenti quod sibi & historiæ publicæ contradicit: atqui tale

tale est testimonium Apostolorum. Inter varias contradictiones quæ testimonio illi supponi possunt, seligo narrationem trinæ negationis a sancto Petro factæ. Sic refertur a S. Marc. 14. 30. „ amen „ dico tibi, quia tu hodie in nocte „ hac, priusquam gallus vocem bis de„ derit, ter me es negaturus... 53. addu„ xerunt Jesum ad summum Sacerdotem „ ... v. 68. At ille negavit ... & gallus „ cantavit. v. 70. Ille iterum negavit. „ Et post pusillum ... v. 71. Ille autem „ cœpit anathematisare & jurare quia „ nescio hominem istum. v. 72. Et sta„ tim gallus iterum cantavit. S. Matt. „ 26. 34. Amen dico tibi, quia in hac „ nocte antequam gallus cantet, ter me „ negabis. v. 57. Duxerunt (Jesum) ad „ Caipham principem Sacerdotum. v. 70. „ At ille negavit ... Nescio quid dicis. „ v. 72. Iterum negavit cum juramento. „ v. 73. Et post pusillum .... v. 74. „ Tunc cœpit detestari & jurare quia „ non novisset hominem. Et continuo „ gallus cantavit. S. Luc. 22. 34. Non „ cantabit hodie Gallus, donec ter ab„ neges nosse me. v. 57. Ille negavit „ eum. v. 58. Et post pusillum ... o „ homo non sum. v. 59. Et intervallo fa„ cto quasi horæ unius. v. 60. Homo ne„ scio quid dicis. Et continuo adhuc illo „ loquente cantavit gallus. S. Joan. 13. „ 38. Amen, amen dico tibi, non can„ tabit gallus, donec ter me neges. 18. „ 13. adduxerunt eum ad Annam pri„ mum. v. 17. Non sum. v. 24. Et misit „ eum Annas ligatum ad Caipham. v. 25. „ Negavit ille, & dixit: non sum. v. „ 27. Iterum negavit Petrus: Et statim „ gallus cantavit. „ Jam vero hæc narratio nec sibi, nec historiæ publicæ consentit. 1. Quidem non sibi. Nam perpetua in hac narratione dominatur discordia. Alii enim binum galli cantum, alii unum tantum commemorant, sive prænuntiando, sive factum referendo; inter unam & alteram negationem juxta alios distat tantum pusillum temporis, juxta alium, quasi horæ unius intervallum, juxta alterum denique una proxime præcedentem statim excepit. Immo, quod conciliatu difficilius est, juxta tres Evangelistas trina S. Petri negatio & futura prædicitur & absoluta narratur ante omnem galli cantum; at secundum S. Marc. 1. Christus prænuntiat trinam S. Petri negationem, priusquam gallus bis cantet, futuram. 2. Refert postea gallum 1. cecinisse post primam negationem, iterum vero post tertiam. Alterutra & prædictio & narratio hoc ipso falsi convincitur. Fieri non potest ut simul & S. Petrus Christum negaverit ante omnem galli cantum & gallus cecinerit ante eandem negationem: Secundum tres Evangelistas Christum ter & negaturus erat & negavit ante galli cantum; juxta Sanctum vero Marcum, gallus cecinit & canere debuit ante trinam negationem. Crescit difficultas S. Marco asserente Sanctum Petrum negasse ad primum galli cantum a matutino, ut opinantur, diversum & distinctum. Primum inter & secundum gallicinium quarta pars noctis intercedere solet, quod tunc erat trium horarum: attamen juxta præsentem narrationem post primam negationem statim iterum interrogatus, iterum negavit; & inter hanc secundam negationem & tertiam pusillum temporis, seu horæ unius spatium intercessit; quod sane ad trium horarum durationem nunquam excrescere potest. Ergo non sibi consentit hæc narratio.

Et certe alio titulo sibi vix consentit præsens illa narratio. Nam si huic fides adhibeatur, S. Petrus galli cantum auribus excepit: jam vero vix concipi potest quomodo vox galli ad aures S. Petri deferri potuit in atrium Principis Sacerdotum in quo omnia maximo miscebantur tumultu.

Præterea angustioribus limitibus circumscribitur temporis spatium Christi ad cœnam accubitum inter & post galli cantum etiam posteriorem, ut intra illud omnia quæ ab Evangelistis narrantur concludi possint: cuilibet enim omnes circumstantias pervolventi occurret 1. Christum tria fecisse convivia. 2. Longam ad Apostolos habuisse orationem. 3. Hymnum eucharisticum, longissimam ex Judæorum institutis precem recitasse. 4. In hortum secessit & hora solida oravit. 5. Capitur & ad Annam, dein-

Simon de Religione. Kk

deinde ab Anna ad Caipham ducitur aut potius trahitur. Ibi multis impetitur calumniis, audiuntur testes, deliberationes iniuntur; uno verbo paratur causa & ad ultimam definitionem complanatur. De his V. Em. de Lambertinis olim S. Pet. successorem Bened. XIV. nomine felicis & insignis memoriæ 1. P. 1. enar. in cœnam 158. 159. Jam vero hæc omnia intra datum & assignatum tempus peragi & absolvi minime potuerunt. Certum est enim Judæos non nisi sera nocte ad cœnam paschalem discumbere solitos, vixque media nocte eam paratam esse potuisse. Nec moram facere potest hæc evangelica locutio: *vespere autem facto discubuit*: nec enim illud *vespere* sumi debet mathematice. Quidquid temporis post solis occasum fluit, eo nomine interdum donari solet. V. n. 9. 15. Apud Jerem. lupus, ad litteram vespertinus, aut nocturnus, ut Kimchi interpretatur, ex Ps. 104. 20. In Novo vero Testam. confer. Joan. 20. 19. Marc. 11. 32. Ergo 1. narratio evangelica non sibi concordat.

2. Nec cum historia publica consentit. Namque Gallos alere Judæis non licebat, nec mos erat, velut Sibaritis, placidioris somni causa, vel ex superstitione. Cum enim terram perpetuo effodiant aves illi, timendum Judæis erat ne ossa mortua detegerent, & sic ex eorum aut contactu aut aspectu pollluerentur. Hunc morem asserunt Judæorum Doctores, Bav. Kam. Holac. Ultem. Hinc forsan nullus in V. T. occurrit textus quem de gallo gallinaceo aperte agere certo constet. Ita adnotat Bochar. Hierozoic. *Part.* 2. *c.* 17. Cæterum multæ sunt civitates, præsertim numerosæ, in quibus eadem viget prohibitio. Hæc nunc in varios syllogismos sunt distribuenda, & evincendum est præfatam de trina sancti Petri negatione narrationem 1. non sibi cohærere: illa narratio sibi non cohæret in qua aliter prænuntiatur factum, aliter vero refertur eventus: atqui ita se habet mox dicta narratio. Ergo sibi non cohæret.

R. n. min. Facile evanescunt prætensæ illæ contradictiones si 1. attendatur levissimas omnino esse res & circumstantias in quibus deprehenduntur; 2. Patrum omnium commune effatum esse Evangelistas leves neglexisse circumstantias. 3. Advertit S. Augustinus totum inter quatuor Evangelistas in eo versari discrimen quod alius alium exponat. v. g. Marcus distinctius exprimat quod alii generaliori modo commemoraverant: cum omnes itaque Evangelistæ dicant prædixisse Dominum, quod eum Petrus esset negaturus antequam gallus cantaret, non omnes autem dicant quoties gallus cantaret, S. Marcus hoc solus narravit expressius. Hæc sunt ipsissima fere sancti Augustini verba, *l.* 3. *de consensu Evang. c.* 2.

Inst. Atqui præfata narratio sibi non concordat. Nam juxta tres Evangelistas trina Petri negatio sic futura prænuntiatur: priusquam gallus cantet, ter me negabis; juxta vero S. Marcum priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus; en prædictio diversa. Juxta tres Evangelistas trina negatio absolvitur ante omnem galli cantum, at ex Sancto Marco galli cantus trinam illam abnegationem præcedit; en eventus diversus. Uno verbo dum sancto Marco authore gallus cantat post primam abnegationem, cantat post tertiam, ut prædictum erat: sed secundum alios gallus non cantat nisi post tertiam abnegationem. Ergo non ter negavit Dominum Petrus ante galli cantum, ut volunt alii Evangelistæ. Sic itaque argumentum adornare juvat. Illa narratio sibi non cohæret juxta quam ex una parte sanctus Petrus ter negat Christum ante galli cantum, ex altera tamen gallus cantat antequam ter sanctus Petrus negaverit Christum, atqui sic se res habet in prædicta narratione. Ergo sibi non cohæret.

R. n. min. Cujus falsitatem omnes, sed non eodem modo evincunt: magis usitatas responsiones proponam & hinc & inde discutiam ac æqua quantum fieri poterit lance perpendam. Quæ ipsi magis arriserit, eam eliget peritus lector.

R. Itaque 1. S. August. *l.* 3. *de consens. c.* 2. jam citato tres Evangelistas dixisse trinam sancti Petri negationem futuram

tam esse ante galli cantum, quia ante illam inchoata fuit, immo jam in animo consummata. Eodem itaque sensu Christus dixit sancto Petro: antequam gallus cantet, ter me negabis, quo quis alteri denuntiaret: antequam gallus cantet, ad me scribes epistolam in qua ter mihi conviciaberis: id enim vere diceretur etiamsi epistola non foret absoluta ante omnem galli cantum, modo ante eum incepta post eum finiatur.

Verum Jansenio Gandav. displicet hæc responsio *Concord. Ev. c.* 133. hoc titulo quod tres Evangelistæ afferant Dominum trinam sancti Petri negationem prænuntiasse ante galli cantum. Postea vero comprobare volentes Evangelistæ oraculum Christi eventu completum esse, narrant trinam hanc negationem absolutam priusquam referant gallum cecinisse. Ergo negatio illa non eo tantum sensu galli cantu prior esse debuit quod ante illum inciperet, sed quod prius illo consummaretur. Hinc.

R. 2. Idem Jansenius cum Bochar. locis jam citatis tres Evangelistas & sanctum Marcum loqui de diverso, non de eodem galli cantu. Quod ut intelligatur obs. 1. juxta illos authores duplicem distinguendum esse galli cantum; unum, nec diuturnum, post medium noctis, alterum cum jam adhuc duæ aut tres circiter noctis horæ supersunt & perseverat usque ad tempus quod conticinium dicitur: ab hoc secundo cantu quarta vigilia noctis gallicinium dicitur; duplicis hujus gallicinii innumeri meminerunt authores quos longo agmine ducit Bochar. quem consule si vacat: pauca excerpemus exempli causa. Sic Juvenal. *Sat. v.* 106.

Quod tamen ad gallum canti facit ille secundi.
Proximus ante diem caupo sciet....

Synes. Epist. 4. *cum nox jam esset circa secundum gallorum cantum*, vetus adagium erat apud parœmiographos: *priusquam gallus secundo canat*.

Obs. 2. Juxta eosdem authores licet gallus media nocte canere incipiat; deinde ante auroram, cum aliquid dicitur factum gallicinii tempore simpliciter, nullo addito numero, semper posterius intelligitur, quia sic dicitur antonomastice, vel quia cantus ille acrior alacriorque est: vel quia hominibus notior & utilior: sic suadet Horat. Satyr. 1.

Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.

V. etiam Tob. 8, 11. 13. 14. Itaque S. Marc. utriusque galli cantus meminit ut rem gestam distinctius exprimat, ut modo dicebat sanctus Augustinus: at tres alii Evangelistæ levem hanc negligentes circumstantiam, posterioris tantum cantus, utpote principalioris, meminerunt, & id præcipue quia ante illum cantum absolvenda erat & absoluta fuit revera trina sancti Petri negatio. Hinc patet nullam esse contradictionem in textu evangelico. Namque tres Evangelistæ prædicunt trinam negationem Petri ante galli cantum antonomastice dictum, & sic in quatuor Evangelistis completa narratur. At in bino galli cantu, principalem cantum includit sanctus Marcus, licet accuratioris & expressioris narrationis causa alterum commemoret cantum.

Inst. Contradictionem non complanat hæc responsio quæ multis ipsa difficultatibus intricata propositæ difficultatis nodum stringere potius quam laxare aut solvere videtur. Duplici ex parte nutat præsens hæc responsio. 1. Inquiunt quidam, incerta est illa de galli cantu media nocte doctrina veterum; unicum galli cantum commemorant a media nocte longe dissitum. Si quando tamen aut secundum galli cantum nominant, aut numero plurali galli cantus, gallicinia exprimant, istud oritur ex eo quod iteratis vocibus ad auroram vocem edat gallus. Nec certe alius nisi cantus ille posterior metiendo tempori inserviebat. 2. Dato illo cantu media nocte, concipi non potest quomodo tunc negare potuerit prima vice ad primum gallicinium. Nam vix media nocte peracta esse potuit cœna Christi, ut jam observavimus. Tota ergo recrudescit 3. immo augetur difficultas dum ex S. Marco S. Petrus statim post primum galli cantum negavit, & post pusillum, id est, horæ unius intervallo tertio negavit iterum succinente gallo. Sed inter primum illum galli cantum mediæ noctis & secundum quarta pars noctis, id est spatium trium horarum intercedit. In Judæa

enim quo anni tempore Christus morti traditus est, noctes horarum sunt plus quam undecim. Ergo ex narratione evangelica inter primam & ultimam negationem vix potuit elabi media pars hujus spatii. Ut inde sese expediat,

R. 3. Bochar. 1. Evangelistas plerumque summatim retulisse, & dum S. Petrus conatur se purgare, potuisse rem longius diduci. 2. Ex illo S. Lucæ *post pusillum*, non sequi inter primam & secundam S. Petri abnegationem nullum aut brevissimum fuisse temporis intervallum. Sanctus enim Joannes c. 18. a v. 17. usque ad 25. multa interserit ut facta in illo intervallo extra cujus metas longius excurrere debent. Et tertia abnegatio quam sanctus Lucas a secunda removet unius horæ circiter intervallo, testibus SS. Matth. & Marc. paulo post secundam contigit. 3. illud, *post pusillum* longius extendi potest quam putatur. 4. Horæ S. Luc. licet aliquid addere, cum non dixerit præcise horam unam, sed circiter, quasi horam unam. 5. Denique quamvis inter primum & secundum gallicinium quarta pars noctis intercedere soleat, tamen id perpetuum non est; nam sæpe accidit ut galli canant temere, nec statis horis, ut observavit Scaliger in Cardanum exercit. 139. Fieri ergo potuit ut gallus aliquis post tertiam sancti Petri abnegationem solitum gallicinii tempus antecesserit.

Inst. Nec meliori titulo obtinet hæc responsio. 1. Enim principiis gratis omnino suppositis nititur. v. g. Potuit sanctus Petrus rem excusationis longius protrahere; pusillum ad longum tempus protenditur; hora S. Luc. extenditur. Hæc nullo aut saltem levissimo nituntur fundamento. 2. Fatendum quidem de minimis non curasse Apostolos & Evangelistas; facta levioris momenti leviter & summatim perstringunt. At sane eo brevitatis eos devenisse non est credendum ut obscuri & inintelligibiles fierent; brevitati quantumvis consulant, pugnantia dixisse supponi non possunt. Nec sane levis momenti vocari debet prophetiæ executio oraculo consonans. 3. Non quæritur an sanctus Petrus res suas longius diducere potuerit; istud probabile est nec insolens. At quæritur quomodo tempus unius horæ correspondere aut æquiparari possit spatio quod inter cantum mediæ noctæ & gallicinium, seu cantum matutinum effluxit. Quævis additio aut ampliatio fiat, certe nulla nisi moralis esse debet. Immensum est porro quantum ampliari debeat hora ut tribus horis commensuretur. 4. Dum contra omnem omnino rationem, aut certe sine ulla aperta ratione, in immensum distenditur S. Lucæ hora; frustra urgentur quæ hac hora gesta esse supponit S. Joan. Longe enim communius in narratione evangelica, longe Scriptoribus sacris familiarius est res alio ordine recensere quo gestæ sunt, quam tres horas unius spatio metiri. Immo cum solus sanctus Joannes huic intervallo temporis prædictam inserat narrationem, alii vero tres sancti Petri negationes ita narraverint ut sese invicem proxime exceperint, tribus potius quam uni fides est adhibenda, juxta historicæ criticæ leges. Non probatur ex allata responsione protendi debere vel pusillum S. Matt. vel horam S. Luc. sed tantum S. Joan. rerum narrandarum ordinem imperturbasse. 5. Nihil minus solidæ responsioni consonat quam arbitraria arbitrarii gallicinii suppositio. Si sic liceat ad nutum in narratione historica, præsertim evangelica fingere hypotheses, & ad arbitrarias suppositiones confugere, nihil profecto immotum ac fixum erit in toto evangelio. Quis præterea in animum inducat Christum rem ignotam insuetam ac inauditam sic commemorasse iis in circumstantiis in quibus familiariter & amicorum more cum Apostolis suis colloquebatur? Longe ad verum magis accedit eum in signum completæ prophetiæ rem omnibus familiarem dedisse: quis fidem faciat huic arbitrario & temere edito cantui? Fatendum quod res est. Hæc ad plenam solutionem non sufficiunt. Unde

R. 4. Recens auctor (a) ex familia Dominicanorum qui Romæ degunt, putat quatuor Evangelistas conciliari non posse si de alite intelligantur. Novam aliam proponit, quæ fortasse sua novitate primo ani-

(a) P. Castus Innocentius Ansaldus.

animum percellet, quamque prudentis lectoris judicio & sagacitati permitto. Summa hujus responsionis est. Hæc verba, *priusquam gallus cantet, ter me negabis*, hunc sensum habent: priusquam buccinator tuba clangat, vel antequam præco signum det & in judicium convocet, ter me negabis. Hæc responsio multa præsupponit priusquam aut respuatur aut admittatur. Tota difficultas & præsens ejus solutio residet in voce græca quam per gallum vulgus reddidit quamque de gallo gallinaceo intelligit communis sententia. Duo itaque ad consolidandam hanc responsionem præstanda sunt: 1. Vocem græcam tubicinem designare posse & debere. II. Hoc posito plenam esse datæ objectionis solutionem & quatuor Evangelistarum conciliationem. Porro hæc duo in aprico ponere facile est.

I. Voce græca designari tubicinem hæc astruunt. 1. Vocis hujus significatio apud Auctores prophanos. 2. Apud Scriptores Ecclesiasticos. 3. Buccinæ usus apud Judæos. At in antecessum S. Aug. annotationem proponere juvat planam ad hunc sensum viam sternentem, *l.* 2. *de Doctr. Christ. c.* 1. 11. *&* 12. observat duabus de causis libros sacros non intelligi, scilicet ex ignotis & ambiguis signis, id est, verbis. Exemplum profert Psalm. 13. 3. *Pedes eorum veloces;* quidam codices, inquit, habent: acuti pedes eorum. Vox enim græca & acutum, & velocem, & acre, seu amarum significat. Melius detexit sententiam qui transtulit; veloces pedes eorum. Juxta hanc S. Aug. observationem sunt quædam verba quæ vagam & multiplicem habent significationem. Rectus horum sensus pendet ex præcedenti harum significationum electione. Hic apprime illud occurrit. Vox enim græca quam per gallum transtulit sanctus Hieronymus, ambigua est multaque etiam contraria & opposita designat, v. g. nuptam & innuptam virginem, &c. At 1. Tubicinem etiam significat; apud Auctores prophanos hoc usu sæpe venit. Testis est Athenæus l. 3. *Dipnosophistics. c.* 21. apud quem Demades celebris Orator publicum Atheniensium tubicinem vocabat Atheniensium gallum. Aristophanes in resp. 87. describit hominem judicandi prurigine laborantem ait:

Gallum (præconem) signum dantem vespere
Argento ab ipsis corruptum reis
Ut excitet se serius quam velit:

Galli alitis, aut ejus vocis nullus concipi potest nexus cum forensi judicio. Tota scurrilitas comici in eo tunc sita foret quod ales a reis fuisset corruptus; quod absurdum est. Uno deinde corrupto alite & silente, alii profecto non tacuissent, eoque tacente aurora nihilosecius advenisset. Cuperus animadversionibus ad observ. Philol-Attman. dicit vocem græcam gallum & tibiam significare ob cantus similitudinem. Hinc apud Hellenistas qua sacros, qua prophanos hæ phrases: vox tubæ, sonus tubæ. Et quidem vox græca vi sua tubicen dici potuit sicut minerva tuba apud Græcos dicta est, quia ejus fuit inventrix. Inde illud Pythagoræ: *a fabis abstineto & a gallo albo abstineto*. v. Suid. de Pythagora. Significare volebat Philosophus ille a comitiis & forensibus judiciis abstinendum. Præco, ut plurimum alba utebatur veste. Cicero Orat. c. Pisonem n. 26. avum ejus modo præconem, modo gallum vocat: V. Orat. pro L. Murana. n. 9. & in Verrem 6. n. 46. Hinc forsan qui in Ecclesia Cameracensi ab alta specula excubias totius civitatis nomine agit vocatur, *Le Gallet*.

Eumdem sensum obtinet vox illa apud Scriptores Ecclesiasticos. Const. Apostol. *l.* 8. *c.* 14. Auctor horas quibus orare consueverant Christiani describens sic habet: *Clangentibus gallis... eo quod illa hora annuntiet eventum diei*. De publico tubicine hæc verba exponit Fronto in not. in illa verba de vita primorum Christianorum & de Christiana familia. Idem dicit Tertull. *l. de Jejuniis*. Campanis scilicet nondum inventis sic horæ orationis publicæ denuntiabantur, ut etiamnum annuntiantur apud plurimos orientis populos. V. Em. de Lambertinis *T.* 2. *not. & edict. not.* 1. Montalb. *de Morib. Turcar.* Sanforinum *de orig. Imper. Turc. l.* 2.

Nec apud Judæos insolens erat aut inauditus buccinæ forensis usus. Ejus origo

Numer. 10, legitur his verbis: *fac tibi duas tubas argenteas ductiles*, &c. Quæ vide, si licet. Duplex illa tuba erat vere buccina teste Josepho *ant q. Jud. l. 3. c.* 12. Quemadmodum de aliis populis fidem facit Arist. *Polit. l. 3. c.* 11, *&* *Moral. l. 3. c.* 5. Dyon. Halicarnas, *l.* 2. Tubæ illæ apud Judæos congregando populo inserviebant. Judicum ac ipso etiam Regum tempore & imperio subitaneæ saltem conciones ope buccinæ convocabantur: post *Exod.* 19. 13. V. Isa. 27. 13. 11. *Reg.* 26. 15. Jer. 4. 5. *&* 6. 1. *&* 51. 27. Ezechiel 33. 3. Joel 2. 1. 15. Zachar. 9. 14. 4. Jud. 34. 35. Joseph. *Antiq. Jud. l.* 5. *c.* 4. Buccinæ usus frequentior fuit post captivitatem Babylonicam, quia Judæorum regimen ad Reipublicæ formam magis tunc componebatur. Nec mirum si Christi tempore hic usus viguerit: nam constat omnes populos a Romanis devictos & sub eorum ditione suis usibus permissos fuisse. Hinc suis Apparitoribus, Scribis, Præconibus, Buccinatoribus, cæterisque omnibus quæ ad majestatis insignia pertinent, gaudebant illi populi & eorum Magistratus. Cicer. *l.* 6. Epist. 61. ad Atticum. & Orat. pro Flacco. Idem de Judæis speciatim astruit Plutarchus præcep. gerend. Reipub. 17. Joseph. antiq. Jud. *l.* 2. huic usui allusisse Christum de ult. Judic. Matt. 24, 1. Cor. 15. 51. 1. Tessal. 4. 16. asserunt Drusius in Matt. 24. 31. Goodvin. III. de Mose *l.* 7. *c.* 6. S. Thomas ad 1. Cor. 15. Maldon. in Matt. 6. 2. Natal. Alex. in Matt. 24. Grot. in Mat. 24. & 6. 2. Juxta hos posteriores vox Hebræa quam nos congregare, & Ecclesiam interpretabamur, significat congregare multitudinem. Idem asserit Jansf. Gand. *Conc. c.* 71. Ergo stat illud primum Græca voce quę per gallum exponitur, tubicinem & posse & debere significare.

11. Hoc ipso plene solvitur difficultas proposita & conciliantur quatuor Evangelistæ. Ut scopum istud feliciter assequamur, duo requiruntur pro duplici objectionis nodo, 1. ut duplex sonus S. Marci cum unico trium aliorum Evangelistarum conveniat. 2. Ut spatia ab Evangelistis determinata ex æquo juxta narrationem decurrant. Porro facili negotio utrumque præstari potest. Et quidem ad prioris elucidationem observ. ex Aristophane gallum, id est, tubicinem semel ad ordinarias, bis ad extraordinarias & subitaneas conciones clangere solitum. Sic enim habet l. cit. *Cum secunda vice gallus* (præco) *sonum.... iterum præco concutiit*: quæ vox a gallo ad præconem translata est: not. Hæc verba præsertim Græce lecta, cum intempestiva alitis cantione minime concordant, optime vero cum S. Marco, si præsenti sensu sumantur: porro nemo dubitare potest quin subita fuerit concio pro Christo damnando. Tres itaque Evangelistæ loquuntur de ultimo signo tubæ, utpote principaliori, cum indicaret mox & jam jam incipere concionem, immo litem discuti; S. Marcus utrumque commemorabat sonum, cum bis insonatura esset buccina.

2. Nulla est in temporis mensura jam difficultas. Inter utramque enim buccinationem hora circiter intercedebat, & cum mane facto coincidebat. Jam tum vero omnes Evangelistæ post trinam S. Petri negationem transeunt ad consilium apud Pilatum congregatum. Nihil hic vel pusillo, vel horæ intervallo addendum.

Inst. Dum hæc responsio prioris incommoda utcunque declinat, nova sibi annexa habet. 1. Enim prætensa illa Græcæ vocis expositio videtur omnino metaphorica. Citati auctores non nisi translato sensu eam significationem usurpasse videntur. Jam vero probabile non est Christum tunc metaphoram adeo inauditam usurpasse: 2. Stupendum hanc conciliationis viam tandiu & omnes latuisse, non dico interpretes modo, sed omnes SS. Patres & sacrorum librorum translatores, sive Syriacos, sive Arabicos, &c. Quis concipiat SS. Patres tantum desudasse in exponendo hoc sacræ Scripturæ textu, responsioni & explicationi hæsisse, quæ certe animos eorum non pacabat, ea neglecta quæ ex una parte apertissima, facillima ac omnibus nota, ex altera vera omnium querelas & anxietates sedabat? Si enim notissima erat prædictæ vocis græcæ significatio, si omnibus cognita ac familiaris erat illius buccinæ usus, conjici non potest quo-

quomodo SS. illi Patres nec cognoverint, nec viderint quod aliorum omnium oculos feriebat.

R. ad primum 1. hic non esse metaphoricam vocis græcæ significationem. Naturalis est & propria significatio, sed derivata. 2. Etiam si esset metaphorica, facilis & usu communi trita erat ac proinde eam usurpare potuit Christus. Ad secundum quoad SS. Patres S. Aug. primus, ni fallor, hanc movit quæstionem. Nimium a locis & temporibus illis distabat, ut hæc solutio menti ejus obversaretur. Ad illum tunc temporis solitum usum forsan non attendit, nimium defixus in quotidiana suo ævo græcæ vocis usurpatione. Quoad versiones vero, forsan eandem ambiguitatem hic linguæ illæ patiuntur. Quidquid sit, præfatæ vocis sua ætate communiorem magisque usurpatum sensum unice adverterunt. Cęterum nemo nescit ubi agitur de S. textu semper licere recursum ad textum primigenium prę versionibus. Ergo cum hujus loci textus primigenius sit gręcus, cum vox græca hunc suscipiat sensum, cum sensus ille solutioni omnimodæ facilior sit, concludit Dominicanus noster eam esse anteponendam responsionem, quam, iterum dico, sagacitati & prudentiæ lectoris subjicio.

Inst. Saltem prædicta narratio historiæ publicæ contradicit: constat enim gallos alere Judæis non licuisse.

R. Istud equidem Judæis prohibitum fuisse. At nemo nescit quam incurii & molles fuerint in observandis præceptis. Lege Mosaica cautum erat ne porcos comederent; porcos tamen terram eorum aluisse certum est ex Gerasenorum facto. Esto Judæis non erat concesśum gallos alere, at eos alere venditionis causa licebat: saltem Romanis istud non erat interdictum. Herodes ergo & qui ei adhærebant poterant tales pascere aves. Patuit ergo vox galli a domo Herodis ad atrium S. Pontificis, & sic ad aures S. Petri deferri. In Sicilia, v. g. auditi sunt & profecto nunc audiuntur galli Romæ canentes. Quidni S. Petrus gallum ab aula Herodis in atrio S. Pontificis audire potuit?

Inst. Eodem vitio laborat hæc posterior responsionis pars quo cateræ tota solutionis methodus. 1. Enim Judæi quidem legis Mosaicæ jussa facile deserebant, non item traditiones, quas vocabant, Patrum aut Pharisæorum decreta, ut nec, uno verbo, quæcumque humana auctoritate inventa. 2. Etiamsi lex porcos comedere prohiberet, potuissent forsan eos educare Judęi; at ratio contra gallos immediate in eorum educationem cadebat. Non enim eos nutrire non debebant, quia eorum prohibitus erat usus, sed ex ratione supra memorata. Uno verbo exprese vetitum erat gallos etiam alere. 3. Probabile non est Romanos gallos habuise. Omnibus enim notum est quantum subditorum populorum usibus & consuetudinibus servirent. 5. etiamsi habuisent apud se & in interiori aula, domus Pontificis nimium distabat ab urbis mœnibus ut ales extra mœnia cantans intra urbem in tanto strepitu audiretur. Denique hæc conciliari non posunt cum emphasi verborum Christi, tempore, loco, & cęteris circumstantiis in quibus hęc protulit Christus. Familiarissime ac judaico more, ex Judaicis usibus S. Petrum alloquebatur. Ergo non agebat de alite qui Hyerosolymis enutriri non solebat. Eligat nunc lector quæ ex his responsionibus magis arrideat. Græcos caracteres hic non exscripsi, ut nec Hebraicos, sicut nullo in alio pręsentis tractatus loco. Inter eos enim qui eum pervolvent, multi occurrent in utroque idiomate omnino hospites & peregrini; his nullius esset utilitatis terminorum sive Gręcorum, sive Hebraicorum appellatio; immo tędium forsan ipsis afferret. Qui vero utranque linguam callent, mentem meam statim assequi & judicare poterunt.

Inst. Ex traditione non constat veritas librorum Novi Testamenti. Illa enim traditio non est certum veritatis criterium qua verum & falsum ex ęquo communicatur: atqui per traditionem generalem verum & falsum ex ęquo communicatur. Sic per illam traditionem credunt Turcę Mahumetem fuisse, & eam quam profitentur doctrinam dissemina se; sicut credunt Christiani per eamdem traditionem Jesum extitise & talem doctrinam docuisse, ergo.

R. Etiamsi falsum quodammodo cæteris paribus æque certo ac verum per traditionem communicari possit, nihil inde contra nos qui de sola traditionis infallibilitate disputamus, etiamsi Mahumetanorum traditio fuerit medium certum quo credere possent Turcæ Mahumetem fuisse & eam quam profitentur doctrinam disseminasse, parum refert quantum ad finem nostrum quam falsa fuerit eorum fides & institutio. De medii inquam certitudine, non de doctrinæ veritate agimus. Immo poterit falsum sub ratione falsi per traditionem certissime communicari, dum Poetarum figmenta & fabulæ sub ratione falsi fideli traditione communicantur. Duo hic sedulo distingui debent rei nempe traditæ, seu Religionis existentia & veritas, seu natura. Traditio rei existentiam immediate & directe attingit, non ejus veritatem & naturam. Religionis ergo veritatem non probat directe traditio, sed indirecte tantum. Nam eo ipso quo traditio probat infallibiliter Christum suam doctrinam disseminasse & miraculis confirmasse, jam probat doctrinam illam divinitatis caracteres habere, ac consequenter veram esse. Pariter traditio eadem probat infallibiliter Mahumetem extitisse suamque doctrinam disseminasse; at cum non probet illam doctrinam divinitatis sigillo, nempe miraculis obsignatam fuisse, non probat ullo sensu eam veram esse. Valet ergo Mahumetarum traditio pro Mahumetis existentia sicut Christianorum pro Christi & ejus doctrinæ existentia; non valet autem pro Mahumetis sicut pro Christi doctrinæ veritate.

Inst. Traditio illa & Ecclesia ipsa sunt quid unum & idem, eodemque nititur fundamento utriusque auctoritas: sed nihil hic valet auctoritas Ecclesiæ: ergo eodem jure rejicitur traditio.

R. n. maj. Et ut ratio intelligatur, obs. Ecclesiam & Scripturam considerari posse sub duplici respectu, nempe Ecclesia potest considerari ut societas humana tali vel tali tempore instituta; deinde potest considerari ut societas supernaturalis divino, tum lumine collustrata, tum auxilio suffulta. Traditio de qua hic agimus, est Ecclesia primo sensu sumpta, cujus infallibilitas repetitur ex argumentis supra allatis. v. g. Ex ejus universalitate, ex eo quod hominum innumera societas insanire non possit, Ecclesia autem secundo sensu accepta non est quid unum & idem ac traditio de qua hic agimus. Hujus infallibilitas repetitur ex promissione Christi & assistentia Spiritus Sancti. Ita pariter Scriptura, id est, libri Novi Testamenti attendi possunt vel ut Historia præcise & nuda factorum narratio, vel ut liber cœlesti inspiratione exaratus. Scripturæ hoc posteriori sensu intellectæ auctoritas & certitudo nititur solo Ecclesiæ testimonio; primo sensu sumpta, auctoritatem habet ex credibilitatis argumentis supra desumptis ex eo quod eorum auctores nec decipi, nec decipere potuerint circa facta libris illis contenta.

Inst. Atqui traditio non probat veritatem librorum Novi Testamenti. Illa enim traditio non probat quæ non est unanimis: atqui talis est traditio circa veritatem librorum Novi Testamenti. Enimvero inter eos qui Christiano nomine gloriabantur, multos repetire fuit qui non solum in dubium revocarent, sed etiam qui negarent facta in Novo Testamento relata & ea declararent veritati historicæ adversa. v. g. Gnostici, Cerinthiani, Ebionitæ, &c. negabant Verbi ex Virgine nativitatem & a mortuis resurrectionem. Marcion contendebat evangelia nostra innumeris scatere falsitatibus, seque iis veraciorem esse jactitabat, teste sancto Iræn. *T. I. c. 27. n. 2. p. 306.* Nec omittendum hic agi de ipsa-met factorum substantia: nam dicebant Christum esse filium Joseph, tempore passionis se subduxisse in cœlum & Simonem Cyræneum ejus figura & loco passum & crucifixum esse. Ex his sic concludo. Illa traditio non est legitimum veritatis argumentum quæ nedum sit unanimis alia opposita & æquali impugnatur & mendacii convincitur: atqui talis est traditio circa veritatem librorum sacrorum Novi Testamenti. Ergo.

R. n. min. Et dico memoratam utramque traditionem æqualem non esse primo quoad universalitatem. Certum est enim.

enim quod sectæ illæ quæ eo usque desipuerunt ut facta evangelica negarent, sive distributive, sibi collective sumptæ longe pauciori fuerint numero. 2. Utraque traditio non est æqualis quoad vim & auctoritatem. Vel enim consideratur Ecclesia qualis est ex institutione Christi contra Hæreticos, vel ut societas mere naturalis & humana, ea testimonii auctoritate gaudens qua ceteræ societates. Si primum; jam Christianorum auctoritas est divina & erroris incapax, cui proinde nocere non potest paucorum Hæreticorum residentia. Si secundum, ut hic considerari debet, testimonium omnium Christianorum Hæreticis illis præponderare debet: tum quia est testimonium majoris partis; tum quia vel ipsi illi Hæretici facta illa primitus agnoverunt. Ea enim negaverunt deinceps non quia melius perspecta veritate falsa ea detexerunt, sed quia adversabantur privatæ eorum doctrinæ. Stant enim vero toto suo robore argumenta probationus factorum evangelicorum; nulla enim ex parte ab Hæreticis illis infringuntur.

Obj. 2. Adulterari potuere, immo certo certius adulterati fuerunt codices Novi Testamenti. Nam illud supponi potest quod exigit nativa conditio librorum illorum. Atqui, &c. Autographa enim non supersunt; immo non habemus nisi apographa ex apographis. Posita ergo immensa illa transcriptionum multitudine, manibus tam diversis facile potuerunt corrumpi illi codices. Ergo.

R. n. min. & dico in rebus quidem levioris momenti vitia & menda irrepere potuisse; in gravioribus neutiquam. Ratio est quia non solum animus Christianorum, sed etiam providentia divina attendere debuit tantum mutationes. Providentia enim Dei eas solas præcavere debuit mutationes, quibus quoad essentiam, & ita violaretur revelationis integritas, ut jam nulla fieret. Jam vero solæ graves mutationes id præstare possunt. Fatendum est quidem, ut aliis libris, ita his quoque accidere potuisse, & accidisse, ut exscriptorum incuria litteræ quædam, syllabæ & verba mutarentur, omitterentur, adderenturque. At vero iniquum est ob tam levem exemplarium diversitatem, alicui libro, cujus auctoritas legitime aliunde probatur, alterationis & interpolationis notam inurere, & eum in dubiam fidem vocare. Postulat enim consuetus rerum ordo apud omnes receptus, & rationi consonat, ut quod plurima & antiquissima exempla ostendunt, id ceteris præferatur. At vero dolo aut alio quovis modo omnia exemplaria vitiata, aut vitiari posse quoad rerum substantiam, omnino repugnat. Deinde tota vis argumenti propositi versatur in meris possibilitatibus quæ nullo comprobantur argumento. His hypothesibus chimæricis si staremus, inde concludere liceret quemlibet profanum auctorem corruptum esse potuisse. Si v. g. eodem argumento uteretur aliquis contra integritatem librorum Herodoti; statim quilibet & ipse incredulus vanos esse terrores inclamaret, omniumque retro ante ætatum fidem appellaret. Valeat & hic responsio illa pro integritate librorum Novi Testamenti. 3. Ut primum Apostolorum aliquis aliquod opus edidit, dubium non est; quin Christiani maxima diligentia exemplaria plurima sibi inde sumpserint. Immo eorum archetypa nonnulla ad annum usque ducentessimum servata sunt. Jam vero repugnat etiam unum ex his libris adeo diffusum, tot exemplaribus multiplicatum, nec privata tantum singulorum diligentia, sed communi etiam totius Ecclesiæ cura custoditum corrumpi in omnibus suis exemplaribus, saltem quoad essentialia.

Inst. Atqui facile corrumpi potuerunt etiam in essentialibus. Namque certum est corrumpi potuisse in accidentalibus hac via. Scilicet fatentur omnes apographa, id est exemplaria, potuisse esse authographis dissimilia in levioribus quibusdam: atqui pariter potuerunt esse dissimilia in essentialibus. In utroque enim casu unus potuit, saltem negligentia aut ignorantia, corrumpere authographa; aliqui porro hoc ipso plura apographa eodem vitio infici potuerunt. Tam fieri enim potest ut quis vitium aliquod essentiale quam ut accidentale describat. Porro hoc posito, facile corrumpi potuerunt exemplaria etiam in es-

sen-

sentialibus. Ex quibus sic argumentor: eodem modo potuerunt corrumpi exemplaria in essentialibus quo in accidentalibus: atqui corrumpi potuerunt in accidentalibus dum unus auctographum aliquod male describeret. Ergo a pari male describi ac proinde corrumpi potuit auctographum in essentialibus.

R. n. maj. & parit. accidentalia nemo fere curat; hinc in illis transcribendis incuria gliscere potest; in reclamando negligentes possunt esse qui legunt. At in essentialibus longe aliter se res habet. Id enim fieri non potuit nisi vel privati alicujus auctoritate, vel sectæ alicujus malitia, vel ex incuria aut ignorantia, aut malignitate exscribentium. Porro ex nullo horum oriri potuit etiam unius libri evangelici adeo universalis adulteratio. Nullus enim fuit in Ecclesia tantæ auctoritatis ut talem mutationem libris evangelicis inserere posset. Quod satis evincit ingenua illa libertas qua SS. Iræneus, Cyprianus, usi sunt etiam erga eos qui in Ecclesia primo loco eminebant. Nec etiam ulla secta id audere potuit. Nam unaquæque adversus aliam Sectam libros illos depromebat, & omnes aliæ Sectæ eosdem libros proferebant adversus eandem illam Sectam. Omnes & singulæ ex illis libris sua sibi sumebant argumenta, suam sibi arrogabant auctoritatem. Denique repugnat alterationem universalem oriri ex incuria, vel ignorantia, vel malignitate exscribentium. Non ex malignitate. Ad id enim requiritur unanimis & universalis consensus in fraudem; qui repugnat ex dictis. Deinde ignorantia universalis circa facta essentialia, publica & maximi momenti sine absurditate supponi non potest. Denique ut ex incuria vitientur omnia exemplaria, debuissent omnia apographa ex auctographis corruptis exscribi. Sed omnia auctographa corrupta esse supponi non possunt nisi ex supra dicta illa aut ignorantia aut malignitate. Præterea observat Millius *proleg. n.* 24. 5. ante conditum Canonem toto temporis spatio usque ad illum Canonem evangeliorum: imprimis exemplaria alia non fuisse quam quæ ab Apostolis ipsis exarata fuerant, vel ab Apostolorum familiaribus, aliisque sanctissimis viris de quorum fide & diligentia certo constabat Ecclesiis. Ergo salva est hoc tempore sacrorum codicum integritas & eorum cum archetypis Apostolicis consonantia. Idem dic de aliis libris Novi Testamenti. Siquidem apographa hujusmodi toto hoc tempore transcribebantur vel a scribis Ecclesiæ istius ad quam Apostolicæ illæ litteræ pertinebant, vel ab exteris pietatis studio ad id inductis; unde nec incuriæ suspicio. Uno verbo in eo statu erant omnes libri Novi Testamenti ut depravari non possent. Vivebant tunc eorum auctores Apostoli ipsi, manebant in Ecclesiis per aliquod saltem tempus. Ac proinde minime supponi potest omnia apographa initio exscripta fuisse ab auctographis corruptis. Etiamsi errante oculo vel manu una littera pro altera scribi posset, fieri non potest factum alicujus momenti, propositionem integram, immo librum totum aliter transcribi potuisse quam in exemplari oculis subjecto legebatur; præsertim cum facta illa sint totidem fidei capita & fundamenta. Immo etiam omnia omnino exemplaria adulterata fuissent: at e mente, e memoria obliterari non potuere facta in quæ tota nostra recumbit Religio. Ergo.

Inst. Certum est inter varia librorum sacrorum exemplaria innumeras occurrere variationes. Jam vero si authenticis exemplaribus conformes permansissent libri quos nunc habemus, textus ubique eodem modo legerentur; atqui tamen res aliter se habet. Nam in antiquorum Patrum scriptis plurimi occurrunt textus sacri qui aliter quam in nostris libris leguntur; unde sequitur aliter lectos fuisse ab illis Patribus & antiquis Scriptoribus, nec nostra exemplaria cum eorum exemplaribus consonare. Unde sic in forma: varia librorum sacrorum exemplaria nec inter se, nec cum SS. Patrum lectione & citationibus concordant: atqui variationes illæ ortæ non sunt nisi quod adulterati fuerint libri Novi Testamenti. Ergo.

R. n. min. 1. Hoc argumentum probaret etiam corruptos fuisse libros Veteris Testamenti. Nam plurimi textus aliter ab aliis leguntur & proferuntur.

tur. 2. Fatemur inter varia variæ ætatis exemplaria quasdam deprehendi variationes; has assidua cura collegerunt Capellus & Millius; sed singulis accurate & ad amussim perpensis ac discussis nullum novum dogma inde nascitur, aut antea receptum perit, nulla historia quæ alicujus sit momenti, ad veritatem Religionis eliminatur. v. g. Nulla variatio in qua negetur resurrectio Lazari, panum multiplicatio, &c. 3. non semper varia lectio colligi debet in sacris litteris ex varietate citationis apud SS. Patres aut Scriptores antiquos. Sæpe sæpius enim textus illos appellabant memoriter; unde aliquando proferebant inversis, vel mutatis, vel omissis, aut additis quibusdam litteris. Eo enim redeunt illæ variationes apud Scriptores antiquos. 4. In illis citationibus persæpe ad facta evangelica alludunt tantum, suaque verba cum evangelicis intermiscent, quod & nos sine ulla culpa assolemus inter conciones morales. 5. Textus illi sunt sæpe etiam verba quædam Christi quæ quidem in sacris codicibus non leguntur, sed sincera traditione transmissa erant. Certum est enim non omnia quæ fecit aut dixit Jesus, scriptis mandata fuisse, sed plurima memoriæ & menti impressa, viva voce tradebantur. Nec illæ citationes aliud ferunt nisi quod sexcenties in evangelio legitur.

Inst. Atqui ex illis variationibus evidens est corruptos fuisse codices evangelicos. Nam in nostris exemplaribus plurima leguntur etiam essentialia quæ omittuntur in antiquioribus exemplaribus. v. Testatur S. Hieron. *quæst. III.* ad Hedibiam duodecim posteriores. v. *c.* 10. Evang. secundum Marcum, qui continent historiam resurrectionis Christi in raris evangeliis referri & in omnibus Græciæ libris desiderari. Idem asserit Euthymius. S. Greg. Nyss. codices in quibus deest ille textus, vocat meliores & notæ præstantioris. Deinde idem dicendum de toto capit. 8. evang. secundum Joann. in quo refertur historia mulieris adulteræ. Testatur idem S. Hieron. *l.* 2. *c.* Pelag. hanc historiam in multis codicibus deesse. Monet Euseb. *hist. Eccles.* 3. *c.* 39. hanc historiam aut saltem huic simillimam legi in evangelio quod Hebræorum dicitur, & a Nazarenis est adornatum. Refertur etiam a Papia S. Joan. Discipulo L. comment. Hinc plane arbitratur Grotius hanc historiam initio nec a S. Matt. Hebraice, nec a S. Joann. Græce conscriptam fuisse, sed a Nazarænis Hebræo, a Papia vero græco evangelio additam fuisse. Quidquid sit de ista Grotii assertione constat 1. hoc caput in multis exemplaribus deesse, v. g. apud Origenem, Clem. Alex. Chrys. Nonum. Theophyl. quamvis S. Chrys. & Theophyl. integros in S. Joann. commentarios scripserint. Certum est 2. illud caput exscribi in quibusdam aliis præsertim recentioribus exemplaribus græcis, sed advertit Millius illa exemplaria ea lectionum varietate & discrepantia laborare quæ in libris suppositi tiis cernitur. Deinde tota illa historia in iisdem libris Obelo notatur aut Veru transfigitur. Ex quo patet aliena manu insertam fuisse, nec ab Evangelista conscriptam. Cum ergo historia illa qualis refertur a Papia, fabulæ speciem gerat, hanc etiam apud sanctum Joannem spuriam esse & falsam legitime concludi potest. Hæc duo sufficiant exempla. Ex his sic in forma. Resurrectio Christi & historia mulieris adulteræ sunt facta essentialia: sed facta illa aliena manu addita fuere. Ergo libri N. T. corrupti fuere etiam in factis essentialibus. Ergo facta evangelica integra ad nos non devenere.

R. 1. Transeat totum hoc argumentum, nego ultim. sequel. Nempe evangelia integra ad nos non devenisse. Enimvero etiamsi textus allati utrique præfato loco assuti essent, nihil inde factorum evangelicorum veritati deperit. Nam leguntur in aliis operibus certæ & indubitatæ auctoritatis; nec sane tollitur Æneidos authenticitas & veritas eo quod quatuor primi versus aliena manu additi fuerint.

R. 2. n. min. Et ad primum exemplum. Ex S. Marc. Nulla legitima de causa astruitur totam resurrectionis Christi historiam apud S. Marc. relatam esse textui assutam, immo multa gravissimaque momenta contrarium suadent. Duplex enim est juxta adversarios hujus

sup-

ſuppoſitionis probatio. Una ſumitur ex eo quod deſideretur in multis exemplaribus, altera vero ex repugnantia quæ hoc loco videtur inter S. Marcum & S. Mat. Quæ quidem rationes non ſunt legitimæ. Nam ut adnotat Millius, S. Hieron. rem exaggerat ut ſolet, dum dicit omnes fere codices Græcos textum illum omittere. Deinde prætenſa illa repugnantia non eſt ratio ſufficiens; alias cap. ult. S. Luc. & penult. S. Joan. auferri deberent; major enim inter eos & SS. Marcum & Matthæum apparet contradictio. Præterea aſſerit Maldonatus nullum eſſe antiquum & Catholicum Scriptorem qui hujus capitis tanquam veræ legitimæque Scripturæ teſtimoniis uſus non fuerit. Addit Millius exemplaria manu ſcripta & verſiones univerſim, Iræneum, Euſebium, Athanaſium, Auguſtinum, Theophilactum hunc textum agnoviſſe. Agnoſcunt etiam, inquit Grotius, Latinus, Syrus, Arab. Ad ſecundum exemplum. Ex ſancto Joanne 8. 10. probari non poteſt hiſtoriam a Papia narratam eandem eſſe cum hiſtoria S. Joannis: ſupponitur, non probatur apud utrumque auctorem agi de eadem adultera. 2. Dato, non conceſſo eandem eſſe utrobique hiſtoriam, gratis ſupponitur eam a Papia primum fuiſſe excogitatam, deinde a Chriſtianis correctam & melioribus circumſtantiis adornatam. Poteſt enim dici, inquit Millius, Papiam hiſtoriam illam primum ex vulgaribus ſermonibus & incertis rumoribus hinc & inde ſparſis collegiſſe, &, ut aſſolet, multis auctam circumſtantiis, Joannem vero ex viſu proprio eam didiciſſe, non autem ex Hebræorum evangelio quod nunquam vidit. 3. Multi ſunt quidem codices in quibus omittitur hæc hiſtoria, at multo plures ſunt in quibus legitur, quos vide apud Millium. Hujus autem omiſſionis cauſam conjicit idem auctor quod non putarent expedire hiſtoriam hanc coram Populo legi, hinc Obelo eam confoderunt præſertim in libris publicis. Obelo autem ſic confoſſam eoque ipſo ſicut ſuſceptam prætererunt mox Librarii; unde nec mirum ſi defuerit in aliquibus codicibus, etiam ante tempora S. Hieronymi. Quidquid tandem ſit, conſtat non ex ea ratione prætermiſſam quod Joannem auctorem non habuerit. Jam enim ab ipſo S. Joannis ſæculo pro canonica legebatur.

Inſt. Ab ipſamet Eccleſiæ origine Celſus apud Origenem l. 3. objicit a Chriſtianis corruptos fuiſſe ſacros codices. „ Quidam Fidelium, inquit, quaſi per „ temulentiam permittunt ſibi quidvis „ in permutanda ſcriptura evangelica „ tribus modis, quatuorve aut pluribus, „ ut ſic retractata poſſint negare, quo- „ ties arguuntur. „ Ergo revera adulterati ſunt illi codices.

R. n. conſeq. Apud Origenem hæc Celſi legitur objectio, at apud Origenem legi poteſt Origenis reſponſio. Fatetur Diſcipulos Marcionis, Vitalis, &c. codices ſacros temeraſſe, at id præſtitiſſe orthodoxos ibidem negat; & dum illi Hæretici divinas Scripturas ſic ad nutum mutabant, hanc ipſam eorum inconſtantiam & malignitatem ipſis vitio vertebant & objiciebant Catholici; nihil tale Catholicis dicebant.

Inſt. Correctas ac proinde olim vitiatas eſſe ſacras Scripturas expreſſe aſſerit Victor Turonenſis in Africa, in Chron. ubi ſic habet: „ Meſſala, v. c. Coſs. „ Conſtantinopoli, jubente Anaſtaſio Im- „ peratore ſancta evangelia tanquam ab „ idiotis Evangeliſtis compoſita repre- „ henduntur & emendantur. „ Quod confirmat Euſebius Hiſpalenſis in Chron. his verbis: „ Anaſtaſius Acephalorum „ errorem vindicans Epiſcopos Chalce- „ donenſis Synodi deffenſores, exilio „ damnavit. Evangelia quoque tanquam „ ab idiotis Evangeliſtis compoſita re- „ prehendit & emendat. „ Ergo.

R. n. conſeq. Anaſtaſius Eutychianus erat, ex parte Acephalorum, & etiam Manichæorum erroris fuligine tinctus. Hunc ſævum ac aſſiduum perſecutorem experta eſt Eccleſia. Macedonium Enotici Zenonis ſubſcriptorem in ſedem Conſtantinopolitanam invexerat Anaſtaſius; a Severo, cum quo privatas gerebat inimicitias, incuſatus interpolatæ Scripturæ ſacræ ut Neſtorianiſmo faveret, de ſede ſua dejectus eſt, & quæ violaverat Neſtorianus ille Epiſcopus, priſtinæ fidei reſtituenda curavit Imperator Anaſtaſius. Teſtibus enim Liberato Eccle-

Ecclesiæ Africanæ diacono Breviar. c. 19. & Hincmaro T. 2. in opuscul. l. 5. c. 18. agebatur tantum de una littera mutata. Ex illa narratione manifestum est auctores in objectione laudatos de uno tantum loco interpolato agere. Equidem nominant evangelia; at norunt omnes quod sicut nomen legis omnibus libris Veteris Testamenti olim dabatur, ita nomen evangelii omnibus libris Novi Testamenti aliquando accommodari. Sic sanctus Clem. Rom. vocat Epist. sancti Pauli ad Corinthios. Et ita se gerunt Origenes, SS. Chrysost. & Athanas. Et sane si majoris momenti aut amplior facta fuisset immutatio, non ab uno tantum aut altero Historico eventus ille conscriptus fuisset, sed a plurimis & memorata & confutata fuisset illa sanctorum librorum correctio. Quis etenim rei tam singularis non meminisset? Quomodo Anastasius alia exemplaria per totum orbem dispersa violare potuisset? Quod si in uno textu, in una urbe Constantinopolitana mutatio ista acciderit, nihil inde contra nos concludi potest.

QUÆSTIO III.

De divinitate & inspiratione Librorum Novi Testamenti.

Libros Novi Testamenti divinos esse ac divinitatis afflatos jam confecta res est ex his quæ antea stabilivimus. Sed in re tanti momenti, timendum non est ne temere & gratis multiplicentur argumenta. Librum divinum jam monuimus eum dicendum esse qui Deo dictante & jubente exaratus sit. Hac præeunte observatione, sic rem exequimur.

CONCLUSIO.

Libri Novi Testamenti sunt divinitus inspirati.

Prob. 1. Eadem fere methodo qua supra librorum Veteris Testamenti divinitatem evicimus: 1. Ex natura librorum illorum. Doctrina libris illis exarata, humanæ mentis est impervia. Tradunt dogmata seu mysteria & præcepta moralia extra humanæ mentis aciem posita. Quæ omnia Sapientes & Philosophi, a fortiori Apostoli rudes & idioti proprio marte fingere non potuerunt. Ergo hæc omnia ab ipso Deo acceperunt, & eo dictante scriptis mandarunt. Et certe eo modo descripti sunt illi libri, ut nihil humanum præ se ferant. Non humanos sensus eliciunt, nullos humanæ infirmitatis caracteres gerunt, eam animi moderationem inter scribendum servant quæ a solo Deo oriri possit. Præterea materia his Scriptoribus subjecta est Verbi incarnati historia. Consocianda ergo ipsis erat Divinitatis majestas cum humanitatis infirmitate. Exponenda erant Divinitatis attributa, sed his adjungendæ erant humanitatis appendices. Ita disponendæ, ita attemperandæ erant voces ut Dei sublimitatem & humanæ naturæ conditionem ad vivum & nativo colore exprimerent; quæ omnia extra humanæ industriæ aleam sunt posita. Jam vero hæc omnia plene executi sunt Apostoli, licet indocti, omniumque rerum, præter cymbam & rete ignari. Ergo Deo dictante hæc digesserunt. Morale est istud argumentum, sed tamen non omnino contemnendum. His alia adjungimus.

Prob. 2. argumento præscriptionis. Quicumque a prima Christianæ Religionis origine Christo initiati sunt, sive Gentiles, sive Judæi, Divinitatis hujus sensum animo combiberunt, altaque defixum mente constanter tenuerunt. Ergo vera & certa est illa Divinitas.

Prob. ant. Quicumque hic & nunc Christianam Religionem saltem plene profitentur, ii omnes credunt libros Novi Testamenti divinos esse & divinitus inspiratos: ergo semper & ab omni ævo libros illos tales esse crediderunt. Alias assignandum est sæculum Apostolis posterius in quo Christiani hoc credere cœperint. Porro hujus mutationis nullum proferri potest argumentum. Deinde repugnat hæc mutatio. Tota enim quanta est Religio Christiana in hanc librorum illorum divinitatem revolvitur & recumbit. Ergo scripturarum illarum originem diu ignorare non potuerunt. Dubitari quidem potuit an talis liber esset nec ne hujus vel illius auctoris, sed

sed eo ipso quo constitit librum illum esse hujus authoris, si certum sit authorem illum divinitus missum esse sac inspiratum, de libri hujus divinitate non magis dubitari potuit, quam de ipsamet Religione. Jam vero de divina Apostolorum missione & inspiratione non magis dubitare potuerunt Fideles quam de eorum miraculis. Ergo fieri non potest ut Fideles libros illos, saltem omnes, aut quantum ad majorem eorum partem, ut divinos admittere cœperint, quos ut tales sæculo præcedenti non agnoverant. Et certe quoties adversus Ecclesiam aliqua insurrexerit hæresis, toties Ecclesiæ Defensores & Patres ex Scriptura præsertim Novi Testamenti contra eos arguebant, & eam divinitus inspiratam expresse asserebant. Sic tertio sæculo S. Cyprianus in causa rebaptisationis ultimam hujus quæstionis definitionem repeti vult ex scriptis Evangelicis. Hoc verbo, *scriptum est*, litem suam quisque dirimebat, proferendo textus sive novæ, sive veteris Scripturæ. Tertul. *l. 5. c.* Marc. *c.* 7. declarat Spiritum Sanctum loqui in Epistolis S. Pauli, &c. Ergo Christiani omnes librorum Novi Testamenti divinitatem constanter admiserunt.

Prob. conseq. Ut ex Christianorum existimatione circa librorum suorum originem certa sit librorum illorum divinitas & inspiratio, duo sufficiunt, 1. ut Apostolorum authoritate hanc librorum illorum divinitatem admiserint; 2. ut illa Apostolorum authoritas firma sit & ineluctabilis: atqui hæc duo vera sunt. Librorum Novi Testamenti divinitatem sola Apostolorum authoritate admiserunt Christiani. Etenim quantum ad Judæos; constat ex dictis & ex tota retro antiquitate ac traditione libros Novi Testamenti libris Veteris Testamenti a Patribus, immo ab Apostolis adæquatos fuisse; nec istud primos Christianos latere potuit. Jam vero Judæi ad fidem conversi non potuerunt non obstupescere libros illos Veteris & Novi Testamenti eodem ordine & gradu honoris ac dignitatis reponi. Primo instanti hanc æqualitatem ægre, ut ita dicam, ferre debuerunt, nec hanc admittere potuerunt nisi rei veritate accurate discussa & clare perspecta: res enim ista est maximi momenti. Debuerunt ergo Judæi quærere ab Apostolis, vel ab eorum successoribus dum fide imbuebantur, an pari authoritatis gradu incedere deberent utriusque Testamenti Scripturæ. Ergo sola eorum authoritate in eam sententiam inducti sunt. Quantum ad Paganos vero, cum Christianæ Religioni nomen suum ascribebant, Philosophos Prophetas suos & eorum libros deserere debuerunt, & novi Testamenti scripta, tanquam authoritate majora credere & amplecti. Jam vero istud posterius credere non potuerunt nisi Apostolorum authoritate. Certum est præterea libros illos sicut & libros Veteris Testamenti legi solitos in publicis conventibus; huic consuetudini fidem facit tota traditio. Legebantur etiam illi codices ut divini; atqui ideo Christiani codices illos ut divinos legebant, quia ex una parte sciebant eorum esse authorum, quorum nomina præ se ferebant; ex altera vero quia authores illos divinos esse & divinitus missos ac inspiratos esse credebant. Hæc enim duo, scilicet, esse divinitus inspiratum, & esse librum authore aliquo Apostolo erant unum & idem respectu Fidelium. Sic v. g. cum Catholici conquerebantur quosdam Novi Testamenti libros a quibusdam Hæreticis rejici, nihil aliud volebant nisi libros illos excludi e numero librorum divinitus inspiratorum, seu contendebant libros illos eos authores habere quibus ascribebantur, quique divinitus inspirati ab omnibus putabantur. Ita etiam ex altera parte, ideo Hæretici quosdam libros respuebant quia putabant illos vitiatos esse, id est, non esse genuinum Apostolorum fœtum quoad omnes suas partes, vel quia contendebant ementito Apostolorum nomine circumferri; non enim negabant Apostolos fuisse divinitus inspiratos. Sic v. g. Marcionitæ omnes Novi Testamenti libros admisissent, si eos genuinum Apostolorum fœtum esse persuasum habuissent. Ergo libri Novi Testamenti divini credebantur, quia putabantur Apostolos authores habere, & Apostoli divinitus missi ac inspirati judicabantur. Ergo sola authoritate Apostolorum libri

libri Novi Testamenti ut inspirati recipiebantur. 2. Certa est & ineluctabilis hæc authoritas. Ex dictis enim Apostoli veraces sunt, falli & fallere nescii; sed Apostoli constanter dicunt se à Deo missos esse, & Dei jussu prædicare & scribere, uno verbo sua scripta esse divinitus inspirata. Ergo certum est libros Novi Testamenti esse divinitus inspiratos; & certa est authoritas Apostolorum istud asserentium. Et certe Apostoli continua miracula operabantur ut probarent divina esse ea quæ scribebant & docebant, & seipsos esse divinitus missos. Ergo.

Prob. 3. ex incommodis & absurditatibus. Nam si librorum Novi Testamenti divinitas gratuito conficta supponatur, aut si inefficaci motivo nitatur, jam 1. gravissimi sceleris rei sunt Apostoli & eorum Discipuli. Certum est enim ante medium sæculum secundum ubique obtinuisse sensum illius divinitatis. Jam vero inexcusabiles fierent Apostoli, hujus sententiæ primi authores; inexcusabiles fierent eorum Discipuli hujus opinionis disseminatores & propagatores. Sic v. g. excusari non potest sanctus Clem. Rom. cum asserit divinitus inspiratum fuisse Paulum in Epist. ad Cor. &c. Etenim posito semel quod ementita sit librorum illorum divinitas, jam humana opera divinis supponebantur, aut æquabantur: jam creaturis impendebatur honor soli Deo debitus, nempe fides & obsequium plenum. Hominibus errori obnoxiis ea deferebatur reverentia quæ illi soli propria est, qui nec falli nec fallere potest. Porro hoc scelus Idololatriæ est cui non silentio modo, sed voce & verbo patrocinati fuissent Apostoli. 2. Conciliari non potest sibi Apostolorum & eorum successorum agendi ratio. Namque quanto zelo exarserint primi pro Magistri sui doctrina omnibus notum est. Zelum istum emulantur Apostolorum Discipuli, stat apud ipsos ratum fixumque nihil in Religionis negotio admittere nisi quod a Patribus ipsi, Patres autem a Christo acceperint, immo pro disciplina a suis prædecessoribus accepta tanquam pro aris & pro focis decertant. Violati Verbi divini Hæreticos incusant eo quod privatas suas lucubrationes divinis eloquiis supponerent. Jam vero talis agendi ratio secum conciliari non potest. Concipi enim non potest cur Apostolorum Discipuli cum solis Hæreticis de libris Novi Testamenti disceptaverint, nec hujus disceptationis ulla reddi potest ratio, nisi quod Hæretici illi aut omnes, aut aliquos libros Novi Testamenti suorum authorum esse, & inde divinitus inspiratos esse negarent. Præterea cum Apostoli sua scripta evulgabant, dissimulare non poterant quid de iis sentiendum esset, quo ordine essent reponendi, an humani essent, an vero divini. Immo Evangelistæ longo tempore post conscripta a se evangelia vixerunt: fieri non potest ut sensum suum hac de re non exposuerit aliquis ex illis authoribus, & sic alios cogeret ad suam mentem eadem de re aperiendam; fieri saltem non potest ut nullus Fidelis Apostolos de hac quæstione consuluerit. Ergo fieri non potest quin Apostoli inspirationem prędictam non docuerint. At si gratis conficta sit illa inspiratio, pugnat hęc eorum doctrina de librorum suorum divinitate cum tota reliqua eorum agendi ratione. v. g. Cum eorum sinceritate, cum zelo quo Magistri sui gloriam ambiunt, &c. 3. Pugnat secum Hęreticorum agendi methodus. Contendebant enim Marcionitę & Valentiniani Deum Novi Testamenti, nempe Patrem Domini Jesu Christi non esse Deum Veteris Testamenti, & tamen recipiebant libros Novi Testamenti qui adversus hunc errorem directe conscripti erant. Jam vero hęc secum conciliari non possunt nisi quia librorum illorum divinitas & inspiratio ita certa erat, & tali innixa motivo ut in dubium vocari aut negari non posset. Equidem Marcionitæ non recipiebant nisi evangelium secundum Lucam, & decem Epist. B. Pauli, sed inde probant 1. se libros illos ut divinos habuisse qui authores habebant Apostolos, & integri remanserunt. 2. Evincunt libros quos respuebant, apud alios Christianos fuisse receptos. Hæc itaque sic paucis resumo, & probo certam esse & ineluctabilem Apostolorum authoritatem asserentium divinos esse libros Novi Testamen-

menti. Illa authoritas certa est quæ mendax esse non potest quin impietatis reatum contrahant Apostoli, & secum pugnet tum eorum, tum suorum Discipulorum, tum denique Hæreticorum agendi ratio & methodus. Atqui res ita se habet. Ergo certa est illa authoritas. Ergo certa est librorum Novi Testamenti divinitas & inspiratio.

Prob. 4. Et confirmatur præcedens argumentum ex modo quo liber aliquis ut canonicus in Ecclesia agnoscitur. Librum aliquem esse canonicum, nihil aliud est quam librum illum in sacrorum & divinorum librorum ordinem ac catalogum inscribi. Libri hujusmodi ratio essentialis duo importat. 1. Quod liber vel doctrinam revelatam contineat, vel a revelata nihil dissonum. 2. Quod author ipsius fuerit vir aliquis sacer & divinus, hoc est, cui libri illius doctrina vel immediate e Spiritu-Sancto revelata fuerit, vel in illa describenda divinum illi adfuerit speciale auxilium. Porro circa hæc duo maxima adest certitudo. 1. Quod liber de quo agitur, doctrinam revelatam contineat, aut a revelata nihil dissonum, eo constat argumento quo alibi probavimus doctrinæ revelatę universalem traditionem esse ab omni errore immunem. Quantum vero ad secundum, nempe librum illum esse authoris alicujus sacri & divini, non eamdem semper habet Ecclesia certitudinem, sed majorem vel minorem juxta varias rerum aut temporum circumstantias. Sit v. g. epist. B. Pauli ad Rom. epistola illa ad hanc Ecclesiam particularem directa fuit per nuntium aliquem singularem. Ab hac autem Ecclesia vicinioribus Ecclesiis communicata fuit, & sic deinceps usque dum per universum orbem, id est, totam Ecclesiam Catholicam communicata fuerit. Ecclesia autem particularis, Romana scilicet, statim ac lectam audivit epistolam hanc sub nomine Pauli datam, huic assensum præbuit, tum quia nomine Pauli insignita erat, tum quia doctrinæ quam profitebatur, consonam eam agnoscebat. Paulum vero authorem fuisse hujus epistolæ non aliam primo habere potuit certitudinem, quam nuntius, seu hujus delator & aliæ circumstantiæ potuere ipsi tribuere; sed paulatim crevit hæc certitudo, præsertim cum plures Ecclesiæ, etiam longe distantes, de authore hujus epistolę certiores factę sunt. Ubi vero prædicta omnia ab omnibus Ecclesiis comperta sunt, tunc epist. ad Rom. scripta in canonem Ecclesię relata est, & ut liber canonicus agnita. His ita expositis, sic in forma argumentor. Ut certa sit librorum Novi Testamenti divinitas & inspiratio, est satis 1. quod certum fuerit librum talem esse illius authoris cujus nomine inscribitur. 2. Authorem illum esse divinitus inspiratum. Atqui hęc duo certa sunt. Primum quidem jam probatum est. Etenim Romani, v. g. recepta epistola sub nomine Pauli a se directa, discutere debuerunt 1. an epistola illa doctrinę sibi a Paulo traditę consonaret. 2. An epistola illa vere Pauli esset. Hoc erat cognitu facile pro commercio quod inter varias Ecclesias intercedebat. Hoc erat etiam maximi momenti; nam epistola illa litem dirimebat inter Judęos & Gentiles ortam circa meritum operum. Ergo negligentes aut decepti esse non potuerunt in isto negotio. Quantum ad cęteras Ecclesias, fieri non potest ut aliæ Ecclesię particulares Romanos non interrogaverint an epistolam nomine Pauli accepissent, & ut talem in suis conventibus legerent. Quod si falsum fuisset, Fideles Romę degentes statim procul dubio exclamassent se talem epistolam nec accepisse, nec in suis comitiis legere. Ipse sanctus Paulus audita hujusmodi epistolę fama haud siluisset se nullam epistolam ad Romanos direxisse. Ergo neque Ecclesia particularis Romana, nec cętere Ecclesię per orbem dispersę in errorem induci potuerunt circa authorem prefatę epistolę. Ergo 1. certum est librum qui inspiratus habebatur, esse authoris sui. 2. Certum est authorem illum esse divinitus inspiratum. Non magis enim in allato exemplo dubitare poterant Romani de divina sancti Pauli missione & inspiratione, quam de ejus miraculis; sed de miraculis sancti Pauli non magis dubitare poterant, quam de ejus existentia & prædicatione. Ergo certum erat Romanis authorem epistolę ad se directę, nempe S. Pau-

S. Paulum esse divinitus inspiratum. Ergo certa est librorum Novi Testamenti divinitas & inspiratio.

Obj. 1. Ex fragilitate fundamenti quo nititur librorum Novi Testamenti inspiratio. Inspiratio enim illa nititur Christianorum testimonio; atqui testimonium illud est fundamentum omnino fragile. Sicut enim Christiani credunt libros suos esse divinos; sic Mahumetani putant divinum esse Alcoranum: atqui Mahumetanorum existimatio de suo Alcorano est divinitatis ejus fragile fundamentum. Ergo & Christianorum existimatio, &c.

R. n. min. & parit. Christianorum existimatio de divinitate suorum librorum nititur miraculis certo compertis & evidenter veris quæ certam faciunt divinitatem missionis Apostolorum. Ac consequenter Christianorum existimatio sicut & eorum testimonium legitimo nititur fundamento. At Mahumetani nulla possunt proferre miracula quibus certam efficiant Alcorani sui divinitatem: ergo nulla est paritas; & certe Alcoranus multa continet rectæ rationi & revelationi quam Mahumetani divinam esse fatentur, contraria; ergo divinus esse non potest; non ita libri Novi Testamenti. Ergo.

Obj. 2. Ex natura doctrinæ quæ continetur libris Novi Testamenti. Fatentibus enim omnibus Christianis doctrina libris Novi Testamenti contenta est omnino incomprehensibilis: atqui doctrina omnino incomprehensibilis divina esse non potest. Deus enim si loquatur, loquitur ut intelligatur & fides sibi adhibeatur: atqui doctrinæ omnino incomprehensibili fides nulla adhiberi potest. Doctrina enim incomprehensibilis est doctrina quæ concipi & intelligi nullatenus potest: atqui intellectus humanus assentiri non potest doctrinæ quam nullatenus potest intelligere aut concipere; alias non veritati, sed meræ ac nudæ verborum sine ullo sensu combinationi assentitur; ergo doctrina omnino incomprehensibilis divina esse non potest.

R. dist. Doctrina incomprehensibilis est doctrina quæ nullatenus concipi aut intelligi potest in se, aut adæquate: c. In alio, & etiam inadæquate: n. Itaque doctrina illa certe divina non est quæ nec in se, nec in alio, nempe in auctoritate & testimonio Dei, nec adæquate, nec inadæquate aut concipi aut intelligi potest. At doctrina potest esse divina, vera & Deo digna, licet nec in se, nec adæquate concipi aut intelligi possit. Ratio in promptu est. Deus utpote infinitus multo plura mente assequi potest, & multo plures continet perfectiones quam intellectus humanus concipere potest. Ergo doctrina quæ nec in se, nec adæquate concipitur, aut intelligitur, potest esse divina. Quod ut pateat, observ. tria esse in qualibet propositione; attributum, scilicet, subjectum & utriusque connexionem. De connexione præcipue hic agitur. Sit in exemplum ista propositio: Deus unus in natura trinus est in personis. Connexio inter unitatem naturæ & trinitatem personarum nos omnino fugit, nec in se concipitur. Sed quod mente propria concipere non possumus, Deus nobis revelat. Hinc 1. connexio illa cognoscitur in Dei testimonio. 2. Non cognoscitur adæquate, id est secundum omnes suos respectus, sed tantum secundum eos quos Deus nobis manifestat. 3. Cum Dei testimonium sit per se verax & infallibile, prædictam connexionem credit mens humana absque ullo errandi timore.

Inst. Atqui nulla potest esse cognitio mysteriorum etiam inadæquata. Cognitio enim quælibet & etiam inadæquata est perceptio convenientiæ vel disconvenientiæ attributi cum subjecto: atqui in mysteriis mens humana nullam omnino percipit convenientiam inter eorum attributum & subjectum; sunt enim rationi impervia: ergo nulla potest esse cognitio etiam inadæquata, &c.

R. dist. maj. Cognitio scientifice etiam inadæquata est perceptio immediata convenientiæ: c. Cognitio experimentalis, aut testimonii, vel fidei est perceptio immediata: n. Itaque cognitio alia scientifica, quæ nititur immediate evidentia seu intuitu idearum; alia experimentalis, quæ nititur experientia; alia denique fidei, quæ nititur fide humana vel divina. Dicitur etiam scien-

tia testimonii; testimonium autem aliud divinum & aliud humanum; quia facta quæ cognoscuntur per testimonium, alia sunt naturalia & humana, alia divina & supernaturalia. Deinde duplex distingui debet evidentia; alia immediata, quando scilicet evidentia per se & immediate mentem afficit & movet ad assensum; evidentia mediata quæ dicitur evidentia conclusionis & consequentiæ, ea est quæ oritur mediante aliquo v. g. testimonio, ratiocinio, &c. v. gr. Factum quodlibet cujus testes oculati non sumus, non est evidens per se, sed mediante testimonio relatoris. His positis, manifestum est 1. cognitionem scientificam etiam inadæquatam niti debere immediate saltem inadæquata perceptione convenientiæ inter attributum & subjectum propositionis. Nam clara perceptio hujus convenientiæ, seu intuitus idearum est immediatum assensus motivum. 2. Cognitio testimonii non nititur nisi evidentia mediata; nam factum in se & immediate non semper cognoscitur, quando scilicet, ut hic quæstio est, ejus testes oculati non sumus. Jam vero mysteria Religionis revelatæ sunt totidem facta supernaturalia quæ cognoscuntur testimonio divino; mens quidem humana sibi relicta rationem convenientiæ aut disconvenientiæ non percipit evidentia immediata, at percipit evidentia mediata, ea nimirum quæ oritur ex testimonio Dei falli aut fallere nescio. Quam itaque convenientiam non attingit per se humana ratio; Deus revelat, ut exprimit S. Paulus.

Inst. Atqui nulla omnino adest perceptio convenientiæ vel disconvenientiæ mysteriorum. Nam vel percipitur convenientia vel non. Si primum: ergo adest perceptio immediata convenientiæ, ac consequenter cognitio adæquata; convenientia enim illa est quid indivisibile. Si secundum; ergo ignoratur penitus: quod enim ignoratur intrinsece, penitus ignoratur. Atqui propositio cujus cognoscitur quidem attributum & subjectum, at non percipitur convenientia inter utrumque, propositio illa intrinsece & penitus ignoratur; sola enim convenientia illa facit propositionem: ergo.

R. dist. primum membrum dilemmatis. Si percipiatur positive, in se & immediate: c. Si percipiatur negative & in alterius testimonio: n. Mysteria Religionis Christianæ non percipiuntur positive; sunt enim supra rationem. Sed percipiuntur in testimonio Dei, qui ea nobis extraordinarie manifestat ad quæ nativa perspicuitate assurgere per nos non possumus. Dicuntur autem percipi, sicut demonstrari negative; sicut enim probatur tantum non demonstrari eorum repugnantiam, sic non percipitur repugnantia, licet non percipiatur possibilitas; hoc unum percipitur, nempe nec percipi, nec demonstrari posse eorum repugnantiam.

Obj. 2. Ea Religio seu doctrina divina non est quæ naturæ adversatur; atqui talis est Religio Christiana, seu doctrina libris Novi Testamenti contenta. Doctrina enim illa jubet amorem inimicorum & injuriarum condemnationem: porro natura nos impellit ad ea aversanda atque odio habenda quæ felicitati nostræ aversantur: ergo natura jubet odio habendos & vi repellendos esse eos qui vel vitæ, vel fortunæ nostræ insidiantur.

R. dist. maj. Ea doctrina divina non est quæ naturæ sanæ adversatur: c. naturæ corruptæ & depravatæ: n. Vult quidem natura & recta ratio ut nobis caveamus, & ea quæ nocent pro virili parte arceamus; at vult id fieri per media honesta & sibi consentanea; negat vero id fieri posse indiscriminatim per quodcumque medium, nec vult propterea ut quemquam odio habeamus. Immo cum nobis eadem sit natura, cum eodem patre nati, eodem ex sanguine congeniti simus, inde vetat natura mutuum odium. Recta enim ratio nec illud laudare potest quod societati adeo inimicissimum est, nec illud parvi pendere & abjicere quod generosissimum est. Porro ira, vindicta, odium funestam malorum stragem Reipublicæ inferunt, e contra nullus est qui non malo vinci præstantissimum & nobilissimum esse non fateatur; ergo vindictæ & odii sensus a natura sana non oriuntur.

Inst. Atqui naturæ etiam sanæ adversatur illa doctrina. Nam condonatis inju-

juriis, videntes adversarii nostri nihil se a nobis mutuendum habere, inde animos haud dubie sument, novisque nos obruent malis.

R. n. sequel. 1. Enim Christi doctrina prudentiam non vetat adhibere ut adversariorum tela declinemus. 2. Nisi inimici nostri ferarum naturam plane induerint, nostra mansuetudo, beneficentia & patientia non potest non eorum corda emollire. 3. Per Christum non stat quominus vel private, in casu necessariæ defensionis, vel publico jure vim repellamus; at prætensa incommoda a nobis amoliri possumus sine odio.

Inst. Nulla etiam legitima tentari potest defensio, quin simul & ante omnem deliberationem ferveat sanguis, commoveantur spiritus animales, erumpant querelæ & manus ad vindictam undequaque se disponant: ergo nulla defensio sine odio.

R. dist. conseq. Sine aliquo odio culpabili, aut inculpabili: c. culpabili: n. etenim motus illi quos experimur ad præsentiam alicujus mali, sapienti quidem consilio nobis a natura inditi sunt, ut nostræ saluti invigilemus; at ex præcepto ejusdem naturæ intra limites inculpatæ tutelæ coercendi sunt; quod si præstemus, aut si motus illi ante omnem deliberationem ebulliant, jam nulla culpa in odio aut iis motibus; ergo rectæ rationi & naturæ consonat doctrina in evangelio contenta.

Obj. 4. Illa doctrina divina non est quæ societatis utilitati ex natura sua contrariatur: atqui doctrina libris Novi Testamenti contenta, adversatur, &c. Nam ex natura sua ducit ad neglectum & contemptum eorum per quæ potissimum florent societates: ergo.

R. n. min. & prob. Floret enim potissimum societas per accuratam legum observationem, per mutuam civium charitatem, per moderatum effrænatæ cupiditatis impetum. Quæ quidem omnia præstat doctrina evangelii.

Inst. Ea quibus floret Respublica, sunt opes, commercium, artes & scientiæ: atqui ad horum omnium neglectum ex natura sua ducit doctrina evangelica.

R. dist. maj. His floret Respublica, id est horum legitimo & moderato usu: c. secus: n. Hæc quidem si ad justitiam & pietatem componantur, in imperii decus cedunt; at nulla pejor imperiorum lues quam horum usus immoderatus. Exemplo sint Romani; dum prædictas virtutes sectabantur, orbe ipso fortiores extiterunt; qua proportione senuit apud ipsos justitiæ amor, ea etiam delapsum est & corruit eorum imperium. Porro Religio & doctrina Christi sapientem rerum istarum usum nedum prohibeat, immo fovet ac præcipit; ergo.

ARTICULUS II.

De Divinitate Religionis Christianæ.

Sicut Religionis Judaicæ divinitatem in librorum ejus veritate & divinitate reposuimus, ita Religionis Christianæ divinitatem ex librorum ejus veritate & divinitate pronum nobis nunc esset concludere, ut jam monuimus. Rem tamen illam speciali paragrapho destinavimus, ut magis ac magis elucescat veritas. Divinitas librorum illorum, sicut & Religionis cujus sunt codices, primario recumbit in eorumdem librorum inspiratione & origine divina; sed illa tum inspirationis tum originis divinitas in oraculorum & miraculorum divinitatem primario ipsa recumbit, seu quod idem est, in divinitatem legationis Christi oraculis & miraculis obsignatam. Rerum itaque hic est ordo. Mysteria credimus quia sunt revelata; scimus revelata esse mysteria illa quia miraculis id testatus est Deus. Miracula illa a Christo patrata sunt, quo tanquam legato Deus usus est ad hæc promulganda. Divinitatem ergo hujus legationis & oraculorum ac miraculorum quibus nititur, nunc discutiendam habemus; nec oracula aut miracula generatim tantum delibemus, sed ea singulatim decerpamus quæ veritati Religionis Christianæ magis conducunt. Sit

CONCLUSIO I.

Christus vera emisit Oracula.

PRob. 1. Vera sunt, ex probatis, quæ in libris Novi Testamenti referuntur;

tur; sed in libris illis multa leguntur oracula a Christo emissa; ergo.

Prob. 2. Prophetia verax ea est quæ eventu complebitur: at multa leguntur in Novo Testamento oracula eventu completa. Sic mortem suam, ejus genus, circumstantias prænuntiavit, quæ quidem eo modo evenerunt quo prædicta fuerant. Sic etiam, ut mox singulis Conclusionibus patebit, longe ante eventum prænuntiavit 1. gentis Judaicæ extinctionem, & inde plenam legis Mosaicæ abrogationem determinavit. 2. Gentium ad fidem conversionem, sicque suæ Religioni & revelationi fidem fecit omnimodam. 3. Tandem suæ Ecclesiæ seu Religionis futuram conditionem aperuit, unde ejus & dignitas & veritas multum promovetur.

CONCLUSIO II.

Vera sunt Oracula Christi de futura Gentis Judaicæ extinctione.

PRob. Judaicæ gentis eversio hæc tria complectitur. 1. Judæorum a fide & regno cælesti exclusionem. 2. Urbis devastationem. 3. Ejus incolarum sortem. Atqui hæc tria ita clare, ita dilucide prædixit Christus ut sole meridiano vividius fulgeant; ita apposite ut cum eventu perfecte componantur. 1. Quidem Judæorum a fide exclusionem. Matth. 21. reprobationem illam adumbrat sub figura Agricolarum qui hæreditatis invadendæ cupidine inescati, ipsum Patris-Familias filium occiderunt. Quam parabolam his concludit verbis: *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis*. Hæreditas seu vinea illa est vera Religio, ut patet ex his mediate sequentibus: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Judæi hæreditatem eam sibi solis retinere & invadere quasi volebant obstinata adversus Christum voluntate. Prophetas antea occiderant, ne illam veram ac sinceram Dei Religionem contra privatas Judæorum propensiones colerent. Christum ipsum Dei unigenitum Filium morti dederunt; sed ipsi ab ea vinea, ab ea Religione dejecti sunt. Hunc sensum confirmant tum Christus tum Judæi. Christus quidem, dum sic addit Luc. 20. Ille autem aspiciens eos, ait: „ Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: Omnis qui ciciderit super illum lapidem conquassabitur. Super quem autem ceciderit, comminuet illum. „ Judæi vero: nam ibidem additur. „ Quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ mittere in illum manus in illa hora: & timuerunt populum: Cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc. „ Manifestus est hujus parabolæ Propheticæ eventus.

Deinde Matth. 8. audiens fidem Centurionis dixit: „ Dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno Cælorum, filii autem hujus regni ejicientur foras. „ Sive nomine regni Cælorum intelligatur præsentis vitæ Ecclesia, sive Ecclesia in Cælo triumphans, manifesta est Judæorum reprobatio. Filii hujus regni Hebraismus est pro, qui ad illud regnum destinati, quibus promissum erat illud regnum. Ita S. Hyeronim. & Beda quos sequitur Maldon. Apud Hæbræos enim filius sæpe idem significat ac præditus, dignus, destinatus. Sic filius mortis, pro dignus morte. Sic Ps. 78. juxta vulg. filios mortificatorum, id est morti destinatos. Idem Ps. 101. Judæi itaque sunt filii regni, quia ut dicit S. Paulus, ipsorum est promissio, & ipsis primum annuntianda erat. Attamen ab illa promissione exciderunt; nam Gentiles sedent, recumbunt cum Deo Abraham, id est, ut Ps. 46. congregati sunt cum Deo Abraham, quod significat: adorant, cognoscunt Deum Abraham & suum Deum.

2. Urbis eversionem. Matt. 23. „ Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et Luc. 19. Videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses & tu & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt hæc ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos

„ qui

„ qui in te sunt, & non relinquent in „ te lapidem super lapidem. „ Vide etiam Matth. 24. &c.

3. Judæorum sortem. Luc. 19. mox citato: „ Prosternent te & filios qui in „ te sunt. Et c. 21. cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gen„tes, & Jerusalem calcabitur a genti„bus. „ Nihil in his verbis quod eventu expressum non fuerit. Memorant annales Judæorum a Josepho ordinati Romanos ita circumvallasse ac coangustasse Jerusalem ut crudelissima fames in tota urbe desævierit. Inter ruinas collabentis civitatis consepulta fuisse plusquam undecim centena millia Judæorum; in aliis civitatibus periisse asserit ducentos triginta septem millia & amplius. Inter eos qui excisæ civitati superstites fuere alios ultimo supplicio affectos, alios ad triumphi pompam reservatos & in servitutem redactos. Qui decimum septimum annum nondum attigerant, per varias distributi Provincias bestiis objecti fuere in theatris. Ergo vera sunt quæ de Judæorum excidio vaticinatus est Christus.

CONCLUSIO III.

Vera fudit Christus Oracula circa Gentium conversionem ad Fidem.

PRob. Gentium conversio spectari potest vel in se, vel ratione modi quo perficienda erat; atqui utrumque divinitus prænovit, ac prænuntiavit Christus. Primum Joannis 12. cum renunciatum ipsi fuisset Gentiles ipsius aspectum avere, dixit: „ Venit hora ut clarificetur „ Filius hominis. Amen, amen dico „ vobis, nisi granum frumenti cadens „ in terram mortuum fuerit, ipsum so„lum manet, si autem mortuum fue„rit, multum fructum affert. „ Hic gloriam suam apud gentes ex morte sua eruit. Et ibid. „ Nunc judicium est „ mundi, nunc Princeps hujus mundi „ ejicietur foras: & ego si exaltatus „ fuero a terra, omnia traham ad me „ ipsum: hoc autem dicebat significans „ qua morte esset moriturus. „ Et Matthæus ult. „ Euntes docete omnes gentes, „ &c. „ Et alibi: „ Eritis mihi testes „ usque ad ultimum terræ. „ ex his sic arguo. Mors Christi debet esse gloriosa apud omnes gentes; Christus debet totum mundum trahere ad seipsum; Apostoli testes ejus debent esse usque ad ultimum terræ; omnes gentes docere debent: ergo.

2. Quantum ad modum quo ista conversio perficienda erat, & ad circumstantias. Jam unam assignavimus, nempe conversio illa debet esse mortis Christi appendix. Deinde debet fieri per Apostolos, ante eversionem gentis Judaicæ, medias inter persecutiones & per constantiam Apostolorum. Quæ omnia reddidit eventus. Apostoli enim extrema quæque mundi penetrarunt. In Indiam pervenit S. Bartholomæus; Romam venere SS. Petrus & Paulus, &c. 1. Conversio illa debet fieri per Apostolos, ut patet ex locis mox citatis. 2. Ante eversionem gentis Judaicæ. Matth. 10. „ Amen dico vobis non con„summabitis civitates Israel donec ve„niat Filius hominis. Et c. 24. Prædi„cabitur hoc evangelium regni in uni„verso orbe in testimonium omnibus „ gentibus: & tunc veniet consumma„tio. Et: Non præteribit generatio hæc „ donec omnia hæc fiant. „ Denique per persecutiones & constantiam Apostolorum. Matth. 24. „ Tunc tradent „ vos in tribulationem, & occident vos, „ & eritis odio omnibus propter no„men meum. Item Matth. 10. ubi ad„ditur. Non enim vos estis qui loqui„mini, sed Spiritus Patris vestri qui „ loquitur in vobis. Et Luc. 21. Ego „ dabo vobis & sapientiam, cui non „ poterunt resistere & contradicere om„nes adversarii vestri.

CONCLUSIO IV.

Christus vera edidit Oracula circa futurum statum suæ Ecclesiæ.

PRob. Ex dictis ultima propositione duo hæc manifesta sunt, 1. Ecclesiam suam fore per universum orbem protensam. 2. Illam fore persecutionibus obsitam. Hæc duo experientia constant; ergo.

CONCLUSIO V.

Oracula illa sunt divina.

PRob. Manifestum est quod post eventum addita non fuerint. Id probatum manet ex asserta librorum Novi Testamenti integritate. 2. Constat a Judæis aut Christianis supponi non potuisse, etiam ante eventum. Id innuunt eadem supra allata argumenta. 3. Luce meridiana clarius est hæc oracula tam certo enuntiata, tam diligenter in circumstantiis suis distincta humanæ mentis aciem fugere. v. gr. Dum ad actionem Peccatricis alabastrum frangentis dicis: „ Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto „ mundo, dicetur & quod hæc fecit „ in memoriam ejus. „ Qua imaginandi vi, qua ingenii sagacitate cognoscere potuit actionem tam vulgarem in angulo domus coram duodecim tantum testibus a muliere ignobili peractam laudandam esse in universo orbe. Promisit Christus resurrectionem eorum qui ipsi fideles forent usque in finem. Porro solus qui materiam compegit, dissolutam potest pristinæ formæ reddere. Promisit suis Spiritum Sanctum; propagationem sui nominis, immo eorum famæ. Atqui hæc solus Deus promittere potuit: ergo. Multa alia occurrunt in Novo Testamento oracula a Christo tradita quæ brevitatis causa omittimus. Pauciora quidem sunt quam in Veteri Testamento, nec mirum. Christus enim non tam nova conditurus, quam vetera impleturus venit.

Obj. 1. Rerum illarum prædictio non est oraculum verum & proprie dictum, quorum cognitio potuit haberi ex causis naturalibus: atqui futuræ Judæorum conditionis præcognitio haberi potuit ex causis naturalibus. Tempore enim Christi Judæi omnibus odio erant & contemptui, sicut nostris diebus. Odium illud & contemptus nitebatur eorum cæremoniis, & unius Dei opinione ac cultu; oriebatur ex eo, quod Chananæos trucidavissent, & ipsi ab Ægypto expulsi essent propter lepram, ut fama ferebat; denique inde quod nec ullum cum aliis gentibus commercium vellent. Non mirum ergo si Christus tanta securitate prædixerit Judæos omnibus exosos fore, immo a Romanis devastandos. Nam Romanos videbat præpotentes Judæorum dominos, Judæos vero inermes. Non ignorabat Romanos in Judaicam gentem ira & odio percitos esse, Judæos vero suis usibus, qui odii fomites erant, esse addictissimos. Potuit ergo ex his circumstantiis omnimodam Judaicæ gentis desolationem conjicere.

R. n. min. 1. Enim non ex contemptu aut odio gentis Judaicæ Jerusalem everterunt Romani, non enim bellum indixere propter Chananæos. Immo Titus nihil non tentavit ut Judæos ad obedientiam revocaret; hinc sæpe Josephum eorum Contribulem ad eos misit ut eos ad saniorem mentem adhortaretur & adduceret; in omne latus se vertit ut Templum ab incendio servaretur. Post excisam eorum urbem, eversam eorum Rempublicam, non jam sane persecutioni obnoxii sunt, eo quod ab Ægypto sint expulsi, vel eo quod unum Deum colant, Mosaicasque cæremonias observent; ergo prophetia Christi non est mera ex his probabilibus conjectura. 2. Circumstantiæ hujus desolationis nimium accurate describuntur, ut ex causis prædictis confici potuerint.

Inst. Prædictio illa potuit oriri ex politicæ cognitione: ergo.

R. n. antec. Etenim si Christus foret merus homo, & impostor, non potuisset futuras & contingentes Principum cognitiones perspectas habere; non potuisset hujus eventus circumstantias ita certo prænoscere, ut ne fortuito quidem casu nulla deesset. Nec omittendum est quo tempore hæc differebat Christus, Judæos Romanis obsequentissimos fuisse, adeo ut dicerent? „ Non „ habemus Regem nisi Cæsarem, expe„ dit ut unus moriatur pro Populo & „ non tota gens pereat. „ Nulla ergo tunc temporis rebellionis umbra, aut suspicio.

Obj. 2. Illæ prophetiæ non sunt veræ & proprie dictæ quæ non sunt nisi veterum oraculorum repetitio & earum libera ac fortuita applicatio. Atqui tales sunt

sunt prophetiæ Christi circa Judæos: nam quæcumque hic prænuntiat Christus, ea omnia præ ipso vaticinati fuerant prophetæ: ergo.

R. n. min. Manifestum est discrimen, v. gr. inter oraculum Danielis, & hanc Christi prophetiam. Urbem evertendam simpliciter enuntiat Daniel; singulas addit Christus circumstantias. Gentium vocationem ad fidem prædixerant Prophetæ; hujus Ministros, tempus, modum determinat Christus.

Obj. 3. Oraculum Christi de eversione Jerusalem non est oraculum proprie dictum. Nam præsertim Matth. 24. &c. prænuntiat Christus totius mundi excidium; atqui talis prædictio non est oraculum proprie dictum. Non requiritur enim scientia divina ad præcognoscendum & prænuntiandum finem mundi fragilis & caduci; ergo.

R. 1. n. maj. Equidem Hyerosolimitanum excidium & mundi finem prædixit Christus, at utrumque eventum seorsim & distincte prædixit, distinctosque utriusque characteres notavit. 1. Juxta evangelicam seriem a Marco exaratam destructio Jerusalem præcedit totius orbis subversionem; primam a v. 6. ad v. 23. producit, secundam a v. 24. ad finem capitis. 2. Ubi de excidio Jerosolymitano habet, ejus tempus determinat, & prope esse dicit: ubi de mundi fine, horam nemini notam esse asserit. 3. Dicit Christus Judæos gladio occidendos, captivos ducendos esse: ergo eorum ruinam non confundit cum totius mundi fine. 4. Alibi distincte & singulariter loquitur Christus de eversione Jerusalem, ut patet ex locis inter probationes allatis.

R. 2. n. min. Equidem non requiritur scientia divina ad præcognoscendum & prænuntiandum mundi fragilis finem, si de generali & vaga prædictione agatur. At Christus non generatim tantum de eversione mundi edidit prophetiam & quæ ex ejus fragilitate eruetur, sed ita prædixit & cum iis circumstantiis quæ in mentem humanam venire non possunt.

CONCLUSIO VI.

Christus vera edidit Miracula.

PRob. 1. Illa miracula sunt vera & inconcussa quæ ut certa habuere Discipuli & Apostoli, Christi testes oculati, fatentur Judæi, supponunt Gentiles: atqui 1. ut certa agnovere Apostoli. Asserunt enim Christum fecisse miracula: atqui non asserunt Christum fecisse miracula, nisi quia hæc vera sunt. Nam miracula illa sunt effectus sensibiles, publici, maximi gravissimique momenti; horum testes oculati fuere Apostoli, ex probatis, nec decepti, nec deceptores; ergo. Et certe ex multis Discipulis quos sibi fidos comites junxerat Christus, duo aperte, Petrus nempe & Judas, datam fidem violant. Uterque pœnitentia, licet dispari, crimen abluere conantur. Jam vero si Christus sit merus impostor, si miracula ejus nulla sunt, si utrumque duobus illis persuasum est, undenam pœnitentia S. Petri, & Judæ desperatio?

Prob. 2. Certum est Apostolos Christo adhæsisse ad primam ejus vocem, & constanter cum eo mansisse. Pauca quidem, sed tamen omnia sua dimiserunt ut Christum sequerentur. Profecto sine aliquo motivo Christo adhærere, aut ei constanter fideles esse non potuerunt. Jam vero motivum illud fuisset vel Christi eloquentia, vel Messiæ characteres, quales eos sibi Judæi fingebant in Christo evidenter agniti, seu relatio inter Christum & emolumenta quæ Judæi a Messia expectabant, vel Christi doctrina, vel denique ejus miracula: atqui tria priora dici non possunt. Non primum: nam unum verbum ad eos facit Christus: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Non secundum; Apostoli enim, utpote origine Judæi, nativos Judæis sensus gerere communiaque toti genti principia tenere certo certius debebant: ergo 1. Messiam Regem temporalem expectabant. Hinc modo duo ex illis petunt ut unus ad dexteram, alter ad sinistram ejus sedeat; modo quærunt quo tempore restituendum sit regnum Israel. 2. Eo ipso

quæ Judæi erant, legem Mosaicam æternum duraturam existimabant. 3. Gentiles ut profanum vulgus abominabantur. Hi sunt juxta Judæos characteres, quos nisi in Christo detegant, eum pro Messia habere non potuerunt: atqui tamen nedum hæc in Christo cernerent, immo his contraria & opposita perspexerunt. 1. Enim eum angustam pauperiem pati & amplecti vident: loco regni, crucem, opprobria, &c. audiunt. 2. Christus plures legis Mosaicæ cæremonias, aut saltem quas tales putabant Apostoli, parvi facit Christus. Ultima tum legi Mosaicæ, tum Templo minatur; primus, saltem specie tenus, Sabbatum violat. 3. Cum Gentiles eum videre cupiunt, ab eorum commercio non abhorret: ergo prædictos Messiæ characteres in Christo non detegunt: ergo hi characteres non sunt motivum, &c. non tertium, id est doctrina Christi non fuit motivum quo Christo adhæserint. Illa enim doctrina non fuit motivum, &c. quæ Apostolorum indoli erat contraria, quamque non intelligebant: atqui doctrina Christi talis erat relative ad Apostolos. Antequam enim Christo adhæserint; immo quamdiu cum eo vixerunt, carnales erant ac toti in terrenis defixi; jam vero hominibus sic dispositis non favet doctrina sensibus austera: Ergo, &c. Deinde toto fere tempore quo Christo commensales fuere, in ejus doctrina cæcutiunt; quod in illa doctrina magis sanctum est, ac persuadendis animis magis idoneum, hoc etiam magis a sensibus est remotum, & terrenis animis obvium; hoc denique minime aut saltem vix ac ne vix intelligebant. Hinc iteratæ ac importunæ eorum interrogationes; hinc eos sine intellectu, & stultos sæpe arguit eorum Magister: ergo doctrina non fuit motivum, &c. ergo sola miracula fuerunt motivum illud: ergo Christus vere fecit miracula. Et certe hæc tria certa sunt, 1. Christi Discipuli vere asseruerunt Christum fecisse miracula. 2. Quod voce testabantur, hoc intima mente persuasum habebant. 3. Christi miracula ut certa habere non potuerunt, quin vera quoque essent illa miracula. Primum constat ex eorum scriptis. Singulis fere paginis ea commemorant miracula; non alio titulo se commendant nisi ut testes Christi resurrectionis & ascensionis, & Spiritus-Sancti descensus. Secundum non minus certum est. Austeræ enim virtutis tenaces sunt, nec huius virtutis alia habent fundamenta & motiva præter hæc miracula. Propter hæc ad mortem ruunt, & miseram trahunt vitam. Tertium denique ex duobus præcedentibus nativa dimanat consequentia. Fieri enim non potest ut decepti fuerint circa illa facta, ut probatum est. Si ergo dicas Apostolos hæc miracula non promulgasse, idem est ac si neges eos extitisse, aut eos Christi fuisse Discipulos, aut fidem in ipsum prædicasse. Si velis Apostolos non credidisse illa miracula, & ut certa non existimasse, idem est ac si diceres Apostolos nullos scripsisse libros, nec publice olim docuisse in urbe Jerusalem die solemni Pentecostes. Quod si denique contendas hæc quidem miracula credita esse ab Apostolis, sed ea nihilominus esse falsa; idem ac si velles Apostolis non fuisse oculos, aut aures, aut memoriam; ipsosque non tantummodo, sed & totum orbem communi delirio insanisse: ergo 1. Apostoli agnoverunt Christum vera operatum esse miracula.

2. Fatentur Judæi. „ Quid facimus, „ inquiunt, quia hic homo multa signa „ facit? Si dimittimus eum sic, omnes „ credent in eum: & venient Romani, „ & tollent nostrum locum & gentem. „ Et alibi: Joannes quidem nullum fecit signum, &c. „ Et iterum de Paralytico sanato die Sabbati: „ Propterea persequebantur Judæi Jesum, „ quia hæc faciebat in Sabbato. „ Et adhuc: „ Cognovit ergo turba multa „ ex Judæis quia illic est: & venerunt, „ non propter Jesum tantum, sed ut „ Lazarum viderent quem suscitavit a „ mortuis. Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent: quia multi propter illum „ abibant ex Judæis, & credebant in „ eum... Testimonium ergo perhibebat „ turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento & suscitavit eum a mortuis. Propterea & „ obviam venit ei turba: quia audierunt

„ eum

„ eum fecisse hoc signum. „ Ex his omnibus locis sic in unum collectis sequitur 1. Ideo Judæos suæ gentis eversionem timuisse, quia Christus sibi suis miraculis nomen faciebat. 2. Ideo turbam Christo præ Joanne Baptista adhæsisse, quia hic quidem nullum signum faciebat, Christus autem multa. 3. Ideo turbam Christo obviam venisse, quia Lazarum suscitarat a mortuis, & circa veritatem hujus miraculi testimonium omnes uno ore reddunt. 4. Ideo Scribas & Pharisæos & Sacerdotes mortem Christi meditatos esse, quia propter miracula ejus multi Judæi eum sequebantur. Ex his patet Judæos cujuslibet ordinis & conditionis miracula Christi ut vera existimasse. Ergo miracula illa vera esse credebant. Alias si fictitia, si ementito tantum veritatis fuco illita esse miracula illa credebant, cur Christum fraudis non arguunt? cur opera sicut personam ejus in jus non vocant? cur tam timebant & evangelii progressus, & miraculorum promulgationem? Et certe Christo sua operante miracula, dæmonas ejiciente, & mirantibus turbis Scribæ dicebant: „ Dæmonium habet, & in Principe dæ„ moniorum ejicit dæmonia. „ Hanc probationem alibi afferunt circa miraculum cæci nati: „ Non est hic homo „ a Deo, inquiunt, qui Sabbatum non „ custodit. „ Hinc Nazaræni Capharnaum æmulantur. „ Quanta audivimus, „ inquiunt, facta in Capharnaum, fac „ & hic in patria tua. „ Ex his manifestum est 1. Judæos supponere opera Christi fuisse realia. Supponunt scilicet vere dæmones ejectos, cæcum vere sanatum, &c. Nam operum illorum causam & principium requirunt, causam illam evolvere & explicare tentant: ergo vera & realia erant illa opera, ipsis concedentibus Judæis. 2. Juxta Judæos Christus solvit Sabbatum lutum faciendo, grabatum Paralytici tolli jubendo; ergo hæc revera fecerat Christus; sed illæ circumstantiæ ab utroque miraculo inseparabiles sunt; dic mihi enim quæso, cui bono, qua occasione, lutum fecerit, nisi ut oculos cæci nati illineret, cur & a quo grabatum tolli jusserit, nisi ubi Paralyticum solvit? Ergo verum est utrumque miraculum. 3. Si Christus nulla miracula fecit Capharnaum, jam nulla reddi potest causa cur Nazaræni Capharnaitas invidia prosequantur?

3. Supponunt Gentiles. Porphyrius *l. 3. de Phyl. apud Euseb.* Dem. *c. 3. c. 8.* Christum per oracula sua pium & immortalitate dignum vocat. Celsus Christum claudis & cæcis gressum & visum reddidisse fatetur, & inde esse Filium Dei concludit, apud Origenem *l. 2. c.* Celsum juxta Julianum Apostatam apud Cyrill. *l. 6.* Christus nihil adeo mirum fecit, nisi hoc nomine donentur sanati ab eo cæci & claudi, & dæmones ejecti: Ideo ipsi Mahumetani Christum ut eximium Prophetam colunt; quia fatentur eum eximia fecisse miracula.

Prob. 2. Illa miracula certa sunt & inconcussa quæ cum aliis factis evidentibus sunt connexa: Atqui v. gr. cum miraculis Apostolorum, cum propagatione Religionis Christianæ & Martyribus. 1. cum miraculis Apostolorum; certum est Apostolos fecisse miracula, etiam vivente Christo; ut testatur Marcus *c. 6.* Certum est eos hanc potestatem a Christo acceptam aliis transmisisse; quod si quis in dubium vocet, evolvat qoo motivo mundus crediderit, & si Apostolis mundus fidem adhibuit sine miraculis, majus adest miraculum. Jam vero Apostoli ex una parte asserunt se illam potestatem a Christo accepisse; ex alia vero testantur se ea facere ut Christi miraculorum veritatem obfirment: Ergo vera fecit Christus miracula. Potestas enim quam sibi jactant miracula faciendi, ex potestate quam habebat Christus, velut ex fonte dimanat. Si vere faciunt miracula, similia & Christus edidit. Porro sibi illudere non potuerunt an miracula faciant, nec ne. Si vana, si umbratilis tantum in ipsis sit virtus miraculorum, sexcenties errorem suum detegere potuerunt. Ergo 2. Cum propagatione & Martyribus. Undenam enim cessit superba Philosophorum scientia, ampla Principum potestas; pertinax omnium gentium in Idololatriam propensio? Quis concipiat totum orbem deliciis & voluptatibus hujus vitæ deditum, ipsis cito nuntium dedisse, etiam cum fortunæ, etiam cum vitæ discri-

discrimine? Qui credat totum orbem quasi martyrio devotum ac consecratum, ipsos etiam juvenes, ipsas etiam puellas pro Christo patiendi & moriendi desiderio depastas? His omnibus mors munus est ne Christum deserant. Hæc omnia esse non possunt sine intima persuasione circa veritatem Religionis Christianæ: sed intima illa persuasio oriri non potuit nisi ex miraculis Christi ita certo cognitis ut dissimulari non possent. Ergo, &c.

Obj. 1. Illa miracula nihil probant quæ magica arte patrata esse supponi possunt: atqui talia fuisse supponi possunt Christi miracula: ergo nihil probant.

R. n. min. 1. Magicæ arti nullibi studuerat Christus; constans fuerat in Judæa a qua hæ artes exulabant. 2. Talem artem severe prohibent libri sacri *Act.* 13. 16. & 19. Porro incredibile est viros tam Magiæ adversos, Magiæ tamen omnia sua debuisse. 3. Dum Dæmones Christum Dei Filium clamitabant, Christus eos ad silentium & ad exeundum cogebat. 4. Si Magiæ locus fuisset, Imperatores Tiberius, Nero atque alii qui ad detegendam hanc fraudem nullis impendiis pepercerunt, testibus Suetonio, Tacito & Plinio, haud dubie hanc deprehendissent. 5. Non fuit accusatus hujus criminis a Judæis qui eum morti damnarunt. Accusatio Matt. 12. memorata pro convicio temere conjecto habenda est. 6. Nullæ historiæ fide dignæ narrant talia Magiæ ope patrata qualia tribuuntur. Hinc Joan. 10. „ Numquid Dæmonium potest cæcorum „ oculos aperire? „ Dæmon non fuit sane adeo incautus ut perfectæ sanctitatis doctori & suæ destructori dominationis subserviret. Denique hanc calumniam diluit Christus his rationibus. Prima, si Dæmon ejiceret Dæmonem, divisus esset Dæmonum exercitus ac consequenter debilitatum eorum corrueret regnum. Divisum fuisse tunc regnum Diabolorum, hinc manifestum est quod ejectio eorum fuerit violenta; non nisi enim reluctantes egrediebantur & supplicantes ne in abyssum irent. Sed ubi ejectio talis est, ibi necessario occurrit dissentio, si ejectio fiat ab ipsis Dæmonibus vel Dæmonum amicis. Secunda; Christus ejicere Dæmonia non potest nisi fortior eo sit, cum Dæmones inviti ac ægre e corporibus exirent. Unde seqnebatur Christum hæc non operari nomine Dæmonum. Tertia, Christus Dæmoni adversabatur in suis verbis & operibus: ergo a Dæmone miraculorum potestatem non habebat. Hinc Arnobius *lib.* 11. *contr. Gent. p.* 34. Edit. Basil. „ Ergone illa quæ „ gesta sunt (a Christo) Dæmonum „ fuere præstigiæ & Magicarum artium „ ludi? Potestis nobis aliquem designa- „ re, monstrare ex Magis qui unquam „ fuere per sæcula, consimile aliquid „ Christo millesima ex parte qui fece- „ rit? qui sine ulla vi carminum, si- „ ne herbarum & graminum succis, si- „ ne ulla aliqua observatione sacrorum „ libaminum talia fecerit? . . . . atqui „ constitit Christum sine ullis admini- „ culis rerum . . . . . omnia illa quæ „ fecit, nominis sui possibilitate fecis- „ se . . . . nihil nocens, aut noxium, „ sed opiferum, sed salutare .... nobis „ donasse. „ Hæc Arnobius in quibus miracula Christi inter & Dæmonum opera discrimen repetitum ex modo quo confecta fuerunt, tum ex eorum effectibus. Ex modo quidem; quia fiebant sine concursu causarum secundarum; ex effectibus vero: quia nihil nisi salutare producebant: ergo non valet comparatio instituta.

Inst. Atqui miracula Christi, id est ejectio Dæmonum, Magicæ arti adscribi possunt. Nam Christus in loco citato fatetur filios, seu Discipulos Scribarum & Pharisæorum ejecisse Dæmones; idem fecisse supponit falsos Prophetas Matt. 7. Porro talia operari non poterant nisi ope Dæmonum. Ergo a pari supponi potest Christus hæc eadem virtute operatum esse. Sic itaque refutmo. Discipuli Scribarum & Pharisæorum ut falsi Prophetæ Dæmonas ejiciebant ipsorum Dæmonum potestate: atqui a pari Christus supponi potest eos ejicere eadem virtute; ergo miracula Christi Magicæ arti adscribi possunt.

R. 1. n. maj. Quidam dicunt in *Synop. critic.* falsis Prophetis illis & Scribarum Pharisæorumque Discipulis Satanam collusisse potius quam serio ejectum ab eis, probantque ex *Act.* 19.

13.

13. 14. At quoniam supponere videtur Christi argumentatio dæmones revera expulsos, dico 1. Christum per hæc verba *filii vestri*, intelligere non solum Discipulos Scribarum & Pharisæorum, sed omnes eos inter Judæos qui in nomine Dei Abraham Dæmonas ejiciebant. 2. Falsi illi Prophetæ ut vera edere miracula, sic Dæmonas Dei virtute ejicere poterant. Potestas enim illa nullam in subjecto suo sanctitatem supponit per se.

R. 2. n. min. Namque duo circa Christum constant quæ incerta sunt & dubia circa falsos Prophetas & Pharisæorum Discipulos. Nempe 1. ejectio Dæmonum a Christo non solum realis erat, sed etiam violenta. 2. Fiebat ad stabiliendam doctrinam Dæmoni omnino contrariam. Jam vero ubi expulsio manifeste violenta est & inservit obfirmandæ auctoritati ejus qui evertendo Dæmonis imperio unice studet, ibi nulla possibilis est collusio.

R. 3. Quisquis tandem sit sensus verborum mox laudatorum, dico illæsum remanere Christi argumentum. Triplicem enim patiuntur sensum. Ita ut supponat expulsionem Dæmonum non fuisse veram & realem ex parte filiorum Pharisæorum; & tunc hæc est Christi argumentatio: filii vestri judicabunt vos temere miracula mea Dæmoni adscripsisse; dicent enim se nihil non tentasse ut Diabolus sic eum eis colluderet, nec impetrare nec consequenter Dæmonia ejicere potuisse. Alter sensus est supponendo veram expulsionem; quasi diceret Christus: filii vestri ejiciunt Dæmones in nomine Dei Abraham; cur me collusionis cum Dæmone arguitis, cum ego eumdem Abraham adorem? 3. denique sensus nomine filiorum intelligit Apostolos qui Judæorum erant filii, quique mittente Christo Dæmonia ejecerant, vel etiam quosdam inter Judæos qui ut Apostoli Dæmones expellebant in nomine Christi. Quo in casu haud nutat Christi causa.

Inst. At Apostoli miracula etiam faciebant: ergo se Deos esse & Christos probassent.

R. n. sequelam. Duplex enim occurrit discrimen inter miracula Christi & Apostolorum. Primum Apostoli omnia sua confecerunt in nomine, id est, potestate Christi; Christus vero in nomine Patris sui & auctoritate sibi propria. Confer. *Act.* 3. 6. 12. :: 9. 34. Marc. 16. Joan. 5. 17. 19. 20. 21. 36. 44. : : 7. 18. :: 10. 25. :: 11. 42. :: 14. 10. unum aut alterum exemplum sufficiat: „ Ænea, sanat te Jesus Christus. Prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Pater meus usque modo „ operatur & ego operor. „ Secundum, Christus non tantum miracula fecit, sed eorum potestatem aliis concessit.

Inst. Ille miraculorum potestatem non habet, cui quandoque virtus miraculorum deest, & inde quandoque ea operatur quia virtus ipsi adest: atqui res ita se habet respectu Christi, ut constat ex Marc. 6. & Luc. 5.

R. n. min. quoad utr. part. 1. quantum ad primum textum ex Marc. 6. Vox hæc *non poterat* non designat simpliciter impotentiam, sed sumitur moraliter & secundum latam significationem, quo sensu dicitur: non possum a proposito resilire; non possum hoc a me impetrare. Hæc expositio duplici nititur motivo, 1. in textu legitur: *non poterat ibi multas virtutes facere propter incredulitatem eorum*. Incredulitas civium Nazareth est ratio omnino extrinseca quæ impotentiam simpliciter non arguit, sed obstitit ne vellet Christus uti sua potentia. Deinde additur quod paucis ægris sanitatem restituerit: ergo non aderat impotentia simpliciter: ad 2. desumptum ex Luc. 53. virtus Dei erat ad sanandum eos, indicat tantum nullum tunc fuisse obstaculum, ac proinde miraculorum exercendæ virtuti locum fuisse.

Inst. Inter cætera argumenta quibus exauctorata sunt Dæmonum miracula, Christi autem confirmata sunt, illud est nempe illa homini semper fuisse nociva, hæc vero nunquam. Porro istud posterius falsum est. Nam Matth. 8. legitur Dæmones a Christo expulsos ipso jubente aut permittente in porcos intrasse quos in mare præcipites dederunt. Jam vero maximum inde eorum dominis intulit damnum. Nec sane cui bono Dæmones in porcos intraverint vide-

detur. Unde. Christus jussit aut permisit Dæmonas in porcos intrare: atqui hoc maxime eorum Dominis nocivum erat: ergo omnia Christi miracula non erant hominibus bona.

R. 1. Dico Christum non jussisse: SS. enim Lucas & Marcus exprimunt Christum permisisse. Rogant Dæmones, *permitte*; respondit Christus & *permisit*. Quod autem dicat S. Marcus quod Christus miserit Dæmonas in porcos, hinc patet quod vocibus activis nihil aliud sæpe quam permissionem indicare. Non ergo in hac re vim agentem exercuit Christus; sed vim impedire valentem sustulit.

R. 2. Permisisse eadem justitia & generali ratione qua omnia peccata permittit Deus. Specialiter vero 1. ex parte Dei. Ut apertum fieret Dæmones esse qui miseros illos homines torquerent, non morbum aliquem. Hinc confutabantur Sadducæi qui Dæmones substantiales spiritus esse negabant; volebant vero esse corporum & animorum hominum affectiones. 2. Ut ostenderet suam potentiam dominiumque quod exercebat in Diabolum. Hinc patebat spiritus illos non solum invitos coactosque exire & ejici, sed nec posse abire quo vellent nisi venia impetrata. 3. Ex parte hominum. Ut liberati beneficii magnitudinem agnoscerent. 4. Ut discerent homines quantum sibi a Dæmonibus timendum foret Dæmonesque acturos cum hominibus ut cum porcis nisi coercerentur.

R. 3. Damnum illud aut non fuisse reale porcorum Dominis aut justum fuisse; & ideo n. min. damnum illud evanescit respectu utilitatis quam inde omnes carpebant. Intererat enim & multo satius erat Christi potentiam, Dæmonum sævitiam & infirmitatem quam ut conservarentur porci; justum etiam esse poterat damnum illud ad ulciscenda Gerazenorum peccata.

Inst. Vel miracula illa erant occulta, vel erant publica; ex occultis nullum erui potest argumentum. Jam vero non possunt supponi publica, saltem ea publicitate quæ ipsis supponitur. Nam ex una parte miracula illa ita dicuntur publica, ut in prima sui origine omnibus omnino nota fuerint; ex altera vero evidentem dicerent cum missionis Christi divinitate connexionem; jam vero concipi non potest quomodo Judæi aut ignoraverint facta illa publica, aut evidentem eorum cum divinitate Christi connexionem non perspexerint, aut ea perspecta Christum non agnoverint, nisi forte insanirent: verbi gratia, Si tam splendida fuere miracula in ortu Christi peracta, quomodo putarunt eum a Nazareth esse oriundum. Unde sic in forma. Miracula publica qualia Christo tribuuntur, debuissent Judæorum assensum rapere. Atqui tamen Judæi positis licet Christi miraculis Christo assensum pertinaciter negarunt: ergo.

R. dist. Debuissent assensum rapere quoad miraculorum realitatem: c. Quoad doctrinæ veritatem: subd. Debuissent consequentia morali: c. necessaria: n. Itaque 1. distingui debet doctrina Christi ab ejus miraculis in confirmationem illius doctrinæ patratis. Doctrinam constanter negavere; miracula vere sæpe sæpius fateri coacti sunt. Quod si Christus non statim a reditu ex Ægypto agnitus est; hoc ex diverso publicitatis genere & gradu. Evidens enim est miracula nativitatis Christi fuisse publica per omnia montana Judææ, at non statim ubique, sed paulatim & temporum successu omnem publicitatis gradum obtinuere. Cæterum si miracula illa fictitia fuissent, si nulli Pastores, si nulli Magi ad Christum venissent, certe statim ad prædicationem Evangelii insurrexissent Bethleemitæ, & evangelicam narrationem falsi arguissent. 2. Concessis miraculis Christi, divinitatis & missionis ejus confessio nativa erat quidem consequentia; sed duplex distingui debet consequentia, alia necessaria, quæ aliter se habere non potest; alia moralis, quæ etiam ratiocinii dicitur, & pendet ut plurimum ex variis circumstantiis & animi affectionibus & dispositionibus. Christi divinitatis confessio sequebatur quidem ex confessa miraculorum ejus veritate, sequebatur, inquam, non consequentia necessaria, ut patet, sed morali, seu ex miraculis Christi ad fidem, Judæorum ado-

tantum consequentia rationalis & convenientiæ, seu consequentia moralis. Quia scilicet si Judæi aliter affecti fuissent, nec Messiam tantum temporalem sibi proposuissent, visis miraculis Christi in eum credidissent. Messiæ itaque repulsa orta fuit ex moribus Judæorum. Denique observa illam ipsam Judæorum incredulitatem a Prophetis prænuntiatam esse. Stupenda quidem in se illa pertinacitas, attamen jam creditu facilis post prædictionem.

Inst. Si Miracula Christi adeo fuissent publica & nota, Josephus & Philo ea commemorassent: attamen altum de iis silet uterque. Vix Christi & Christianorum nomen cognovit Philo; de Joanne Baptista, de Jacobo honorifice loquitur Joseph, de Christo aut tacet, aut pauca verba de eo facit. Immo Christus miraculorum publicitati occurrit, dum in singulis fere miraculis sacrum imponit silentium. Ergo.

R. 1. n. maj. Silentium Auctorum est tantum negativum argumentum, cui præponderare debet copiosa probatio positiva antea adducta. Etiamsi duo memorati Historici de Christo siluissent, non inde ruunt argumenta superius allata.

R. 2. Non mirum si Philo de Christo nihil dixerit. Christo enim antiquiora sunt ejus scripta. Quantum ad Josephum, præclarum de Christo apud ipsum legitur testimonium. Cujus authenticitatem vindicant critici.

R. 3. Christum equidem aliquibus miraculis suis secretum apposuisse initio suæ prædicationis, at non omnibus, nec in toto prædicationis suæ decursu.

Inst. Illa miracula saltem aliquam fictionis suspicionem contrahunt quæ Christus ipse eorum auctor publicari noluit; atqui talia sunt miracula Christi. Sæpe sæpius enim quasi de eorum veritate dubius tenebras quæsivit & suorum operum evulgationem timuit. Sic Matt. 8. leproso a se mundato omnem sanationis evulgationem interdixit, etiam cum minis, ut legere est Marc. 1. Sic etiam Matt. 12. post multos ægros a se sanatos, *præcepit eis ne manifestum eum facerent*. Matt. etiam 9. duobus cæcis quibus visum restituerat, *comminatus est Jesus dicens: videte ne quis sciat*. Hæc itaque sic singulatim urgere licet. Ille suorum miraculorum veritatem dubiam habuit qui ea publicari noluit: atqui Christus noluit sua miracula publicari: ergo.

R. dist. maj. Ille miraculorum suorum veritatem dubiam habuit qui ea publicari noluit, quia revera in se dubia aut fucata erant: c. qui ea publicari noluit ex certa quadam speciali ratione & quibusdam miraculis speciali & propria: n. Itaque 1. manifestum est præfatam Christi prohibitionem non oriri ex eo quod miracula sua dubia ac fictitia esse ipse sentiret. Nam Christus in densa & conserta hominum turba miracula sua patravit; ac proinde nec miracula ipsa, nec eorum auctor latere potuissent. Insulsum fuisset velle ut generatim & in universum opera illa silentio premerent eorum testes. Deinde Marc. 5. jubet Christus Dæmoniaco palam apud omnes facere quanta fecisset illi Deus. Denique passim Christus divinitatem suam eruit & causam suam tuetur ex miraculis a se patratis tum quoad eorum splendorem, tum quoad eorum publicitatem. Si ergo certis quibusdam in casibus silentium imperet & latebras quærat, hæc agendi ratio oritur ex causa circumstantiis & operibus illis & propria & relativa quam ad singula objectionis facta aperire haud difficile erit.

Inst. Itaque & urgebis Matt. 8. 4. prohibitionem factam leproso mundato.

R. Minime Christus leprosum illum interdixit ab evulgatione hujus sanationis in perpetuum & pro omni omnino tempore, vetuit tantum ne id diceret priusquam stetisset coram Sacerdotibus & ab ipsis secundum legem sanus fuisset recognitus & pronuntiatus. *Ait illi Jesus; vide nemini dixeris, sed vade & ostende te Sacerdoti*. Volebat scilicet Christus non solum legis Mosaicæ custos videri, sed intendebat etiam suo miraculo omnem conciliare fidem & auctoritatem ab ipsismet Sacerdotibus, atque ita postea illud palam fieri. Ut autem miraculo fides adhiberetur ab ipsis Sacerdotibus, ejus notitia imbui eos decebat priusquam publica ejus fama ad aures eorum perveniret; alioqui pro sua in Christum invidia facile, si fama hunc ho-

hominem antevertisset, eum a lepra mundatum non esse pronuntiare potuissent; hoc non obscure innuit S. Marc. dum observat Christum comminantem statim ejecisse leprosum, ne scilicet fama anteverteret eum. Uno verbo id sibi proponebat Christus ut post factam a Sacerdotibus declarationem & doni a Moyse imperati oblationem miraculum istud publicum fieret. Enimvero ex illo tempore licebat homini civitates ingredi, tuncque opportunum erat evulgari eum a Christo mundatum esse, quia eum ab alio curatum esse credi impossibile erat. Hæc enim lepra procul dubio talis erat quæ nulla humana industria curari poterat, ut Hebræi fatentur. Hinc si in posterum id negare ausi fuissent Sacerdotes, hæc ipsa eorum declaratio, nec non munus receptum in testimonium verteretur.

Inst. Matt. 9. Sic Christus cæcis a se domi illuminatis comminatus est: *videte ne quis sciat*.

R. Hujus prohibitionis causam nullam aliam esse nisi quæ in textu exprimitur, nempe ipsam miraculi obscuritatem quod domi intra privatos parietes patratum erat. Hinc verebatur ne doli aliqua suspicio obreperet quasi duo illi homines subornati fuissent a Christo aut ejus Discipulis ut se & cæcos & a Christo illuminatos esse persuaderent, dum tamen neutrum esset. Voluit ergo Christus hoc indicto silentio omnem calumniæ & cavillationi ansam præcidere, certus aliunde alia miracula quæ in publico fecerat & quotidie operabatur, abunde sufficere ad muniendam suam auctoritatem.

Inst. Matt. 12. „ Sequuti sunt eum „ multi, & curavit eos omnes & præ„cepit eis ne manifestum eum fa„cerent. „

R. Solutionem patere ex collatione hujus loci cum Marc. 3. 11. 12. in quo sic legitur: „ Et spiritus immundi .... „ clamabant dicentes: tu es Filius Dei. „ Et vehementer comminabatur eis ne „ manifestum eum facerent. „ Illi ergo quibus comminatur Christus ne manifestum eum faciant, non sunt omnes recens ab eo sanati, sed quidam inter illos, nempe a spiritibus immundis liberati. Vetuit Christus vel spiritibus illis, vel hominibus qui iis agitabantur, ne divulgarent ipsum esse Christum Filium Dei. Commentarium istud fovet codex Paris. In biblioth. Reg. 9. qui post verbum, *facerent*, addit, *quoniam sciebant ipsum esse Christum*. Licet enim Christus Filium Dei se diceret, nolebat tamen ut quisquam id tum divulgaret. Discipulis enim suis ipsis id vetabat, ut constat ex Matth. 16. quanto magis id eum vetasse credendum est Dæmonibus seu Dæmoniacis, imprimis quamdiu a Dæmone obsessi tenebantur. V. Marc. 1. Luc. 4. Christus quidem per miracula se comprobabat; sed aliud est se manifestum facere, aut dicere Jesum esse Filium Dei, aliud miracula evulgare. Statutum enim videtur apud Christum nullatenus prædicandum esse in terminis ipsum esse Filium Dei ante resurrectionem, sed ex miraculis concludendum relinquere voluisse.

Potest tamen dici Christum omnibus a se sanatis, immo & toti turbæ prohibuisse ne miracula sua divulgarent, non simpliciter & quoad omnes generatim, sed tantum apud Scribas & Pharisæos quos jam in mortem suam conjurasse noverat ex Matth. 12. & Marc. 3. nempe ea de causa qua aliquoties iis se subducebat, ne ut rabiosi canes in eum irruerent.

Denique hæc verba, *ne manifestum eum facerent*, cadere possunt in ipsam Christi personam, seu in locum quo confugerat relative ad suos adversarios. Sic enim tota fert historica series Matt. 12. Pharisæi Sabbatum violatum indignantes, consilium Christi perdendi ineunt. *v.* 14. eorum furori ut se subducat Christus recessit. *v.* 15. Sequuti sunt eum multi. *v.* 15. Pronum est concludere vetuisse Christum ne turbæ aut sanati ab ipso locum in quem cesserat, Pharisæis proderent. Confirmatur ex *v.* 17. seu ex applicatione Prophetiæ Isaiæ in quo describitur Messiæ modestia & mansuetudo. *Non contendet, neque clamabit*, &c. Manifestum est Christum moderationis causa aufugisse, & eodem motivo latere voluisse.

Inst. Marc. 8. Cæco prope Bethsaidæ sanato sic loquitur Christus: „ Vade in „ do-

„ domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.„

R. specialem hujus prohibitionis rationem educendam esse tum ex ipsius miraculi circumstantiis, tum ex Bethsaidarum indole. 1. enim licet cæcus Christo in vico Bethsaida oblatus fuerit, ex v. 22. eum tamen non sanavit nisi extra vicum, ex v. 23. Jam vero cum ex una parte in vico cæcus fuisset oblatus, ex altera vero extra vicum sanatus foret, calumniæ & suspicioni locus inde esse potuisset: hinc evulgationem prohibuit Christus. 2. Ideo cæcum intra Bethsaidam non sanavit, & quasi hujus miraculi cognitione fraudare ejus cives voluit Christus, quia pertinacem eorum animum plectere voluit, juxta hanc exprobrationem Matt. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida*, &c. Indigni erant hujus vici incolæ qui nova viderent miracula quibus otiosa fuerant vetera.

Inst. S. Joannes nullum fecit signum; attamen multos habuit Discipulos; ergo etiam Christus potuit habere Discipulos, nec tamen facere miracula: ergo ex eo quod Discipuli Christo adhæserint, miracula ejus vera fuisse non sequitur.

R. n. conseq. Disparitas est inter Christum & Joannem. 1. Joannes Baptista non eosdem obices superandos habebat ac Christus. Joannes enim legis abrogationem nec inauditam annuntiabat doctrinam, sed id quod omnes credebant & expectabant. Facile ergo & sine miraculis fidem sibi facere poterat. 2. Joannes Messiæ nomen & prærogativas non ambiebat; non habebatur a Judæis ut Messias & Propheta ille cui deberentur miracula; Christus contra Messiam se dicebat. Ergo assignata a Prophetis Messiæ miracula implere debebat. 3. Nulla quidem legi in sacris libris S. Joannis miracula; sed nativitas ejus ac proinde & ejus legatio iis obsignata fuit miraculis quæ dissimulari non poterant.

Obj. Miracula Christi non sunt certa. Illa enim miracula non sunt certa quæ non constant nisi ex motivo, vel cujus certitudo nondum comperta est, vel quod est mera petitio principii; porro talia sunt miracula Christi: revelatio enim est motivum cujus aut certitudo nondum est comperta, aut quæ non est comperta nisi ex mera principii petitione: jam vero miracula Christi non constant nisi ex revelatione; nam ideo certa sunt illa miracula, ex probationibus allatis, quia referuntur a Scriptoribus sacris; ergo certa sunt tantum ex revelatione. Jam vero revelatio illa certa non est nisi ex auctoritate & testimonio Ecclesiæ, ideo enim talem vel talem librum revelatum & canonicum esse credimus quia id testatur Ecclesia. Porro incerta est adhuc Ecclesiæ auctoritas; vel enim auctoritas illa certa foret ex revelatione, vel seorsim a revelatione. Non certa est illa auctoritas ex revelatione; nondum enim recepta est & admissa revelatio; deinde tunc fieret circulus vitiosus. 2. Auctoritas illa non potest dici certa absque revelatione; nam auctoritas illa est quid supernaturale, est effectus positivæ voluntatis Dei; ergo non potest certa fieri nisi ex codice in quo leguntur voluntates Dei positivæ; ac consequenter ex sola revelatione. Unde sic in forma. Certitudo miraculorum Christi ultimo resolvitur in auctoritatem & testimonium Ecclesiæ: sed illa auctoritas aut non constat ullo modo, aut non constat nisi circulo vitioso: ergo.

R. dist. maj. Certitudo miraculorum Christi ultimo resolvitur in auctoritatem & testimonium Ecclesiæ ut est societas & auctoritas humana ac naturalis; esto. Prout est societas ac auctoritas divina ac supernaturalis: n. Itaque Ecclesia sub duplici respectu considerari potest vel ut societas quædam humana quæ suam originem, suum auctorem & legum ac historiarum suarum codicem habet, cujus testimonii auctoritas desumitur ex natura testimonii universalis. Potest etiam considerari Ecclesia ut societas supernaturalis divinitus instituta, cujus auctoritas oritur ex positiva Dei voluntate. Ita pariter libri sacri possunt attendi ut nuda & humana rerum antea gestarum historia, vel ut divinitus inspirati. Hinc fides quæ libris sacris adhibetur, potest esse humana vel divina. Humana est cum libri sacri admittuntur ut historia naturalis & humana propter testimonium Ecclesiæ cujus auctoritas

tas desumitur ex sola testimonii universalis natura. Porro cum miracula Christi probamus ex Scriptoribus sacris, Scriptores illos non ut sacros præcise & ut divinitus inspiratos attendimus, sed ut historicos quos ex criticæ regulis fide dignos esse cognoscimus, qui narrant facta quædam ita publica ut circa ea nec decipi, nec decipere potuerint. Totam Ecclesiam tunc inspicimus ut gentem ac societatem quamdam civilem & humanam suos annales, sua facta exhibentem: cui eamdem fidem adhiberi postulamus circa factorum suorum originem & veritatem ac ea quæ cæteris nationibus & populis conceditur: jam vero testimonium Ecclesiæ sic considerata non est dubium, sed certissimum, per se & antecedenter ad infallibilitatem & supernaturalem Ecclesiæ auctoritatem agnitam, nec circulo vitioso laborat.

Dixi esto ad primum distinctionis membrum; immo negari potuisset ex hac parte major; nam miraculorum Christi certitudo & librorum sacrorum veritas non solum desumitur ex testimonio Ecclesiæ, sed etiam ex confesso tum Judæorum, tum Paganorum.

Inst. Atqui miraculorum Christi certitudo necessario resolvitur in Scriptores sacros, prout sunt divinitus inspirati, & in testimonium Ecclesiæ prout est supernaturalis auctoritas. Miracula enim sunt quædam facta supernaturalia: sed facta supernaturalia & eorum certitudo non possunt ultimo resolvi nisi in testimonium Ecclesiæ prout est auctoritas supernaturalis. Quod enim est supernaturale non potest sola ratione ac consequenter naturali auctoritate cognosci, sed sola revelatione & supernaturali auctoritate innotescere potest: ergo.

R. dist. maj. Miracula quoad formam sumpta sunt facta supernaturalia: c. quoad materiam: n. forma miraculi est modus quo effectus ex miraculo resultans productus est. Materia est in omne quod sensibus attingitur circa quod versatur miraculum, seu est ipsemet effectus sensibilis ex miraculo oriundus: verbi gratia adsit cadaver exanime, cadaver illud vitæ redonetur; hæc duo scilicet vita præterita, seu mors & vita præsens seu reddita sunt totidem facta naturalia quæ constare possunt independenter a Scriptorum sacrorum inspiratione & a supernaturali Ecclesiæ auctoritate. Restat ergo modus quo cadaver vitæ restitutum est in quo consistit miraculi, seu facti illius supernaturalitas. Sed modus etiam ille certo cognosci potest independenter a supernaturali sive Scriptorum sacrorum inspiratione, sive Ecclesiæ auctoritate. Modus enim ille naturaliter & necessario ex duobus aliis factis sequitur. Hic homo mortuus erat, hic homo vivit; sequitur necessario hæc consequentia: ergo a mortuis excitatus est.

Inst. Atqui miraculorum Christi certitudo ultimate resolvitur in supernaturalem tum inspirationem Scriptorum sacrorum, tum Ecclesiæ auctoritatem saltem apud Catholico-Romanos. Nam apud eos obtinet illud axioma, nihil ut dogma recipi posse, nisi quod est a Christo revelatum & ut tale ab Ecclesia proponitur. Jam vero miracula Christi juxta Catholico-Romanos sunt totidem dogmata. Ea non admittunt, nisi quia Deo revelanti credunt: non credunt autem Deo revelanti nisi propter auctoritatem Ecclesiæ supernaturalem. Ergo.

R. 1. transf. totum arg. Hic non agitur de fide Catholico-Romanorum, agitur tantum de iis qui Religionem Christianam amplectuntur, sive societatem Catholico-Romanam, sive quamcumque aliam, sive etiam nullam omnino ingrediantur. Hæc objectio tractatum de Ecclesia spectat & a scopo præsentis disputationis abludit.

R. 2. n. ant. dist. hanc min. Miracula Christi sunt dogmata juxta Catholico-Romanos considerata ut divinitus revelata: c. considerata ut mera facta: n. miracula possunt considerari ut quædam divinitus revelata, & tunc ex axiomate apud Catholico-Romanos recepto, miracula sunt totidem dogmata. Sunt enim revelata & ab Ecclesia ut talia proponuntur; hinc ubi semel Catholico-Romana fide imbuti sunt fideles, hæc miracula attendunt ut totidem dogmata, eademque fide ea credunt qua cætera Christianæ Religionis Mysteria. Sed miracula possunt etiam considerari ut mera facta

Ro-

Romę exiſtentiæ, Cæſaris geſtis & aliis hiſtoria naturali notis ſimilia. Sub hoc reſpectu ab eo qui Religionem ſollicitat attinguntur, nec ſub hoc reſpectu ſunt dogmata, aut ex ſupernaturali ſive Scriptorum ſacrorum inſpiratione, ſive Eccleſiæ auctoritate admittuntur. Hinc, ut jam innui, duplex fides & fidei actus hic diſtingui debet. 1. Fides humana qua facta propria & naturali ſagacitate diſcuſſa admittit ex Scriptorum ſacrorum & Eccleſię auctoritate humana & meri teſtimonii, tuncque habet motivum diſtinctum a revelatione & ſupernaturali tum Scriptorum ſacrorum inſpiratione, tum Eccleſiæ infallibilitate & auctoritate. Poſtea vero eadem miracula ut dogmata amplectitur ex ſupernaturali Scriptorum ſacrorum inſpiratione, ex Dei revelantis & Eccleſiæ proponentis auctoritate. An in poſteriori illo fidei actu irrepat circulus vitioſus, non eſt præſentis diſputationis, ſed, ut jam dixi, tractatum de Eccleſia ſpectat.

Inſt. Atqui miracula Chriſti non ſunt certa. Certitudo duplex, abſoluta una, relativa altera. Illa eſt firmitas objecti in ſe & a parte rei, hæc eſt eadem firmitas quatenus a mente noſtra percipitur & admittitur. De hac hic agitur. Manifeſtum eſt mentem noſtram eo fortius, firmiuſque vel debilius veritati cuilibet adhærere quo magis vel minus perſpectam habet intrinſecam rei veritatem. Hinc eo majorem vel minorem in admittendo aliquo facto experietur difficultatem quo magis vel minus factum ipſum poſſibile percipietur. Cum autem certitudo qualibet relationem dicat & ad certitudinem objecti intrinſecam & ad certitudinem motivi, certitudo aſſenſus alicui facto æſtimari debet ex ponderata ac ſibi invicem collata & objecti & motivi certitudine, adeo ut ſi facilius nutare poſſit motivi certitudo quam ſtare facti poſſibilitas, jam facti veritas deſerenda ſit. Porro ſic ſe res habet in cauſa miraculorum Chriſti. Motivum enim quo nititur illorum miraculorum exiſtentia & certitudo, eſt immenſę multitudinis teſtimonium. Porro longe facilius nutare poteſt illius traditionis firmitas quam ſtare miraculi certitudo; ſeu, facilius credi poteſt traditionem unanimem aut univerſale teſtimonium errori ſubjacere, quam miraculum exiſtere aut eſſe poſſibile. Ex miraculo enim perturbantur leges in ordine phyſico; in teſtimonio univerſali cui ſubeſſet falſum, perturbarentur leges in ordine morali. Sed longe facilius perturbatæ poſſunt credi & ſupponi leges in ordine morali quam in ordine phyſico. Nam longe facilius credi poteſt homines univerſim ſua ratione male uſos eſſe quam everti leges a Deo ſtabilitas in ordine phyſico. Leges illæ primo aſpectu videntur æternæ & immutabiles utpote ab ente immutabili ſtabilitæ. Leges vero in ordine morali pro inconſtanti hominum indole variare poſſe concipiuntur. Quotidie deprehenduntur homines ſua abutentes ratione. Nonne quotidie evidentiam jurant & appellant ubi tamen nulla eſt, immo ubi nulla eſſe poteſt, ut patet exemplo majoris Philoſophorum veterum partis; fieri ergo poteſt homines evidentiam intrinſecam putativam pro reali ſumere; quidni etiam evidentiam extrinſecam putativam pro reali ſument? Sic itaque argumentum adornare juvat. Illa miracula non ſunt certa quæ nituntur motivo longe minus certo relative ad nos quam ipſa miraculi poſſibilitas & exiſtentia: atqui miracula nituntur motivo minus certo relative ad nos quam ipſa miraculi poſſibilitas & exiſtentia: ergo miracula Chriſti non ſunt certa.

R. n. min. Motivum quo nituntur miracula Chriſti eſt teſtimonium univerſale. Porro motivum illud relative ad nos eſt æque aut magis certum ac miraculi poſſibilitas & exiſtentia: miraculi enim poſſibilitas conſiſtit in poſſibilitate legum in ordine phyſico perturbationis; hæc porro poſſibilitas ex bene nota Dei libertate ſimul & poteſtate dimanat ac derivatur. Miraculi exiſtentia in actuali legum earumdem perturbatione conſiſtit. Porro teſtimonium univerſale eſt relative ad nos motivum æque certum, immo magis certum quam illa actualis perturbatio; ſeu magis conſtat teſtimonii illius veracitas quam miraculi impoſſibilitas aut dubia eſſe

esse potest ejus existentia. Sit, v. g. resurrectio mortui. Certitudine physica constat talem olim vixisse; physice etiam constat ejus mors; physice denique constat illum eundem qui mortuus erat, nunc vivere. Non potuit autem mortuus iterum vivere nisi per resurrectionis miraculum. Ergo miraculi existentia physica certitudine constat. Jam vero testimonii universalis infallibilitas & certitudo constat ex morali evidentia quæ metaphysicæ æquivalet. Ergo.

Inst. Atqui motivum quo nititur miraculi possibilitas & existentia, longe minus certum est relative ad nos quam ipsa miraculi possibilitas & existentia. Illud longe minus certum est relative ad nos quod percipitur longe facilius errori subjacere posse quam percipitur miraculi possibilitas & existentia: ut enim possibile sit & existat miraculum, requiritur ut turbentur leges naturæ in ordine physico; ut errori subjaceat testimonium universale, requiritur ut turbentur eædem naturæ leges in ordine morali; sed facilius percipitur turbari posse leges naturæ in ordine morali quam in ordine physico; ergo percipitur testimonium universale longe facilius errori subjacere posse quam percipitur miraculi possibilitas.

R. n. min. Et dico miraculi possibilitatem facilius & certius percipi quam possibilitatem erroris in testimonio universali: n. etiam alteram min. & dico facilius percipi turbari posse leges naturæ in ordine physico quam in ordine morali: nam leges in ordine physico obtinent ex positiva & arbitraria Dei voluntate: ergo eas pro nutu & arbitrio mutare & perturbare potest. At leges in ordine morali sunt quædam principia certa & inconcussa quorum mutationi obstant Dei attributa. Deus potest habere motivum se dignum ad perturbandas leges prædictas in ordine physico, nullas vero habere potest perturbandi leges illas in ordine morali. Leges illæ in hoc ordine morali sunt medium a Deo optimo & veracissimo hominibus datum ad stabiliendam factorum veritatem; non ita leges in ordine physico. Et vero vel Deus leges illas ordinis moralis perturbaret ipse; vel permitteret tantum perturbari. Porro primum repugnat, ut per se patet. Repugnat pariter secundum ex ratione mox allata, nempe ex usu & destinatione legum illarum.

Inst. Atqui percipitur facilius perturbari posse leges naturæ in ordine morali quam in ordine physico. Ut perturbentur leges naturæ in ordine morali, requiritur & sufficit ut homines universim abutantur sua ratione; ut eædem leges in ordine physico perturbentur, requiritur ut Deus velit ordinem a se sapienter stabilitum evertere: atqui percipitur longe facilius homines universim posse sua abuti ratione quam Deum evertere ordinem a se sapienter institutum. Ergo.

R. n. min. Percipitur Deum posse perturbare leges a se sapienter in ordine physico constitutas. Qua enim sapientia leges illas statuit, ex eadem sapientia potuit velle ut hac vel illa de causa tali & in tali casu perturbarentur leges illæ; sicut enim extitit ratio sufficiens leges illas hoc vel illo modo componendi, sic occurrere potest sufficiens motivum leges illas diversimode pro tali vel tali casu ordinandi: at vero percipitur repugnare eamdem perturbationem in ordine morali; repugnare, inquam, tum ex parte Dei, tum ex parte hominum. 1. Repugnat ex parte Dei, id est, repugnat tum Deum per se leges illas perturbare, tum illarum perturbationem permittere. Quis enim eo usque desipiat ut putet Deum vel per se facere, vel permittere posse ut omnes homines simul & universim insaniant, suam naturam sibique apprime congenitos sensus exuant? Cui rei inserviret talis hæcce legum moralium perturbatio? An Dei gloriæ? an hominum utilitati? e contra perturbatio legum in ordine physico Deo inservire potest ad manifestandam voluntatem extraordinariam. Uno verbo leges illę homini a Deo datæ sunt ut ipsum regant in discutienda ac recognoscenda factorum veritate. Ergo Deus non potest aut per se aut permissive etiam facere ut perturbentur; alias esset auctor errorum nostrorum, seu foret auctor principiorum tum eorum quæ ad veritatem, tum

co-

eorum quæ ad errorem nos conducunt. Repugnat etiam ex parte hominum. Perturbatio illa in eo consisteret quod omnes universim homines nulla de causa, immo summo cum damno, vel contra conscientiam bene certam assererent se vidisse & audisse quæ neque viderunt, neque audierunt, aut putarent bonâ fide se ea & vidisse & audiisse, dum tamen hoc fictitium est. Jam vero hoc evidenter repugnat. Ergo.

Inst. Atqui percipitur facilius posse homines sua abuti ratione quam Deum leges a se in ordine physico stabilitas perturbare. Homines, etiam universim, sua abuti ratione est eorum conditionis appendix cui Deus suum potest permittere effectum. Rationis ille abusus in eo stat quod evidentiam putativam pro reali sumant, vel ex præcipitatione, vel ex præjudicio, vel ex quocumque minus legitimo affectu. Nonne quotidie immensa hominum multitudo, Deo saltem permittente, evidentiam intrinsecam putativam pro vera & reali sumit? Quid vetat eosdem etiam maximo numero, Deo itidem permittente, evidentiam extrinsecam putativam pro vera & reali audire? Unde sic resumo. Deus permittere potest ut omnes universim homines evidentiam intrinsecam putativam sumant pro vera & reali: ergo potest permittere ut evidentiam extrinsecam putativam sumant universim pro vera & reali. Ergo Deus permittere potest legum in ordine morali perturbationem.

R. n. ant. Evidentiæ intrinsecæ & extrinsecæ eadem est conditio & natura. Utramque Deus homini dedit ut regulam, legem & tesseram veritatis, illam veritatis metaphysicæ, hanc factorum certitudinis. Utrique evidentiæ assentiendi æqualis est in hominibus æqualiter a Deo propensio; ergo in utroque casu foret erroris utriusque auctor.

Inst. Deus potest permittere ut unus aut etiam aliqui homines evidentia sive intrinseca sive extriuseca putativa præ reali ducantur. Ergo id permittere potest in omnibus universim sumptis.

R. n. conseq. Ut aliquis certus sit de evidentia intrinseca reali, debet eam cum aliis conferre. De quo vide Philosophos. Quantum ad evidentiam extrinsecam, oritur ex universali testimonio; aliquis potest imaginari se vidisse aut omnes putare se vidisse hoc vel illud; sed ex inde non sequitur omnes universim posse videri sibi vidisse quæ nunquam sub oculis habuerunt. Ergo omnes universim evidentiam extrinsecam putativam pro vera sumere non possunt, licet aliqui, &c.

CONCLUSIO VII.

Miracula Christi sunt divina.

PRob. ex natura veri miraculi. Ex definitione data nullum miraculum verum proprie dictum nisi quod superet vires totius naturæ creatæ; ex probatis vero Christus edidit miracula, seu effectus supra vires totius naturæ creatæ. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex fine miraculorum Christi. Ea enim operabatur ad veri, & unius Dei agnitionem, & cultum. Ergo non erant diabolica.

Prob. 3. Ex eorum miraculorum circumstantiis. 1. Ea operabatur subito. 2. Sola voce. 3. Invocato nomine Dei. 4. Pro hominum utilitate. 5. Ità ut constans esset effectus. 6. Erga quoslibet ægrotos.

Nunc quædam miracula Christi singillatim attingamus, discutiamusque eorum veritatem.

CONCLUSIO VIII.

Certa est Resurrectio Christi.

PRob. 1. Vel illa resurrectio fuit vera, vel fuit doli & fraudis apparatus. Jam vero repugnat posterius. Fraus enim fuisset vel ex parte Christi qui Apostolos decepisset, vel ex parte Apostolorum, qui errorem nobis propinasent. Atqui neutrum dici potest: ergo nec decepti nec deceptores fuere Apostoli. 1. Non decepti: illi enim non fuere decepti qui physice certi fuere de illa resurrectione: atqui Apostoli fuerunt physice certi, &c. Nam illa resurrectio ip-

sis constitit ex relatione sensuum, auditus nempe, visûs & tactus. Iteratis vicibus repetitæ, ac unicuique familiares fuere apparitiones. Singulis enim testibus, singulis ac propriis apparitionibus se ipsum manifestum præbuit Christus. Jam vero ut decepti supponantur in illis apparitionibus, debuissent aut sibi fingere ea se vidisse quæ non viderant, aut in scrutanda rerum quas videbant veritate incurios se gessisse: atqui contrarium evidens est. Nam ex propria eorum narratione liquet mortuo Christo, eos omnem fere resurrectionis ejus spem abjecisse. Mulieres monumentum adeunt; redeunt ad Discipulos, Christum resurrexisse renuntiant: at visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista, & non crediderunt. Seipsum in medio eorum præsentem sistit Christus; videndum, palpandum se permittit; adhuc autem illis non credentibus, coram ipsis manducat & bibit. Thomas unus de duodecim non erat domi cum venit Jesus: ad incredulitatem obstinatus fidem suam æstimat ex carnis & vulnerum Christi contactu. Votis ejus annuit Christus, & indocilem credere animum deponit S. Thomas. Ex his manifestum eos nimia ac puerili credulitate deceptos non fuisse; sed ex sola rei evidentia resurrectioni fidem adhibuisse. Ad dissimulanda resurrectionis argumenta, ad resurrectionem in dubio revocandam parati, vix propriis credunt sensibus, sola uniformi, perpetua ac certa sensuum experientia vincuntur. Ergo. Unde illi certi fuere physice de resurrectione Christi, ac consequenter non fuere decepti qui primo resurrectionem illam credere pertinaciter recusarunt, licet legitimis testibus renuntiatam: nec eam tandem admiserunt nisi certo ac unanimi sensuum testimonio referente adesse illud idem corpus quod olim viderant & fuerat antea corpus Jesu Nazareni. Atqui res ita est. Ergo 1. non fuerunt decepti. Nec omittendum numerosos hic adesse testes, Christumque sufficienti tempore videndum se præbuisse primo Apostolis; Secundo 500. Fratribus; Tertio S. Paulo. Hæ apparitiones sæpius iteratæ fuerunt. Quarto per 40. dies apparuit Christus convescens & loquens cum eis. 2. Non deceptores fuere, nec enim decipere aut voluerunt aut potuerunt. Noluerunt quidem, quingentos enim testes appellant hujus resurrectionis, quod non solent præstare fraudum auctores. Immo proponunt nova miracula in resurrectionis hujus confirmationem. Decipere etiam non potuerunt, etiamsi voluissent: statim enim revicti fuissent a custodibus ad sepulcrum appositis & a Judæis. Summo mane jam evulgata fuerat a militibus resurrectio Christi. Judæi quidem: clamant custodes, & credere se simulant Judæi corpus a Discipulis fuisse furto ablatum, ac proinde constat, fatentibus militibus, corpus Christi jam summo mane non fuisse in sepulchro; jam vero vel corpus illud e sepulchro subreptum fuit eo modo quo volunt custodes & milites, vel exiit eo modo quo volunt Christiani. Non primum, ut fusius postea patebit. Deinde nulli adsunt testes nisi milites; sed dormiebant; testesque dormientes nullius sunt auctoritatis. Præterea in illa hypothesi supponitur sine ullo strepitu, nec excitatis militibus sublatum fuisse immensum lapidem. Quæ omnia sunt impossibilia. Ergo corpus non fuit e sepulchro avulsum eo modo quo narrant milites. Ergo res contigit juxta fidem Christianorum. Ergo vera est resurrectio Christi, antecedenter ad testimonium Apostolorum. Ergo etiamsi aut decepti, aut deceptores fuissent, decipere non potuissent. Et certe constat sanctum Paulum ex sævo persecutore factum fuisse acerrimum resurrectionis Christi vindicem. Jam vero vel Paulus fraudis Apostolorum erat particeps vel non. Vel enim Apostoli arcanum suum, & machinatam fraudem Paulo communicassent ante conversionem ejus, vel post illam conversionem. Atqui neutrum dici potest. Non ante. Nam secretum tanti momenti non communicarunt homini Christianorum sanguinem tam ardenter sitienti. Exinde enim novos sumpsisset animos Christianæ Religionis hostis. Non post conversionem. Nam fraudem illam debuisset discere vel ab Apostolis, vel a Fidelibus: atqui fraudem illam non didicit ab Apostolis. Nam ut refert *Act. 9.* post

post conversionem suam continuo prædicavit in Synagogis. Ex Galat. 1. abiit in Arabiam, & Jerosolymam non venit nisi post tres annos. Ergo antequam videret Apostolus jam Jesum & ejus resurrectionem, prædicaverat. Ergo fraudem non didicerat ab Apostolis. Deinde ad fraudem sic instruendam non sufficiebat conferre cum uno aut altero, sed cum majori parte Apostolorum conferendum erat. Atqui ex Galat. 2. ubi venit Jerosolimam tempore supra memorato, vidit tantum Petrum & Jacobum. Ergo &c. Non a Fidelibus. Vel enim a Fidelibus Damasci, vel a Fidelibus Jerusalem: atqui non a Fidelibus Damasci. Si enim a Fidelibus Damasci fraudem hanc edoctus fuisset, vel tempore quod intercessit usque ad baptismum, vel tempore quod baptismum subsecutum est, usque dum iret in Arabiam. Atqui non primum: nam toto hoc tempore non vidit, non bibit, nec manducavit. Innuunt Actus Apostolorum ipsum nemini locutum esse. Nec tutum erat adhuc fraudem illi communicare. Non etiam tempore quod effluxit usque dum in Arabiam proficisceretur. Nam ante credidit, quam cum eis conversaretur, ex Act. 9. Deinde non fuit cum eis nisi per aliquot dies qui huic immensæ pene fraudi certe non sufficiebant. Non a Fidelibus Jerusalem. Nam ex duobis locis citatis ab iis non cognoscebatur; timebant se cum eo conjungere, quamvis id Paulus tentaret. Ergo si resurrectio Christi sit fraus & fabula, eam ab Apostolis & Fidelibus discere non potuit. Ergo fraudis hujus particeps non fuit. Ergo resurrectionem illam sicut alia Christianæ Religionis mysteria & dogmata eo modo didicit qui refertur Galat. 1. & Act. 9. id est ex revelatione. Ergo vera est & divina resurrectio Christi.

Prob. 2. Quando duæ partes factum aliquod grave & publicum afferunt, certum ac constans manere debet illud cui solida ratione contradicere non potest pars altera cui nocet facti veritas. Porro resurrectionem Christi promulgant Apostoli; his nulla argumenta opponunt Judæi quorum intererat eam negare; quam evulgant fabulam ea sibi contradicit, nulloque nititur momento, ut postea fusius probabitur. Ergo.

Prob. 3. Factum illud pro certo haberi debet quod nulla ex sui parte falsi aut repugnantiæ argui potest. Atqui talis est resurrectio Christi. Falsum enim inde evincitur factum, vel quia sibi invicem pugnant circumstantiæ, vel quia testes hujus facti non sibi concordes sunt; vel quia testes sufficienti numero & auctoritate desunt, vel quia ex adverso stant testimonia aut paris aut majoris auctoritatis. Porro nihil eorum afferri potest adversus resurrectionem, ut patebit in solutione objectionum.

Prob. 4. Vel Christus vere surrexit a mortuis, vel corpus ejus e sepulchro a Discipulis furto sublatum est. Atqui posterius repugnat & dici non potest; repugnat, inquam, tum ex parte Judæorum, tum ex parte Christianorum seu Apostolorum, & aliunde nulla legitima ratione probari potest. 1. Quidem hypothesis illa nulla legitima ratione probari potest. Vel enim publica, vel occulta ac secreta ea de re habent monumenta, vel saltem legitimos testes: atqui nihil horum prodere possunt Judæi aut Deistæ quo constet corpus Christi sublatum fuisse ab Apostolis. Clamat quidem post Judæos Deista corpus illud ab Apostolis clam subductum fuisse dormientibus militibus. At nullo argumento. Id enim milites rescivecrunt vel ex proprio visu, vel ex confessione Apostolorum. Atqui non ex proprio visu. Nam ex concessis dormiebant. Non ex confessione Apostolorum; nam neque ante, neque post rei hujus executionem id aperuerunt Apostoli. Ergo 1. nulla legitima ratione, &c. 2. Eadem hypothesis repugnat ex parte Judæorum qui furtum illud efficaciter impediverunt, aut saltem, si commissum fuisset, illud detexissent. Atqui efficaciter impedierunt, ut patet ex evangelica narratione. Et vero constat Judæos aliquid timuisse ex parte Discipulorum: Matt. 26. 63. 64. Vel ergo cautiones adhibuerunt fraudi arcendæ sufficientes, vel non. Atqui non potest supponi eos cautiones non adhibuisse sufficientes. Si enim eas non adhibuissent, vel quia non potuerunt, vel quia noluerunt. Atqui po-

potuerunt sane: Matt. enim 27. 65. plena a Præside facta est eis potestas custodiendi sepulchrum, & milites ad illud apponendi quo libuisset numero. Voluerunt etiam. Nam odio habent Christum; timebant ne a mortuis resurgeret; maximi eorum intererat huic resurrectioni occurrere; eorum in tali casu incuria probaret eos voluisse legum suarum ruinæ ac propriæ infamiæ concurrere. Ergo potuerunt & voluerunt tale furtum efficaciter impedire. Jam vero si efficaciter furtum illud impedierint Judæi, tam immerito asserunt furtum illud accidisse quod impossibile factum fuerat ex cautionibus quas adhibuerant, & quibus hominum potentię ac industriæ viam præcluserant. Ergo ex hac parte repugnat allata hypothesis, nempe ex parte Judęorum. Sed demus Judæos furto illi efficaciter occurrere non potuisse; repugnat saltem furtum illud, si admissum fuisset, detectum non fuisse. Facile enim erat veritatem inter tormenta extorquere tum a custodibus, tum a Discipulis; Judæorum intererat veritatem in plenam lucem educere, & supinam militum negligentiam debita ulcisci pœna. Jam vero repugnat Judæos hac in parte incurios fuisse. Ergo repugnat furtum eos aut non impedivisse, aut si accidisset, non cognovisse. Ergo prædicta hypothesis repugnat ex parte Judæorum. Et certe Judæi Apostolos acriter persequuntur hac præcise de causa, quod doceant in nomine Jesu. Jam vero acriorem adversus Apostolos movissent persecutionem, si fraudes & mendacia detexissent in Apostolorum agendi ratione. Ergo silentium Judæorum probat nullos hic intercessisse dolos ex parte Apostolorum. Deinde Judæi custodes & sigilla apponunt. Hinc 1. certum fuit Judæis corpus cruci affixum idem esse ac corpus in sepulchro depositum. 2. His cautionibus occasionem dedit Christi de sua resurrectione prædictio. Ergo vere Christus resurrectionem suam prædixit. Quæ quidem duo omnem omnino fraudis suspicionem ab Apostolis amoliuntur. 3. Eadem hypothesis repugnat ex parte Christianorum, seu discipulorum. Namque Christiani, aut Discipuli consilium illud fuissent executi vel per se vel per alios. Atqui neque per se, neque per alios tale consilium exequi potuere. Non per se. Illi enim tale consilium per se exequi non potuerunt, quibus propria indoles & custodum turba, aliæque circumstantię impossibilem hujus consilii executionem reddebant. Atqui hæc omnia impossibilem hujus consilii executionem reddebant Apostolis: indoles quidem Apostolorum. Nam ad hujusmodi consilii executionem requirebatur vel ingenii sagacitas, ut industria falleretur custodum vigilantia, vel animi generositas ut vi opprimerentur milites: atqui utrumque Christianis, seu Christi Discipulis deerat. Erant enim natura pavidi & ex morte Christi consternati; erant etiam crassioris ingenii. Ergo indoles, &c. Deinde custodum turba & alię circumstantiæ. Prima nempe. Dormientibus, nec excitatis militibus corpus furto sublatum esse dicitur. Secunda: corpus fuit positum in monumento novo in quo nondum quisquam positus fuerat. Tertia: monumentum excisum erat in rupe. Quarta: ante rupem & sepulchrum astat numerosa & vigil militum caterva. Quinta: saxum advolutum est ad ostium monumenti. Hinc 1. timendum Judęis non erat ne alius Christo supponeretur, & pro eo resurrexisse diceretur. Monumentum enim novum est, &c. 2. Aut muri effodiendi, aut excavanda fundamenta, aut evertenda tecta erant ut substraheretur corpus. Nam in petra excisum erat monumentum. 3. Per januam intrare non poterant Apostoli. Nam saxo ab ostio monumenti revolvendo & militum cohorti expugnandæ impares erant. 4. Saxum volvi, aut excavari fundamentum non potuisset nisi excitatis militibus. 5. Mulieres eundo ad sepulchrum inter se cogitant quis revoluturus esset lapidem; ergo nequidem resurrectionem cogitant: aromata ferunt ut corpus Christi ungant. Ergo nullum furtum meditantur. Ergo Christiani aut Apostoli furti consilium per se non sunt executi. Nec etiam per alios. Vel enim auctoritate, vel promissionibus alios ad tale facinus induxissent: atqui non auctoritate. Nam illi Discipuli erant amici illius Jesu

quem

quem Judæi crucifixerant & detestabantur. Ac proinde omnibus odio erant, nec ullam auctoritatem sibi vindicabant. Non etiam promissionibus. Nam pauci erant numero, in maxima rerum inopia versabantur. Ergo nullo motivo alios ad tam audax facinus adducere potuerant. Et certe ut Apostoli alios ad tale consilium perficiendum assumerent, debuissent iis secretum suum credere: atqui nulli erant quibus possent tuto secretum credere. Nam sceleris horror, & timor pœnæ reo imminentis, aut spes lucri denuntiatori affulgens timendum faciebat ne secretum proderet ille cui primo committeretur; præsertim cum nihil ab Apostolis aut timendum aut sperandum esset proditori. At e contra denuntiatores omnia possunt sibi sperare a Judæis. Ergo furtum illud repugnat ex parte Christianorum. Ergo corpus Christi furto sublatum non fuit ab Apostolis e monumento. Ergo vera est Christi resurrectio. Et certe Discipuli corpus illud furando & resurrectionem Christi mentiendo, egissent contra innatas propensiones; nam ut jam observavimus, Apostoli, utpote Judæi, Regem temporalem spectabant. Porro posita tali eorum dispositione corpus Christi furari, aut ejus resurrectionem mentiri non potuerunt. Cujus enim emolumenti fuisset illis corpus illud? an volebant cadaver illud regio honore decorare? Deinde vel resurrectionem certo futuram esse credebant Apostoli, vel non. Si primum: jam putare non poterant resurrectionem suæ fraudis aut industriæ fore opus. Si resurrectionem non credunt, & ad fraudes recurrunt, jam occurrunt innumeræ contradictiones & absurditates. Nam ex una parte supponuntur Apostoli rudes & agrestes, ac consequenter ad fraudem parum habiles; ex altera vero audaces supponuntur & generosi; nam fraudes moliuntur, corpus subripiunt, sigilla publica frangunt. Quem vivum deseruere, mortuum tuentur & defendunt.

CONCLUSIO IX.

Vere divinitus e Cælo missus est Spiritus Sanctus in Apostolos die Pentecostes.

PRob. Duo in illo eventu distingui debent, signa scilicet quibus manifestum se præbuit Spiritus Sanctus, & donum linguarum: atqui utrumque certum est. 1. Quidem signa quibus Spiritus se manifestum exhibuit, certa sunt. Nam signa illa sunt ventus vehemens, sonus, ignis: atqui concipi non potest non modo Apostolos, sed innumeros ex omni gente, & tribu, & populo gratis sibi finxisse videre quod non videbant, & audire quod non audiebant. Absurdum est præsertim sonum & ignem simul in eodem & quocumque astantium cerebro efformatum fuisse, præcipue ignem tali forma, tali situ & loco. Ergo 1. certa sunt signa, &c. 2. certum est donum linguarum. Vel enim certum est illud donum, vel decepti aut deceptores fuere Apostoli: atqui neque decepti, neque deceptores fuere Apostoli. Non quidem decepti. Nam facile scire poterant an ab aliis audirentur & alios audirent. Ergo Apostoli decepti non fuere. Nec etiam fuere deceptores. Illud enim non est admittendum quod repugnat tum ex parte Apostolorum, tum ex parte spectantium. Atqui Apostolos deceptores fuisse repugnat ex parte Apostolorum. Non solum enim Apostoli putant se donum miraculorum & linguarum habere, sed etiam asserunt se illud aliis communicare: jam vero etiamsi Apostoli aut decepti fuissent, aut decipere voluissent circa privatam ac propriam potestatem, non potuerunt alios decipere circa potestatem quam aliis communicabant. Non potuerunt iis persuadere eos loqui linguis quibus non loquebantur, mortuos suscitare quos non suscitabant; uno verbo facere miracula quæ non faciebant. Et certe Apostoli his posterioribus miraculis volunt probare veritatem miraculorum Christi. Jam vero si Christi miracula sint fictitia, ut volunt Deistæ, absurdum fuit Apostolis fictitia adhuc miracula coram innumera multitudine patrare in confir-

mationem priorum miraculorum. Ergo Apostoli decipere velle in ista re non potuerunt nisi insanirent. Repugnat etiam eos decipere voluisse; repugnat inquam ex parte astantium. Ut enim deciperent, debebant fallere omnium sensus; debuissent astantes sibi videri loqui & audire linguam quam non audiebant, nec loquebantur: atqui repugnat sensuum tam universalis deceptio. Esset omnes surdos eos supponere. Et certe hic agitur de gentibus genio & regione longe dissitis, de gentibus quas non cognoscebant Apostoli: ac consequenter multo tempore opus erat ad fraudem ordinandam. Denique ex hoc dono linguarum & miraculorum modo sex, modo tria millia fidem inde amplexi sunt. Ergo aut insaniunt, aut verum est donum illud, nec decipi potuere ab Apostolis. Ergo ex omni parte repugnat Apostolos deceptores fuisse. Ergo, &c.

CONCLUSIO IX.

Divino modo propagata est Christiana Religio.

PRob. Vel propagatio Christianæ Religionis divina est vel humana: atqui non est humana, nec humanæ industriæ aut potentiæ opus; humana enim industria usurpat media humana & sibi proportionata. Porro propagatio illa habuit impedimenta quæ humana industria tollere non poterat, eaque sublata sunt independenter a mediis humanis. 1. Habuit opposita impedimenta hominum industriæ ac potentiæ superiora. Primum impedimentum occurrit ex parte doctrinæ. Reduci potest ad credenda, agenda & speranda. Porro in his omnibus naturæ corruptæ dura est acerba, ac rationi impervia. Mysteria redigunt intellectum in captivitatem, in obsequium Christi, vel ipsum voluptatis sensum, ut ita dicam, vetant præcepta, innatæque in malum propensioni directa fronte sunt adversa. Spei nostræ proponit bona futura, a sensibus remota, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Aut ergo emollienda doctrinæ asperitas, & tunc mutatur rerum status; aut immutanda hominum corda, alio vertendæ eorum inclinationes ac propensiones, quod solus Deus præstare potest. Secundum impedimentum stat ex parte hominum quorum animis inserenda erat illa Religio. Non enim hic agitur de condendis legibus apud Populos nulla Religione imbutis, nulla lege, nullo præcepto ordinatis; at agitur de evertenda Religione annorum multitudine, cupiditatibus, Principum favore, & eloquentiæ facundia obfirmata. Primævæ ac quasi congenitæ immutandæ erant notiones, coercendæ propensiones homini jucundæ ac pretiosissimæ, hæc omnia vincenda erant Apostolis. Deinde Gentiles & Judæi ex adverso stabant; Gentiles quidem: a teneris enim unguiculis Deos suos sibi finxerant majestate & potentia plenos, ipsis proponitur crucifixus ut solus adorandus. Non tot, non iisdem, sed melioribus præjudiciis laborabat Judæus quam Gentilis. Ab ipso Deo dimanabat eorum Religio, pluribus splendida miraculis, stipata Martyribus, oraculis illustrata. Messiæ promissione dotata fuerat. Hunc Messiam regni temporalis fastigio superbientem sibi finxerant. Ut ergo Christianam Religionem amplecterentur, suos Doctores, suas leges, sua sacra deserenda habebant. Hæc vincenda habebant Apostoli, his vincendis impar erat humana sapientia. Præterea instabant Principes, minis, promissis, muneribus, suppliciis, spe & timore undequaque urgebant. Ambitioso apparatu suam potentiam explicabant; ex altera parte fucum faciebat ampla Oratorum eloquentia, subtilis Philosophorum scientia; hæc incommoda per universam terram obtinebant. His impedimentis tollendis necessaria erat facundia Oratorum eloquentia major; potentia Imperatoribus præpollens, sapientia & scientia Philosophis non impar; revocandæ erant opiniones temere præconceptæ tum a Gentilibus, tum a Judæis; quod nulla potest humana industria. Ergo.

2. Non mediis humanis res ista confecta fuit. Esto enim quod hæc impedimenta humanæ industriæ cedant, aut

ant cedere possint. In Religionis propagatione eam industriam locum non habuisse constat. Media humana quibus sapientia sæculi utitur ad aliquod opus arduum exequendum sunt potentia, divitiæ, solertia. Atqui nullo tali medio usus est Christus, immo contraria data opera usurpavit. Triginta annis domi reconditus altum servat silentium; anno ætatis suæ duodecimo splendida exquisitę sapientiæ specimina dederat; maximam inde prosperi successus spem sibi facere poterat, viamque sibi sternere ad felicem exitum. Paternam tamen redit domum alto sepultus silentio; filium Joseph, & a Nazareth oriundum se dici patitur; litteris operam non dat. Messiam se dicit, & tamen Joannis baptismum suscipit, inter ignobile vulgus permixtus. Non Regum, non Procerum amicitiam aut favorem captat. Iteratis vicibus oblatam Regiam dignitatem, iteratis conatibus a se repellit. Sacerdotum & Pharisæorum vitam publice carpit, & subinde iratos facit; vulgi opinionibus directa fronte adversatur. Viros eligit indoctos, viles & sine titulo. Hæc sunt media quæ propagandæ suæ Religioni usurpavit, aut potius impedimenta quæ apposuit Christus. Nec cautiores fuere Apostoli, non meliora usurpavere media. Non tempus opportunum elegerunt: Nam quo tempore sua primum evulgant dogmata, alta pace floret orbis universus. In Pantheone Deos omnes certo ordine reposuerat Cæsar. Talia tempora disseminandis fraudibus non erant idonea. Bello furente, omnia confusa, omnia licent. Quo tempore major erat erga Deos veneratio, eo non decet eorum eversionem tentare. Vigebat adhuc rerum antea actarum memoria, crudum tunc fuisset mendacium, male compacta sibi non cohæsisset calumnia. Quantum ad locum; a Jerosolyma incipiunt, in ipsa-met civitate ubi facta peracta sunt, facta prædicant. Ergo Religionis Christianæ propagatio mediis humanis est impervia, ex altera vero his caruit mediis. Ergo humanum opus non est. Ergo divinæ potentiæ est fœtus. Ergo verum est, certum & propriæ dictum miraculum.

CONCLUSIO XI.

Miracula Christi probant per se & independenter a Prophetiis.

PRob. 1. Ex antea dictis: miraculum verum & proprie dictum per se probat: sed ex probatis miracula Christi erant vera & proprie dicta; nam juxta nos miraculum proprie dictum est illud quod fit absque auxilio & interventu causarum secundarum, est effectus supra vires & ordinem causarum secundarum, id est, inter quem & causas secundas ac earum virtutem, nulla est proportio; atqui talia fuere miracula a Christo peracta; ergo per se probant. Ergo probant independenter a Prophetiis. Et vero illa miracula sunt vera ac proprie dicta & hoc ipso per se probant quæ per se sibi vindicant notas & characteres veri & proprie dicti miraculi: atqui talia sunt miracula Christi. Sive enim operis naturam & finem, sive ejus modum in illis miraculis inspiciamus, nihil est quod miraculum proprie dictum non referat.

Prob. 2. Ex agendi ratione Christi. Scilicet Christus passim ad miracula perinde ac ad prophetias provocat: Joan. 10: 14: 15. sed provocare non potuit ad miracula quin per se probent. Alias aut ad miracula prophetiis juncta, aut ad prophetias provocare debuit. Non potuit enim provocare ad argumentum qua tale, quod qua tale nullam vim probandi habebat.

Prob. 3. Ex comparatione cum miraculis anterioribus. Miracula Christi minorem vim non habent quam miracula Mosis, Josue & cęterorum in Veteri Testamento. Sunt enim ejusdem naturæ. Sed miracula Sanctorum in Veteri Testamento probant per se & independenter a prophetiis. Nam maxima ex sui parte non erant prædicta.

Prob. 4. Ex natura prophetiæ & miraculi. Prophetia enim est quædam miraculi species; ergo miraculum probaret per miraculum ac proinde fieret circulus vitiosus. Deinde ideo miraculum non probaret nisi dependenter a prophetiis vel quia prophetia sola miraculum

inter

inter & rem probandam poneret connexionem quia sola eam manifestaret: atqui neutrum dici potest. 1. Prophetia sola non est quæ ponit illam connexionem. Nam connexio illa est effectus necessarius miraculi. Eo ipso quo est supra vires totius naturæ creatæ, jam est Dei vox & veritatis sigillum ex divina institutione. Ergo prophetia utpote miraculo extrinseca non potest facere neque ut effectus sit necne supra vires totius naturæ; ergo nec ut sit nec ne veritatis sigillum. Ergo connexionem illam non ponit. Quod si ex numero, splendore, &c. suspensa manere debeat miraculi divinitas, prophetia non multum ad hoc inservit. Nam splendor operis, miraculorum numerum non auget. In adversa enim sententia prophetia sicut miraculum a Deo & a diabolo ex æquo oriri debent, nec magis per prophetiam quam per doctrinam determinari potest miraculum. 2. Non declarat, saltem sola, connexionem illam. Nam operis substantia vel modus declarat sufficienter effectum aliquem esse supra vires totius naturæ creatæ; ergo declarat connexionem. Quod si agatur de connexione cum tali potiusquam tali veritate, independenter a prophetiis repugnat summæ Dei veracitati ac providentiæ hominem miraculi cujusvis declarare vel ponere connexionem cum re aliqua falsa. Operis substantia & modus sufficientem hic facem præbent, nec majorem hic lucem fert numerus aut splendor.

COROLLARIUM I.

Deus locutus est Christo.

PRob. Deum alicui locutum esse & se huic manifestasse constat ex ejus miraculis & oraculis: atqui Christus vera tum miracula tum oracula edidit. Ergo.

COROLLARIUM II.

Vera est & divina Religio Christiana.

PRob. Christiana Religio veris miraculis, veris oraculis obsignata est; ab eo promulgata est & instituta cui locutus est Deus; ergo vere a Deo revelata: ergo vera & divina.

Objic. 1. Contra resurr. Chr. & conclus. VII. Illa resurrectio totam suam veritatem debet suæ promulgationi ac generali quam primum obtinuit fidei; sed illa resurrectio a prima sui origine gratis conficta fuit. Ergo non est vera.

R. n. min. Non mirum est historiam veram a prima sui origine creditam esse. Non potuit enim resurrectio Christi ab omnibus tunc admitti, nisi quia validis comprobata fuerit argumentis. Fatentur enim objectionis auctores illam resurrectionem ab initio omnibus probatam fuisse. At quærere liceat quid primos hujus veritatis asseclas in hunc sensum perduxerit? eædem pro hac temporis circumstantia urgent difficultates, ac pro subsequentibus ætatibus. Eadem est Religionis severitas, eadem cordis durities, &c. Unde, ex concessis, a primis temporibus unanimi consensu credita fuit resurrectio Christi: ergo vera est, non fictitia.

Inst. Atqui resurrectio Christi fuit gratis conficta ab initio. Sic enim suadent circumstantiæ. Ex una parte enim stabant Judæi puerili credulitati ac superstitioni dediti. Prophetiis nescio quibusdam fidem adhibebant, juxta quas Messiam sibi promittebant ac Regem temporalem opibus terrenis affluentem sibi fingebant. Discipulorum Christi eadem mens erat; inde sæpius inter se decertabant quis major futurus esset in illo regno. Ecce ergo Judæi & Discipuli ad fraudem dispositi. His fretus Christus regnum affectavit; at ubi se ab illius spe excidisse vidit, tunc docuit non regia & temporali dignitate ornatum iri Messiam, sed pauperem, sed doloribus obnoxium, ac morti obnoxium fore Regemque tantum spiritalem. Senserat enim, ubi agitur de victoriis, verba dari non posse. Itaque regio splendori miracula supposuit; Judæi enim jam miracula noverant, horum erant cupidissimi, ad Christi miracula cum summa aviditate accurrerunt. Hinc facili assensu credita sunt illa miracula. Unde sic resumo. Ut resurrectio Christi gratis conficta & credita esse potuerit a promulgationis suæ initio, satis est quod

ad-

ad talem fraudem suscipiendam parati fuerint Judæi & Apostoli, & ad eam ordinandam dispositus fuerit Christus; atqui res ita est, nam Judæi miracula avide cupiebant, & facile credebant; Christus vero fastum regis temporalis per promissionem resurrectionis compensavit, & sic Judæorum curiositati favit, puerili eorum credulitate abutens. Ergo, &c.

R. 1. Quæstio non in eo præcise versatur an Judæi nimium creduli fuerint, nec ne; an vera habuerint oracula, nec ne; hoc unum sufficit concessum, nempe Judæos expectasse Messiam temporalem. Hinc enim sequitur Christum debuisse huic opinioni se accommodasse ut fidem sibi faceret. Atqui tamen contrarium præstitit. Sabbatum violat, Judæos a suo regno excludendos prænuntiat, eorum traditiones legi adversas reprobat. Verum ac genuinum Prophetiarum sensum Judæorum opinioni contrarium aperit. Hinc sibi suæque causæ ultimam perniciem inferebat.

R. 2. n. mi. Circumstantiæ allatæ non suadent resurrectionem Christi ab incunabilis fuisse ementitam. Circumstantiæ illæ sunt Judæorum & Christi Discipulorum dispositiones. Jam vero dispositiones illæ non probant Christi resurrectionem falso ementitam fuisse, aut gratis fingi potuisse. Quo magis enim Messiam temporalem expectabant, sensum illum eo minus deponere potuerunt, ex falsis miraculis; quo miraculorum cupidiores erant, quo magis iis assuefacti, eo peritiores erant in illis recognoscendis, eo difficiliores ad combibendam fraudem. Deinde nedum dispositionibus illis uti Christus iisque servire studuerit, immo ea omnia gessit quæ huic servitio opponuntur. 1. Enim nullæ in libris Judæorum extant prophetiæ ex quibus stabilire potuisset Christus regnum temporale. 2. Mortem suam ac resurrectionem longe ante eventum prædixit, & iis in circumstantiis in quibus nihil mortem illam renuntiabat. 3. Iteratis vicibus oblatum sibi regium honorem pertinaciter recusavit. Nec etiam medios inter plausus ipsum Regem acclamantium agendi rationem mutavit; non Judæorum animos lenire, non Scribarum aut Pharisæorum favorem sibi conciliare tentavit. Non ita se gerit qui summam auctoritatem captat: opportuna occasione sedulus utitur. Christus vero omnes negligit circumstantias.

Inst. Ex parte testium. Nullius fidei est historia quæ non constat nisi eorum testimonio quorum interest eam asserere: porro res ita est in præsenti casu. Nam dum resurrectionem Dominicam testantur Apostoli, rem sibi decoram referunt, propriam causam agunt. Ergo.

R. n. min. Jam vidimus hanc resurrectionem unanimi consensu probari non potuisse, nisi legitime comprobatam. Deinde videndum cur ipsorum sit hæc causa; non sane commodi consequendi aut alicujus periculi vitandi gratia, cum hujus professionis causa & commoda omnia amitterent, & nulla pericula non adirent. Causa ergo hæc ipsorum non fuit, nisi ob Dei reverentiam quæ certe neminem inducit ad mentiendum, in eo maxime negotio, ex quo humani generis æterna salus pendet. Præterea nec vanitate, nec ira resurrectionem vindicare potuerunt. Præclaram enimvero laudem, egregiam sane ultionem sumunt de iis qui ipsos ab errore liberarunt, si fabulis fabulam addant summo suo periculo! Quis concipiat eos vanitati operam dare eo mortuo a quo omnia sperabant? gloriam sane, divitias & potestatem bene affectant Christo occiso, & frustrata eorum spe.

Inst. Testes resurrectionis sunt Angeli, mulieres & Apostoli: atqui nulli ex his sunt testes idonei. Ut enim legitimum foret testimonium illud, deberet certo constare Angelorum apparitio: atqui Angelorum apparitio non certo constat. Namque mulieres homines viderunt; mens earum non est asserere sibi Angelos apparuisse. Ergo.

R. n. min. Nam Scriptura constanter & uniformiter Angelos nominat eos qui mulieribus apparuerunt. Discipuli Emmaus mulieres nominant quæ dicunt se visionem Angelorum vidisse. Ergo mulieres Angelos viderunt, & mens earum fuit asserere Angelos sibi apparuisse. Nec sane timendum ne mulieres falsum pro

vero

verò aut accipere, aut nobis traducere voluerint; adeo enim de resurrectione diffidebant, ut corpori ungendo aromata ferrent & anxie quærerent quis lapidem revoluturus esset a monumento.

Inst. Atqui etiamsi Angelorum apparitionem testatæ fuissent mulieres, non valet illud testimonium, & nihil inde. Nam SS. Petrus & Joannes totum sepulchrum accurate perlustrarunt; atqui tamen nullos viderunt Angelos. Ergo certa non est Angelorum apparitio.

R. Legitimam non esse hanc consequentiam. SS. Petrus & Joannes Angelos nullos viderunt; ergo nec mulieres viderunt Angelos. Potuit enim apparitio fieri mulieribus, nec tamen Apostolis. Mox allatum ratiocinium in istud recidit: Angeli non apparuerunt Apostolis: ergo nec mulieribus. Quæ quidem conclusio illegitima est, SS. Petrus & Joannes Angelos non viderunt, quia non erant cum mulieribus in prima apparitione, & post utriusque discessum facta est secunda apparitio Mariæ Magdalenæ ad sepulchrum remanenti.

Inst. Atqui non valet testimonium mulierum circa Angelorum apparitionem. Nam notat sacer textus mulieres illas fuisse timore correptas, & cito fugisse. Jam verò facile fuit mulieribus nimio terrore concussis, mediis in tenebris Angelos sibi fingere cum nulli essent; cum enim cito fugerent de monumento, & mente consternatæ essent ac timore oppressæ, nec propius ad sepulchrum accedere, nec sufficienti tempore attendere potuerunt, nec sanam mentem habuerunt ad judicandum de illis apparitionibus. Ergo.

R. n. min. Timor mulierum non præcessit, sed subsecutus est visionem Angelorum. Timuerunt enim quia viderunt Angelos. Deinde Angeli non soli Mariæ, nec solis aliis mulieribus apparuerunt, sed & ab ipsis custodibus conspecti sunt. Præterea mulierum testimonio jungi debet Apostolorum auctoritas, qui apparitionem illam discusserunt, & rei tandem perspecta veritate eam admiserunt.

Inst. Mulieres non sunt sufficientes resurrectionis testes. Solo mulierum testimonio nititur apparitio Angelorum, & etiam Christi: atqui mulieres inani plerumque credulitate laborant. Ergo.

R. n. maj. Nam quantum ad Angelos, jam diximus eos militibus etiam apparuisse. Quantum vero ad Christi apparitiones, non ipsis tantum, sed Apostolis, immo & 500. fratribus apparuit. Cæterum quantumvis credulæ supponantur mulieres, nihil inde. Non enim hic agitur de auditu, de rumore sparso, sed de visu ac proinde falli non potuerunt.

Inst. Atqui falli potuerunt. Nam mulierum testimonium nititur Angelorum & Christi apparitionibus: atqui apparitiones illæ vanæ sunt, ex dictis. Ergo.

R. 1, n. maj. Nam duo sunt quæ hic narrantur. Primum: Corpus Christi non esse inventum in sepulchro a mulieribus. Secundum: Christum resurrexisse a mortuis. Posterius quidem nititur Angelorum præsertim apparitionibus, at primum nititur proprio mulierum visu. Porro hoc ipso certa fit resurrectio Christi. Nam corpus illud quod in sepulchro non reperitur, vel furtim sublatum est, vel vitæ divinitus redditum: atqui prius repugnat, ex probatis. Ergo eo ipso quo constat corpus non fuisse e sepulchro subreptum, jam constat Christi resurrectio.

R. 2. n. min. Jam probavimus apparitiones illas esse reales.

Inst. Atqui falli potuerunt mulieres circa Christi apparitiones. Nam timore correptæ fuerunt mulieres illæ: atqui timore correpti sæpe sibi fingunt videre quæ non sunt. Ergo mulieres sic timore correptæ potuerunt sibi fingere id esse corpus quod non aderat, aut audire vocem quæ non sonabat. Ergo.

R. n. conseq. Timor enim non ita mulieres invaserat ut sui compotes non essent, ut patet ex narrationis evangelicæ circumstantiis. Namque 1. non reperto corpore Christi, dolent & mente consternantur. 2. Visis Angelis, non fugiunt, sed vultu in terram demisso eorum verba attente excipiunt. 3. Angelis prædictiones Christi earum memoriæ suggerentibus, recordatæ sunt verborum Christi. 4. Exeunt de monumento cum timore & gaudio; timor ille ex apparitione Angelorum, gaudium vero ex be-

no

ne intellecta Angelorum responsione, & ex audita Christi resurrectione concipitur. 5. Currunt nuntiare ea Discipulis, & rem totam ordine referunt. Atqui sane hi omnes sensus attentionis, memoriæ, &c. in impotenti animo residere non possunt. Ergo. Enimvero custodes exterriti sunt, nec tamen testimonium eorum recusavit Magistratus Judaicus. Ergo nec ea de causa respui debet mulierum testimonium.

Inst. Atqui falli potuerunt mulieres circa resurrectionem Christi. Illæ enim falli potuerunt, quarum præcipua, Maria nempe Magdalene, Angelorum verba & eorum sensum non intellexit, licet sola eorum auctoritate Christi resurrectionem admiserit: atqui talis fuit Maria Magdalene. Apostolis enim & Angelis constanter dixit: „ tulerunt Dominum meum & nescio ubi posuerunt eum; „ quæ verba supponunt nondum intellectam Angelorum responsionem nec acceptam de vera resurrectione.

R. n. min. Cum enim Maria Magdalene memorata verba ad Apostolos dixit, nondum mulieribus, aut saltem nondum ipsi Mariæ Magdalene apparuerant Angeli, nondum resurrectionis mysterium ipsi aperuerant. Ex una enim parte Luc. 24. 22. sic legitur: „ Sed & „ mulieres quædam ex nostris. . . . . . „ venerunt; dicentes se etiam visionem „ Angelorum vidisse, qui dicunt eum „ vivere. „ Ergo recte intellexerant mulieres illæ sensum Angelicorum verborum. Ergo narratio in objectione relata supponit nondum apparuisse Angelos, aut saltem eos nondum loquutos.

Inst. Atqui falli potuit Maria Magdalene. Postquam enim ab Angelis discessit, in Christum ipsum incidit: at Christus ea præripuit media quibus facile deludi & vix de veritate certa fieri potuerit Maria. Scilicet juxta narrationem evangelicam Maria, agnito tandem Christo, eum tangere gestiit, veritatis cognoscendæ cupida. Repulsam vero passa est his verbis: *noli me tangere*. Non alia profecto ratione Mariæ conatus compressit, tentatumque contractum prohibuit Christus, nisi quia verebatur ne mulier illa errorem tandem agnosceret. Sic itaque resumo. Illa facile potuit falli quæ firmandæ veritatis nullum habuit medium: atqui talis fuit Maria Magdalene. Nam Christus noluit se ab ea tangi.

R. n. min. ad prob. dist. Christus noluit se tangi certo quoddam contactu & modo; c. Simpliciter & omni contactu: n. Itaque certum est Christum non omnem sui contactum prohibuisse, nedum eum prohibuerit quo certa fieret ejus resurrectio. Constat etenim ex Matt. 28. 9. alias mulieres tenuisse pedes ejus. Immo sæpe contactum illum obtulit, ut patet ex Luc. 24. 39. Joan. 20. 20. & ex historia Thomæ, Joan. 20. 27. Porro nulla potest afferri ratio cur Christus a tot sive mulieribus, sive viris tangi se pateretur, immo vellet, unam autem mulierem ab illo contactu interdiceret. Si enim fraudi timendum erat, si plenam lucem reformidabat Christus, a pluribus magis quam ab una muliere timendum erat. Non quemlibet ergo sui contactum prohibet Christus, nec eum quo certa recognosci ac stabiliri poterat ejus resurrectio, sed certum tantum quemdam contactum arcet, diuturnum nempe, tenacem ac longiorem pro isto tempore, eum uno verbo qui eo ardore & affectu fieri solet inter eos qui ultima miscent colloquia. Scilicet Maria Christum tangere parabat, immo pedes ejus tenaci amplexu tenebat, ita ut nollet eos dimittere quasi Christum ultimo conspectura. Intempestivum esse illum ardorem declarat Christus duplici de causa. Prima: *Nondum enim ascendi ad Patrem*: Secunda: *Vade ad fratres meos*. His nititur momentis præsens iste Commentarius. 1. Subjecta prima ratio a Christo: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum. Ascendi*, pro ascendo, aut ascendam juxta Hebraicæ linguæ indolem. Quasi diceret Christus: non est cur me tangas quasi non amplius videndum, iterum me videbis, iterum me tangere poteris; nondum enim ascendi ad Patrem, id est, non statim, non cito ascendo aut ascendam ad Patrem. 11. Ex altera ratione his verbis expressa: *Vade autem ad fratres meos, & dic eis*, &c. In hunc sensum: dimitte jam; noli me diuturno tempore

pore tangere, sed vade, nuntia Discipulis meis resurrectionem meam. Festinato opus est; longior ille amplexus te remoratur quominus ad Discipulos abeas, quorum plurimum interest quam primum scire me resurrexisse. *Noli me tangere*, hic idem sonat ac noli me tandiu tangere, sed vade cito, festina certos facere Discipulos meos de mea resurrectione. Tangere ergo hic est tangendo, suaviendo, amplexando Christi corpori adhærere: atque ita moras nectere, tempus protrahere & se minus idoneam facere exequendo Christi mandato. III. Propositæ interpretationis momentum suppeditat nativa verbi græci significatio & non infrequens apud scripturam usus verbi *tangere*. Verbum enim græcum non significat tangere simpliciter, sed tangere vehementer, cum affectu & impetu, tangere cum addito, nempe cum aliqua speciali circumstantia & modo. Hinc 1. ubi agitur de mulieribus aliis, non hoc, sed aliud verbum legitur. 2. Verbum latinum *tangere* præsentem sensum sæpe sortitur, quoties nempe memorato verbo Græco respondet. V. 2. *Reg.* 4, 27. de Sunamitide Elizæum tangente. Luc. 7. de Peccatrice Christum tangente.

Inst. Illud testimonium nullius est roboris quod contempserunt ipsi-met Apostoli: atqui ipsi-met Apostoli mulierum testimonium circa resurrectionem Christi contempserunt; ergo.

R. 1. Retorq. arg. Illud testimonium nullius est roboris quod Apostoli contempserunt: atqui Apostoli contempserunt testimonium mulierum dicentium Corpus Christi non esse in sepulchro; ut patet ex eodem evangelii contextu: Ergo testimonium mulierum nullius est roboris circa illud factum; quod absurdum est.

Itaque R. 2. n. maj. Apostoli noluerunt credere nisi re maturius expensa, & perspecta veritate, & inde confirmatur fides nostra. Nullam deinde afferunt rationem dubii sui. Hæc Discipulorum difficultas ad credendum mulieribus miraculi certitudinem mirum in modum confirmat. Evincit enim quantam adhibuerint cautionem ne deciperentur ac probat eos soli evidentiæ cessisse. Ergo.

Inst. Nullius est auctoritatis testimonium Apostolorum. Illud enim testimonium nullius est auctoritatis quod non nititur constanti & uniformi sensuum relatione referentium adesse illud idem corpus quod cruci affixum fuerat: atqui tale est Apostolorum testimonium. Nec fuit constans sensuum omnium relatio, nec sensus testabantur illud idem adesse corpus, &c. Ac 1. non fuit constans sensuum omnium relatio. Nam v. g. Discipuli Emmaus toto itinere Christum non agnoscunt; ac proinde hucusque testificari tantum possunt Christum non adesse. Agnoscunt tandem, sed evanuit ab oculis eorum. Non potuerunt ergo sensuum testimonium recognoscere. Adde quod evanescere, umbris, non vero corporibus solidis competat. Aliis quidem Apostolis apparuit, sed ab iis cognitus non fuit, aliquando etiam putabant se spiritum videre. Unde sic in forma. Illi constantem & uniformem sensuum relationem non habent circa resurrectionem Christi, qui aut Christum quem videbant, non agnoverunt, aut agnitum sufficienti tempore non habuerunt: atqui tales sunt Apostoli. Ergo.

R. n. min. Et dico Christum ab Apostolis visum & agnitum fuisse sufficienti tempore. Duo sunt hic sedulo distinguenda, nempe corpus aliquod oculis obvium, reale esse; & corpus illud esse hujus vel illius hominis. Prima quæstio seorsim & independenter a secunda dirimi potest; nec posterior tantum temporis postulat, ubi agitur de persona familiarissime nota. Discipuli Emmaus Christum primo intuitu non agnovere, id est non cognoverunt illud corpus quod sub oculis habebant esse Corpus Christi, vel quia Christus erat in *alia effigie*, vel quia *oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent*; oculi autem eorum vel per miraculum, vel potius absque miraculo &, ut græca locutio suscipit, firmabantur oculi eorum & roborabantur ad non agnoscendum. Cum enim Christum mortuum scirent, sed exsuscitatum vix crederent, semper sibi fingebant illum quem videbant non esse Christum, ex semel scilicet præoccupata non resurrectionis opinione. Agnoverunt autem cum aperti sunt oculi eorum.

rum in fractione panis; id est, in modo quo panem fregit, agnoverunt illud corpus quod toto itinere conspexerant, esse Corpus Christi. Idem quotidie contigit ubi aliquis ad aspectum amici vivida alia perceptione occupatur. Idem jam antea contigerat miraculum cum habitatores Nazareth vellent eum e supercilio montis præcipitare. Transibat per medium illorum, nec eum agnoscebant, id est, dum viderent corpus, non videbant illud esse Corpus Christi. Corpus ejus reale esset non desiit; tactu, visu & cæteris sensibus recognosci poterat; sed per miraculum, v. g. per distractionem sensuum, vel per exterioris formæ immutationem latuit tale Corpus. Nullam difficultatem facescere potest hæc loquendi rario *evanuit*. Nam vulgaris est & usu familiari destinata non ad significandum præcise aliquid umbratile quod evanescit, sed ad significandum aliquid reale cujus nulla extant vestigia, quodque subito non comparuit. Deinde quod Vulgata reddidit, *evanuit*; textus Græcus a verbo ad verbum sic expressit: Factus est non apparens, vel ut vertit Henr. Stephanus, conspici ab illis desiit. Quod sane corporis antea visi realitati non obstat. Syrus vertit: ablatus est ab eis. Arab. absconditus est ab illis. Quantum vero ad alios Discipulos primo quidem intuitu Christum modo non cognoscebant, modo spiritum se videre putabant. At nihil inde contra veritatem resurrectionis, immo istud probat Apostolos nimium credulos non fuisse. Sic quotidie evenit ut etiam amici, qui absentes aut mortui putantur, primo aspectu non semper cognoscantur. Sic etiam post multiplicatos divinitus panes Christus venit ad Discipulos nocte ambulans supra mare. Illi continuo clamaverunt & putaverunt phantasma esse, sed ex colloquio, ex visu, &c. statim veritatem perspectam habuerunt. Ita a pari hoc contigit in præsenti casu.

Inst. Ut valeret testimonium Apostolorum, deberet constare illos tetigisse & vidisse illud ipsum Corpus quod cruci affixum & in sepulchro depositum fuerat: atqui istud non constitit Apostolis; immo contrarium manifestum fuit. Nam tetigerunt Corpus quod a nostris corporibus omnino diversum erat. Nam erat cum vulneribus mortiferis & tamen vivebat. Ergo.

R. n. min. Iisdem argumentis constare potuit Apostolis Corpus illud quod videbant post resurrectionem, idem esse ac illud quod cruci affixum erat & in sepulchro positum, illud inquam iis argumentis constare potuit Apostolis, quibus quotidie certi sumus talem vel talem personam eam esse quam heri vidimus, nempe ex visu, tactu, auditu, &c. Deinde vulnera Christi cruenta non erant; cicatrices & vulnerum signa, non vulnera ipsa gerebat. Ergo.

Inst. Ex præfixo a Christo suæ resurrectionis tempore. Christus promiserat, & quidem multoties, se tertia die resurrecturum: atqui tamen ante tertiam illam diem resurrexit; nam die veneris sepultus est, & die Dominica, & quidem summo mane, jam sepulchrum dimiserat. Hinc sane illud factum est quod fraudis executionem antevertere coacti fuerunt Apostoli. Executio enim illa impossibilis fiebat ex imminente sepulchri a Judæis visitatione.

R. n. min. Statuto die resurrexit Christus. Nimirum epocham illam ex more Judæorum assignavit Christus. Solent enim Judæi, cum certum quemdam aut dierum, aut annorum numerum computant, primum & ultimum includere. Sic Discipuli Emmaus desperant quia tertia dies erat qua resurgere debebat, & tamen juxta ipsos non resurrexit. Consule Luc. 24. 21. 7. Joan. 2. 19. Marc. 8. 31. Matth. 12. 40. tertia die, id est, intra tres dies, ut alibi evolvit Christus. *Solvite Templum hoc & in tribus diebus reædificabo illud*. Sic etiam noster fert usus vulgaris. Si enim res aliqua promittatur intra decem dies, aut si aliquem tribus diebus ægrotasse dicas, primum & ultimum diem involvis. Sic si amicum die veneris in morbum incidisse referas, die Sabbati venam ejus apertam esse, & tertia die mortuum esse, eodem computo numeras; eodem etiam infans circumcidebatur die octava. Si Christus ante tertiam diem surrexisset, Judæi inclamassent tunc non adfuisse testes; si post tertiam diem, reposuissent

custo-

custodes adfuisse, & corpus nullo teste sublatum fuisse. Ipsa tertia die ineunte resurgit Christus ut hæc omnia incommoda præcaveat: nec ipsi Judæi fraudem ullam in hoc suspicati sunt aut incusarunt, non Tertullus, non Herodes non Agrippa, non Judæi Apostolorum accusatores.

Inst. Et urgebis ex circumstantiis quibus vestitur resurrectionis Christi narratio. Juxta Matt. resurrectio illa contigit vespere Sabbati; juxta Marcum vero, valde mane, orto jam sole, seu, ut ait Lucas, valde diluculo, juxta Joannem, cum adhuc tenebræ essent. Porro hæc sibi non consentiunt. Vespertinum enim tempus non consonat cum valde mane; tenebræ & obscuritas cum orto jam sole non compatiuntur. Unde sic in forma. Illa narratio non est admittenda cujus circumstantiæ sibi invicem opponuntur: atqui talis est resurrectionis Christi narratio; ergo narratio illa non est admittenda.

R. n. min. Et dico ex iis quæ in objectione afferuntur, nullam exsurgere contradictionem saltem realem inter circumstantias quibus vestitur resurrectionis Christi narratio. Duplex contradictionis species supponitur in objectione: prima: vespertinum tempus quod matutino opponitur. Secunda: tenebræ & obscuritas quæ cum orto jam sole pugnant. Atqui hæc, saltem vere & realiter, sibi non contradicunt. 1. Quidem quantum ad duo priora contradictionis membra, vespere scilicet & valde mane. Etenim quod vulgatus Interpres vertit per vespere, juxta Græcum idioma reddi deberet sero Sabbati, vel potius transacto Sabbato. Licet enim vox Græca absolute sumpta tempus vespertinum designet, attamen quoties cum genitivo construitur, præpositionis naturam induit & reddi debet per *post*, vel *peractum*, adeo ut designet extremam partem temporis cujuscunque. Hæc itaque verba: *vespere autem Sabbati* legitimo sensu exponit S. Marc. per ista: *Transacto autem Sabbato*. Hoc eodem sensu usurpant prophani v. gr. Philostrat. vita Apollonii *lib.* 4. *cap.* 18. Immo plurimi Grammatici observant scripturam, cum vult designare vespertinum tempus, alio uti vocabulo. Nomine vero Sabbati Scriptura aliquando intelligit totam hebdomadam ut Luc. 18. *Jejuno bis in Sabbato*; aliquando etiam diem ipsum Sabbati; sic dicitur quis solvere Sabbatum, custodire, vel non custodire Sabbatum, &c. Eo ergo recidit hæc phrasis S. Matth. sero Sabbati, id est, in extrema parte, in fine Sabbati, id est, vel diei Sabbati, vel hebdomadis, quæ omnia idem sonant ac transacto Sabbato. Porro hæc duo sero Sabbati, id est, transacto Sabbati die, vel elapsa hebdomada & valde mane, aut valde diluculo secum non pugnant. Ergo ex hac parte nulla est contradictio. 2. Non pugnat etiam inter se orto jam sole, & cum adhuc tenebræ essent. Namque in Græco non legitur *jam*, & verbum oriri in Græco legitur aoristico tempore aoristic. 1. cujus hæc vis est ut designet vel rem quæ mox facta est, vel rem dum actu geritur; & sic reddi debet: oriente sole, dum oritur sol. Porro dum oritur sol concipi potest adhuc tenebras esse, id est aerem subobscurum esse. Fatendum tamen in quibusdam Græcis exemplaribus legi particulam quæ jam & adhuc significat, sed observ. particulam illam jungi præsenti, sæpius futuro, nunquam, aut fere nunquam præterito, uti constat ex Lexic. Constantini & Thesaur. Steph. ac proinde hunc sensum efformaret: adhuc oriente, vel adhuc orituro sole. Cùm enim aoristorum natura ea sit ut indefinitus tempus significent, determinari debent ex adjunctis particulis. Ergo cum apposita particula sæpius futurum respiciat, jam textus allatus sic vertendus: adhuc orituro sole, id est, cùm mox oriturus esset sol, quod facilius adhuc cum tenebris conciliari potest.

Inst. Atqui vespere & valde mane secum conciliari non possunt, etiamsi vespere sensu exposito sumatur. Certum est enim festos dies initium habuisse apud Judæos ab occasu solis, & in sequenti solis occasu desiisse juxta illud Levit. 23. *A vespera ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*. Itaque extrema pars Sabbati idem est in præsenti casu ac occasus solis: atqui occasus solis conciliari non potest cum valde mane, aut oriente sole.

sole. Ergo ex allata responsione non tollitur contradictio.

R. n. maj. Vox enim Græca non designat mathematice punctum temporis quo desinebat solemnitas Sabbati, sed tantum transactum tempus. Significat sero, ad extremum, longe diu post transactum Sabbatum. Ita Lud. *de Dieu*. Adeo ut particula Græca significet non tantum id quod sero fit, sed quod ordine est posterius. Hinc concludit Synopsis critic. hanc particulam Græcam per se exprimere hic tempus indefinitum post Sabbatum. Uno verbo, ut jam diximus, in eumdem sensum recidit cum his S. Marci transacto Sabbato. Atqui transactum Sabbatum conciliari potest cum mane. Etenim totam noctem quæ est post Sabbatum, Hebræi vocant exitum Sabbati. *Exod.* 12. 18. *Levit.* 23; *Num.* 9. 3. 5. 11. de Agno Paschali dicitur ad vesperam, non certe diei 14. cujus mentio habebatur antea, sed diei 12. nec mirum; nam hic vesper licet considerato festo die pertineat ad diem sequentem, considerato tamen die civili pertinet ad diem præcedentem.

Sunt qui aliam solutionis viam ineunt. Vespera Sabbati designat noctem quæ Sabbatum subsequebatur. Nec mulieres dicuntur vespere venisse ad sepulchrum, sed ivisse. Verbum enim Græcum significat simul venire & ire. Joannes vero designat primam diluculi partem cum adhuc noctis aliquid restaret. Orto vero sole perveniunt ad monumentum. Sic enim Syrus interp. reddit *v.* 2. *c.* 16. 16. sancti Marci, *Valde mane una Sabbatorum pervenerunt ad monumentum, orto jam sole*. Sic itaque tota res componitur. Nocte aut primo diluculo surgunt mulieres & eunt ad monumentum; at dum albam expectant, dum per urbem cursitant, & extra eam progrediuntur, ad sepulchrum perveniunt orto jam sole. Porro in toto hujus narrationis filo nulla ne levissima quidem contradictionis linea occurrit. Nec refert quod Matthæus vesperam jungat cum illucescente die. Nam lucescere & illucescere sumitur pro quolibet diei initio; sive a vespera, ut apud Judæos, sive a matutino tempore dies incipiat. Hinc illucescere de quavis luce dicitur, sive syderum, sive solis, & designat tempus quod incipit aut appropinquat; translata nimirum significatione ex die, quia tunc incipit dies esse, cum incipit lucescere. Sic Luc. 23. 54. *Dies erat Parasceve & Sabbatum illucescebat*, quod intelligi non potest nisi de prima Sabbati vespera. Alia exempla videri possunt apud Synops. critic. Nec refert etiam quod Marcus dicat mulieres emisse aromata transacto Sabbato, quod idem est ac vespere Sabbati apud Matt. Hoc enim ad initium itineris referri potest. Viso scilicet sepulchro juxta S. Luc. reversæ sunt ut emerent aromata, nec statim a reditu; sed Sabbato siluerunt, quo transacto ierunt ad sepulchrum portantes quæ emerant & paraverant aromata.

Inst. Juxta S. Lucam mulieres inter quas erat Maria Magdal. duos viros viderunt ad monumentum; Angelos vero vidit Maria Magdalene juxta S. Joann. unius tantum Angeli meminerunt SS. Matt. & Marc. duos vero commemorat S. Joannes. Angelum stantem describit S. Marcus; S. Joannes vero sedentes Angelos narrat. Unde sic in forma. Illa narratio innumeris involvitur contradictionibus quæ sibi non constat sive quantum ad naturam, sive quantum ad numerum, sive quantum ad situm eorum qui mulieribus apparuerunt: atqui Evangelica resurrectionis Christi narratio talis est. Ergo.

R. n. min. quoad omnes suas partes. 1. Quantum ad naturam eorum qui mulieribus apparuerunt, nulla est realis contradictio. Nam cum Angeli essent humana specie induti, modo ex eo quod erant realiter, modo ex eo quod apparebant eos nominat sacer contextus. Sicque exponi debet S. Lucas. Ecce duo viri, id est, duo Angeli virili habitu & forma. 2. Nulla est contradictio quantum ad Angelorum numerum. Cum enim SS. Matt. & Marc. Angelum singulari numero commemorant, non loquuntur exclusive, sed de eo qui vel propior erat, vel verba faciebat. Denique quantum ad situm, verbum stare significat, non præcise situm, sed simplicem præsentiam. Vide Hyppocrat. Demost. & Luc. 2. 27. in Græco legitur supervenerunt.

Inst. Res adeo incredibilis, qualis est resurrectio Christi, non debuit admitti absque sufficienti notitia: atqui non sufficiens fuit in resurrectione Christi notitia. Notitia enim privata sufficiens non est ad rem tanti momenti astruendam: atqui notitia resurrectionis Christi privata fuit, non publica; fuit enim pro iis tantum quibus seipsum vivum Christus post resurrectionem ostendit: atqui privatis tantum & testibus praeordinatis, id est solis Apostolis manifestum se praebuit Christus post resurrectionem suam. Ergo.

R. 1. n. prim. min. & secundam majorem. Ubi enim notitiae privatae certitudo legitimis comprobatur argumentis, sufficit illa notitia. Ut enim de re aliqua plenam cognitionem & certitudinem habeam, necesse non est ut propriis illam viderim oculis; alioquin de rebus omnibus quarum testis non fui oculatus, anceps & incertus haerebo. Sufficiunt ergo testes fide digni. Porro tales se praebuerunt Apostoli; novis enim iteratis miraculis fidem sibi astruebant.

R. 2. n. secundam minorem. Publica fuit Christi resurrectio ex terrae motu, ex vacuo sepulchro quod omnibus scrutari licebat, dum ex altera parte evidens erat Apostolos corpus illud furatos non esse. Ergo.

Inst. Atqui notitia privata non sufficit. Christi enim resurrectio missionis ejus divinitatem obsignat. Debuit ergo illius certitudo esse omni exceptione major & ad omnes extendi ad quos extendenda erat missio Christi. Ergo eadem debuit esse resurrectionis Christi notitia ac mortis ejus. Ergo debuit esse publica omnibus. Ergo debuit Christus in conspectu omnium Judaeorum egredi e sepulchro.

R. n. conseq. 1. Similis est Atheorum contra existentiam Dei ratiocinatio. Si enim, inquiunt, existeret Ens supremum, summa bonitate, sapientia & potestate praepollens, existentiam suam ita evidentem facere deberet, ut nullus aequivocationi ac difficultatis locus remaneret. Quidquid huic Atheorum argumento respondebunt Deistae, illud & nos praesenti Deistarum adversus Christi resurrectionem argumento respondebimus. 2. Sicut certa est & evidens ex omni parte Dei existentia, licet hanc evidentiam aliqui aut non percipiant, aut potius non percipere se fingant, ita licet non omnes resurrectionis Dominicae conscii fuerint, licet privata tantum fuerit hujus notitia, evidens est nihilominus illa resurrectio. 3. Christus, inquiunt Deistae, publice non resurrexit; ergo fictitia est illa resurrectio. Judaei Christum resurgentem non viderunt; ergo nec Apostoli. Vana sunt haec ratiocinia. Factum aliquod verum esse potest, nec tamen publicum esse; facti enim veritas ab ejus publicitate est omnino independens: publicitas illa est quid omnino accidentale. Ubi sufficientes adsunt testes, non est quod conqueratur plures non proferri. Hic denique agitur de nova legatione; hujus argumenta non pendent ab uniuscujusque privati convictione & acceptatione, sed ab eorum convictione qui huic testimonium facere debent. Ideo non Judaeos, non Gentiles elegit Christus, quia fideles & dignos testes habere volebat. Iterum dico sufficienter publicam fuisse resurrectionis evidentiam.

Inst. Atqui publica non fuit resurrectionis evidentia. Publica enim non potuit esse nisi per publicam apparitionem toti Judaicae genti factam. Ergo debuisset Christus se Judaeis, Scribis & Pharisaeis notum facere; quod tamen non praestitit.

R. 1. n. ant. Evidentia illa fuit publica per publica testimonia & signa cum veritate resurrectionis connexa. Porro talia habuerunt argumenta milites, qui Angelum de caelis descendentem, lapidem revolutum, & caetera omnia quae ad sepulchrum contigerant, viderunt. Resurrectio fuit publica Scribis, Pharisaeis & Principibus Sacerdotum, qui a militibus audierunt ea quae ad sepulchrum acciderant, qui miracula Apostolorum discusserunt & dissimulare non potuerunt.

R. 2. n. conseq. Judaeis post resurrectionem apparere non debuit Christus. 1. Si Christus apparere debuisset Judaeis, debuisset etiam apparere Romanis; horum enim non minus intererat quam Judaeorum, immo latius patebant & ma-

majori numero erant Romani. Ergo Tiberio, singulis Senatoribus, immo singulis hominibus manifestum se præbere debebat speciali & propria apparitione; omnium enim hic jus æquale est. Cum ergo hæc sint absurda, sufficit ut aliquibus legitimis & idoneis testibus se manifestum fecerit. 2. Vel semel tantum facta fuisset Judæis Christi redivivi apparitio, vel iteratis vicibus: vel cuique liberum fuisset Christum tangere, audire, &c. vel non. Si unica adsit apparitio; jam illusio & phantasma judicatum fuisset, de ea absente dubitassent. Ergo iteranda toties fuisset; quoties Judæi postulassent: ergo crebra & frequens debuisset esse per omnes Judææ regiones; immo eandem apparitionem sibi fieri postulassent homines subsequentis ætatis ac consequenter Christus per mortem ab hominum commercio separatus, debuisset modo tam familiari ac antea inter eos conversari; quod ab surdum est. His ergo apparitionibus certi quidam præscribendi fuissent limites. Ea resurrectionis danda erant argumenta quæ homines subsequentis ævi cogerent ut præcedentis ævi hominum & coætaneorum testimonio & experientiæ fidem adhiberent. Jam vero si posteri fidem debeant adhibere oculatis & legitimis testibus, jam sufficit apparitio legitimis & sufficienti numero testibus facta. Ergo necessaria non est apparitio vel singulis Judæis, vel toti genti facta. Cæterum Deo non defuerant rationes cur non habuerit Christus tot resurrectionis testes quot mortis & vitæ. Prima: Christus potest considerari vel ut specialis Judaicæ gentis Messias, vel ut totius humani generis redemptor. Quantum ad Judæos, munus & officium Messiæ sufficienter adimpleverat dum viveret, mortem & resurrectionem prædixerat: ab iis tamen reprobatus fuit; hinc ad gentes se convertit. Quantum ad totum genus humanum, Apostolis quos resurrectionis suæ testes præordinaverat, videndum se præbuit, & jubet ut usque ad ultimum terræ hujus rei ferant testimonium. *Euntes docete omnes gentes &c.* Secunda: Judæi suo Deicidio tali apparitione indignos se præbuerant. Tertia: si Pharisæorum, Scribarum & Sacerdotum indoles attendatur, his etiam apparitionibus non credidissent.

Inst. Ex parte modi quoad nos devenit testimonium Apostolorum. Nunc enim testimonium Apostolorum nobis præsens non habemus; unius aut alterius prædicatoris testimonio in singulis locis credita est resurrectio Christi. Atqui istud non sufficit: ergo.

R. n. maj. quoad utramque partem 1. Enim testimonium Apostolorum præsens nobis aliquo modo redditur, per testium seriem non interruptam, ut supra vidimus, ubi de certitudine agebamus; fit præsens illud testimonium per miracula singulo quoque sæculo, unaquaque ætate facta in hujus veritatis ac Religionis confirmationem. 2. Testem illum singulis Populis missum sua comitabantur miracula. Sed esto solitarius fuerit ille testis ac prædicator initio suæ missionis; at ubi diversi Populi inter se contulerunt de iis quæ audierant, ubi eadem ubique annuntiari cognoverunt, jam testes adunati, jam ex iis unum fit testimonium. Ergo.

Inst. Valere potest tale testimonium ubi agitur de facto naturali; at non ubi agitur de re impossibili; qualis est resurrectio.

R. n. ant. Rei possibilitas vel impossibilitas hic in controversiam non venit. De eo unice res est, an resurrectionis Christi testes idoneos habeamus. Quidquid sensibile est, a sensibus attingi potest. Quicumque lapidem ab alto ruentem videre potest, lapidem in altum ascendentem videre etiam potest; ergo in utroque casu valet ex ore ejus facti utriusque testimonium, licet factum posterius sit supernaturale & videatur impossibile.

Inst. Atqui resurrectio Christi non potuit fieri certa ex miraculis in ejus confirmationem factis. Nam dum miracula ista fuerunt, jam resurrectio Christi non erat sensibus præsens: atqui miraculum quod videtur, non probat olim contigisse aliud miraculum quod actu non videtur. Nam effectus sensibilis non probat alium effectum esse sensibilem aut alium effectum sensibilem contigisse. Ergo.

R. n. min. Si Apostoli miracula fecissent, nec resurrectionis Dominicæ meminissent, miracula eorum nihil probarent. At ex declaratione Apostolorum adest connexio inter resurrectionem Christi & miracula quæ faciunt. Ergo.

Inst. Testimonio ac relationi Apostolorum contradicitur per testimonium publicum & oppositum Judæorum; porro illud testimonium Judæorum legitimum est. Nam nititur relatione militum, qui non minorem fidem merentur quam Apostoli. Non magis enim supponi potest custodes mentitos esse, quam Apostolos. Capiti enim timendum habebant custodes.

R. n. min. 1. Testimonium Judæorum nullo nititur fundamento; immo vidimus male coctam esse fabulam ab iis excogitatam; contra testimonium Apostolorum legitimum est. 2. Juxta relationem Apostolorum, Seniores & Principes Sacerdotum consilio accepto copiosam pecuniam dederunt militibus, jusserunque ut fabulam suam evulgarent, impunitatem promittentes. Ergo capiti suo non timere habebant milites. Et certe si hæc Apostolorum relatio sit mera calumnia, Apostoli castigandi erant, & ad veritatem cogendi. Silent tamen Judæi; & suo silentio veritatem produnt.

Obj. 2. Ex eo stabiliri non potest divina revelatio & Religio quod falsis Religionibus commune est. Atqui propagatio competit falsis Religionibus; competit enim Mahumetismo & Paganismo, immo & Judæis hoc tempore.

R. n. min. Propagatio de qua hic agitur, est propagatio celerrima, maxime diffusa, sine ullis mediis humanis, licet premerent impedimenta humanæ sagacitati inseparabilia; porro nulli ex assignatis Religionibus competit hæc propagatio. Manifestum est enim quod Mahumetismus armis & voluptati, Paganismus vero omnibus cupiditatibus ac præjudiciis sua debeant incrementa. Cæterum cum Paganismum nominas, nomen unum, non Religionem unam appellas. Nec enim idem adorabant; alii jumenta, alii astra, &c. colebant; nec eadem ex lege, nec eodem edocti erant Magistro. Mahumetismus, Paganismus, mediis humanis, Principum favore creverunt, his collabantibus adminiculis, statim & ipsæ corruerunt; e contra Christiana Religio quo magis oppressa, eo magis floruit. Christiani mediis in tormentis, Religionem duram alacriter propugnavere. Quantum ad Judæos, eorum Religionis & gentis propagatio divina quidem fuit; hinc ejus veritatis argumentum. At eadem oracula quæ hanc propagationem promittebant, etiam prænuntiabant ejus finem; hinc ejus falsitas aut iusufficientia.

Inst. Atqui humanus fuit & falsis Religionibus similis progressus Religionis Christianæ. Nam Religio Christiana suam diffusionem debet Imperatorum potentiæ & dictis. Ergo.

R. n. ant. Neronibus enim, Diocletianis, Valerianis, Deciis, Maximianis nihil sane debet Religio Christiana. His tamen adversus eam sævientibus furentibusque immensos fecit progressus, ut patet ex Historiis, ex Tertulliano & Lactantio, immo ex ipsismet persecutionibus. Quam late enim debacchatæ fuerint illæ persecutiones, nemo non novit; ergo late etiam ramos suos protenderat Religio Christiana. Constantinus Imperatorum favorem primus in illam exhibuit; sed jam bene multos fecerat anteeum progressus.

Inst. Saltem a Constantino, Principum favori tribui debent posteriores Religionis Christianæ progressus. Jam vero eidem causæ tribui debent præsentes progressus. Ergo.

R. n. maj. aut dist. Tribui debent tanquam causæ instrumentali: esto. Tamquam causæ principali: n. Esto quod causa fuerit hæc instrumentalis, non erat unica & principalis. Quod adeo verum est quod ubi aliquando Religionem Christianam sua munierunt auctoritate Principes, non ideo semper debitam sibi diffusionem in omnibus regionibus continuo obtinuerit. Revincendæ enim Populorum obstinationi, sternendæ Sacerdotum superbiæ ac superstitioni non sufficit semper regalis majestas. Solus id potest qui corda omnium finxit & quoquo voluerit vertere potest. Præterea sup-

supponit objectio nulla Religioni Christianæ imminere impedimenta nisi ex parte Principum. Alia multa enumeravimus inter probationes, quibus addi potest Hæreticorum pervicacia, impiorum odium, sæculi mores perversi, &c.

Inst. Tam Imperatorum potentiæ & favori debetur Evangelii propagatio, quam incredulitati & oppositioni Principum non propagatio. Atqui Principum oppositioni & incredulitati debetur non propagatio Religionis Christianæ. Ergo.

R. n. maj. Disparitas est quod propagatio sit opus divinum & soli Deo tribui possit; at in non propagationem concurrunt hominum malitia; crucis horror, privata cupiditas, &c.

Inst. Nihil tam mirum præ se fert Religionis propagatio. Nam nihil insanum magis quam Idolorum cultus; quo tempore venit Christus, Idola jam sordescere incipiebant; ea negligere incipiebat homo primævæ memor dignitatis. Aliunde quod novum est semper placet.

R. n ant. & prob Fœtent equidem Sapientibus Idola; at tempore Christi sapientia Philosophorum, Oratorum eloquentia, Principum favore muniebantur. Hoc patet vel ex conatibus omnium hominum ac impetu adversus nascentem Religionem Christianam. Etiamsi quidam Philosophi ac Sapientes Idolorum futilitatem senserint, commune tamen ac fixum inter eos principium erat, publicæ Religioni & externo cultui approbato standum esse. Ergo.

Obj. 3. Illa miracula non probant nisi dependenter a prophetiis quæ independenter a prophetiis sunt æquivoca nec possunt cognosci ut divina: atqui miracula Christi independenter a prophetiis non possunt agnosci ut divina. Solæ enim prophetiæ divinum aliquod in miracula refundunt. Ergo.

R. 1. n. maj. Apud nos miracula non ideo probant quia sunt divina, sed quia vera sunt miracula, id est, quia vere superant vires totius naturæ creatæ. Vera autem miracula talia non sunt præcise quia Deum auctorem habent; sed quia sunt præter ordinem totius naturæ creatæ, sunt independenter ab actione & influxu causarum secundarum. Ergo ut miracula vim probandi habeant necesse non est ut primario & immediate cognoscantur divina, sufficit ut cognoscantur ut vera, id est proprie dicta.

R. 2. n. min. Miracula cognoscuntur ut vera & divina independenter a prophetiis. Miracula enim vera & proprie dicta ex notis & characteribus supra assignatis cognosci possunt ut divina ex fine v. g. Immo cum cognoscuntur ut proprie dicta, jam eo ipso divina sunt. Ergo eo ipso cognoscuntur ut divina quo cognoscuntur ut proprie dicta. Sed cognoscuntur talia esse independenter a Prophetiis: ergo. Enimvero cur miracula aut esse, aut cognosci vera & divina non possent independenter a prophetiis, cum prophetiæ, altera miraculi species, ipsis fatentibus adversariis, sint & cognoscantur divinæ independenter ab aliis aut prophetiis aut miraculis?

Inst. Atqui miracula nec sunt nec cognoscuntur divina independenter a prophetiis. Duo sunt hic distinguenda, miraculum nempe & doctrina. Inter utrumque repetitur Christi testimonium quod utrumque consociat; miraculum enim ex se nullam habet cum doctrina germanitatem; ergo sola prophetia potest illam inserere germanitatem. Vel enim res ita se habet, vel solum Christi testimonium hanc instituit germanitatem doctrinam inter & miraculum; sed testimonium Christi utpote adhuc humanum nihil divinum in miracula refundere potest. Antecedenter ad propalatam miraculorum divinitatem, testimonium Christi non agnoscitur ut divinum: ergo miraculum non cognoscitur divinum nisi ex prophetia. Unde sic pressius urgeo. Miraculum non potest cognosci ut divinum, nisi divinum cognoscatur testimonium Christi quod miraculum cum doctrina consociabat: sed independenter a prophetiis non cognoscitur divinum esse testimonium Christi quod miraculum cum doctrina consociabat. Ergo independenter a prophetiis miraculum non cognoscitur ut divinum.

R. 1. n. maj. Miraculum enim cognoscitur ut divinum, hoc ipso quo cognosci-

tur ut proprie dictum; cognoscitur autem ut proprie dictum propriis sibi characteribus antea assignatis. Porro inter illos characteres necesse non est absolute enumerare vel prophetiam, vel testimonium doctrinam cum miraculo consocians. Ergo independenter a testimonio Christi miraculum & doctrinam consociantis cognoscitur miraculum esse proprie dictum ac proinde divinum. Cognoscitur etiam 2. independenter a prophetiis divinum esse testimonium quod miraculum cum doctrina consociat. Scilicet sufficienter legitimatur illud testimonium ex summa Dei providentia quæ salva non potest consistere, si verum & proprie dictum miraculum falsæ doctrinæ consocietur ex operantis testimonio.

Hinc R. 2. n. min. Miracula Christi divina cognoscuntur tum ex eorum natura, tum ex eorum circumstantiis, tum ex Dei providentia. Porro Christi testimonium miracula cum doctrina consocians iisdem argumentis divinum evincitur.

Inst. Saltem curationes a Christo peractæ, si seorsim a prophetiis sumantur, miracula sunt æquivoca. Illa enim miracula sunt æquivoca quæ a diabolicis curationibus nisi per prophetias discerni non possunt: atqui curationes a Christo peractæ a diabolicis curationibus distingui non possunt nisi per prophetias. Nam curationes illæ in aliquibus vultum & habitum gerunt earum quæ ab Æsculapio factæ referuntur.

R. n. min. Curationes enim illæ vel sumuntur distributive vel collective: atqui utroque sensu falsa est minor. 1. Curationes a Christo peractæ distributive sumptæ, seorsim a Prophetiis, nec sunt æquivocæ, nec vultum gerunt Æsculapii curationum. Curationes enim illæ, etiam distributive sumptæ, eo fine, eo modo, iis denique in circumstantiis peractæ sunt quibus tollitur omnis æquivocatio. Porro ne unam quidem curationem operari potest Diabolus quæ omnes simul prædictos characteres sibi adunet. Ergo curationes a Christo peractæ, etiam distributive & seorsim a prophetiis sumptæ, non sunt æquivocæ. 2. Nec eædem curationes collective sumptæ sunt æquivocæ seorsim a prophetiis. Vi enim providentiæ divinæ repugnat tot tanto numero, tanto splendore, tantaque publicitate fieri miracula in favorem erroris. Supponamus enimvero nullas unquam extitisse aut existere debuisse prophetias, vetant divinæ providentiæ leges ne talibus fulciatur error. Ergo sola providentia independenter a prophetiis sufficit ad tollendam æquivocationem in præsenti casu.

Inst. Dissimulari non potest plurimas esse curationes a Christo peractas Æsculapii curationibus omnino simillimas.

R. n. ullam intercedere similitudinem etiam inter aliquas curationes a Christo peractas & Æsculapii curationes. Æsculapii fabulam sic recitat Tatianus: „ post „ abscissum Gorgonis Neptuni amicæ „ caput . . . . Sanguinis guttas „ partiti sunt Minerva & Æsculapius, „ atque ex his quidem iste salutem af- „ ferebat. Æsculapius, referente S. Ju- „ stino de Monarchia, & Apollo apud „ Chironem Centaurum mederi discunt. „ In eumdem sensum de Æsculapio loquitur Arnobius *l.* 1. *c.* Gentes. Huc usque nihil Christum inter & Æsculapium commune. Nam ut observat Arnobius l. cit. 1. Facta Æsculapii admodum incerta sunt. Christi vero miracula publica fuere in prima sui origine, a testibus oculatis aut coætaneis prolata, fine rationi & divinitati consono, Dæmonibus vero adverso patrata fuere. 2. Fictitii illi Paganorum Dii medicamentis & mediis naturalibus quæ quotidie usurpant medici, morbos curarunt; „ beneficia ista, inquit auctor citatus, re- „ rum, non curantium potestates . . . . „ locus hujus laudis non in Deo, sed in „ homine constitutus est. Medici etiam „ sic curant . . . nulla autem virtus est „ medicaminibus amovere quæ noceant. Christus vero solo contactu, aut verbo & imperio solaque jussione sanavit. „ Quid simile Dii omnes a quibus opem „ dicitis ægris & periclitantibus latam? „ Non solum Christus peregit curationes veri nominis miracula, sed aliis innumeris hominibus eorumdem miraculorum potestatem fecit. At nullus gentilitatis Deus observante eodem Arnobio, hanc nec levissimæ curationis pote-

sta-

statem dedit. Hic duo adnotare non pigeat: hic non agi de qualibuscumque morborum curationibus in genere, sed de curationibus a Christo peractis. Etiamsi enim curationes aliquæ generatim possint a Dæmonio & absque miraculo perfici, non ita curationes a Christo peractæ etiam distributive sumptæ. Curationes enim Christi, etiam distributive sumptæ, iis vestiuntur circumstantiis & characteribus quibus deletur vultus curationum Æsculapii, licet Æsculapius quosdam morbos curare potuerit insolito modo. Deinde adeo verum est miraculi proprie dicti naturam in eo reponendam esse ut sit effectus independens a concursu & actione causarum secundarum ut inde SS. Patres discrimen assignaverint Christi miracula inter & falsorum numinum fictitia miracula quod illa, non hæc patrata fuerint independenter ab ullo medio naturali. Ita Arnob. loc. cit. S. Aug. de Civ. Dei, & alibi passim. Tertul. Apolog. &c.

Inst. Atqui Curationes a Christo peractæ, seorsim a prophetiis sumptæ, vultum gerunt curationum Æsculapii. Sic enim Tertull. *Apolog. c.* 22. „ Lædunt Dæmones, dehinc remedia præcipiunt, & postquam desinunt lædere curasse creduntur. „ Ergo omnes morborum curationes a Christo peractæ, si seorsim sumantur a prophetiis, æquivoca sunt miracula.

R. n. conseq. 1. Ut valeret ista consequentia, deberet aliqua ratio similitudinis intercedere inter Christi & Æsculapii, seu Dæmonum curationes; porro jam omnem vel levissimam quidem explosimus similitudinem. 2. Nullam similitudinis immo maximam dissimilitudinis rationem inter utrasque curationes ponit Tertullianus. Primum: Dæmones, ac proinde Æsculapius eorum nomine, curant lædendo primum, & postea lædere desinendo; jam vero non sic, immo longe aliter curavit Christus. Secundum: Christus, ex Tertulliano, *verbo*, *virtute*, *spiritu* morbos sanavit; Dæmones vero curant *remedia præcipiendo ad miraculum nova sive contraria*. Tertium, Christus vere & realiter curavit; Dæmones vero *curasse creduntur*: creduntur inquam, ut quidam putant sibi adesse evidentiam . . . . . Porro ex eo quod fucata evidentia a pluribus loco veræ admittatur, non sequitur omnem etiam veram evidentiam esse æquivocam; sic ex eo quod Dæmones fucatas operentur curationes & curasse a multis credantur, non sequitur curationes veras & a Christo peractas esse æquivoca miracula. Quartum, eodem sensu Dæmoni tribuit Tertullianus miracula quo & oracula; jam vero nulla vera & proprie dicta oracula tribuit Dæmoni: „ omnis spiritus ales, inquit. „ Igitur momento ubique sunt. Totus „ orbis illis locus unus est. Quid ibi „ geratur tam facile sciunt quam enuntiant: velocitas, divinitas creditur „ quia substantia ignoratur. „ Sic etiam miraculorum operationem evolvit. „ Corporibus quidem & valetudines infligunt & aliquos casus acerbos; animæ „ vero repentinos & extraordinarios per „ vim excessus. Suppetit illis ad utramque hominis adeundam substantiam „ subtilitas & tenuitas sua. „ Ex his Tertulliani verbis manifestum est eum 1. eodem modo evolvere & oracula & miracula Dæmoni olim ascripta. Deinde certum est eum ipsi non adscribere vera & proprie dicta oracula. Nullus huc usque obsessiones, de quibus hic agit Tertullianus, in numerum miraculorum retulit. E contra vero vera ac proprie dicta tum oracula, tum miracula de Christo profert Tertull.

Inst. Atqui juxta Tertull. miracula curationum Christi, seorsim a prophetiis, sunt æquivoca. Disputans enim contra Marcionem expresse asserit miracula illa nullius esse roboris. Scilicet Marcion totum Vetus Testamentum, ac consequenter Prophetas respuebat. Urgente Tertulliano temerariam esse Christi fidem nisi reciperentur Prophetæ, respondebat Marcion sola Christo sufficere miracula. Insurgit Tertullianus miracula a Christo ipso exauctorata ac proinde non sufficere. Hæc sunt ejus verba *l. 3. c.* Marc. *c. 3.* „ Non fuit, inquis, ordo hujusmodi necessarius, quia „ statim se & Filium Dei & missum & „ Dei Christum esset probaturus per documenta virtutum; at ego negabo so-

,, Iam hanc illi speciem ad testimonium ,, competisse quam & ipse postmodum ,, exauctoravit. ,, Contendebat ergo Marcion miracula Christi seorsim a prophetiis vim probandi habere; hoc negat Tertullianus: ergo.

R. n. maj. & min. Scilicet nec Tertullianus, nec Marcion disputabant inter se de vi curationum Christi seorsim a prophetiis. 1. juxta Tertull. ibid. c. 1. Marcion eo collimabat ut in miraculis *facilius* probaretur Christus. Hæc sunt ejus verba: ,, decretum est ut gestientem ubique occurrere adversario ,, in tantum furenti ut *facilius* præsum- ,, pserit Christum qui nunquam sit an- ,, nuntiatus, quam eum qui semper fit ,, prædicatus. ,, 2. Nimium probaret hoc argumentum, nempe non sola miracula curationum, sed quælibet miracula non æquivoca esse & incerti roboris, sed nullam omnino vim habere. Nam ibi agit Tertull. de omnibus miraculis indiscriminatim, nulla facta distinctione inter curationes & miracula alia; de his omnibus diserte pronuntiat exauctorata fuisse, ac proinde nullam omnino vim habere. 3. Non agit præcise de miraculis Christi, ut Christi, sed generatim negat miracula Christo sufficere potuisse, non quia miracula Christi, ut Christi, id est, quæ a Christo fuere patrata, miraculis Æsculapii fuerint germana, sed quia ea exauctoraverat Christus. Miracula Christi fuerint nec ne Æsculapio affinia, nihil ad rem Tertulliani. Quæcumque miracula Christo sunt insufficientia hoc ipso quod ab eo generatim fuerint exauctorata. 4. Etiamsi Tertullianus miracula cum prophetiis conjungeret necessario, necessariamque inter utrumque poneret dependentiam, nihil inde; hoc enim agit pro certa quadam hypothesi & apposite ad sensum Marcionis. Duæ scilicet quæstiones hic sedulo distinguendæ; prima, ut miraculum vim probandi habeat, requiriturne ut antea prænuntiatum sit? secunda, ut evincatur Christum esse Messiam & Filium Dei, requiriturne prophetia præter miraculum? primam quæstionem ne primo quidem apice attigit Tertullianus; non agebatur enim de prophetia quæ caderet in miraculum ipsum. Agebat Marcion, ac proinde Tertull. de prophetia quæ caderet in ipsum Christum. Quæstio erat an Messiæ sufficiebant miracula: affirmabat Marcion; e contra negabat Tertull. & præterea requirebat ut prænuntiaretur tum quia ,, nec Filius agnosci potest quem Pater ,, nunquam nuncupavit, ,, tum quia ,, ,, missus non crederetur quem nunquam ,, mandator designavit. ,, Uno verbo prophetiam requirit, non prophetiam quæ miraculum, sed quæ Christum prænuntiet; non quia sola prophetia divini aliquid refundit in miraculum, sed quia ,, ordo exigit ut ante cognoscatur ,, Pater & mandator quam Filius & Mis- ,, sus; ,, quod non fieret per miracula quæ Filium & Missum, vel simul cum Patre & Mandatore, vel ante Patrem notum faceret. Prophetias itaque requirit Tertull. non quæ cadant in miraculum & divinum aliquid in eum refundant, sed quæ declarent Messiam qui miraculis quidem, sed etiam prophetiis suam missionem consignare debebat. Miraculum denique respuit & insufficiens declarat, non quia tale est in se & nisi prophetiis prænuntietur, sed quia tale erat relative ad Christum & in ejus principiis. Hic ratiocinatur Tertull. contra Christum solis miraculis instructum argumento quasi ad hominem: quod miracula exauctoravit Christus temerariam eorum fidem ostendit; quomodo inde se voluit probari, cognosci & recipi unde alios noluit a nullo prædicatos auctore? Miracula ergo impugnat tantum relative ad Christum & consequenter ad ejus declarationem. Ceterum fatendum est sale Africano respersum esse hoc argumentum.

Inst. Sic S. Justin. Apol. 1. n. 22. alias Apol. 2. ,, Quod claudos autem paraly- ,, ticos sanaverit (Christus) & ab ipsa ,, nativitate mutilos sanasse memoravi- ,, mus, consentanea hic dicere videmur ,, quæ ab Æsculapio facta esse ferun- ,, tur: ,, atqui in his verbis supponit S. Justinus & Æsculapium veras peregisse curationes & similes eas esse curationibus a Christo peractis. Ergo.

R. n. min. 1. hæ loquutiones, *videmur*, *feruntur*, satis S. Justini mentem indicant, auctoremque produnt arguen-

tem

tem in aliena sententia, agentemque de similitudine vana & supposititia. Quod magis adhuc patet ex sequentibus; sic enim continuo addit S. Just. „ Atque ut „ illud etiam perspectum habeatis quæ- „ cumque a Christo & a Prophetis qui „ eum præcesserunt, edocti sumus, sola „ esse vera... his argumentis probamus. „ 2. Argumento ad hominem hic utitur S. Justin. contra Paganos. Scilicet Christianam Doctrinam hoc argumenti genere vindicat quod Christiani nihil doceant cui similes & germanum aliquid non docuerint Pagani. Ut primam veluti fidem faceret Christianorum doctrinæ, ostendit varia. dogmata Christianorum a Paganis quodammodo teneri, nec magis repugnare in Christo quam in Diis Gentilibus. Ipsum audiamus. „ Quod si „ modo singulari & a communi crea- „ tione diverso genitum illum ex Deo, „ dicimus verbum Dei, id ei, ut jam „ diximus, commune esse credite cum iis „ qui Mercurium, sermonem a Deo in- „ ternuntium appellant... Quod autem „ natum ex virgine tenemus, commune „ id cum Perseo existimate. Quod clau- „ dos denique & paralyticos & ab ipso „ ortu sanitati ab eo restitutos & mor- „ tuos ad vitam revocatos dicimus; si- „ milia hæc quoque dicere videbimur iis „ quæ ab Æsculapio facta narrantur. „ Ita S. Justinus ubi 1. id unum supponit, non vera esse in se quæ de Paganorum Diis memorantur; sed ea credi a Paganis. 2. Ex illa Paganorum fide arguit pro Christianorum doctrina, & hujus repugnantiam tollit. 3. Non agit de solis curationum miraculis, sed de ipsa etiam Christi nativitate & mortuorum resurrectione ab ipso procurata. Hinc argumentum nimis probaret. Cæterum idem S. Justinus loco citato n. 54. Paganorum miracula omnia vocat „ fabulosa Poe- „ tarum Commenta nulla demonstratio- „ ne tradita & a Diabolo ementita, ut „ etiam quæ de Christo dicuntur, fa- „ bulosa viderentur: ver. grat. inquit, „ cum illud audiffent... eum ex virgi- „ ne nasciturum, perfecerunt ut Perseus „ diceretur.... Rursus postquam prædi- „ ctum esse didicerunt morbos omnes „ curaturum & mortuos exsuscitaturum, „ Æsculapium induxerunt. „

Inst. Idem S. Just. loc. cit. n. 30. sic habet. „ Verum ne quis nobis opponat „ nihil obstare quin etiam qui a nobis „ vocatur Christus, arte magica virtutes „ quas dicimus ediderit ... Demonstra- „ tionem jam aggredimur non tam di- „ centibus credentes quam prædicenti- „ bus. „ Ergo S. Justinus miraculis non credebat nisi quia erant prædicta.

R. n. conseq. 1. hæc loquendi formula, *non tam*, miraculis a prophetia sejunctis omnem vim non adimit, sed tantum majorem & certiorem ad majus, ex prophetiis quam ex miraculis exurgere energiam insinuat: porro aliud est prophetiam majorem vim habere quam miraculum, & aliud nullam omnino per se habere miraculum. 2. Hæc vox, *credentes*, non internam S. Justini mentem & sententiam denotat, sed ineundam disputandi viam & certitudinem ex danda demonstratione eruendam. Solent enim qui aliquid methodice inquirunt aut probandum insumunt, ita se gerere cum iis quos impugnant ac si revera & ipsi in dubio versarentur circa propositam veritatem. 3. Hic S. Justinus non tam opponit prophetias miraculis quam Apostolorum testimonio. Duplex nempe via vindicandorum Christi miraculorum; prima ex operibus ipsis; v. gr. ex eorum substantia, fine, modo, &c. Secunda; ex eorum testimonio qui nobis ea retulerunt & divina asseruerunt. Primam viam hic non insequitur S. Justinus; altera insistit in qua non tam credit coætaneis testibus asserentibus vera & divina fuisse miracula Christi, sed magis credendum Prophetis illa miracula ut divina & vera prænuntiantibus, *non tam dicentibus*. Dicentes, nempe Apostoli, prædicentibus, scilicet Prophetis evidenter hic opponuntur. Scilicet eo loci probare intendit S. Justinus vera esse quæ de Christo dicuntur. Jam vero si ex solo Apostolorum testimonio arguisset, tunc contra eum argumento ad hominem insurrexissent Pagani quos antea convicerat eadem de Diis suis tenere quæ de Christo ipse docebat. Sic itaque ratiocinati fuissent: Juxta te, ô Justine, fictitia sunt quæ de Diis nostris narrant Poetæ, licet, te fatente, non admodum absimilia sint iis quæ de Christo

sto

sto circumferuntur: ergo fictitia sunt quæ de Christo scribunt aut referunt Apostoli. Ex utraque parte enim adsunt testes. In tali disputatione jam satis intricata omnem aliam difficultatem ac cavillationem ut præcaveat & declinet S. Justinus, hanc videtur instituere argumentationem ex singulari quæstionis statu; ex utraque parte testes obtendimus omni exceptione majores; ex utraque parte testes respuimus: nunc eos appellabo quos nec proferre nec rejicere poteritis, Prophetas scilicet; ergo prophetias opponit tantum Apostolorum testimonio, non miraculis.

Inst. Origenes *l. 2. c. Cels.* expresse ac candide asserit se non alia ratione divinitati Christi fidem adhibere ex curationum miraculis nisi quia ab Isaia prædicta sunt: hæc sunt ejus verba: „ Certe quia claudos cæcosque sanavit, ideo „ pro Christo Filio Dei habendum esse „ constat (Jesum) ex illis prophetiis: „ *tunc aperientur oculi cæcorum, &c.*

R. Ex sola textus prolatione patet falsitas argumenti. In textu enim Origenis nulla particula exclusiva legitur: affirmat quidem Origenes se Christum ex curationum miraculis agnoscere, quia prænuntiata sunt illa miracula; at non dicit se Christum non admittere ex curationibus, nisi quia prædictæ sunt. Et quidem modo Christianos calumniabatur Celsus quasi in Christum crederent, quia vel passus, vel passurum se prædixit, modo quasi in eum crederent præcise quia leprosos curaverat. Respondet Origenes in Christum credere Christianos nec ex solis prophetiis, nec ex solis curationibus: duplex probationis genus conjungit, neutram neutri præponit. Adeo non alia fuit mens Origenis quod & antea & postea Christi divinitatem eruat ex solis curationum miraculis. Cæterum non simpliciter & absolute concedit, sed dat tantum miracula a dæmone patrata; ex illis datis non concessis concludit Deum a fortiori miracula edere posse; hocque argumento Celsum premebat: si quis ex eo quod sint sophismata & falsa argumenta, negaret veras rationes apud homines extare, sibilo esset excipiendus; ita ridendus Celsus qui nulla esse vera Christi miracula deducit ex eo quod falsa quandoque extiterint miracula.

Inst. Saltem diffiteri nemo potest hæc duo constanter & uniformiter apud SS. PP. inconcussa manere. 1. Sponte ac libenter Paganis concesserunt quasdam curationes ab Æsculapio factas. 11. Christi inter & Æsculapii curationes institutam comparationem non alia methodo everterunt nisi recurrendo ad prophetias. Ergo unanimi sensu apud eos constabat curationes, si seorsim a prophetiis sumantur, esse æquivoca miracula.

R. n. antec. quoad utramq. part. Ut constet SS. PP. concessisse miracula Christi ut æquivoca, seorsim a prophetiis, non sufficiunt loca aliqua ex eorum scriptis hinc & inde avulsa & quasi solitaria; detur necesse est vel principium ab illis stabilitum, cum æquivoca illa miraculorum natura connexum, aut expresse ac diserte asserant miracula illa talia esse. Porro neutrum occurrit in SS. PP. operibus. Quin immo multos SS. PP. reperias qui aliunde quam a prophetiis miraculi vim ad probandum desumant. Ita S. Thom. Arnob. &c.

Deinde SS. PP. sæpe sæpius ex miraculis ad prophetias confugiunt, & utrumque argumenti genus conjungunt certa quadam exigente disputandi methodo: c. omni sensu, absolute & ut ad unicum argumentum: n. Itaque observ. 1. SS. PP. cum Judæis & Paganis rem ut plurimum habuisse. Hinc contra eos probandum insumebant Christum esse Messiam olim promissum. 2. ad istud evincendum, probandum erat omnes characteres Messiæ proprios Christo competere, eum proinde dixisse, egisse, passum fuisse quæ Messiæ dicenda, agenda & patienda fore prædixerant Prophetæ. 3. Inter opera Messiæ propria genuinosque ejus characteres occurrunt miracula. Possunt ergo miracula sub duplici respectu considerari vel in se, vel ut Messiæ characteres operaque propria. 3. Medium probationis seu argumentum quodlibet duplici modo usurpari potest, vel ut unicum & absolute necessarium, ita ut eo cadente tota corruat causa, vel ut fortius breviusque retundantur adversarii & ad præcidendas cavillationes ac removendas importunas aut disputationi alienas quæstiones.

His

His prænotatis, dico 1. ubi SS. PP. probandum insumpserunt Christum esse Messiam olim promissum, tunc miracula cum prophetiis conjungere, & ea ut prænuntiata considerare debuisse. Alias in Christo non adunassent omnes Messiæ characteres. Non quia miracula ex prophetiis omnem divinitatem suam hauriebant, sed quia talia numero opera & miracula erant inter Messiæ characteres. Sic Christus ex Vergine nasci debebat, quia id de Messia vaticinati fuerant Prophetæ. Sic Christus ipse Joanni an esset Messias interroganti in medium profert miracula, non in genere, sed talia & talia numero & Messiæ per prophetas adscripta & sibi propria. Tunc Christus, ut SS. PP. miracula usurpat, non in se, sed ut prophetiarum impletiva & Messiæ distinctiva. 2. Aliquando etiam miracula prophetiis adjungebant SS. PP. non ex necessitate, non quod alias mancum fore putarent argumentum deductum ex solis miraculis, sed ut majus accederet robur breviusque & facilius hostes comprimerent: nam aliquando ex solis miraculis arguebant; sicut quandoque ex solis prophetiis. Probant aliquando vim miraculorum Christi aliunde quam ex prophetiis, ver. grat. ex Dei providentiæ legibus, ex eorum numero; &c. Nec ex eo quod miracula prophetiis adjunxerint, eos miracula ut æquivoca habuisse seorsim a prophetiis concludere magis licet, quam prophetias seorsim a miraculis esse æquivocas ex eo quod prophetias miraculis adunaverint. Via illa & brevior & tutior sæpe erat. Etiamsi enim per impossibile error in miraculis subrepere potuisset, etiamsi fraus latere potuisset in quibusdam oraculis, longe difficilius ac magis impossibile erat in utroque conjuncto errorem reperiri.

Denique SS. PP. eumdum in probatione sequuti sunt ordinem quem rebus impressum videbant. Ideo plerumque miracula prophetiis consociabant in argumentando, quia a parte rei prophetias comitabantur oracula. Sic v. g. S. Justin. Apol. 1. probare suscipit certissimis fundamentis inniti Religionem Christianam. Inde probat Christianos veritatem tenere quod Filius Dei sit incarnatus; Filium Dei vero esse incarnatum ex prophetiis eruit; omnesque vitæ Christi circumstantias ex iisdem prophetiis evolvit: nativa susceptæ disputationis series miracula prophetiis conjungebat. Eadem methodo contra Faustum disputat sanctus Augustinus: Manichæus ille alium ab Apostolis Christum prædicabat. Debuit ergo probare sanctus Augustinus non alium admittendum esse Christum quam quem prædicaverant Apostoli. Cum autem prophetias sperneret (totum enim Vetus Testamentum respuebat) non potuit sanctus Augustinus ex prophetiis per se & præcise arguere. Coactus ergo fuit prophetias illas conferre cum Apostolorum scriptis; hæc enim scripta agnoscebant Manichæi. Hinc Sanctus ille Doctor probat primo Prophetas esse in omnibus Apostolorum scriptis concordes. Deinde evincit omnes illas prophetias esse eventu completas. Cum autem plurima miracula prænuntiarent, miracula prophetiis jungere debuit; at ea non attendit tunc nisi ut totidem prophetiarum eventus. Nec de solis curationum miraculis, sed de Christi nativitate, resurrectione, ascensione agunt Patres omnes.

Inst. At, inquies, si ea fuit SS. PP. sententia, cur ergo nunquam expresse negaverunt vera esse Paganorum miracula?

R. Quæram etiam cur non semper expresse negaverint vera esse eorum oracula. Nunquam expresse ea vera esse miracula negaverunt, at nunquam etiam expresse ea vera esse confessi sunt. Dant aliquando SS. PP. quod falsum esse judicant & probant. Sic Tertull. Apol. c. 21. 22. 23. sæpius dat Christum hominem esse. Dabant SS. illi Doctores vera esse miracula a dæmonibus patrata, nec quicquam inde detrimenti patiebatur causa Christi, quia independenter a prophetiis innumera erant discrimina inter miracula Christi & dæmonum. Hinc noluerunt se in hanc quæstionem injicere, cum etiam dato non concesso vera esse quæ de Æsculapio, v. g. narrantur, integra ex omni parte starent Christi miracula.

Inst.

Inst. Nemo diffiteri potest prophetiam esse argumentum & characterem extra omnem disputationis aleam positum, & infirmum fore a gumentum ex solis curationum miraculis desumptum, nisi accedeient prophetiæ.

R. n. ant. 1. Nulla afferri potest ratio cur Prophetia vera & proprie dicta probet per se, independenter a miraculo & diabolicæ potestati omnino sit impervia, non item miraculum verum & proprie dictum. Prophetiæ enim sunt vera miracula. 2. Inter prophetias a Christo editas quædam fortasse reperiri poterunt quæ non magis a diabolica cognitione recedere prima fronte videbuntur quam prædictæ morborum curationes. Innumeræ sunt hac de re Deistarum cavillationes. Quid ergo, ut prophetiæ illæ probent, ad alias prophetias aut ad alia miracula recurrendum erit? 3. Juxta hanc sententiam unicum restat Religionis Christianæ argumentum. Motiva enim quibus astruitur illa Religio, ea fere reduci possunt ad oracula & miracula. Propagatio enim Religionis hujus, Martyrum constantia sunt vera miracula, nec aliter Christianæ Religionis veritatem evincunt, nisi quia manum Omnipotentis indicant. Jam vero si miracula seorsim a prophetiis sint aquivoca, si ex iis omnem suam efficaciam desumant, jam proprie loquendo sola probat prophetia, probat per se, deinde ex circumstantiis & accessoriis quibusdam, nempe ex propagatione, Martyribus & aliis miraculis. Deinde quod hujus sententiæ patronis maximam facit fiduciam, illud est quod miracula Christi prænuntiata fuerint: atqui pariter Christianæ Religionis propagatio prænuntiata fuit. Ergo illa propagatio nihil per se probabit in hac sententia. Ergo unicum fit Religionis argumentum. Jam vero immerito detrahitur miraculis robur ipsis intrinsecum, & ex circumstantiis extrinsecis robur illud desumitur. Miraculum, prophetia & sanctitas doctrinæ tria sunt quæ sigillatim vim & energiam sibi innatam servant. Doctrina sua sanctitate & æquitate probatur sine miraculo & prophetia; sola ratio, Ethicæ Christianæ veritatem demonstrat. Prophetia cordium intimum scrutatorem, & infinitam Entis supremi scientiam indicat absque ullo ad miraculum recursu. Cur non manum Omnipotentis indicabit miraculum a prophetia sejunctum? Potest equidem fieri miraculum in confirmationem alicujus doctrinæ, potest prophetia prænuntiatum esse, duplex illa circumstantia miraculi divinitatem evincit; attamen absentibus illis circumstantiis vim probandi habet sibi innatam & propriam; v. gr. Miracula Mosis, Gedeonis, &c. nullo oraculo erant prænuntiata, & tamen decretorie probabant. 4. Quamvis miracula Christi prænuntiata fuerint, sigillatim tamen ac nominatim nullo fuere antea expressa oraculo. Nec prædicta fuere Apostolorum aut Martyrum miracula. Quis neget eclypsim solis tempore mortis Christi peractam in Judæorum & Infidelium animis eosdem sensus excitare debuisse ac apud Centurionem? 5. Si semel supponatur veritatem doctrinæ prius certam esse debere quam admittatur miraculum, nusquam miraculum afferri poterit in probationem doctrinæ: quod volueris miraculum fidei anterius, æquivocum erit. Attamen miraculum in fidei argumentum & confirmationem affertur. Si v. g. Sinensibus veritates evangelicæ annuntientur & miraculis obfirmentur; miracula illa respuere Sinensibus licebit, quia veritatem prædicatæ doctrinæ nondum perspectam habent.

Inst. Illa miracula nihil probant quæ certam & infallibilem non habent connexionem cum divina Christi missione; atqui miracula Christi talem non habent connexionem cum divina ejus missione. Ideo enim eam haberent, quia ex una parte vera sunt & proprie dicta miracula, ex altera vero ut talia habita fuere ab innumera multitudine; atqui licet talia fuerint Christi miracula, non habent tamen cum divina ejus missione connexionem certam & infallibilem. Nam fuerunt olim spuria & adulterina miracula quæ etiam ab innumera multitudine ut vera & divina habita fuere. Ergo licet miracula Christi vera fuerint, immo licet ut talia ab innumera multitudine habita fuerint, non habent connexionem, &c.

R. n. 1.

R. n. 1. min. Ad prob. dico 1. illegitimam admodum esse hanc argumentandi formam: extitere olim miracula falsa & spuria; ergo nulla extiterunt, aut etiamnum existunt miracula vera, vel nihil probant. Immo ex eo quod falsa extiterint miracula, concludi debet vera antea præcessisse. Falsitas enim nihil aliud est quam veritatis exclusio aut negatio. Undenam tot vanæ ac falsæ Religiones nisi quia ex prima & vera male quidam aliam fabricarunt? si nulla unquam vera aut oracula aut miracula extitissent, inquit Paschalius, neutrum animo concipere, neutrum æmulari potuissent homines. Si quis jactaret se invenisse remedium immortalitatis productivum; nullus ei fidem adhiberet. At si quis promittat certam quorumdam morborum sanitatem, omnes ad eum currerent. Discrimen istud oritur ex eo quod perpetua constet experientia mortem esse omnibus certam & ineluctabilem, & e contra certum est vera esse & efficacia medicamenta. Ergo falsorum miraculorum suppositio evincit verorum existentiam. Et certe supponamus Præstigiatorem aliquem qui falsis miraculis spectatori alicui fucum faciat. Spectator ille duo judicia feret. 1. Miraculum utpote Entis supremi loquelam, summa esse veneratione dignum. 2. Hoc vel illud opus esse Dei ipsius loquelam & verum miraculum. Primum ex his judiciis non cæcum est aut præjudicatum, sed exprimit sensum humano generi nativum, & omnium animis insitum; at judicium illud probat & vera extitisse miracula, & iis fidem esse adhibendam. Hujus judicii solidam veritatem non elidit ejus applicatio facta ad falsum miraculum. Quia scilicet posterius illud judicium ex longe diversis fontibus oritur; mala principii alicujus applicatio, principii veritatem non evertit. Ubi quis ementita evidentia deluditur, sic ratiocinatur; evidentia est tutissima veritatis regula. Huic judicio alterum succedit: hæc propositio est evidens. Principium suum male applicat illud referendo ad propositionem falsam. Sed inde non sequitur aut nullam dari evidentiam veram, aut eam nihil probare. Ita de miraculis falsis. 2. Dico maximam intercedere disparitatem inter miracula illa falsa & miracula Christi. 1. Ementita miracula momentaneam tantum persuasionem inducunt. Idem sæpe sæculum, immo idem annus ea miracula celebrat & contemnit. Prima in levissima eorum discussione omnem suam auctoritatem & fidem deperdiderunt. E contra miracula Christi quo magis sæculorum series sese explicuit, eo magis eorum succrevit fides & auctoritas. II. Aliquando fictitia miracula in natali solo celebrantur, sed ultra & in aliis locis aut ignorantur, aut vilescunt; aliquando facta illa fidem aliquam sibi faciunt in longe dissitis regionibus, dum in patrio solo vix cognoscuntur, aut etiam respuuntur. Miracula Christi a prima sui origine notissima, in longe dissitas mundi plagas latissimos suæ famæ ramos citius protenderunt. Quo latiores regiones peragraverunt miracula illa, eo altiores emiserunt radices. III. Fucata miracula in caliginosis quorumdam angulorum lateribus patrata semper supponuntur; semel & una tantum vice tentata fuere, ita ut non detur alterum miraculum qui æquivocam prioris ambiguitatem tollat; rudis & indigesta est circumstantiarum dispositio, sæpe secum pugnant factorum illorum circumstantiæ. Nævos istos in narratione evangelica nullus adhuc Deista quantumvis oculatus detexit, immo longe diversos characteres sibi vindicant Christi miracula.

Inst. Atqui miracula Christi non habent certam & infallibilem cum missionis ejus divinitate connexionem. Ut enim hanc connexionem haberent, saltem quoad nos, deberet miraculi natura certo constare & eo modo qui sufficiat ad discernendam ejus vim & energiam: atqui non sic constat miraculi natura. Nam innumeræ sunt Theologorum de hac natura sententiæ, milleque tricis & ambagibus eam implicuerunt. Ergo miracula Christi non habent, &c.

R. n. min. Hærent quidem Theologi & inter se dissentiunt in assignanda metaphysica miraculi natura, at omnes firmos, immobiles & quasi unanimi consensu confœderatos reperias in agnoscendis principiis quæ Christi miraculis suam vim dent. Principia autem illa sunt 1. licet

licet multa miracula facere possit dæmon, plurima esse tamen quæ potestatis ejus limites evidenter excedant; immo licet obscura sit miraculi natura, consentiunt tamen hos vel illos effectus esse certo certius vera miracula. Talis est resurrectio mortui. II. Sunt quædam characteres ita miraculo affines ut a nemine rerum Theologicarum perito rejiciantur. Porro quidquid sit de abstrusa miraculi natura, characteres illi probant hos vel illos effectus esse vera miracula; sicut quamvis certa nondum constet materiæ natura, certo tamen pronuntiamus illud omne materiale esse quod trinam habet dimensionem.

Inst. Atqui posita illa Theologorum dissensione, jam nullam vim obtinent miracula Christi, nec certam habent cum missionis ejus divinitate connexionem. Tandiu enim vim illam non obtinebunt, quamdiu æquivoca erunt: atqui posita illa Theologorum dissensione, jam miracula Christi æquivoca sunt. Tandiu enim æquivoca erunt illa miracula, quamdiu suspicari licebit ea oriri ab agente aliquo homini quidem superiore, sed qui tamen Deus non sit. Atqui posita Theologorum prædicta dissensione, suspicari licet miracula Christo ascripta, ab agente tali orta esse. Sicut enim Angelus homini potestate præcellit, sic inter Angelos ipsos varii gradus non immerito supponi possunt, ac proinde etiam Angeli alii aliis potentiores qui miracula Christo ascripta patraverint. Jam vero hoc semel posito miracula illa nullam vim obtinent, æquivoca sunt, &c. Ergo posita illa Theologorum dissensione, &c.

R. n. prim. min. Et dico sive dæmones possint, sive non possint miracula patrare, certam & inconcussam miraculis Christi manere auctoritatem. I. Quia miracula Christi eos habent characteres quibus constat diabolicæ fraudi suum ortum se non debere. 2. Vetant Dei attributa ne miracula Christo ascripta artis diabolicæ sint fœtus. Obstant scilicet Dei sapientia, veracitas & justitia. Deus enim utpote sapientissimus contra seipsum agere, & seipsum negare non potest. Cum sit justus, fraudem & mendacium præmio veritati debito donare non potest. Denique cum sit summe verax, in dolum concurrere non potest, nec creaturis invincibilem errorem propinare. Atqui tamen hæc omnia incommoda occurrunt si semel miracula Christi sint mera dæmonum portenta; nam in ista hypothesi, Christus fraudis & doli minister loco veri Dei ubique adoratur; inter tot sub nomine Dei data testimonia nullum superest homini erroris detegendi medium. Si enim Deus sic malis Angelis suam potentiam communicet, Spiritus illi pro suo erga Deum odio, veri Numinis cognitionem & amorem a terra exulare facient; quod vetant Dei attributa. 3. Quærere liceat cujus tandem naturæ fuerit Genius ille Christo assistens ad operationem miraculorum; an malus? an bonus? Si enim malus erat, quid absurdius quam virtutum & rerum adeo eximiarum eum auctorem facere? Mirum sane est Angelum illum invita licet sua malignitate ethicam veterum Philosophorum doctrina longe puriorem & excellentiorem docuisse, & proprio cultui ultimam cladem propriis manibus intulisse. Dum in malum tota voluntate propendet, bonum tamen operatur, & virtutem impense colit. Hoc systema in Manicheismum incidit. Nihil enim Deo similius ente illo quod sine Deo talia portenta operatur, naturam supremo nutu & regia veluti manu disponit ac ordinat, quod denique summo rerum Conditori adversatur. Quod si Angelus ille bonus sit, vel Deo jubente & consentiente miracula operabatur, tuncque id conceditur quod totis antea viribus negabat objectio; vel Angelus ille Deo inscio & inconsulto operabatur, quod absurdum est & contradictionem involvit. Nulla enim justitia, nulla sanctitas vera concipi potest nisi in plena cum Dei consiliis consonantia. Præterea miracula sua in nomine supremi Numinis operabatur Christus; quod si fuerint effectus agentis justi quidem & Deo chari, sed cujus potestas limitata erat, errore perpetuo suos spectatores deludebat. Christus dum infinitæ potestati ea tribuebat quæ finitæ & limitatæ potentiæ conveniebant. Denique inter Christi miracula quædam sunt quæ absque ulla dubitandi ansa

manum Omnipotentis exigunt. Talis est ver. gr. mortui exsuscitatio. Ergo non potest Angelo illi licet bono ascribi. Quod autem mortui ad vitam revocatio finitæ potentiæ sit impervia, facile est probare. Vita hominis non in sola organorum actione consistit, sed in animæ cum corpore unione. Ut ergo mortuum corpus revivíscat, requiritur ut duplex substantia inter se essentialiter diversa, anima scilicet & corpus, mutuum resumant commercium, sese iterum afficiant. Jam vero hæc resarcire non potest virtus finita & limitata. Ens enim quod duplicem illam substantiam sic iterum conjungeret, deberet utraque substantia esse majus & potentius, deberet supremum in utramque substantiam habere dominium; utriusque substantiæ præcontinere perfectiones & Entis plenitudinem in se habere; hæc enim unionis reproductio est veluti quædam nova creatio. Nullum sane legitimum discrimen assignari potest inter unionem quæ facta est ubi primum vita donata est, & unionem quæ restituitur in resurrectione. Utraque infinitam potentiam, supremumque dominium requirit. Jam vero talem potentiam aut tale dominium non potest sibi vindicare Angelus ille licet bonus; nec illud habet in utramque substantiam dominium quod sufficiat ad stabiliendam mutuam utriusque substantiæ dependentiam.

Inst. Atqui miracula Christi aut non sunt vera, aut certam non habent cum missionis ejus divinitate connexionem. Etenim constat Synagogam Judæis a Deo datam fuisse ut controversiarum judicem. Hinc ex institutione divina suprema auctoritate de rebus Religionis pronuntiabat; constat pariter Christum a Synagoga pro Messia agnitum non fuisse. Jam vero illud concipi non potest nisi quia Synagoga miracula Christi vel falsa esse vel cum missionis ejus divinitate nullatenus connexa existimaverit. Porro miracula quæ aut vera, aut cum intento fine connexa non judicantur ab auctoritate infallibili, talia prudenter judicari non possent. Alias Deus Judæis in re necessaria defuisset, nec ullum veritatis detegendæ medium iis dedisset. Ergo miracula Christi aut non vera, &c. Unde sic in forma resumo. Illa miracula aut non sunt vera, aut non sunt cum Christi missionis divinitate connexa quæ ut talia non agnovit auctoritas infallibilis: atqui auctoritas infallibilis non agnovit miracula Christi, &c. Nam Synagoga Judæorum miracula illa non agnovit: atqui Synagoga erat infallibilis. Ergo miracula Christi aut non vera, aut, &c.

R. neg. ult. min. Et dico 1. Synagogam non fuisse medium Judæis a Deo datum ad discernendam veritatem. Non erat certe medium unicum, nedum fuerit medium infallibile. Perpetua nec interrupta experientia constat ministerium propheticum fuisse medium illud infallibile cognoscendæ veritatis. Duo sunt hujus assertionis argumenta. 1. Synagogæ & ministerio Sacerdotali nullum aliud a Deo impositum munus, nulla alia demandata provincia nisi judicandi inter lepram & lepram, sanguinem & sanguinem, cæremonias & cæremonias; ne unum quidem verbum de judicanda veritate dogmatica. 11. Quoties extra has quæstiones mox assignatas alia enata est quæstio alicujus momenti, toties ad ministerium propheticum eam remittebant Judæi & prophetam suscitabat Deus. Hoc ministerio prophetico regebatur vel ipsa Synagoga. Sic v. gr. dum Templi erectionem meditatur David, Propheta Nathan ad eum mittitur. Hærent anxii Judæi quid de contaminato Holocaustorum altari agendum sit; consentiunt expectaadum esse Prophetam, &c. Jam vero si quæstiones illæ ad Synagogam supremo & divino jure devolutæ fuissent, cur non ad eam recurrebant Judæi? Uno verbo ex perlustratis omnibus Scripturæ textibus, nullus occurrit in quo Deus Synagogæ seu Sacerdotum consilio absolutam infallibilitatem promiserit. Immo perpetuo & constanter Judæis exprobrat eorum erga prophetas a se missos rebellionem; ad Prophetas recurrunt etiam ipsi Judæi. Ergo Prophetarum successio erat saltem extraordinarium veritatis cognoscendæ medium Judæis a Deo propositum. Ergo Synagoga non erat infallibilis. Ergo ex ejus judicio, si miracu-

racula Christi damnasset, nihil inferri posset contra miraculorum illorum veritatem. Equidem Synagoga judicium ferebat circa missionem Prophetarum, sed ex characteribus quorum assignatio & determinatio in Scripturis exarata erat, quorum applicatio independenter a Synagoga fieri poterat. Characteres illos ordinaverat ipsemet Deus, nec penes Synagogam erat eos mutare. Quilibet poterat postea judicare an v. gr. Prophetia eventu completa fuisset, nec ne. Hac ad Christum applicare facile est. Duæ erant circa eum quæstiones. I. Messiam aliquando tandem tempore a Prophetis designato venturum; & hos ac illos characteres habiturum. II. Christum filium Mariæ hos characteres sibi vindicare. Circa primam quæstionem. Synagoga nihil aliud præstandum habebat quam exhibere libros sacros, codices & Prophetarum oracula quorum custos erat, non vero judex, & ex iis Messiæ characteres depromere ac sub oculis ponere. Porro in hoc fidelissima semper fuit, ut patet, cum interrogata fuit ab Herode ubi Christus nasceretur. Quantum vero ad secundam quæstionem, scilicet an Christus foret Messias, eo tota devolvebatur quæstio, an Christus natus esset Bethlehem, an vera miracula faceret. Porro in hac parte nullum munus Synagogæ incumbebat, oculi tunc erant tutissimi rerum judices. Nec defuit Christo testimonium propheticum. Sanctus enim Joannes ad ostensionem Messiæ a Deo missus, Christum pro Messia agnovit. Dico 2. etiamsi Synagoga fuisset medium ordinarium discernendæ veritatis, hoc munere defungi non potuit in præsenti casu. Prænuntiatum erat Christum, seu Messiam a Populo suo negandum esse. Ergo juxta oracula Prophetarum Messiam negatura erat ipsa Synagoga; hæc repulsa, veri Messiæ nota erat & character. Ergo Synagoga non poterat esse designata a Deo ut medium hujus veritatis cognoscendæ; nec audienda erat cum determinaret quisnam esset Messias, nec ne. Circa personam Messiæ sicut circa personas Prophetarum quos sæpe acriter insequebatur, errori obnoxia erat Synagoga. Dico 3. Infallibilitas si consideretur Synagogæ, toti Synagogæ, non singulis membris competeret. Porro nunquam tota Synagoga edixit miracula Christi esse falsa & ementita; immo inter machinandam, aut decernendam Christi mortem supponit perpetuo miracula ejus esse vera, ut supra probavimus; infidelitas qua eum sprevit, ex iis errorum fontibus & causis quas supra assignavimus oriebatur. Dico 4. In illis rerum circumstantiis deficiente nempe Synagoga, Deum Populo suo non defuisse, tum quia, ut jam dixi, Synagoga non erat Fidei controversiarum Judex infallibilis; tum quia aderat tunc maxima quæ optari posset auctoritas & veritatis via, nempe Christus Prophetarum scopus & Doctor. Deus ergo Populo suo tunc usitatum ac familiare veritatis criterium subministrabat, nempe Prophetam Mosi similem in cujus ore verba sua posuerat, qui propheticis suis maximam fidem faciebat ex doctrina, ex miraculis, & missionem suam more antecessorum Prophetarum confirmabat. Ergo repulsa quam Christus a Synagoga passus est, non probat miracula ejus non fuisse vera, nec eorum cum divina ejus missione connexionem evertit. Quod sic in forma breviter resumo. Illa auctoritas miraculorum Christi veritatem aut eorum cum divina ejus missione connexionem non destruit, quæ nec fuit infallibilis, nec etiam si fuisset, miracula illa falsa judicavit, nec etiamsi ea talia esse judicasset, in tali judicio infallibilis erat, sed e contra errori obnoxia: atqui talis erat Synagoga; ergo ex rejecto ab ea Messia, nempe Christo, non destruitur aut miraculorum Christi veritas, aut eorum cum divina ejus missione connexio.

Inst. Atqui miracula Christi missionis ejus divinitati certam fidem non faciunt. Ut enim miracula illa huic missioni fidem facerent, deberent probare Christum omnes Messiæ characteres sibi vindicare & tollere omnia dubia circa eorum in Christo applicationem: jam vero miracula Christi istud non præstant. Idem sit judicium de omnibus Messiæ characteribus ac de ortu ex Virgine. Si enim semel Christo desit aut dubius sit vel unus character; jam pro Messia haberi non potest. Porro miracula Christi

non

non probant ejus ortum ex Virgine. Sive enim Maria vero matrimonio cum Joseph conjuncta, sive ei tantum desponsata fuerit, certum est omnes Judæos credidisse verum intercessisse matrimonium, & Christum reputatum fuisse filium Joseph. Nisi ergo miracula Christi hanc Mariæ virginitatem certam faciant, non probant Christum omnes Messiæ characteres habere. Porro nulla Christi miracula id præstant; nulla enim miracula facta sunt expresse in confirmationem hujus veritatis. Unde sic in forma. Illa miracula Christi missionis divinitati fidem non faciunt quæ non evincunt eum omnes Messiæ characteres habere: atqui miracula Christi non evincunt eum habere omnes Messiæ characteres, v. grat. non evincunt eum ex Virgine ortum ducere: ergo nec missionis ejus divinitati plenam fidem faciunt.

R. n. min. 1. Ut miracula Christi probarent ortum ejus ex Virgine, necesse non erat ut miracula illa fierent directe & expresse in confirmationem hujus veritatis & cum expressa hujus finis propositione, sed sufficiebat ut Christus miracula illa se facere assereret ad probandum se esse Messiam; tunc enim idem erat ac probare se habere omnes Messiæ characteres. 2. Sola dubii ratio in objectione prolata est matrimonium verum cum Joseph contractum; sed illa ratio est tantum negativa, nec nisi conjecturam facit contra Mariæ virginitatem. Aliud est enim matrimonium ratum; & aliud matrimonium consummatum. Porro conjectura illa cedere debet innumeris miraculis quæ fiebant ad probandum generaliter Christum esse Messiam. 3. Certum est miracula Christi vera fuisse; istud probavimus. Certum est pariter Christum omnes alios Messiæ charcteres sibi evidenter vindicare. Jam vero Deus pro sua sapientia pati non poterat ut aliquis tot veri Messiæ characteres clare & evidenter sibi arrogaret, nisi fuisset vere Messias. Dum ergo miracula Christi eum esse Messiam generaliter evincebant ex declaratione Christi, Deus debuisset dubium circa virginitatem Mariæ excutere. Aderat enim ex una parte legitimum virginitatis hujus credendæ motivum, nempe miracula vera & divina; aderat tantum ex opposita parte conjectura & ratio mere negativa, nempe matrimonium verum. Ergo Deus suæ sapientiæ & aliis suis attributis debebat ut dolum propinatum manifestaret, vel Christum arcendo a miraculis, vel declarando eum allato Messiæ charactere carere, ac consequenter eum nomine Dei & miraculorum potestate abusum esse. 4. Sic scribit Evangelista; *Qua* (Maria) *non cognoscebat eum donec peperit Filium suum*. Quæcunque ergo momenta attulimus ad evincendam scriptorum novi Testamenti veritatem, quæcunque operati sunt Apostoli miracula ad eandem librorum illorum veritatem obfirmandam, ea probant Mariam Virginem fuisse cum peperit Christum. Ergo.

ARTICULUS III.

De sanctione Legis & Religionis Christianæ.

Suggerit profecto memoria suam unicuique legi sanctionem ex dictis deberi. Suam ergo lex & Religio Christiana habeat necesse est. Eo usque radios suos protendit lumen naturale, ubi de Religione naturali agebant, ut ea alteram vitam præsenti superstitem nobis manifestaret. At etiam notavimus duobus incommodis impeditam laborare Religionem illam. Nam 1. licet futuram vitam iis astrueret argumentis quibus obsequi rationi omnino consonat, quibus vero obniti rationi repugnat, libenter tamen confessi sumus ex modica argumentorum illorum luce non plenum fulgere diem, nec inde omnino pacatum esse animum. Futuræ enim vitæ existentia pendet a decreto Dei positivo & libera ejus volitione cui omnimodam fidem non facit ratio sibi relicta. 2. Quantum ad durationem & perpetuitatem vitæ futuræ, altum silet ratio & Religio naturalis.

Religioni naturali Judaica successit. Crepusculo jam illucescenti novum quidem sed nondum plenum addidit fulgorem. Licet enim bona futura fidei supernaturali decerneret, futurorum tamen bonorum naturam, non nisi obscure &

& implicite preponebat; de eorum permanentia vix ac ne vix clare & decretorie pronuntiat.

Nova ac perfectior ecce adest nobis lex & Religio, Christiana nempe, cui propria non deest sanctio, cui sua sunt præmia sicut & supplicia. A duplici vitio quod mox sive naturali, sive Judaicę Religioni imponebamus, libera est & immunis. Quæ post præsentem vitam vel speranda, vel timenda habemus, ea & certo & clare nos docet; quandiu hæc duratura sint, clare itidem & certo nobis aperit. Ut autem rite debitoque cum ordine hic procedamus, quædam prænotare juvat.

1. Futura de qua agimus vita duo importat, 1. corporis resurrectionem; 2. iteratam immortalis animæ cum eodem corpore unionem.

2. Hinc merces & pœna alia inchoata & partialis, alia absoluta & completa. Illa in unius tantum substantiæ pœna vel mercede, hæc in utriusque substantiæ remuneratione vel supplicio.

3. Utraque tum merces, tum pœna limitata est, vel illimitata; rursus illimitata vel negative, id est, inde finitæ durationis, vel positive, seu durationis quæ futura est æterna determinate & positive.

4. Cum homo duplici constet substantia, anima nempe & corpore, utrique substantiæ proportionata debetur vel merces vel pœna: hæc quoad animam consistere dicitur in amissione summi boni, seu in mera ejus privatione cum vividissimo doloris sensu ex eo deperdito; quoad corpus vero, in ignis dolore & cruciatu reponitur. Secunda dicitur positiva, negativa altera. Merces corporis in ejus resurrectione & glorificatione consistit; animæ vero præmium est intuitiva Dei visio & fruitio.

5. Varios hac de quæstione errores ad amussim enumerare operosum foret & supervacaneum. Mirum enim vero quantum hic desipuerit humanum cerebrum. Præcipuos igitur & quantum ad propositum sufficit recensebimus.

6. Itaque quantum ad futuram beatitudinem primi & soli, quos nominatim appellare velimus, contra resurrectionem decertarunt Sadducæi a Sadoc eorum avo sic isto nomine donati. Horum erroris hæc fuere capita. 1. Nomine spiritus intellexisse videntur substantiam immaterialem nullo vinculo materię consociabilem. Hinc extra Deum nullam substantiam vero sensu immaterialem agnoscebant. Procul ergo Angeli ex spirituum albo. 2. Animas hominum utpote eorum corporum formas per se & independenter a corporibus quibus informandis inserviebant, subsistere posse non concipiebant. Hinc redivivam corporum existentiam omnino renuebant. Observandum autem non ideo Sadducæis corporum resurrectionem displicuisse quod dissolutas corporum partes a Deo recomponi & iterum adunari posse nollent, sed quia cum animas sine corporibus sustentari posse negarent, ac proinde corporibus commori contenderent, jam resurrectionem quæ per iteratam animæ & corporis unionem fieret, repugnare æstimarunt. Quasi vero aut anima ex se non esset immortalis, aut licet ex se mortalis, Dei potentia æternum conservari non posset, aut nativa sua conditione destructa reconstrui minime valeret ab eo qui corpus primum creavit!

7. Quantum ad animæ remunerationem futuram, ii omnes errarunt qui ejus immortalitatem sive ab intrinseco, sive ab extrinseco inficiati sunt. Hos sufficienter revicimus in prima hujus tractatus parte, nec quicquam hic addemus, licet luculenta nobis hac de re subministret argumenta revelatio Christiana.

8. Quantum ad pœnam in futuro reservatam non unus est error. Vix tamen reperias qui omnem omnino e medio sustulerint pœnam, eos tamen excipias qui omnia nostra cum corpore peritura & annihilanda arbitrati sunt; edicente Christo: *discedite a me maledicti in ignem æternum*. Omnes Christiani primitus in dogma æternarum pœnarum huic vitæ superstitum consenserunt. Deinde vero horum verborum duritie exasperati quidam ea emollire, metaphoramque iis inserere tentarunt. Ubi vero sita aut collocanda sit illa metaphora, non una eademque est omnium sententia. Dum ignem realem exhibent verba Christi,

sti,

ffi, metaphoricum esse aliqui contendunt. Ignis metaphoricus nihil aliud est quam animæ angor & tristitia tum ex præteritis tum ex præsentibus. Sic rem evolvit Origenes *l.* 2. de principiis, *c.* 10. n. 4. ad hæc verba Isa. 50: *Ambulate in lumine ignis vestri & in flamma quam accendistis*. Ex quibus verbis concludit Scripturam, ubi loquitur de igne futuro, non agere de igne qui jam accensus sit ab alio, sed de eo quem sibi quisque accendit. Sicut in corpore escarum abundantia & qualitas & quantitas cibi contraria febres generant & quidem febres diversi modi & temporis, sic anima ex multitudine scelerum inflammatur ad pœnam, postquam competenti tempore omnis illa malorum congregatio effervescit, cum mens omnia scelera sua sibi repræsentat & ex eorum conscientia torquetur. Itaque juxta Origenem & ejus sequaces ignis inferorum quem Christus reprobis minatur, nihil aliud est quam conscientiæ vermis. Alii vero verborum Christi perspicuitate victi ignem realem negare se non posse agnoverunt, sed eo se colligunt ut velint æternitatem præfatis verbis expressam esse tantum improprie dictam, nec intelligendam esse nisi de longissimo quidem, sed indefinito temporis spatio determinato quidem ex parte Dei, indeterminato vero relative ad hominem, quo expleto, finis erit cruciatibus. Rursus in hac posteriori sententia alii contendunt nullam pœnam sive damni, sive sensus æternam fore; alii vero libenter concedunt pœnam damni fore æternum duraturam, non ita pœnam sensus. Præterea inter eos qui stant pro æternitate metaphorica, sunt qui impios aliquando tandem salvandos & in Dei gratiam recipiendos putent; sunt etiam qui non salvandos, sed annihilandos velint; ita Sociniani recentiores. Denique alii salvandos admittunt omnes reprobos cujuscumque ordinis, ne exceptis quidem Dæmonibus, alii solos homines, ita Origenes; quem tamen quidam ab isto errore vindicant. At alii omnes homines flammis tandem eripiunt, alii solos baptisatos, alii non omnes baptizatos, sed eos solos qui fidem servaverint: sic ignis inferorum non tam torquendis quam purgandis damnatis inserviet.

9. Mortuorum duplex distinguitur status post hanc vitam. Vel animæ sunt a corporibus separatæ, vel iis conjunctæ. Facile concipitur quomodo animas corporibus conjunctas torquere possit ignis realis. At contra realitatem ignis corporei difficultatem non modicam faciunt animæ a corporibus separatæ. Scilicet cum anima sit spiritualis, nec ullas habeat partes, in eam agere posse ignem corporeum vix concipitur.

Varie varii ab hac difficultate se expediunt, nec una est omnium Theologorum sententia. Sunt qui dicant ignem inferorum in animas agere physice ex extraordinaria Dei potentia qua singularem illam activitatem igni corporeo communicavit. Rem elucidant ab exemplo sacramentorum quæ licet elementa sint corporea, physice tamen gratiam producunt & in animam agunt obscurum ex obscuro: sunt qui putent ignem infernalem agere in animam realiter quidem sed moraliter, eo sensu quod occasione ignis Deus excitet in illis substantiis sic separatis sensationem combustionis. Suam habent hic sententiam SS. Aug. *l.* 21. *de Civ. Dei*, *c.* 10. &c. & Tho. *c. Gen. l.* 4. *c.* 90. & in 4. dist. 47. art. 2. & 3. dist. 44. primus duplici modo exponit igne torqueri substantias spirituales etiam a corporibus separatas, vel quia Dæmones v. g. habent corpora sibi propria, vel quia igni adhærent & in eo includuntur, & sic miris, ineffabilibus ac incomprehensibilibus modis torqueri. Observat Coquæus post S. Th. quæst. 16. de malo art. 1. Quæcumque ex his duabus sententiis teneatur, perinde esse quoad finem; utriusque hæc est summatim sententia. 1. Anima a corpore separata non sic cruciatur ab igne ut ejus natura per ignem aut corrumpatur, aut alteretur, aut aliquo modo transmutetur. 2. Nec etiam anima in hoc statu affligitur per ignem ratione alicujus contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur: ratio S. Th. est quia anima in præfato statu ante resurrectionem organa non habet nec utitur potentiis sensitivis. 3. Pati-

titur ab igne tunc anima per modum alligationis, seu unionis. Quod ut intelligatur observandum est duplici modo substantiam spiritualem posse uniri corpori vel per modum formæ ut det ei vitam, sicut anima humana corpori unitur in præsenti vita, vel etiam absque eo quod sit ejus forma, sed ut locatum loco, eo tamen modo quo substantia spiritualis loco definiri potest, secundum quod nempe spiritus creatus ita loco aliquo definitur ut non sit in alio. 4. Unio ista est violenta detentio animæ sicut in quodam carcere. Quamvis enim res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco definiat, non habet tamen quod eum loco definitum detineat, ut ex inde divertere non possit, & impediatur ne operari possit ubi vult & quomodo vult: hæc autem detinendi vis supperadditur a Deo igni corporeo in quantum est Dei instrumentum. Anima tunc vehementem ex illa unione horrorem & dolorem concipit & ignem videt sibi noxium. Nota hic agi de tempore ante resurrectionem. Nec obstare videtur verborum Christi generalitas; quæ ex subjecta materia exponi debent. Cum agatur de sanctione legis & Religionis Christianæ, eam inquirere nobis est ubi exaratur lex illa, & in codicibus in quibus continetur revelatio ad quam religata pendet Religionis Christianæ veritas. Hinc sub eo respectu codices N. T. proferamus. A SS. PP. proferendis in præsentiarum fere abstinemus, utpote quorum iis quos impugnamus nec bene nota, nec satis venerata sit auctoritas. His præsuppositis ad probationes nos accingimus. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Revelatio Christi expresse docet post hanc vitam alteram nobis sperandam esse.

PRob. 1. Ex eo quod scriptura Novi Testamenti simpliciter commemoret alteram vitam. Sic Matthæi 5. 12. „ Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis. Ibid. 7. 21. „ Non omnis qui dicit mihi „ Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. „ Ibidem 5. 19. 20. „ Qui ergo solverit unum de „ mandatis istis minimis, & docuerit „ sic homines, minimus vocabitur in „ regno cælorum. Dico enim vobis, „ quia nisi abundaverit justitia vestra „ plusquam Scribarum & Pharisæorum, „ non intrabitis in regnum cælorum. „ Luc. 20. 35. 35. „ Filii hujus sæculi „ nubunt & traduntur ad nuptias: illi vero qui digni habebuntur sæculo „ illo . . . . . . neque nubent, neque „ ducent uxores. „ 1. Petr. 13. & 4. „ Regeneravit nos . . . . . (Christus) „ in hæreditatem incorruptibilem. . . . „ conservatam in cælis in vobis. „ 2. Corinth. 5. „ Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis „ dissolvatur, quod ædificationem ex „ Deo habemus, domum non manufactam. „ 1. ad Timoth. 4. 8. pietas . . . . . ad omnia utilis est promissionem habens vitæ quæ nunc est „ & futuræ. „ 2. Timoth. 4. 8. „ In „ reliquo reposita est corona justitiæ „ quam reddet mihi Dominus in illa „ die. „ Hæc sufficiant clara & aperta testimonia, ex quibus resultat 1. aliud fore sæculum a præsenti distinctum. Nam præsenti opponitur; iis designatur nominibus quæ nostro sæculo non conveniunt, subjecta utriusque sæculi distinguuntur; denique semper de eo habetur sermo futuro tempore. 2. In sæculo illo diversa sors futura proponitur, alia mercedis, alia pœnæ. Ergo Scriptura simpliciter, &c.

Prob. 2. Ex judicio quod futurum dicitur in Novo Testamento. Matt. 10. 14. 15. „ Quicunque non receperit „ vos . . . . Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati. „ Ibid. 13. 31. 36. „ qui dixerit (verbum) contra „ Spiritum Sanctum non remittetur ei, „ neque in hoc sæculo, neque in futuro. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die judicii. „ Rom. 2. 15. „ Thesaurisas tibi iram in „ die iræ, & revelationis justi judicii, qui reddet unicuique secundum

„ dum opera ejus... testimonium redden-
„ te illis conscientia ipsorum, & inter
„ se invicem cogitationibus accusantibus
„ aut etiam defendentibus, in die cum
„ judicabit Deus occulta hominum. 2.
„ Cor. 5. 10. omnes ... nos manifestari
„ oportet ante tribunal Christi ut referat
„ unusquisque propria corporis pro ut
„ gessit sive bonum, sive malum. 2. Tim. 4.
„ 1. Testificor coram Deo & Jesu Chri-
„ sto qui judicaturus est vivos & mortuos.„
Ex his omnibus manifestum est fore judicium: porro judicium illud importat vitam a præsenti distinctam. Nam 1. exhibetur post præsentem vitam. 2. Importat causæ discussionem & sententiæ prolationem ac executionem. 3. Hæc omnia aliquam durationem temporis exigunt. Alias nemo referre posset secundum opera sua, nec Deus secundum ea quidquam reddere posset. Ergo.

Prob. 3. Ex unanimi sensu omnium Christianorum. Etenim 1. omnes omnino Christiani quantumvis alias inter se divisi in hoc dogma conspiravere. 2. Omnes eodem consensu putarunt hic adesse promissionem expressam a Christo. Denique omnes eodem assensu certo, explicite illud dogma sunt amplexi. Ergo Christus vere illud revelavit. Ergo.

CONCLUSIO II.

Vita illa erit vel in mercede, vel in pœna: vel felix vel misera.

PRob. Jam sufficienter patet ex præcedenti Conclusione ex qua manifestum est sortem in futura vita diversam fore; deinde quia ejus appendices ex judicio certo distribuentur. Cum ergo non æqualis sit hominum in hac vita agendi ratio, non æquale ex discussione erit judicium; ergo nec æqualis judicis sententia. Ergo nec æqualis sententiæ effectus & executio. Ergo.

CONCLUSIO III.

Ad futuram vitam sive beatam, sive miseram corpora resurgent.

PRob. 1. Ex iis textibus in quibus stabilitur resurrectio futura simpliciter, absolute & pro omnibus. Joan. 5. „ Ve-
„ nit hora in qua qui in monumentis
„ sunt; audient vocem Filii Dei, &
„ procedent qui bona fecerunt in resur-
„ rectionem vitæ, qui vero mala, in resur-
„ rectionem judicii. „ Unde sic concludo, quod audit vocem Filii Dei, quod procedit in resurrectionem, illud est quod erat in monumento, seu quod sepultum erat: atqui corpus est quod sepultum fuit: ergo corpus tunc resurget. Et certe universalitatem confirmat judicium erga omnes exercendum, de quo supra diximus.

Prob. 2. Ex illis locis in quibus astruitur resurrectio relative ad quasdam personas. Joan. 6. „ Hæc est autem volun-
„ tas ejus qui misit me, ut omnis qui
„ videt Filium & credit in eum, habeat
„ vitam æternam, & ego resuscitabo
„ eum in novissimo die ... Amen, amen
„ dico vobis non Moyses dedit vobis pa-
„ nem de cælo, sed pater meus dat vo-
„ bis panem de cælo verum .... Patres
„ vestri manducaverunt manna in deser-
„ to & mortui sunt. Hic est panis de cæ-
„ lo descendens: ut si quis ex hoc ipso
„ manducaverit, non moriatur... Si quis
„ manducaverit ex hoc pane, vivet in æ-
„ ternum. „ Hæc sunt verba Christi in quibus 1. resurrectio & vita æterna promittitur ut fructus tum fidei, tum manducatæ carnis Christi. 3. In hoc differre dicuntur manna Judaicum & Eucharistia Christiana. Sic etiam Rom. 8. „ qui su-
„ scitavit J. C. a mortuis, vivificabit &
„ mortalia corpora vestra propter inha-
„ bitantem spiritum ejus in vobis. „
Clara sunt hæc & aperta, nec ulla expositione indigent.

Prob. 3. ex Dei promissione & summa ejus erga nos beneficentia. Sic legitur Matt. 22. & Luc. 20. „ Qui digni habe-
„ buntur sæculo illo & resurrectione ex
„ mortuis, neque nubent, neque ducent
„ uxores; neque enim ultra mori pote-
„ runt: æquales enim sunt Angelis, &
„ filii Dei, cum sint filii resurrectionis.
„ Quia vero resurgunt mortui & Moy-
„ ses ostendit secus rubum sicut dicit
„ Dominus, Deum Abraham & Deum
„ Isaac & Deum Jacob. Deus autem non
„ est Deus mortuorum, sed vivorum: om-
„ nes enim vivunt ei. „ Jam vero hæc argu-

argumentandi ratio corporum resurrectionem astruit saltem indirecte.

1. Ex agitatæ quæstionis statu. Ideo enim Sadducæi corporum resurrectionem agnoscere nolebant, quia negabant animæ immortalitatem. Corporum resurrectionem singulari quadam ratione loco citato impugnabant. Arguebant nimirum ex usu matrimonii in ipso resurrectionis instanti. Manifestum est quod hæc argumentandi methodus spectet immediate corporum resurrectionem. Matrimonii enim exercitium & effectus non potest dicere relationem nisi ad corpus animatum. Vicissim Christus eidem resurrectionis instanti & exercitio matrimonii inhærendo objectionem propositam evertit ex statu resurgentium cui inutilis erit omnino matrimonii usus, tum quia corpora rediviva erunt incorruptibilia, nec enim ultra mori poterunt qui digni habebuntur sæculo illo, tum quia Deus ipse erit novæ earum vitæ principium; sunt enim filii Dei. Porro adhuc manifestum est Christum huic disputandi methodo inhærere non potuisse quin corporum resurrectionem intenderet. Duplex enim ratio ab eo allata cadit in corpus.

2. Ex emphasi & energia hujus locutionis esse Deum alicujus. Hæc enim phrasis significat Deum esse benefactorem & protectorem alicujus, & quidem eximio ac singulari modo. Cum enim hæc dicat Deus specialiter ac personaliter de Patriarchis, manifestum est Deum his esse beneficum modo novo, inusitato ac singulari, nec tantum secundum communem providentiam, ut erat ante hanc promissionem, sed secundum curam ab ea distinctam quam omnium rerum gerit. Hæc phrasis relativa est & innuit specialem, mutuam ac reciprocam relationem Deum inter & hominem; ex parte quidem Dei, relationem causalitatis & influxus; ex parte hominis vero relationem effectus & productionis. Porro nullum videtur aliud beneficium eximium & insigne Patriarchis proprium, nec cum ceteris entibus commune præter resurrectionem corporum; præsertim cum hujus vocis mentio hic fiat & omnia commemorentur, quæ eam important. Et vero vel beneficentia illa spectat Patriarcharum personas, vel earum animas tantum, vel eorum corpora. Si primum, persona non resultat nisi ex corpore & anima simul junctis. Ergo beneficentia illa spectat animam & corpus. Sed erga corpus nihil præstare potest eximium nisi unionem ejus cum anima. Idem dicendum si beneficentia illa directe spectet corpus. Ergo. Si secundum, ergo Deus benefacit Patriarcharum animis; ergo eos conservat. Ergo nec moriuntur. Ergo corpora resurgere possunt in mente Sadducæorum. Ergo revera resurgent. Everso enim Sadducæorum principio ruit consequentia ab ipsis deducta.

3. Ex temporis modo quo hæc phrasis enuntiatur, Deus enim dicit tempore præsenti: *Ego sum Deus Abraham*, &c. Ergo quo tempore loquebatur, habebat actuale cum illis Patriarchis relationem causalitatis, influxus & beneficentiæ. Ergo actu aliquid erga eos operabatur. Jam vero si omnino mortui sunt Patriarchæ, si nullatenus existunt, nullam causalitatis & beneficentiæ relationem tunc temporis habere erga eos poterat. In non entia operari & influere non potest. Ergo Deus non est Deus non entium. Ergo hæc loquendi ratio supponit & importat eorum existentiam, tum quoad animum, tum quoad corpus, ut modo dicebamus.

4. Nativa vis & significatio hujus vocis *mortuorum*, quæ usu communi omnium linguarum & ipsius Scripturæ sacræ designat corpora mortua, seu cadavera; sic v. g. de Sara defuncta loquitur Abraham *Genes.* 23. *Sepeliam mortuum meum*. Cui respondent Hethæi: *Sepeli mortuum tuum*. Hic agitur de cadavere Saræ. Porphyrius apud Theodoretum *T.* 6. *p.* 517. 518. eandem vocem græcam quæ hic legitur, usurpat pro victimarum carnibus. Canidia apud Horatium *l.* 5. *Od.* 18. *v.* 27. artem suam his verbis commendat.

Possum crematos excitare mortuos.

id est, cadaveribus crematis vitam reddere. Sic ergo reddi debent verba Christi: Deus non est Deus cadaverum, corporum mortuorum. Hinc.

5. Con-

5. Contextus. Christus non tantum dicit resurrectionem, sed addit *mortuorum*. Agit ergo de substantia quæ mortua erat, seu de persona quantum ad substantiam quæ mori poterat & revera erat mortua: porro solum corpus moritur, seu persona moritur ratione solius corporis.

6. Ratio a Christo subjuncta, *Omnes enim vivunt ei*. Non dixit omnia, sed *omnes*, ut sensus hinc restringatur ad certam quamdam certorum quorumdam, hominum nempe, vitam. Non dixit simpliciter *vivunt*, sed *vivunt ei*. Vivunt ergo de quibus loquitur, non absolute, sed relative ad Deum & ejus potentiam; vivunt in ejus ordinatione & dispositione, vitæ scilicet aliquando restituendæ. Jam vero anima vivit simpliciter, absolute & actu; nec tantum Deo, id est, in ejus dispositione futura ex decreto. Ergo de solo corpore, seu de Patriarchis ratione solius corporis agit.

Dixi saltem indirecte hic probari corporum resurrectionem. Nam multa suadent hic agi directe & immediate de illa resurrectione, non de sola animorum immortalitate. Etenim hæc verba, *quia vero resurgant mortui, de resurrectione autem mortuorum*, innuunt transitionem ad diversam materiam, ac probata animæ immortalitate, corporum resurrectionem aggredi Chr. Recole deinde omnes hujus argumenti partes & circumstantias; omnia resurrectionis ideam ingerunt & præ se ferunt, etiam per se & directe. Quoniam autem nonnullis tum Theologis, tum Commentatoribus hoc non placet, litem liti addere nolumus.

Prob. 7. Ex unanimi omnium populorum traditione & consensu. Et quidem quoad Christianos res est aperta a primis eorum incunabulis. Quantum ad Judæos; licet nihil explicite hac de re eos docuerit in sua lege Moses, inquit Burnetus, iis tamen innotuerat, præsertim sapientibus a Mose instructis & arcanæ doctrinæ consciis. Consuli possunt Huetius Alnetan. *Quæst. l.* 2. *c.* 22. 23. 24. Burnet. Tellur. Theor. sac. *l.* 4. *c.* 3. Judæi omnes corruptis hic, ut alibi multum, primigeniis ideis metempsychosim Pythagoricam admisere & emensis omnibus animarum in varia corpora devolutionibus, tandem omnes a morte resurrecturos, licet quidam ex ipsis resurrectionem solis Judæis adscribant: immo multi ex eorum Doctoribus tenuerunt fabulam regni terreni post hanc vitam millenarii. Hinc errorem istum Judaismi postea incusarunt plerique SS. PP. Inter quos S. Hieronymus. Apud Græcos pervulgata erat futuræ alterius vitæ & corporum resurrectionis doctrina, tum in scholis Stoicorum, tum Platonicorum, &c. Sic Chrysippus de providentia docet post mortem, revolutis quibusdam temporum periodis, in eandem nos restituendos esse formam. V. Lactant. *l.* 7. *c.* 23. Origen. *l.* 5. *c.* Celsum. Apud Platonicos hæc mundi renovatio annus Platonis vocatur, & quamvis ipse cum Pythagora mundum incorrurruptibilem contenderet, aliquam tamen rerum tunc renovationem in hoc positam admiserunt quod statis annorum periodis, stellæ ad eandem quam olim habuerant configurationem & inter se respectum recursuræ sint. V. Plat. polit. & in Phæd. quin testis est Cicero, 2. de *leg.* Romanos ab Atheniensibus melioris humanitatis & mansuetudinis doctrina imbutos esse ac vivendi rationem ab iis accepisse cum spe melioris vitæ. Dio, ut laudat Isocrates, per omnium Atheniensium ora ferebatur quod eos edocuisset quædam mysteria ex quibus suaviter afficiuntur tum circa finem vitæ, tum circa æternitatem futuram. Pro Romanis multa nobis suppeditant tum Virgilius, tum Cicero. V. reliqua de Ægyptiis, Chaldæis, &c. apud Burnet. Ex his omnibus sequitur opinionem & sensum tum alterius vitæ, tum corporeæ resurrectionis universalem esse mundo coævam, licet paullatim adulterata fuerit.

Prob. 8. Ratione. 1. Christus resurrexit. Ergo resurrectio possibilis est. Ergo etiam futura. Ideo enim negatur quia repugnare judicatur. 2. Corporum resurrectionem probant tum rei natura; tum justitia. Rei quidem natura; Deus enim plenam, vel nullam beatitudinem promisit; porro posita animæ erga corpus suum inclinatione, anima a corpore sejuncta non plena frueretur beatitudine. Justitia vero; corpus enim

boni operis fuit particeps, animæ jussu multa propter Deum pertulit dura, injucunda, mala. Ergo in partem præmii venire debet.

CONCLUSIO IV.

Vita felix erit æterna.

PRob. 1. Ex expressa Scripturæ affirmatione. In omnibus locis jam prolatis agitur de domo, corona, mercede, vita immarcessibili, æterna. His accedunt hæc Matt. 25. 51. „ Et ibunt ... „ Justi ... in vitam æternam. 2. Cor. 5. 1. Joan. 2. „ Hæc est repromissio quam „ ipse pollicitus est nobis, vitam æter- „ nam. Joan. 10. Oves meæ vocem meam „ audiunt .... & ego vitam æternam „ do eis ... Hæc est autem voluntas „ Patris mei qui misit me, ut omnis qui „ videt Filium hominis & credit in eum „ habeat vitam æternam. „ Illa itaque vita est æterna quam Pater æternam fore decrevit, quam Filius promisit, & daturus est in ultimo judicio: atqui res ita est. Ergo.

Prob. 2. ex incarnatione Verbi & Christi passione. Constat enim Verbum pro nobis & carnem assumpsisse & crucem subiisse. Constat Verbum caro factum, seu Christum esse Deum; hoc astruunt ejus tum oracula, tum miracula. Certum est pariter Dei passiones esse valoris infiniti. Hoc posito, sic argumentari juvat. Passiones valoris infiniti fructum infinitum producere debent: vel ergo fructum infinitum entitative & intensive producunt, vel fructum infinitum extensive. Non sane primum; ergo secundum. Ergo passiones valoris infiniti sortiuntur fructum duratione infinitum, ac proinde æternum. Sed fructus ille alius non potest esse quoad nos, pro quibus passus est Christus, nisi nostra felicitas. Ergo passiones ejus debuerunt nobis mereri felicitatem, seu vitam æternam. Ergo.

Prob. 3. Illa admittenda est æternitas quæ nulla ex causa respui potest: atqui vitæ felicis æternitas nulla ex causa respui potest. Vel enim vitæ felicis æternitas respueretur quia Justos annihilaret Deus, vel quia Justos beare Deum tæderet, vel quia Justos ipsos suæ beatitudinis tædium denique aliquando caperet & ab ea decidere possent, vel quia denique capaces non essent æternæ beatitudinis: porro hæc quatuor falsa sunt & repugnant. Primum quidem; nullum enim nobis suppetit annihilationis exemplum; nulla ratio eam astruit. Ergo nullum est admittendæ hujus annihilationis motivum: Quod si Deus aliquid annihilaret, non certe homines & præsertim homines justos. Obstat nativus amor Creatoris erga opera sua, patris erga filios, amici erga amicos. Secundum vero; nam summæ Dei bonitati & immensæ ejus beneficentiæ, quam tantopere extollunt Deistæ, repugnat. Tertium opponitur innato felicitatis desiderio & absolutæ beatitudinis naturæ quæ & miseriæ timorem & fastidium ex se excludit. Fastidium enim illud oritur vel ex eo quod Deus ad plenam felicitatem non sufficeret, vel ex eo quod, licet sufficiat, talem tamen beatitudinem respuerent Justi, vel denique omnis & quælibet beatitudo, etiam plena, per se illis displiceret; quæ omnia sunt absurda. Quartum denique, conciliari non potest cum Dei potentia & hominis natura. Ex una enim parte homo æternum conservari potest a Deo; ex altera vero Deus potest eum æternum conservare; denique Deus hanc æternam hominis conservationem decrevit & decrevisse se declaravit. Ergo.

CONCLUSIO V.

Pœna negativa affligentur impii in altera vita.

PRob. Pœna negativa in absoluta privatione summi boni & separatione a Deo consistit: atqui in altera vita impii summo bono privabuntur & a Deo separabuntur absolute. Sic Matth. 25. „ Discedite a me maledicti. „ Luc. 13. „ Contendite intrare per angustam portam ... Cum autem intraverit Pater- „ Familias & clauserit ostium, incipie- „ tis foris stare ... & respondens dicet „ vobis: nescio vos unde sitis ... Discedite „ a me omnes operarii iniquitatis ... Cum „ videritis Abraham, & Isaac, & Jacob „ & om-

„ & omnes Prophetas in regno Dei, „ vos autem expelli foras.... & ecce sunt „ novissimi qui erunt primi: & sunt pri- „ mi qui erunt novissimi. „ Ex his impii a Christo non agnoscentur in altera vita; expellentur foras a regno Dei, erunt novissimi. Ergo. In re satis concessa diutius non immorabimur.

CONCLUSIO VI.

Impii pœna reali, positiva & sensibili cruciabuntur in altera vita.

PRob. 1. Ex textibus hanc in rem expressis. Matt. 25. „ Discedite a me „ maledicti in ignem ...., ibunt hi in supplicium. Marc. 9. bonum est tibi debilem & claudum introire in vitam „ æternam quam duas manus, duos pedes habentem mitti in gehennam, in „ ignem. Matt. 13. In consummatione „ sæculi mittet Filius hominis Angelos „ suos, & colligent de regno ejus omnia „ scandala, & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis „ ibi erit fletus & stridor dentium. „ In quibus verbis & innumeris aliis textibus Scriptura sacra constanter & uniformiter impios pœna ignis, fletus, stridoris dentium minatur simpliciter sine addito, nulla data explicatione, nullam innuens metaphoram: atqui hæc important pœnam positivam & sensibilem, tum quia a privatione Dei distinguuntur & ipsi opponuntur, tum quia privatio Dei nec est ignis, nec, &c.

Prob. 2. Ex convenientia & possibilitate illius pœnæ. Nam ex una parte hominis, scelestis pœna positiva denuntiatur; ex altera vero nullum proferri potest argumentum quo evincatur pœnam positivam repugnare.

Prob. 3. Ex unanimi omnium Populorum sensu qui tartara, dolium Danae, Ixionis rotam, &c. non alio excogitarunt consilio nisi quia alta mente pœnam positivam impiis in posterum servari persuasum habebant.

Prob. 4. Ex præsentis sententiæ cum revelatione & ratione majori consonantia. Illa enim sententia cæteris est anteponenda, quæ sola magis & Scripturæ loquendi modo & rationi est conformis: atqui præsens sententia pœnæ realis, positivæ, sensibilis & non metaphorici tantum ignis 1. sola magis accedit ad Scripturæ loquendi modum. Namque textus citati & simpliciter & perpetuo commemorant ignem, vis infertur illis textibus dum ad ignem metaphoricum detorquentur. Fatetur ipse Burnet a littera non recedendum nisi cogat necessitas; porro nulla hic necessitas quæ cogat a littera recedere, ut solutione objectionum patebit. Deinde Christus Matt. 13. seminantis parabolam proponit, hujus expositionem quoad hæc verba. „ Colligite „ primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. „ His absolvit verbis. „ Mittent (Angeli impios) „ in caminum ignis. „ Porro manifestum est parabolæ explicationem claram & juxta nativam verborum significationem esse debere. Si enim obscura sit & metaphoris referta, jam explicationis ipsius explicatio postulabitur. Præterea nihil clarius, nihil apertius esse debet ultima judicis sententia: Allegoriæ usus intendit veritatem celare: jam vero tunc nihil celandum, immo omnia aperta erunt, auribus audient, corde intelligent & oculis videbunt omnes. Uno verbo nulla metaphora quæ vel ex circumstantiis, vel ex aliis textibus alicubi non exponatur, vox ignis nedum exponatur, immo perpetuo & omnimode confirmatur. Talis erit ignis torquendis impiis destinatus, qualis ille qui paleas comburet. Ergo erit uterque ignis realis. Alias non explicaretur parabola. Ergo 2. rationi consonat, tum quia corpus suum sibi habere debet supplicium cui suum fuit gaudium ex peccato, tum quia licet anima non sit in loco circumscriptive, in eo tamen est definitive, adeo ut ibi sit, nec alibi; ergo ubi est anima determinate seu definitive, ibi etiam determinate tristatur & affligitur, sicut determinate cognoscit & vult. Ergo si bene egerit, gaudet, si male, tristatur.

CON-

CONCLUSIO VII.

Quod utraque tum negativa, tum positiva erit æterna.

PRob. 1. Ex diserta Scripturæ assertione. Matt. 25. „ discedite a me „ maledicti in ignem æternum .... Ibunt „ hi in supplicium æternum. Marci. 9. „ Bonum est tibi ..... introire in vitam „ æternam quam mitti in ignem inextinguibilem, in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur & ignis eorum non extinguitur. „ Hic adest duplex pœna, negativa una, *discedite*, &c. Positiva altera, *in ignem*: vox *æternum* in utramque pœnam cadit. Hic contra metaphoricam æternitatem recurrunt argumenta contra metaphoricum ignem proposita.

Prob. 2. Ex confesso adversariorum. Iis enim fatentibus, æternitas præmii vera est, realis & proprie dicta. Ergo & pœnæ æternitas talis est. Postrema enim æternitas priori semper conjungitur & opponitur, utraque eodem modo & tenore exprimitur. Et certe fatentibus adhuc Deistis & Socinianis, Dei attributis non repugnat pœna negativa æterna; ergo nec positiva. Quidquid enim obtendunt ex Dei misericordia, justitia, &c. paribus armis contra pœnæ negativæ æternitatem militant. Deinde pœna negativa positivam aliquam involvit & adjunctam habet. Nimirum pœna negativa, quæ etiam damni dicitur, in privatione summi boni consistit. Privatio illa secum importat vividum hujus amissi sensum, sensum nempe tristitiæ. Sensus porro ille eo vividius mentem afficit quo vehementius pungit innatum felicitatis desiderium. Quod non magis quam naturam exuere possint damnati. Porro sensus ille est aliquid positivum. Quis autem dicat deesse illum sensum? Illo absente, nulla esset in damnatis infelicitas, nulla omnino pœna. Eo ipso quo habent sui conscientiam, eo etiam habent sensum amissæ felicitatis. Eundem sensum secum trahit desiderium quo ad beatitudinem anhelant damnati, ita ut vel desiderium illud omnino extinguatur, vel si vivit, vivat necesse est sensus doloris ex felicitatis defraudatione.

Prob. 3. Ex pœnæ æternæ possibilitate. Ideo verba Christi ad metaphoricam æternitatem inflectuntur, quia repugnare dicitur æternitas proprie dicta. Ergo si possibilis sit, existit, declarante Christo eam existere. Jam vero possibilis est, ac proinde admittenda. Illa enim pœna possibilis est quæ nullam involvit repugnantiam: atqui pœna æterna positiva nullam involvit repugnantiam: 1. non ex parte hominis; ideo enim pœna illa ex parte hominis repugnaret, quia huic ferendæ par non esset homo, utpote corruptibilis: atqui pœnæ illi ferendæ par fieri & esse potest homo. Deus enim animam & corpus potest æternum conservare. Ergo. 2. Non repugnat etiam ex parte Dei. Si qua enim ex parte hic repugnaret, vel alicui decreto Dei, vel alicui ex ejus attributis. Porro neutrum dici potest. Non primum; nedum enim Deus aliquod emiserit decretum de finienda tandem positiva damnatorum pœna, immo e contra. Non secundum, nam 1. non repugnat bonitati. Nam bonitas in eo non consistit quod peccatis misereatur quæ nulla sunt pœnitentia & satisfactione deleta, immo bonitas quæ peccata condonaret absque ulla omnino satisfactione, nedum foret perfectio, esset vitium. Ergo idem dicendum de bonitate quæ peccata condonaret cum satisfactione quæ nullo sensu sufficiens esset & legitima. Ergo nisi probent aliam pœnam præter æternam vero sensu sufficere & esse legitimam, nihil movent. Deinde id tantum suis argumentis efficere possunt Deistæ, nempe ex pœna non æterna magis elucescere & manifestari clementiam & bonitatem, talemque misericordiam majorem fore quoad effectus. 2. Non repugnat justitiæ. Nam non repugnat justitiam suum locum habere ubi exerceri non potest bonitas seu misericordia; jam vero non potest exerceri bonitas, seu clementia erga peccata nulla aut non sufficienti satisfactione compensata. Ergo bonitati non pugnat justitia, dum æternum punit peccata quæ æternum carent aut omni, aut sufficienti & legitima satisfactione. Cum autem ho-

non

bor sit in honorante, injuria in persona læsa, Deus autem læsus sit infinitus, homo vero lædens finitus, vix, aut etiam nusquam ab homine reddi poterit satisfactio sufficiens & legitima quæ tantum valeat & Deo tantum reddat honorem quantum intulit dedecus offensa. Ergo. 3. Non repugnat sapientiæ. Non sapientiæ magis congruit legum dignitati & observationi per media efficaciora consulere, quam per minus efficacia: porro pœnæ temporales minus sunt efficaces & minus correspondent legum divinarum majestati quam æternæ. Ergo. Certe Deus non potest dici insipiens minando supplicia quæ in potestate habet, quæ relativa sunt quam maxime ad scopum ab eo intentum, quæ denique miram habent consonantiam cum legum suarum conditione. Ergo Deus æternas pœnas decernendo non est insipiens. Ergo.

Et certe ut ratiocinatur quidam, haud sane noster, dum unusquisque conservatur & existere perseverat; vivido sui ipsius propriæque animæ sensu afficitur; singulis instantibus per uniuscuiusque durationem in singulis hominibus idem *ego* perseverat. Illius *ego* identitas est cuicumque perpetua aut constanter præsens per memoriam; si enim avolet hæc memoria, jam nullus potest dicere *ego* quoad tempus antecedens; v. g. nullus potest dicere: ego extiti, ego hoc aut illud feci, nisi simul per memoriam habeat conscientiam & præteritæ existentiæ & eorum quæ fecit. Sed nemo potest præteritæ existentiæ sensum & recordationem habere, quin simul sensum habeat eorum quæ gessit olim & sensit. Jam vero hæc recordatio, hic sensus, quædam miseria est & pœna; hic enim sensus non potest non esse acerbus & ingratus. Talis enim fuit vita adhuc superstite. Porro Deus potest illæsis omnibus suis attributis hominem conservare eundem & a tota æternitate & per totam æternitatem. Ergo potest conservare identitatem ejus *ego*, non solum quoad instans immediate præcedens, sed etiam quoad omnia instantia præterita. Ergo Deus potest, generatim loquendo, hominem in miseriæ & doloris statu æternum conservare illæsis suis attributis. Quis enim inficias eat Deum posse homini conservare existentiam prout naturæ ejus congruit, cum ejus facultatibus omnibus in statu naturali, ac proinde cum præteritorum memoria. Ergo Deus, illæsis suis attributis, potest hominem æternum conservare cum sensu præteritorum acerbo, cum dolore & desperatione commissi delicti. Ad finiendam illam pœnam, tollendus esset ille animæ propriæ & eorum quæ gesta sunt sensus; ac proinde tollendus esset sensus præteritæ existentiæ, quem tollere non magis Deus tenetur quam hominem annihilare; quamdiu sensum identitatis *ego* servat, tandiu durare debet præteritorum recordatio & sensum sui facere; sed præfatus ille sensus destrui & aboleri non potest, quin destruatur ille cujus est & in quo est, ac consequenter quin animam annihilet. Hæc omnia sic summatim resumo. Vel repugnat Deum infligere pœnam æternam positivam quamcumque & generatim, vel repugnat tantum infligere pœnam positivam talem; posterius sane non repugnat, si possibile sit prius. Porro prius non repugnat. Enimvero Deum homini infligere pœnam positivam & eum conservare in statu miseriæ positivæ, unum & idem sunt: atqui non repugnat hominem a Deo conservari in statu miseriæ positivæ. Nam non repugnat hominem a Deo æternum conservari eundem & in eodem statu: atqui hoc ipso non repugnat hominem a Deo æternum conservari in statu miseriæ positivæ. Ut enim possit hominem eundem & in eodem statu conservare, satis est quod possit conservare identitatem subjecti; sed illa identitas subjecti importat statum miseriæ positivæ. Importat enim illa identitas sensum præteritorum: atqui ille sensus est status miseriæ positivæ, tamque positivæ quam dolor ignis cruciantis qui non cruciat nisi quia sensum sui facit. Ergo status miseriæ positivæ consistit in ejus sensu. Ergo cum non repugnet hominem conservari cum sensu miseriæ, nec repugnat eum conservari in statu miseriæ positivæ. Ergo.

Objic. 1. Contra Conclusionem tertiam,

tiam. Nihil evincit argumentum ex verbis a Christo prolatis contra Sadducæos. Nam illa verba possunt intelligi vel præsenti, vel futuro tempore: 1. sensu intellecta probant solam animorum immortalitatem; 2. vero sensu spectant temporalem tantum fortunam. Enimvero præsenti tempore enuntiata eo devolvuntur: Deus dicit se actu Deum Patriarcharum quo tempore jacebant in sepulchro; ergo eo tempore vivebant aliquo sensu.... Non vivebant actu ratione corporis; ergo aliquando sic victuri erant. Jam verò nihil probant hæc verba, sic exposita, pro resurrectione corporum. Inde enim evincebatur tantum Patriarchas illos non esse mortuos totos & quoad omnes suas partes, sed vivere quoad aliquam sui partem; quæ autem sit illa pars, an anima, an corpus? nec assignat, nec assignare tenetur hæc argumentandi methodus. Supponamus Patriarcharum corpus nunquam exsuscitandum; supponamus etiam Patriarchas vixisse tunc quoad animam solam, ad ejus vitam poterunt unice respicere verba prolata, omne robur, omnem vim servabunt, nec tamen probata manebit corporum resurrectio. Ut enim Deus influat in Patriarchas ratione corporis æternum mortuos, satis est quod eorum animas æternum conservet; ut Deum colant Patriarchæ, sufficit ut eorum animæ debitum Deo honorem persolvant. Immo ex dictis verba citata innuunt mutuam & reciprocam & quidem actualem relationem Deum inter & Patriarchas. Ergo relatio illa non minus debet esse actualis ex parte Patriarcharum quam ex parte Dei. Ergo quo tempore prolata sunt, Patriarchæ Deum colebant. Sed colere non poterant nisi ratione animæ, corpore adhuc mortuo remanente. Ergo ut stet integra prædicta relatio, sufficit animæ immortalitas, nec necessaria est corporis resurrectio. Ergo verba prædicta præsenti tempore intellecta non probant futuram olim corporum resurrectionem. Deinde tota vis hujus argumenti in eo consistit quod verba prolata supponantur respicere personas ac proinde & animas & corpora; quod falsum est. Nam usu apud omnes linguas recepto, res & personæ retinent nomina relationum destructo licet uno relationum termino. Sic in publicis supplicationibus nominamus: *S. Petre*, *S. Paule*, appellatis eorum personis, licet eorum tantum animas in cœlo esse sciamus. Sic sepulchris inscribimus: *hic jacet* talis, & eadem phrasi utimur sepulchrorum loca nominatim designando, licet illic jacent tantum corpora. Deinde Deus dicitur judex vivorum & mortuorum, eodem sensu & pari Deus hunc usum sequens potuit se Deum mortuorum dicere. Nec omittendum verbum substantivum deesse in Hebraico textu juxta illius idiomatis indolem: immerito ergo tantopere urgetur præsentis temporis energia, cum gratis & sine textus primitivi auctoritate præsens supponatur. Quin etiam supplendo verbum substantivum potest hic exurgere sensus: ego sum qui fui Deus Abraham, &c. vel quem coluerunt Abraham, &c. quo multiplici allato sensu nihil evincitur. Si vero tempore futuro verba prædicta exponantur, nihil magis probant. Tunc enim sic reddi debent; ego ero Deus Abraham, &c. Vel nihil sonant, vel spectant terræ Canaan possidendæ promissionem quam Deus tandem effectu completurus erat. Hęc ad formam scholasticam sic componimus. Verba Christi inter probationes appellata vel futuro, vel præsenti tempore intelliguntur: atqui neutro sensu probant corporum resurrectionem; & quidem futuro tempore intellecta spectabant promissam terræ Canaan possessionem. Ergo.

R. n. min. 1. Enim temporalis promissio non est, ex probatis, unicum objectum quod respicere possint illa verba; 2. probavimus felicitatem æternam solam respondere emphasi & energiæ horum verborum. Uno verbo ex probatis verba ista: ego sum Deus Abraham, &c. 1. enuntiant beneficium eximium; 2. Sola corporum resurrectio est illud beneficium eximium. Ergo quocumque sensu & temporum modo efferantur, beneficium temporale sonare non possunt.

Inst. Præfata verba præsenti tempore intellecta non astruunt corporum resurrectionem, sed tantum animorum immor-

morum immortalitatem. Nam ideo præfata verba corporum resurrectionem probant, quia important relationem mutuam Deum inter & Patriarchas: atqui hæc relatio sufficienter impletur in anima immortali: ex parte enim Dei, animam conservat & beat; ex parte vero Patriarcharum, anima eorum Deum colit. Ergo.

R. 1. dist. maj. Ideo præfata verba probant corporum resurrectionem, quia important relationem Deum inter & Patriarchas quoad corpus: c. quoad animam tantum: n. Fateor verba citata non aliter probare nisi quia important præfatam relationem Deum inter & Patriarchas, sed contendo illam relationem cadere in corpus eorum. Ideo enim Christus concludit Patriarchas vivere quia Deus non est Deus cadaverum: atqui hoc ipso Deum esse Patriarcharum Deum, importat relationem Deum inter & eorum corpora. Deinde ex dictis inter probationem arguebant Sadducæi ex statu corporum in instanti resurrectionis; respondebat Christus ex eorumdem corporum conditione in resurrectionis statu. Ergo ex utraque parte agebatur de corporum resurrectione. Ergo relatio inter Deum & Patriarchas quam in probationem affert, cadit in eorum corpora.

2. Aliter dist. maj. Ideo præfata verba probant saltem indirecte.... c. directe: n. Atqui illa relatio sufficienter impletur in anima immortali, modo tamen illa relatio cadat in corpus saltem indirecte: c. etiamsi nullatenus in illud cadat: n. Multos reperire est Theologos & Scripturæ Interpretes qui velint verbis Christi allatis non probari corporum resurrectionem nisi quia his stabilitur animorum immortalitas ex cujus probatione sequitur indirecte & argumento ad hominem corporum resurrectio. Cum enim resurrectionis illius probabilitatem & futuritionem non negarent Sadducæi, nisi quia iis omnino displicebat animæ immortalitas, hac afferta, evertebatur eorum principium, nullaque iis remanebat ratio negandæ resurrectionis tum quoad possibilitatem, tum quoad futuritionem. Ego autem privata sententia existimo præfatam relationem Deum inter & Patriarchas cadere directe in eorum corpora, ac proinde argumentum Christi probare etiam directe corporum resurrectionem. Status enim disputationis ex utraque parte & cætera ejus adjuncta, ut inter probationes videre est, spectare mihi videntur corpus speciatim & directe. Cæterum etiamsi argumentum Christi respiceret resurrectionem indirecte tantum & ad hominem, probaret nihilominus illam resurrectionem.

R. 3. n. min. Scilicet hanc relationem sufficienter impleri in anima immortali; tum quia in argumentatione Christi ex illa relatione sequitur quod resurgant mortui: *quia vero resurgant mortui*: atqui ex relatione quæ sufficienter impletur in anima immortali sola & exclusive ad corpus non sequitur quod resurgant mortui, tum quia juxta Christum nulla est relatio Deum inter & cadavera. Ergo ea relatio non potest intercedere Deum inter & Patriarchas quin eorum corpora spectet; tum quia relatio eadem importare videtur influxum, causalitatem & actionem positivam ex parte Dei. Jam vero ad conservationem animæ non requiritur, saltem juxta multos, actio Dei positiva nisi supponatur conservationem esse jugem ac continuam creationem. Ergo actio ac proinde relatio illa Dei non sufficienter impletur in Patriarcharum animæ conservatione. Ergo illa relatio spectat etiam corporum resurrectionem. Demum relatio ex parte Dei importare videtur influxum in animam; ergo existit: ergo relative ad Sadducæos existit corpus, saltem aliquo modo.

Inst. Quo tempore loquebatur Deus, vera erant ejus verba: atqui tamen nihil operabatur quoad corpus Patriarcharum. Ergo.

R. dist. min. Nihil operabatur actu: c. in decreto & dispositione: n. Operabatur quia corpora illa vitæ redditurus erat ex decreto a se lato. Hinc Christus addit: *omnes enim vivunt ei*. Et vero operabatur saltem quoad animas: atqui hoc ipso contra Sadducæos operabatur erga corpora quæ ideo juxta eos nec resurrectura erant, nec resurgere poterant quia animæ perierant.

Inst. Relatio illa includit dominium ex parte Dei in res quarum est Deus: atqui

atqui licet corpora nunquam vitæ reddenda forent, Deus in ea haberet & servaret dominium, sicut habet in lutum, in pulverem.

R. 1. n. maj. Non includit tantum dominium, sed causalitatem & influxum beneficentiæ.

R. 2. n. min. Quis enim dicere audeat aut unquam dixerit Deum esse Deum luti? Dominium quod sonant illa verba est dominium speciale & gratiosum: atqui in lutum & pulverem nullum Deus exercet dominium speciale & gratiosum. Denique corpora in quæ habet dominium Deus ex his verbis, sunt corpora ut Patriarcharum, & formaliter ut talia; hinc enim est eorum Deus: atqui pulvis in quem redacta sunt & cum alio diverso confusus & longe lateque dispersus non est corpus Patriarcharum formaliter ut tale. Ergo licet Deus sit Deus luti & pulveris & in eum habeat dominium, non sufficit ut sit Deus Patriarcharum.

Inst. Usu omnium linguarum receptum est ut pars pro toto nominetur in illo casu & ut res ac personæ retineant nomina relationum extincto alterutro relationum termino.

R. dist. Retineant abusive & improprio sensu: c. vero & proprio: n. Si accurate loqui velimus, non dicemus, hic jacet hic, vel ille, sed corpus hujus vel illius. Sic usu familiari dicimus sepeliri, vel sepelliendum mortuum, talem hic adesse mortuum; quod sane non de anima, sed de solo corpore intelligimus. Cautela itaque opus est ubi ad usitatum loquendi modum provocatur: proprie usurpatur de sola hominis parte cui subjecta competit materia. In rei veritate, pater defuncto filio, fuit quidem pater, sed jam & actu non est. Jam vero cum Deus testamentum condiderit, dum hæc primum enuntiavit, probabile est eum verba vero & proprio sensu usurpasse.

Inst. In hoc stat præsertim vis argumenti quod Deus propositionem enuntiet præsenti tempore: atqui hoc gratis supponitur. Nam in Hebræo deest omnino verbum substantivum.

R. n. min. ad prob. dico supplendum esse & quidem præsenti tempore, 1. ex silentio Sadducæorum qui statim inde argumentum Christi elisissent. Sive enim ad animam, sive ad corpus Patriarcharum hæc verba directe referantur, perinde est, cadit argumentum Christi nisi præsenti tempore intelligantur. 2. Hunc locum sic reddidit Christus, sic reddiderunt omnes versiones. 3. Verbum substantivum præsenti tempore postulant & exigunt circumstantiæ. His enim verbis vult Deus commendare fidelitatem suam in promissis & asserere se eundem semper esse, ut inde Israelitarum animos erigat. Jam vero scopum istum non assequitur nisi velit declarare & revera enuntiet se eosdem sensus actu erga demortuos Patriarchas gerere ac quos erga eosdem viventes habuerat. Ergo circumstantiæ postulant aliquid actuale & præsens.

Inst. Poterat Deus arguere ex cura quam circa Patriarchas, dum viverent, impenderat & inde Israelitarum animos erigere, licet illi jam amplius nec subsisterent, nec extituri essent.

R. Poterat quidem, sed non ea phrasi qua usus est juxta sermonis seriem & loquendi modum quem usurpavit. Manifestum est enim quod Deus probet actualem suam erga Judæos propensionem ex amore quo actu Patriarchas fovet. Cum tota Dei benevolentia erga Judæos ex ejus erga Patriarchas amore oriatur, frustra relative ad Judæos Deus olim Patriarchis bene voluit, nisi eis bene velle pergat.

Inst. Verba præfata sic possunt reddi: ego sum qui fui Deus Patriarcharum, vel quem illi coluerunt, vel quem colunt: atqui tunc nihil probant.

R. 1. n. maj. Nulla ratio ad has versiones cogit, multæ usitatam postulant. Hoc sensu exposita Christi responsione, prompta & facilis fuisset Sadducæis solutio. Deinde hac phrasi nostro sensu utuntur Apostoli. *2. Cor. 6. 16. Apoc. 21. 3. Hebr. 11. 16.* Omnes intellexerunt de collatione beneficii insignis & perennis cujus participes facti non sunt Patriarchę dum viverent: quod ergo eis debetur ex promissione Dei post mortem, non omnino & totaliter de mortuis qui nullum beneficium sentire & accipere possunt, qui consequenter vivunt saltem quoad animam & proinde quoad corpus victuri sunt. Ratio Dei a Patriarchis antea adorati non est motivum quod posset Deum cogere ad pro-

protegendos Israelitas, sed potius ratio Dei olim Patriarcharum protectoris.

R. 2. n. min. quoad tertium vertendi modum; non possunt enim Patriarchę Deum colere quin saltem aliquo modo existant. Sive existant tum ratione animæ, tum ratione corporis, modo supra exposito, sive existant ratione animæ tantum, jam causam obtinemus, saltem contra Sadducæos; ergo. Nec sane etiamsi Deum tunc a Patriarchis coli contenderemus, etiam ratione corporis, rem creditu impossibilem non enuntiaremus. Deum enim colerent illa corpora ipso suo humiliationis statu, quod potest dici de corporibus quæ iterum vivere debent. Deinde ideo possent dici & revera dicerentur tunc colere Deum, etiam ratione corporis, quia ab eo tempore quo loquebatur Christus, ad resurrectionem usque effluens spatium nihil est respectu æternitatis, & levissima est eorum cultus interruptio quæ pro nihilo computari debet.

Inst. Christus dicitur judex vivorum & mortuorum. Ergo dici potest Deus mortuorum.

R. 1. Esto totum. Dicitur judex mortuorum, quia resurrecturi supponuntur; Deus potest dici Deus mortuorum eodem sensu, nec alio. Manifestum est neminem posse dici judicem mortuorum qui nunquam ad vitam redituri sunt; non enim potest judicare cadavera talia æternum mansura. Ita a pari Deus eorum qui nunquam ad vitam sunt revocandi, non potest dici Deus quia nullam potest in cadavera talia æternum perseveratura exercere jurisdictionem & beneficentiam.

R. 2. n. conseq. Voces mortui & mortuorum duplicem sortiri possunt significationem. 1. Designant abusive personam mortuam, & tunc exhibent relationem quam anima ad corpus suum servat. 2. Ipsum connotant proprie corpus mortuum, ut quando loquebatur Abraham de Sara mortua. Ex data prima responsione manifestum est hanc vocem primo sensu sumi quando dicitur Christus Judex mortuorum. Immo dicente Christo Deum non esse Deum mortuorum, & docente Scriptura aut traditione eum fore judicem mortuorum, manifeste patet vocem mortuorum non eodem sensu sumi in utroque loco. Ergo falsa est consequentia.

Inst. Nihil probatur ex vi vocis resurrectionis. Nam Græce eo devolvitur ut significet iteratam stationem, restaurationem, novum ac meliorem statum; quod convenit animæ & sæpe de ea dicitur.

R. Equidem vocem resurrectionis non semper, sed ex adjunctis & sæpe designare corporum resurrectionem. Hanc semper significat usu communi quoties jungitur cum voce mortuorum.

Inst. Arg. a priori. Illa resurrectio non est futura quæ est impossibilis: atqui corporum resurrectio est impossibilis; nam ut resurrectio foret possibilis, 1. deberent animabus iterum uniri eadem, & quidem numerice, corpora. 2. Ad hoc recolligendę variæ corporum partes hinc & inde dispersæ & aliis commixtæ corporibus sive in aquis, sive in aere, sive in terra, sive denique aliis aut hominibus aut pecoribus per modum alimenti insertis; idque post longam sæculorum seriem, plurimasque vices & mutationes; ex quo factum est ut quod unius erat primum corporis plurium postea fiat: atqui hæc sunt impossibilia.

R. 1. Retorqueo argumentum. Illa resurrectio est possibilis quæ est futura: atqui ex validissimis argumentis est futura; ergo possibilis est.

R. 2. n. secundam maj. Ut resurrectio absolute sit possibilis, necesse non est ut animis restituantur eadem numerice corpora. Sufficit idem esse moraliter corpus. Sicut corpus anno ætatis nostræ quarto aut quinto idem est cum corpore viginti aut triginta annorum, licet multa ex ipso deciderint & multa ipsi accreverint; idem est moraliter, non physice.

R. 3. n. min. quoad utramque partem. Et quidem quantum ad identitatem corporis moralem potest dici stamina originalia quibus continentur variæ corporis partes solidæ, v. g. ossa, nervos, esse realiter corpus humanum, materiamque externam, quæ per cibum introducitur, non esse proprie loquendo corpus humanum. Jam vero stamina originalia ac primigenia inte-

gra

gra manere possunt, eadem & immutata licet iis superaddita mutentur aut pereant. Immo non inepte conjici potest essentiam corporis humani primario consistere in radicali aliquo germine incorruptibili quod corpus humanum vere & essentialiter constituat. Germen illud incorruptibile dicitur, non quod tale sit ex natura sua, sed quod ita Deo volente sit configuratum & tale illud conservare decreverit Deus. Materia huic addita germini, partes hujus explicat quo usque ad debitum statum perveniat corpus, licet materia sic corporis essentia, seu radicali germini superaddita non sit pars corporis essentialis. Sic granum frumenti germen seminale intra se habet quo conficiantur spica, fructus ac folia; sed spicas & folia non explicat, nisi insertis terræ succis. Denique Deus pro sua scientia & patientia & ubi sint partes illæ detegere potest & eas iterum jungere; quod sufficit ad resurrectionem.

Obj. 2. Contra Conclusionem VI. Pœna damnatorum non erit positiva. Scriptura sacra sæpe exprimit futuram damnatorum pœnam ex modo qui solam vel felicitatis, vel etiam existentiæ ipsius privationem importet: sic v. g. jurasse dicitur Deus si introibunt in requiem ejus. Dicuntur perituri, eorum pœna vocatur mors secunda quæ per oppositionem ad primam, id est, ad separationem animæ a corpore, non potest designare nisi totalem destructionem & annihilationem. Quod si Scriptura aliquid ulterius superaddat, illud ad hæc prædicta reduci debet. Illa itaque pœna negativa tantum dici debet quæ modo tantum negativo & per meras privationes exprimitur: atqui talis est futura damnatorum pœna. Constanter enim designatur vocibus mortis, destructionis & perditionis: atqui hæc omnia sunt meræ privationes nec nisi negativum quid & annihilationem exprimunt. Ergo.

R. 1. n. primam min. Falsum est futuram damnatorum pœnam non exprimi nisi negative, aut constanter designari per meras privationes. Relege textus supra appellatos. Etiamsi ergo voces in objectione propositæ aliquid mere negativum sonarent, non sequeretur pœnam prædictam in solo negativo consistere. Sequeretur tantum duplicem esse pœnam unam 1. positivam; 2. alteram negativam. Hinc manifeste patet ad has voces mere negativas revocari non debere quæ alias hac de materia leguntur. Dato enim posteriores loquendi modos esse negativos tantum, inde non probatur esse exclusivos. Qui enim juravit: *Si introibunt in requiem meam*, addidit: *Ite in ignem*. Ergo non excludunt ignem, &c. Ergo.

R. 2. n. utramque min. Et dico vocibus mortis, perditionis, &c. significari pœnam positivam. 1. in præsenti materia. Nam ignis æternus vocatur in Scriptura mors secunda. *Apoc.* 21. 8. Ergo mors secunda est res eadem ac ignis; ergo est pœna, & miseria positiva. Hinc igni & secundæ morti comites erunt fletus, gemitus & stridor dentium, quæ sane locum non habent in hominibus omnino annihilatis. 2. In tota passim Scriptura Deus dicitur gentem integram perdere quando severe de ea se ulciscitur, licet eam penitus non destruat. 3. Frequenter iste harum vocum usus obtinuit pro miseria aliqua positiva. Quotidie de aliquo homine moribus dissoluto dicimus eum se perdere, eum periisse, ad sui perniciem properare. Quotidie graviori oppressi miseria dicimus: *Actum est*, *perii* &c. Sic ipse Tiberius ad Senatum scribit: *Ita me Dii Deæque pejus perdant, quam hodie perire me sentio*. Quibus verbis luctuosum sui suarumque rerum statum reddebat ut narrat Tacitus. Ergo apud omnes Authores qua sacros, qua profanos voces illæ aliquid positivum sæpe sonant. 4. Vox mortis annihilationem per se non significat; nam opponitur vitæ. Vivere autem est agere; hinc mori actionis cessationem importat. Ipsa mors naturalis non est annihilatio, sed actionis cessatio; nec morti naturali opponitur mors secunda in Apocalypsi, sed morti per peccatum. Mors è contra naturalis vocatur in Scripturis somnus, dormitio, &c. propter resurrectionem futuram. 5. Ex data vocum illarum interpretatione grave sequeretur incommodum, nempe omnium pœnas fore æquales; nullus enim assi-

assignari potest gradus in annihilatione. Quin immo sic habet Christus de Juda: „ Melius erat ei si natus non fuisset homo ille. „ Non existentia itaque melior erat Judæ proditori quam futurus ejus status: sed annihilatio est non existentia. Ergo.

Inst. Atqui nulla erit damnatorum pœna positiva: Pœna positiva, si qua foret, esset ignis realis & corporeus: jam vero nihil nos cogit ad concedendum ignem corporeum & realem. Nam nomine ignis Scriptura designat tantum injucundum præteritorum & præsentis privationis sensum. Uno verbo sicut nimius cibus & potus nimio calore corpus inflammant & sic febrem accendunt, sic peccata & eorum recordatio mentem torquent & eam spirituali quadam febri inflammant ac urunt. Ex his sic concludo: nulla alia pœna positiva, saltem ex Scripturis, nisi pœna ignis: atqui ignis quem memorant Scripturæ, non erit ignis realis & corporeus; ergo non erit damnatis ulla pœna positiva.

R. 1. n. maj. Etiamsi ignis foret tantum metaphoricus, quod negamus, esset aliqua damnatis pœna positiva, tum ex probatis, tum ex fletu, stridore dentium, &c.

R. 2. n. min. 1. Exprimitur quidem vermis in Scriptura, sed etiam exprimitur ignis. Ergo uterque distinguitur, ac proinde vermis non est ignis, nec vice versa. 2. Pœna separationis a Deo & dolor animi ex illa separatione alibi exprimitur ut distincta ab igne. Luc. 12. *dividet eum* (servum infidelem) *partemque ejus cum infidelibus ponet*. 3. Ipse Origenes sui quasi oblitus, contendit ignem quo urentur damnati, eum fore qui in fine sæculorum ad mundi conflagrationem exardescet: ergo non mera febris animi, seu non ignis tantum internus; nec quicquam evincit locus Isaiæ ab eo appellatus. Nam ignis ille dicitur a Judæis accensus per eorum scelera. Cæterum respicit ignis ille ad ultimum Judæorum excidium. Uno verbo Deus ibi declarat causam pœnæ Judæorum meritoriam, non vero efficientem quam se ipsum agnoscit. Hinc addit: *de manu mea factum est hoc vobis*.

Inst. Atqui ignis corporeus non erit pœna damnatorum. Ideo ignis corporeus admittitur quia verba Christi eam exhibent sensu obvio & litterali intellecta. Sed falsum est verba Christi sensu litterali intelligenda esse. Verba enim Christi eodem sensu intelligenda sunt quantum ad ignem quo intelliguntur quoad vermem: sed quantum ad vermem sumuntur ab omnibus verba præfata sensu metaphorico. Ecquis enim concipiat vermes corporeos vivere in flammis, nasci ex corpore incorruptibili, ac denique animam spiritualem ab iis corrodi? Ergo vermis ac consequenter ignis sensu metaphorico usurpantur in verbis Christi. Unde sic concludo. Eodem sensu intelligi debet ignis quo vermis intelligitur: sed vermis est tantum metaphoricus. Ergo & ignis.

R. n. maj. Tum ex unanimi omnium Christianorum sensu qui ignem corporeum intellexerunt, non ita vermem; tum ex verbis Christi. Enimvero Christus constanter commemorat ignem, vermem autem apud solum Marcum. Deinde igni ea constanter adjungit quæ ignem realem important. v. g. Dicit animam & corpus perdenda fore in gehennam; hominem mittendum esse in gehennam ignis inextinguibilis; colligendos esse impios sicut colliguntur zizania ad comburendum, & projiciendos esse in caminum ignis. Perpetuo jungit ignem & combustionem; nec alia ratione alludit ad vallem Ennon nisi ut ignem verum indicet.

Inst. Atqui ignis de quo loquitur Christus, est metaphoricus. Eodem enim sensu intelligi debet ignis ubi agitur de pœna futura, quo usurpantur cibus & potus ubi agitur de felicitate alterius vitæ: sed cibus & potus non possunt sumi nisi metaphorice. Ergo ignis est tantum metaphoricus.

R. n. maj. Scriptura sæpe & pluribus in locis explicat voces cibi & potus, & ad sensum metaphoricum determinat. Docet enim regnum Dei non esse escam aut potum, escam tunc temporis destruendam esse; ex quo sequitur cibum & potum sumenda esse metaphorice ubi agitur de beatitudine. Cibus enim non potest destrui & simul esse felicitas nostra. At nullibi Deus exponit ignem sensu metaphorico.

Inst. Atqui repugnat ignis corporeus. Ignis quem minatur Christus non solum corpus cruciat, sed etiam afficit animam directe & immediate. Torquet Dæmones omni destitutos corpore & animas quibus nondum sua reddita sunt corpora, jam vero hoc repugnat. Ignis enim non agit nisi contactu animæ, spiritus non habent partes. Nec dicere est ignem corporeum esse tunc instrumentum Dei. Nam instrumentum debet habere actionem propriam, naturalem & sibi proportionatam. Deinde virtus urendi animam vel foret naturalis igni vel supernaturalis. Non primum, ut per se patet. Non secundum; tunc enim modificatio seu accidens esset subjecto nobilius. Quod si dicas cum SS. Aug. & Thom. eo sensu animam igne torqueri quod cum eo conjungatur & in eo includatur, quod sentiens anima tristatur se ab illa unione liberari non posse, tunc non est supplicium ignis, sed est tristitia tantum animæ. Ex his omnibus manifestum est nullum concipi & assignari posse modum quo ignis possit torquere animam & spiritum. Immo ideo dicitur vermen metaphorice sumendum esse, quia vermis corporeus substantiam spiritualem rodere non potest; sed nec melius concipitur quomodo ignis corporeus substantiam spiritualem urere possit. Ergo tum ignis, tum vermis metaphorice sunt intelligenda. Unde sic argumentor. Nullus concipitur aut proponitur modus legitimus quo ignis corporeus agat in substantiam spiritualem. Ergo ignis corporeus rejiciendus est.

R. transf. ant. n. conseq. Aliud est res aliqua, aliud modus ejus. Stat certum & inconcussum ex revelatione ignem verum & corporeum fore malorum pœnam in altera vita; hoc aperte docet Christus. Modum autem quo id fiet & quo in animam aget, Christus non aperuit. Primum credere possumus, licet ignoremus secundum.

Dixi ad ant. transeat. Nam potest dici substantias spirituales a corporibus separatas torqueri ab igne moraliter; potest profecto easdem excitare sensationes in anima a corpore sejuncta, ac excitat in eadem anima corpori conjuncta. Potest etiam obtinere explicatio SS. Aug. & Thom.

Obj. 3. Contra Conclus. VII. Pœna alterius vitæ non erit æterna. Et quidem 1. argumenta quibus stabilitur pœnarum alterius vitæ æternitas, non videntur decretoria. Neminem profecto latet vocem æternitatis ambiguam esse in Scriptura. Modo sumitur proprie, modo improprie; modo enim designat æternitatem veram & proprie dictam, quando agitur de Deo, modo designat longissimam tantum aut indefinitam durationem cujus finem ignoramus. Innumera passim occurrunt exempla in Veteri Testamento. Sic V. T. dicitur æternum fore, servus heri sui domo in æternum addicitur licet Jubilæi tempore liber exire debeat. Abstineo ab aliis exemplis, ne tædio sim ex nimia prolixitate. Cæterum consule, si vacat, *Exod.* 21. 27. & 28. *Levit.* 10. & 16. *Numer.* 18. *Genes.* 13. 17. & 48. *Joan.* 14. *Philem.* 15. *Jud.* 7. *Rom.* 16. 2 *Tim.* 1. *Tit.* 1. Altera æternitatis hujus ratio desumitur ex eo quod ignis dicatur inextinguibilis. At vero Græcum idioma quo primigenius continetur textus, vocat tantum ignem infernum inextinctum, non inextinguibilem. Inextinctus autem dicitur quia non extinguendus nisi absumptis aut purificatis omnibus impiis. Porro manifestum est inde non confirmari æternitatem proprie dictam. Hæc sic resumo. Ea loca non probant æternitatem proprie dictam quæ possunt intelligi de æternitate improprie dicta: atqui loca in probationem allata possunt intelligi de æternitate improprie dicta. Ergo.

R. n. min. 1. Equidem vox æternitatis sæpe in Scriptura usurpatur pro æternitate improprie dicta; at nemo diffiteri potest eandem vocem sæpe etiam sumi proprie, ut v. g. quando agitur de Dei æternitate, de beatitudinis justorum duratione. 2. Ipse Burnetius nobis hic adversus edicit a littera non recedendum, nisi vera & evidens cogat necessitas. Cum autem hic nulla sit, manifestum est hanc vocem rigide, litteraliter & proprie sumendam esse. 3. Quoties æternitas pro longissima duratione

tione usurpatur, ad hunc sensum a Scriptura ipsa determinatur. Ergo quando deest illa determinatio & vox illa simpliciter & sine addito aut explicatione legitur, debet sumi proprie. Jam vero nulla in tota Scriptura reperitur explicatio hujus vocis quando impiorum in ultima vita tormentis applicatur. Immo ad æternitatem proprie dictam determinatur, tum quia opponitur æternitati Justorum, quæ propria est; tum quia declaratur in ultimi judicii sententia, quæ nullam metaphoram includere potest. Ut autem hoc clarius pateat. 4. tres proponi possunt regulæ quarum ope genuinus æternitatis sensus figuratur. I. æternitas dicenda est improprie quando id quod in uno loco æternum vocatur, in altero finem habiturum prænuntiatur. Sic cæremonialia Mosis statuta dicuntur æterna, at Prophetæ simul docent aliquando abroganda esse. Pœnarum alterius vitæ æternitatem nullibi restringit aut emollit Scriptura sacra. II. Æternitas improprie dicta intelligenda est quando id quod æternum dicebatur, finem accepisse refertur. Sic ignis Sodomorum improprie appellatur æternus, quia refert S. contextus eum extinctum fuisse absumptis quinque civitatibus. Nulla proferri potest historia quæ referat ignem inferorum esse extinctum. III. Æternitas metaphorica intelligi debet cum proprie dicta subjecto cui tribuitur repugnat. Sic repugnat servum mortalem hero mortali servire æternum æternitate proprie dicta. Porro mox videbimus hic non idem recurrere impossibilitatis impedimentum. Falsum est vocem Græcam repræsentare tantum ignem inextinctum. Vetant Henric. Stephan. & Scapula quorum uterque vocem Græcam & inextinctum & præcipue inextinguibilem significare multis exemplis astruunt.

Hinc patet æternitatem, quam improprie dictam, hic suspicantur Sociniani, aliis verbis evolvi quæ veram & proprie dictam designant, v. g. exponitur per vermem qui non moritur, per ignem qui non extinguitur. His adde Christum constanter nominasse ignem simpliciter, æternum simpliciter nulla data aut etiam permissa explicatione. Sane si Christus æternitatem proprie dictam exprimere voluisset, eam verbis aptioribus & significantioribus repræsentare non potuisset. Nec omittendum quod, licet vox *æternus* plerumque sumatur in Veteri Testamento præ æternitate improprie dicta, e contra in Novo Testamento ordinarie, uno forsan excepto loco, semper pro æternitate proprie dicta usurpetur, quidquid clamitent adversarii. Nec sane diffiteri possunt Sociniani a primis Ecclesiæ sæculis nostro sensu verba Christi fuisse ab omnibus omnino intellecta & explicata. Jam vero nemo credat omnes allucinatos esse in re tam gravi, sensibus tam austera, omnesque sine ulla revelatione legitime comprobata & agnita in tale dogma, in talem verborum Christi sensum propendisse, ita ut innato fœlicitatis desiderio nuntium darent gratis & ex sensu præfatis verbis affixo quem omnino ac evidenter destrueret familiaris Scripturæ loquendi modus.

Inst. Atqui æternitas illa non est proprie dicta. Illa enim æternitas his locis adscribi non potest quę pugnat cum innumeris aliis Scripturæ textibus; atqui suppliciorum alterius vitę æternitas proprie dicta pugnat cum disertissimis aliis Scripturæ textibus. Sic 1 Cor. 15. " Per hominem mors & per hominem " resurrectio mortuorum; & sicut in A- " dam omnes moriuntur, ita & in Chri- " sto omnes vivificabuntur. " Manifestum est hic institui comparationem ab Apostolo Christum inter & Adamum. Ergo sicut omnes ad unum in Adamo & per Adamum mortui sunt, ita omnes ad unum, nec ullis exceptis, in Christo & per Christum resurgeat. Immo etiamsi non esset universalitas omnimoda in morte, esse deberet in resurrectione. Nam ex eodem Apostolo Rom. 5. " Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi " mortui sunt, multo magis gratia Dei " in donum, in gratia unius hominis J. " C. in plures abundavit. Sic pergit " ibid. 1 Cor. 15. Apost. Deinde finis " cum tradiderit regnum Deo & Patri, " cum evacuaverit omnem principatum " & potestatem & virtutem..... Omnia " subjecta sunt ei; sine dubio præter " eum,

„ eum, qui subjecit ei omnia. Cum „ autem subjecta fuerint illi omnia, „ tunc & ipse Filius subjectus erit ei „ qui subjecit sibi omnia. „ In his verbis prænuntiatur subjectio in fine tandem sæculorum futura. Subjectio illa duos habet characteres. I. Universalis est. II. Voluntaria. Universalis quidem universalitate omnimoda. Nam solus Deus excipitur, ipse Filius in ea involvitur. Est etiam voluntaria. Nam agitur de subjectione quę non est hic & nunc; sed hic & nunc omnia Deo subjiciuntur ex necessitate & involuntarie. Deinde subjectio illa fiet per Christum, idest, ejus meritis, gratia & cura. Ergo erit voluntaria. Involuntariam facere potest Deus independenter a Christo. Adde rationem ab Apostolo subjunctam. „ Alioquin quid „ facient qui baptizantur pro mortuis? Quasi diceret nisi omnes olim subjiciendi sunt Christo, frustra pro omnibus defunctis affliguntur aut jejunant Fideles. Quod indicat & voluntariam & omnino universalem subjectionem. Denique talis erit omnium aliorum subjectio ac ipsius Filii; nam verbum subjici eodem sensu & uno tenore in toto illo textu sumitur: sed Filius profecto subjicietur Deo subjectione voluntaria, reddendo nempe sponte Patri regnum & potestatem ab eo acceptam. Adde finem hujus subjectionis. *Ut sit Deus omnia in omnibus*. Quæ indicant eo collimare eam subjectionem ut Deus ab omnibus colatur & in omnes benevolentiam suam exerat. Jam vero dogma pœnarum in altera vita æternarum æternitate proprie dicta pugnat cum ista omnium omnino subjectione voluntariâ. Quis enim concipiat cruciatos sic æternum voluntarie subjiciendos esse Deo torquenti & maledicenti æternum? Sic argumentum premo: Aliqui non possunt simul ęternum proprie damnari & omnes vivificare; aliqui non possunt simul æternum proprie damnari & omnes voluntarie subjici Deo: atqui ex textibus modo appellatis omnes vivificabuntur, omnes Deo voluntarie subjicientur. Ergo nulli damnabuntur æternum proprie.

R. n. min. quoad utramque partem; & dico neque vivificationem fore universalem, neque subjectionem fore voluntariam. Et quidem I. vivificationem de qua agitur, non fore universalem in mente Apostoli. Nam ideo ex Apostolo omnes vivificabuntur, quia sicut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum. Id est, quia Christus est novę vitę principium, seu causa meritoria & exemplaris: sed Christus non est malorum resurrectionis causa aut exemplaris, aut meritoria. Non exemplaris quidem; alias malorum resurrectio vitæ & resurrectioni Christi esset similis, ut vult natura causę exemplaris. Resurgent quidem improbi, sed in mortem & in opprobrium. Non etiam causa meritoria. Nam Christus non promeruit alicui damnationem aut damnationis augmentum: sed resurrectio damnatorum est in damnationem & ejus augmentum. Deinde Christus non meruit ea quę sunt ex prima naturę institutione & quę evenissent, etiamsi Christus non esset natus aut mortuus: porro malorum resurrectio est ex prima naturę institutione & decreta ac futura independenter a Verbi incarnatione. Prima enim institutio habet ut si homines peccarent, morerentur quidem, sed postea resurgerent in scelerum retributionem: Ergo vivificatio pręsens spectat tantum Justos.

2. Vox *omnes* restringitur, & quidem multipliciter apud Apostolum loco citato. Nam continuo addit eos vivificandos esse qui Christi sunt. Tota ratio Apostoli desumitur ex unitate & conformitate totius corporis mystici. Jam vero impii in altera vita non erunt Christi. Nam ex eodem Apostolo: „ Si quis spi„ ritum Christi non habet, hic non est e„ jus. „ Sed non vivificandi sunt nisi qui spiritum Christi habent & ejus sunt. Nam: „ quod si spiritus ejus qui susci„ tavit J. C. a mortuis, habitat in vobis, „ qui suscitavit J. C. a mortuis vivificabit „ & mortalia corpora vestra propter in„ habitantem spiritum ejus in vobis. „

3. Toto hoc in capite Apostolus agit de bonorum resurrectione. Nam agit de resurrectione in qua Christus habet primas partes; *primitiæ Christus*; sine qua miserabiliores sunt omnibus aliis Christiani; in qua alia claritas & glo-

ria resurgentium, & surget corpus spiritale in gloria per quam Christo qui est secundus homo cœlestis assimilabimur. Ergo agitur de vivificatione aliqua & quorumdam. Hinc addit sublata resurrectione Justorum frustra Fideles baptisari pro mortuis. Cujus textus hic sensus est. Sublata resurrectione frustra Apostolos pati mala & persecutiones ut resurrectionis spem & fructum ingerant ac procurent infidelibus quos mortuos appellat. Scilicet hic semper arguit Apostolus ex absurdis quæ sequerentur ex falsitate resurrectionis. Per baptismum designat persecutiones & graves & extraneas, sicut Christus ipse de se ipso dixit: *baptismo habeo baptisari*..... infideles mortuorum nomine significat ad Christi ipsius exemplum: *dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Porro hæc Apostolica sententia non obtinet nisi agatur de Justorum resurrectione.

4. Nec agitur de subjectione voluntaria. Nam de ea subjectione agitur quæ morti competit: sed subjectio illa erit violenta & necessaria, non voluntaria. Deinde de ea subjectione habet Apostolus qua evacuabit omnem principatum & potestatem, Dæmonum nempe: sed subjectio illa erit minime voluntaria. Exprimitur per verbum Græcum quod destruere significat, ut quando agitur de mortis debellatione. Propterea ea est subjectio qua inimici Christi sub ejus pedibus sunt ponendi; porro hoc electis aptari nequit de quibus dicitur: „ Consedere fecit in cælestibus in Christo, &, si sustinebimus & conregnabimus. „ Electi subjiciuntur Christo per obedientiam & justitiam perfectam, reprobi verò, tam Dæmones quam homines per eam vim qua nec electis nocere, nec ordinem a Deo institutum perturbare poterunt. Nec sane subjectio illa eadem erit ac Filii ipsius, tum ex assignatis primæ subjectionis characteribus, tum ex vocis Græcæ diversitate, tum denique ex subjecta materia: Filius enim subjectus dicitur Deo, vel ratione humanitatis, ut: *Pater major me est*, vel ratione Ecclesiæ & corporis mystici cujus est caput. Porro manifestum est quod hic nulla possit intelligi violenta subjectio. Nec nocet quod Deus ex illa subjectione dicatur & fiat omnia in omnibus; verba enim illa spectant solos electos in quibus Deus erit omnia quia nihil mali erit in eis, sed omnia erunt bona.

Inst. Atqui æternitas pœnarum in altera vita pugnat cum Scriptura. Hæc enim Scriptura exhibet nobis ignem futurum ut peccatoribus purgandis defœcandisque peccatorum fœcibus destinatum. Sic 1. Cor. 3. „ Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. „ Ergo ignis purgando peccatori inserviet.

R. Scripturam nullibi docere ignem ad nihil aliud esse a Deo destinatum nisi ut purificet; nec id evincit allatus textus. Ex eo enim sequitur quidem esse aliquem ignem peccatoris purgatorium, non vero nullum alium esse. S. Aug. *l. 21. de Civ. D.* observat in eo textu agi de eo qui habet Christum pro fundamento. Habere autem Christum pro fundamento est nihil ipsi præponere. Unde illos purgabit ignis ille qui Christo nihil præponunt, id est, qui & fidem & caritatem ad finem usque servant. At Apostolus non dicit eos igne futuro purgandos primum & deinde salvandos qui ab ea fide & caritate per opera contraria exciderunt. Nam ut ratiocinatur idem S. Aug. juxta S. Jacobum. „ Si quis fidem dicat se habere, opera autem non habet, nunquid fides poterit eum salvare? „ Hi duo Apostoli sibi contradicerent, dum unus negaret salvari homines ex fide sine operibus, alter assereret, eos salvari etiamsi mala sint eorum opera.

Inst. Pœnarum æternitas in altera vita pugnat cum natura Dei, nempe cum ejus attributis, 1. cum bonitate. Illa enim sententia pugnat cum Dei bonitate quæ eam elevat tum relative ad hominem, tum in se: atqui talis sententia æternitatis pœnarum; & quidem quantum ad bonitatem Dei relative ad nos, debilitat gratum animi sensum erga Deum pro acceptis ab eo beneficiis, & præsertim pro accepta existentia. Enimvero posita pœnarum illarum æternitate, homo mallet non existere, quam existere; nunquam extitisse, quam ali-

quandiu extitisse. Supponamus penes hominem esse existere vel non existere; addamus homini illi proponi pœnarum æternarum dogma. Statim perpendet & quæret homo ille quo verisimilitudinis gradu timendæ sint & futuræ pœnæ illæ; si ipsi responderetur, longe probabilius fore eum his pœnis subjiciendum quam subducendum, eamque probabilitatem esse ut 1 ad 100, quin si adderetur eos tantum esse a pœnis æternis immunes abituros quos Deus decreto meritis etiam prævisis anteriori æternæ beatitudini prædestinaverit, certum est hominem illum malle non existere quam existere, æterna enim damnatio longe certior est quam salus. Quod si illud homini jam existenti innotescat, mallet se nunquam extitisse, quam aliquandiu extitisse. Ergo detestabitur suam existentiam. Ergo gratum ac memorem ex ea nunquam se erga Deum præbebit, nec eum sibi bonum inde judicabit; immo eo majori odio Deum prosequetur quod ab eo inscius in illo statu fuerit positus. Quod autem homo ille in casu proposito malit non existere quam existere, apertum est. Sic enim apud se, si prudenter agat, ratiocinabitur: recusando existentiam, amitto quidem regnum, sed annihilatus, & non existens, damnum non sentiam. Accipiendo vero existentiam adest periculum evidens damnationis æternæ, immo certa damnatio æterna. Nativa & prudens inde dimanans conclusio alia esse non potest quam malo non existere. Ergo etiamnum existens non potest non dicere, mallem nunquam extitisse. Singulis enim instantibus eodem in statu poni potest quo fuit in primo ante existentiam supposito; singulis instantibus potest percipere damnationis certitudinem. Ergo ex alterius vitæ pœnarum æternitate elevatur Dei bonitas in mente hominis & relative ad eum, id est, ad ejus gratitudinem. Eo ipso enim quo vivere non vult, aut nollet, jam existentiam minus beneficium æstimat, ac proinde Dei bonitas, saltem quoad illud beneficium, est minoris apud ipsum pretii. Huic incommodo occurrunt pœnæ tantum temporales & castigatoriæ ad purgationem, non ad cruciatum præcise; quas sequitur aut omnimoda salus, aut saltem annihilatio. Pœnæ enim temporales post hanc vitam idem præstant ac præsentis vitæ labores & difficultates quæ virum prudentem & sanum ab existentia non deterrebunt. Posita etiam annihilatione, saltem vixerit, saltem existentiæ bonum degustaverit; licet existentia ejus finem absolutum habeat, bona esse existenti non desinit. Hæc sic contraho. Illa sententia elevat bonitatem Dei quoad hominem qua posita minuitur in homine sensus & existimatio bonitatis divinæ: atqui posita pœnarum alterius vitæ æternitate, jam minuitur in homine sensus & existimatio divinæ bonitatis. Tunc enim minuitur ille sensus quando mallet homo non recipere aut non recepisse, quam recipere, aut recepisse beneficium a Deo, v. g. existentiam: atqui posita æternitate pœnarum alterius vitæ homo mallet non recipere aut non recepisse, quam recipere aut recepisse beneficium a Deo, v. g. existentiam; id est mallet non existere aut nunquam extitisse, quam existere, aut aliquandiu extitisse. Ergo.

R. n. ultim. min. Etiam posita pœnarum æternitate homo eliget aut existere, aut extitisse; tum quia existentia est aliquid boni tum in se, tum ratione effectus & sequelæ; tum quia pœnas æternas devitare potest. Cæterum hæc difficultas libertatem directe magis impetit quam pœnarum æternitatem.

Inst. Ille posita æternitate pœnarum alterius vitæ mallet non existere, aut nunquam extitisse qui in hac hypothesi æternam suam damnationem videt certo futuram: atqui homo posita alterius vitæ pœnarum æternitate æternam suam damnationem videt certo futuram. Ille enim videt damnationem suam certo futuram respectu cujus propriæ salutis certitudo est ad perditionis certitudinem ut negatio ad positivum, seu ut unitas ad mille: atqui posita pœnarum alterius vitæ æternitate sic se res habet. Tam certus est enim homo se salvandum, quam certus est unum pro mille salvari. Ergo ipsi tam constat se damnandum, quam constat mille pro

le pro uno damnari. Ergo certitudo futuræ damnationis est relative ad eum ut numerus milliarius relative ad unitatem; seu certitudo damnationis æternæ tanto superat certitudinem salutis quanto numerus millenarius superat unitatem.

R. n. ultim. min. Et dico posita alterius vitæ pœnarum æternitate præfatam non adesse homini æternæ damnationis futuræ certitudinem. Ut enim sic certo ipsi constaret æternæ damnationis futuritio; deberet ipsi constare se non habiturum salutis volitionem, & eam si haberet, cariturum esse mediis ad salutem adipiscendam necessariis: atqui neutrum potest ipsi constare ut certo futurum. Non primum: volitio enim illa est futurum contingens. Non secundum: nam media ad salutem necessaria sunt ea quæ vel potentiam, vel actum conferunt, quæ homini a Deo esse adfutura certum est, saltem quoad prima, etiam in systemate prædestinationis gratuitæ. In illo enim etiam systemate homo semper potest esse de numero prædestinatorum, habet veram salutis conficiendæ potentiam. Cæterum systema illud merum est systema quod deserere cuique liberum est. Itaque etiam posita alterius vitæ pœnarum æternitate homo nullam habet certitudinem futuræ damnationis æternæ, sed tantum ejus possibilitatis. Multitudo pereuntium est consensus quidam probans perditionem æternam possibilem esse, non vero certo futuram, utpote quæ fit de futuro contingenti & omnino libera. Id semper homini præsens erit homines illos periisse, quia voluerunt; se vero salvandum si velit.

R. n. ultim. conseq. Hæc difficultas pœnarum æternitatem nec præcise, nec directe spectat, sed potius earum futuritionem ex imprudenti libertatis usu.

Inst. Æternitas pœnarum pugnat cum bonitate Dei in se considerata. Ex summa enim qua Deus in creaturas propendet bonitate, non potuit in ea condenda non sibi proponere ejus felicitatem, & quidem omnimodam. Ex altera parte homo impotenti propriæ felicitatis exæstuat desiderio. Hunc beatitudinis sensum Deus ipse creaturæ & inseruit, & inter pœnarum æternarum acerbitatem conservat. Hæc felicitas malum quodcumque a creatura excludit tum ex Dei consiliis, tum ex creaturæ natura, seu ex ejus desiderii essentia. Jam vero nemo non videat his directa fronte repugnare pœnam æternam. Hæc sic resumo. Omnimoda & absoluta felicitas tum Dei consiliis, tum hominibus essentiæ consonat: sed absolutæ felicitati repugnat æternitas pœnarum. Ergo.

R. 1. Retorq. Omnimoda & absoluta felicitas tum Dei consiliis, tum hominis essentiæ consonat: sed absolutæ ac omnimodæ felicitati repugnat quælibet pœna, quælibet miseria etiam temporalis & transitoria. Ergo nequidem per tempus homines subjici possunt pœnæ & miseriæ, quorum saltem primum negant vel ipsi Deistæ qui ultro fatentur pœnas peccato impositas modo non sint æternæ. Quin immo inde sequeretur homines temporali miseriæ ut morbis & cæteris præsentis vitæ calamitatibus subjici non posse. De quo relege dicta ubi de unitate & providentia Dei.

R. 2. dist. maj. Omnimoda & absoluta felicitas consonat Dei consiliis juxta æquitatis & justitiæ leges, hominis vero essentiæ usurpatis mediis proportionatis: c. secus: n. Itaque fundamenta quibus tum ex parte Dei, tum ex parte hominis nititur omnimoda hujus felicitas, legitima esse fateor, ita tamen ut recte intelligantur; & quidem quoad Deum; Deus nullum alium finem sibi proponere potuit in condenda creatura, nisi creaturæ felicitatem, etiam si volueris, omnimodam. Et sane ea semper subintelligenda est conditio, in quantum istud cum aliis Dei attributis conciliabitur. Certum est enim Dei attributa sibi invicem non opponi, ac proinde secum non pugnare. Hic agitur de felicitate quæ est merces & corona, ac proinde Deus eam rependere non potest contra justitiæ & æquitatis leges. Si ergo felicitas omnimoda Dei consiliis intenta conferri non possit a Deo nisi violatis justitiæ & æquitatis legibus, Deus a suis consiliis non aberrat hominem prædicta felicitate spoliando. Porro vetat justitia ne immeritis

conferatur merces ; postulat ex justitia Dei legum majestas ut acerbæ addicentur miseriæ qui eam temerarunt. Ita pariter quantum ad hominem, natura eum invincibiliter inclinat ad quærendam felicitatem omnimodam; sed simul monet ut media huic procurandæ proportionata usurpet; quibus neglectis & omissis, sperata quidem excidit felicitas, non naturæ, sed voluntatis hominis culpa. Sane si omnimoda felicitas per se & independenter a quacunque alia conditione Dei consiliis & hominis essentiæ esset annexa, frustra Deus leges proposuisset ut totidem assequendæ felicitatis media, frustra natura eas promulgaret leges & ad eas inclinaret. Nec profecto summa Dei bonitas in eo consistit ut cæcos modo bona conferat, & immeritis indebita largiatur præmia & peccata condonet cum legum majestatis dispendio; bonitas illa foret negligentia, indifferentia culpabilis ac turpis vecordia, non vero perfectio.

Inst. Atqui Dei bonitati in se spectatæ repugnat pœnarum alterius vitæ æternitas. Nam etiamsi bonitati Dei non repugnet miseria temporalis & transitoria, repugnat tamen ipsum permittere ut creatura quam diligit sine fine crudelissima patiatur. Misericordia enim, bonitatis individua comes, est tristitia & dolor de alterius malo. Jam vero concipi non potest Deum dolore de malo creaturæ & tamen ei non parcere. Nobis difficile est omnem exuere humanitatem; Deo difficilius, omnem misericordiam. Si nostram naturam corrumpere aut destruere possumus, non ita Deus suam. Non jam bonitatis, sed crudelitatis opus esset creatio.

R. Hæc difficultas ipsos misericordes, ut eos vocat S. Aug. impetit. Nam juxta eos Deus peccatores puniet per multorum annorum millia; valent tamen contra hanc assertionem exaggerata in objectione incommoda. Quis enim concipiat Deum bonum & misericordem permittere ut crudelissima quæque patiatur creatura quam diligit adeo longo tempore & per tot annorum millia. Jam incommoda illa sustulimus advertendo bonitatem & misericordiam etiam non per se & solitarie, sed relative ad justitiam attendendam esse. Id unum inde sequitur Deum peccatori non esse bonum aut misericordem eo omni qui potest modo, non vero everti & funditus ruere hæc Dei attributa. Deum damnatorum pœnis modum posse absolute imponere non negamus; eum vero pœnas illas æternum infligere posse illæsis misericordia & bonitate Dei asserimus.

Inst. Atqui bonitati Dei repugnat pœnarum æternitas. Eo tota devolvitur mox data responsio ex bonitate Deum non teneri ad finiendas damnatorum pœnas, sed illæsa bonitate eas æternum durare posse, ac proinde jus habere illas infligendi. Esto illud jus, sed illæsa manere non potest summa Dei bonitas ex quo jure illo utitur: etenim, ex effato ubique vulgato summum jus, summa injuria. Ergo eo ipso quo Deus summo suo jure utitur, jam summam facit injuriam quæ cum summa ejus bonitate conciliari non potest. Nemo summæ injuriæ vocem hic exhorrebit dum ad mentem revocabit supplicia damnatis illata esse exquisitissima simul & æternum duratura. Quæ perpessi fuerunt tormenta Christiani ob fidei defensionem, quæ Siculi adinvenere tyranni præ inferorum cruciatibus levia & mollia dicenda sunt. Quo graviora sunt alterius vitæ supplicia, eo a summa Dei bonitate sunt abnormia; quo magis in iis infligendis jure suo utitur Deus, eo jus ejus fit injuriæ, & crudelitati proximum. Ergo eo magis cum ea bonitate repugnat. Nec dicas Deum potuisse impios annihilare atque hoc modo eum summo jure usurum fore. Multo enim optabilior annihilatio quam vita sic dura & acerba. Hinc concludo Deum jus etiam summum prætergredi dum creaturam quam summo jure annihilare potest & sic mitius puniret, conservando sævius & acerbius torquet. Hinc ipse Christus pronuntiavit meliorem futuram fuisse Judæ proditori non existentiam quam tormenta illi destinata. Ergo si annihilatio sit ultimum juris Dei exercitium, & tamen creaturam ponat in statu ipsa annihilatione pejori, jam Deus ipsum jus summum excedit. Unde jus supremum sævitiæ est proximum;

mum; ergo juris summi prætergressio ipsa sævitia est, & quidem maxima: sed sævitia, præsertim maxima, bonitati directe repugnat. Ergo huic bonitati repugnat pœnarum æternitas. Hæc omnia sic contrahere licet. Deus ex pœnarum æternitate utitur jure summo, illud excedit: sed jus summum & præsertim illius excessus summæ Dei bonitati repugnat. Ergo pœnarum æternitas summæ Dei bonitati repugnat.

R. 1. neg. maj. Licet enim utatur jure suo Deus pœnas æternas decernendo & infligendo, attamen non utitur jure summo, seu jure suo non utitur quantum posset. Quamvis enim quoad durationem pœnarum nihil amplius facere possit, quia nihil æternitati addere potest, tamen quoad earum intensionem & acerbitatem, seu quantitatem, posset eas augere & iis aliquid addere. Equidem peccatori, quantum fuit in deliciis tantum dat tormentum & luctum, & secundum mensuram delicti est plagarum modus, at non ita ut nihil addere possit quin turbetur justitia. Illa proportio pœnam inter & scelus nedum excludat omnem omnino misericordiam, immo aliquam semper supponit. V. S. Thom. in 4. dist. 46. qu. 2. quæstiunc. 1. ad 1. & 5. q. 3. ad 1.

R. 2. n. secundam partem maj. Nam peccato pœna infinita debetur, infinita inquam vel per se, vel per accidens; ergo Deus eam infligendo jus suum non excedit. Deinde tota major supponit Deum pœnas æternas ideo decernere præcise quia ad eas decernendas jus summum habet, nosque ita in præcedenti responsione ratiocinatos esse, quod falsum est. Deus pœnas æternas decernit & infligit, quia eas postulant & legum suarum violata majestas, & gravitas offensæ, status peccatoris, ut infra fusius exponemus. Nec bonitatem ex eo vindicavimus quod jus harum pœnarum habeat Deus, sed ex eo quod licet pro bonitate sua pœnis illis finem imponere possit, eas tamen æternum continuare possit illæsa sua bonitate.

R. 3. dist. min. quoad primam partem. Jus summum summæ Dei bonitati repugnat, bonitati, inquam absolutæ: n. relativæ: subdist. quoad communicationis & manifestationis gradum: c. quoad substantiam; n. In hoc consistit jus Dei de quo agitur, quod legum suarum majestatem velit & amet præ hominum felicitate, quando sibi opponuntur; in hoc jus illud est summum quod pro summo amore quo seipsum suasque leges prosequitur eas omnibus aliis entibus præponat, adeo ut si stare non possit legum illarum majestas quin creatura æternæ subjaceat pœnæ, malit creaturam æternum perire quam legum suarum violari majestatem. Porro jus illud sic conceptum, 1. non lædit bonitatem Dei in se, seu immensam & inexhaustam quam habet benefaciendi facultatem. 2. Nec lædit bonitatem relativam quoad substantiam communicationis consideratam; stante enim pœnarum æternitate potest adhuc suæ bonitatis effectus aliquos communicare creaturæ. Et sane jus illud non destruit consilium nobis benefaciendi quod exequeretur nisi obstarent demerita. Deum benefactori & patrono cuidam merito similem dixerim qui clientem innumeris quidem beneficiis cumulare vult & revera cumulat, sed propter immemorem animum ac abusum dona sua subtrahit, & propter injuriam iis ex abusu illatam non solum spoliat, etiam in æternum quantum potest, sed etiam abutentem plectit pro viribus. Hoc justitiæ exercitium non obstat quin patronus ille & in se bonus sit & etiam revera aliquatenus misericors in temperanda vindicta quam majorem exercere posset. 3. Opponitur ergo jus pœnarum æternarum bonitati Dei relativæ quoad solum communicationis gradum, nec in hoc læditur summa Dei bonitas. Ubi enim summa est injuria, summum jus non opponitur bonitati nisi bonitas et mera vecordia & animi mollities. Ubi non solum nullum est meritum, sed etiam ubi meritum est summum jus exerceatur, jus illud bonitati non repugnat. Tunc enim bonitas nihil actu communicare debet; alias vitii labem contrahit.

Inst. Summum jus, summa injuria. Ergo summum jus summæ Dei bonitati repugnat.

R. dist. antec. Summus jus inter homines,

mines, seu hominis ad hominem, summa injuria: con. summum jus Dei ad homines, summa injuria: n. Jus summum summa est injuria duplici de causa juxta Grotium; 1. quia læditur caritas proximi. 2. Quia ex illo jure usurpato gravissima sequuntur incommoda. Scilicet jus summum in eo consistit quod quilibet suum asserat ac tueatur quantum potest. Hinc quantum utitur jure suo, id est, quantum quilibet suum tuetur, tantum recedit ab alieno. Nemo asserit suum nisi ex amore sui; ergo qua proportione aliquis suum tuetur & vindicat, ea se ipsum sibi ipsi suique amori succurrit, ac proinde eadem proportione ab amore alterius recedit. Ergo ubi exercetur jus summum, summe receditur ab amore proximi. Hinc summa injuria, quia nempe homo quilibet alios amare tenetur ut se ipsum. Ergo summum jus summa est injuria, hominis ad hominem, quia summe amori quem quivis homo cuique homini ut coæquali debet, opponitur. At summum jus Dei in homines non est summa injuria, quia non opponitur amori quem homini debet. Ut enim jus illud opponeretur in Deo amori erga hominem debito, amor quem Deus homini debet, amori legum suarum, vel amori hominis ad hominem, aut præponderare, aut saltem æquiparari deberet; quod falsum est. Nam homo alios sicut se diligere debet, non ita Deus hominem; leges suas seque ipsum amore actu summo diligit Deus, non ita hominem. Uno verbo ut jus Dei, de quo agitur, bonitati divinæ contradiceret, oporteret Deum teneri ad consulendum bono hominis magis quam bono suo & legum suarum, ad anteponendum amorem homini debitum ei quem sibi ipsi debet. Cum autem amor quo Deus se ipsum & leges suas prosequitur longe sit fortior eo quem erga homines gerit, manifestum est hæc omnia argumenta nullum hic locum habere. Observ. deinde Deum quidem, si voluerit, summum jus exercere in plectendis in inferno peccatis, at intra justitiæ & æquitatis cancellos & ordinem; ac proinde summum illud jus misericordiæ non magis opponi quam justitiam ipsam, quæ, cum punit, utitur jure suo, & cum punit pro meritis ad strictos juris apices, etiam in hac vita, utitur jure summo.

Inst. Ex responsione data sequitur bonitati inter homines repugnare juris summi exercitium. Jam vero cur etiam non repugnaret Dei erga homines bonitati? Quam enim habemus de bonitate ideam & notionem, eam ex ipsomet rationis dictamine haustam accipimus. Ratio falli nec fallere potest. Hinc in tantum bonitas inter homines legitima est virtus in quantum bonitati sic ex recta ratione conceptæ conformis est. Ergo cum hominum bonitati adversetur jus summum, jam & Dei bonitati adversari jus illud necesse est. Ecquid enim? Si quod justum & æquum est apud homines, injustum sit apud Deum, omnia jam confusa & permixta turbantur. Vitium pro virtute æstimabitur, nulla erit in nobis notio lumini naturali analoga. Ergo eo ipso quo percipio jus summum bonitati humanæ compati non posse, illud divinæ etiam repugnare legitime concludere mihi est; eo ipso quo concipio homines non posse supplicia æterna infligere cum possint & utiles & transitorias pœnas decernere, jam Deum idem dedecere etiam legitime concludo. His sic positis, sic argumentor. Ex concessis jus summum inter homines summa est injuria hominis ad hominem: ergo summum jus Dei in homines summa est etiam injuria Dei ad homines. Ergo summum jus, &c.

R. n. conseq. Cujus falsitas & disparitatis ratio manifeste patet ex dictis. Ad probationem vero, nempe id quod Deo est virtus esse homini vitium, insulsum est: ad cujus evolutionem observandum est inter ea quæ mala vel bona, justa vel injusta, virtuosa vel vitiosa dicuntur, alia talia esse ex se & in omni circumstantia; sic v. gr. mendacium ita est per se malum ut in quavis circumstantia bonum ac legitimum fieri nullatenus possit. At id extra propositam quæstionem est. Alia vero ita per se mala vel bona ut relationem & respectum dicant necessario ad circumstantias loci, temporis & personarum. Sic virtu-

tes aliæ sunt principis, aliæ subditorum; alia sunt jura Regum, alia privatorum. Mutatis circumstantiis, mutata materia, mutatur adhuc virtus vel vitium. Sic occidere hominem etiam reum privatè scelus, civili principi virtus. Cum omnia non eadem sint omnibus officia, nec omnis eadem omnibus est virtus quę importat conformitatem cum lege aliqua, quæ non omnes eodem modo & in omnibus circumstantiis spectat. Hinc, ut ad propositum redeamus, bonitas respectu hominum postulat ut id omne bonum quod possunt & sibi cupiunt sibi mutuo conferant. Manifestum est quod hæc notio in Deum cadere non possit, tum quia Deus multo plura hominibus largiri potest quam possint recipere, tum quia homo quilibet similem sibi tenetur sicut se ipsum amare, non ita Deus hominem. Manifestum est ergo quod bonitas non sit virtus in Deo & homine eodem omnino modo. Hinc ergo Deus plura quam homo jura habet & exercere potest illæsa bonitate. Rem alio exemplo illustremus. Ut posset esse furtum respectu Dei, deberet esse res aliena respectu ejus quam posset auferre alteri domino invito, quod repugnat pro summo quo in omnia potitur dominio. Mutatur ergo hic furti materia, aut potius tollitur. Quid est enimvero justum esse vel injustum Deo? Nihil aliud est quam intellectum divinum Deo dictare eum habere facultatem ad tale vel tale agendum vel non agendum. Fateor Deum non posse agere id cujus agendi facultatem non habere dictaverit ipsi ejus intellectus, sicut nec homini licet agere quarum facultatem agendi non eum habere dictat intellectus; hocque sensu virtus Deo non potest esse homini vitium. Sed inde non sequitur intellectum humanum homini dictare se habere eam omnem omnia agendi facultatem quæ Deo competit, aut Deum nullam quam homo facultatem agendi habere. Ergo intellectus Dei potest Deo dictare eum habere facultatem ad agenda multo plura quam homo. Ergo ea agendo nec bonitas, nec ullum aliud lædetur attributum. Ergo homo supplicia gravia & diuturna & emollire & breviare poterit, immo debebit, dum ad istud ex bonitate non tenebitur Deus.

Inst. Nemo diffiteri potest penes Deum stare damnatorum tormenta emollire & finire. Ergo id facturum esse merito concludere possumus. Nulla enim suppetit ratio in oppositum. Non voces: *in ignem æternum, inextinguibilem*: cum agitur enim de horum verborum sensu, quæritur utrum eo sint intelligenda qui bonitati Dei adversetur. Contendimus, fatentibus omnibus, Deum posse pœnis illis finem imponere; contendimus id magis consentire cum ejus bonitate; hinc concludimus rem ita eventuram. Frustra opponitur justitia divina. Hæc enim a misericordia sejungi aut ipsi opponi non debet. Sicut misericordia non postulat nullam esse scelerum vindictam, sic nec justitia exigit ut peccata puniantur eo omni modo quo puniri possunt. Justitiæ divinæ sufficiunt pœnæ temporales. Unde idem semper recurrit argumentum ex veniæ possibilitate relative ad bonitatem Dei. Potest Deus ex bonitate relaxare damnatis pœnas promeritas; ergo eas relaxabit. Nam longe probabilius est Deum id facturum quod in se bonitati ejus magis consonat, dum nulla ex adverso stat legitima ratio.

R. n. conseq. Ex eo quod Deus pro sua bonitate possit pœnas damnatorum relaxare, etiamsi huic relaxationi non obstet justitia Dei, nullaque opposita militet ratio, sequitur tantum illam relaxationem esse possibilem, non vero futuram. Cæterum falsum est nullam obstare rationem. Præter enim damnatorum merita de quibus infra, ubi de justitia, obstant verba Christi quæ enuntiant pœnas illas esse decretas. Nec dicere est horum verborum sensum in controversiam hic venire; nam sufficientibus argumentis stabilitus est. Unde merito possumus sic argumentari: revelatum est dogma pœnarum æternarum. Ergo nec bonitati, nec justitiæ divinæ repugnat illud dogma. Non debent quidem intelligi verba Christi eo sensu qui ejus bonitatem pessundaret, sed nec ejus bonitas eo sibi efformanda est modo qui verba Christi omnino subvertat. Immo probatum manet ex dictis

boni-

bonitatem divinam pœnarum æternitati non opponi. Hæc objectio indirecte tantum revelationis sensum impetit, ex rei nempe ipsius incompossibilitate cum eadem bonitate, non vero directe, ex antecedentibus nempe, ex consequentibus, ex vi nativa vocum. Nec profecto evidenter probatur bonitatem Dei pugnare cum revelatione proposito sensu intellecta.

Inst. Pœnarum æternitas pugnat cum justitia divina. Pœnarum impositio ad justitiam distributivam revocatur. Hæc est autem justitiæ distributivæ conditio & natura ut ad æqualitatem tendat. Debet ergo accurata. Intercedere proportio culpam inter & pœnam, adeo ut pœna crimine major non sit. Hoc jubebat olim Deus *Deuter.* 25. „ Secundum mensuram delicti erit plagarum „ modus, *& Apoc.* quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormentum, „ & luctum. „ Jam vero æternitas pœnarum pugnat cum illa æqualitatis proportione. Etenim peccatum quodlibet momentaneum est, ut plurimum. Jam vero inter pœnam duratione infinitam & peccatum instantaneum nulla est æqualitatis proportio. Ergo pœnarum æternitas cum justitia Dei non potest conciliari.

R. 1. retorq. Justitia importat æqualitatis proportionem pœnam inter & peccatum: sed inter pœnam negativam æternam aut pœnam positivam multorum sæculorum & peccatum momentaneum nulla est æqualitatis proportio: atqui tamen, fatentibus Deistis, pœnam negativam æternam, immo pœnam positivam per multa sæculorum millia infligere potest Deus, salva sua justitia. Ergo.

R. 2. dist. maj. Justitia importat æqualitatis proportionem pœnam inter & peccatum, quoad gradum pœnæ: conc. quoad ejus durationem: neg. duo itaque in pœna distinguenda veniunt præter substantiam, gradus nempe & duratio. Gradus respicit pœnæ acerbitatem seu ejus intensionem, duratio vero temporis spatium & longitudinem. Ut pœnam inter & peccatum adsit postulata & debita æqualitatis proportio, necesse non est in undequaque, id est, tum ex gradu, tum ex duratione repetatur; sufficit proportio ex gradu. Exigit enim vero innocentem & reum diversimode se habere, & majorem reum magis plecti: sed hoc succedere potest ex gradu supplicii, independenter ab ejus duratione. V. S. August. *lib.* 21. *de civit. Dei*, cap. 11. & 25. S. Thom. 4. distinct. *art.* 3. Deinde absurdum esset pœnam ex sceleris duratione metiendam esse, nullamque justam reputandam esse; pœnam nisi quæ eodem præcise temporis spatio duraret quod perpetrando sceleri insumptum fuisset. Alias graviora quæque scelera, ut pote quibus breviora sufficiunt instantia, mitius puniri deberent; & quo quis ad scelus promptior ac majori velocitate ac dexteritate uti sciret, eo levior vindicta & pœna foret dignus. Deinde cum pœnæ & mercedis eadem sit conditio, eodem modo de utraque ratiocinandum est. Ergo si pro duratione sceleris æstimanda est pœna, merces etiam soli boni operis durationi erit commensuranda; quod absurdum est. Quis Deistarum diffiteri potest ex atrocitate & immanitate criminis pœnam manere suspensam? At vero sceleris atrocitas ex ejus cum lege difformitate, non ex ejus duratione oritur. Homicidium, verb. grat. blasphemia in Deum brevissimo tempore absolvuntur; attamen longe magis a lege discedunt quam furtum. Quasi vero quia uno instanti occiditur homo, uno etiam instanti puniendus esset? Quin immo inter homines pro sceleribus inferuntur pœnæ suo modo æternæ, nec eorum durationi proportionatæ. Tales sunt mors, perpetui carceris aut exilii pœna, &c.

Inst. Atqui in pœnarum distributione habenda est ratio durationis ut servetur æqualitatis proportio. Alias peccatum levissimum, licet mortale puniri potest & debet pœnis æternis. Fac itaque levissimos peccatores pœnis semper gravissimis, sed æternis torqueri, quid fiet gravioribus peccatoribus? Quid ultra mereri possunt insignes scelerati? Aut ergo nullum est peccatum alio gravius, aut omnia, licet inæqualia, æquali pœna donantur: unde sic concludo: Peccata inæqualia, inæquali pœna puniri debent: sed posita pœnarum æter-

æternitate omnia peccata, licet inæqualia, æquali pœna puniuntur. Ergo posita pœnarum æternitate omnia peccata sunt æqualia, &c.

Resp. dist. Peccata inæqualia inæquali pœna puniri debent, inæquali, inquam, quoad gradum & acerbitatem pœnæ; conc. quoad durationem: neg. Eidem argumento eadem responsio. quæ sufficienter patet ex dictis. Licet merces sit æqualis quoad durationem, inæqualis est quoad gradum: idem de pœna dicendum est.

Inst. Atqui justitiæ repugnat pœna æterna. Vel peccator meretur pœnam æternam, vel eam non meretur. Si secundum; fit injusta, & justitiæ repugnat pœna æterna. Jam vero non primum; ideo enim peccator hanc meretur pœnam, quia hæc peccato debetur per se ab intrinseco & ex entitate actus; vel ex circumstantiis: atqui nihil horum dici debet. 1. Peccato non debetur pœna æterna per se. Sunt enim qui peccent mortaliter, huic satisfaciant & statim in cælum avolent, nec proinde tolerarunt nisi transitoriam pœnam; immo sunt qui statim post actum doloris moriantur nullam omnino perpessi pœnam. Ergo peccato per se non debetur pœna æterna. 2. Non debetur ex entitate actus; in eo entitas actus hanc pœnam importaret, vel quod entitas illa foret infinita in se, vel saltem ex objecto quod ex illo actu impetitur, quia nempe Deus, contra quem peccatur, est infinitus: atqui hoc falsum est. Tunc enim omnia peccata forent æqualia, utpote infinita; in infinito enim non datur plus & minus; unde æquali pœna forent digna. Attamen dicit Christus quosdam vapulaturos paucis, quosdam multis, aliis quam aliis tolerabilius fore in die judicii. Preterea peccatis venialibus, utpote eadem ratione infinitis, deberetur pœna æterna. Denique tunc ex objecto peccata fiunt tantum majora, quando directe contra illud committuntur, non autem quando indirecte tantum illud impetunt. Sic quæcunque scelera in aliquo regno commissa Principis voluntati opponuntur, non sunt tamen, nec reputantur crimina læsæ majestatis, nec æquali subjiciuntur pœnæ; non enim omnia directe & immediate personam ipsam aut auctoritatem Principis lacessunt. Ita etiam respectu Dei non omnia peccata infinita fieri dicenda sunt, sed ea solum quæ Deum in se attingunt, ut blasphemia, atheismus, &c. Alias omnia peccata forent non tantum divinæ voluntatis transgressio, sed divinæ essentiæ violatio. Adde quod illa relatio constitueret tantum infinitudinem extrinsecam, qua posita remanerent finita proprie & intrinsece utpote a causa entitative finita producta. Ergo peccati entitas nullo modo est infinita. 3. Non ex circumstantiis quæ desumerentur vel ex peccatoris dispositione, vel ex quadam Dei ordinatione. Peccatoris dispositio in eo sita foret quod peccatores semper peccassent, si semper in præsenti mundo mansissent. Præterquam quod autem istud omnino incertum est, justitia Dei ea sola peccata quæ commissa sunt, non ea quæ commissa fuissent, si vita longior fuisset, plectere potest, sicut nec remunerat bona opera quæ fecissent Justi, si diutius vixissent. Hæc supponitur Dei ordinatio qua ante peccatorem posuit vitam & mortem, sicut bonum & malum, peccatoremque illud sortiri quod ipse elegit. Etiamsi enim peccator mortem æternam elegerit, non inde probatur mortem illam peccatis ejus non esse acerbiorem pœnam, & & eum eam meruisse. Tota remanet quæstio an peccato finito infinita pœna irrogari possit. Immo hoc inde exurgit argumentum, nempe, nullam afferri posse legitimam pœnarum æternitatis rationem, nullam esse ejus evolvendæ viam & modum. Ergo peccator talem pœnam non meretur. Ergo repugnat justitiæ. Hæc sic resumo. Illa pœna justitiæ repugnat quam peccator non meretur: atqui peccator pœnam æternam non meretur. Ergo.

R. neg. min. Et dico peccato deberi pœnam æternam quacunque tandem ratione & inde eam mereri peccatorem. Argumento est Verbi divini incarnatio & passio. Non alia ratione eam exegit Pater æternus nisi quia peccato condignam satisfactionem volebat, infinitamque

que expostulavit: quæro nunc utrum talis satisfactio & pœna fuerit jure ac merito a Deo repetita nec ne. Si primum; ergo peccato debetur pœna infinita; ergo eandem jure ac merito repetit infinitam, si non intensive, quia hoc est impossibile, saltem extensive. Si secundum; ergo justitiæ etiam repugnat Verbi divini incarnatio & passio. Si potuit Deus illæsa justitia, talem Verbo incarnato pœnam imponere, jus ad illam habebat, ipsi debebatur. Potuit quidem ab ea dispensare, sed nec voluit, nec ad dispensationem tenebatur, hancque negavit illæsis suis attributis. Ita ex parte peccatoris Deus jus habet ad infinitam satisfactionem; potest quidem jus illud laxare; non vult, nec ad id tenetur; hanc relaxationem denegat salvis suis attributis.

Inst. Atqui peccator non meretur pœnam æternam. Illam pœnam peccator non meretur cujus nulla potest reddi ratio legitima, cujusque duratio nulla methodo explicari potest: atqui talis est pœna æterna. Ergo.

R. 1. n. maj. Multa sunt enim certa & inconcussa, quorum nullam possumus dare explicationem. Aliud est dogma, aliud modus quo componi possit. Rem nobis revelavit Deus; non autem modum. Edixit simpliciter pœnam damnatorum fore æternam; quo titulo, quo jure, qua speciali ratione & modo eam exigat, non exposuit: mox data responsio probat generatim peccato deberi pœnam infinitam; at modum quo hæc evolvi, aut cum peccati natura conciliari possit, specialem uno verbo rationem qua res ita sit, possumus ignorare.

R. 2. n. min. Etsi enim libenter fatear nullam ex allatis in objectione rationibus mihi placere, puto tamen aliam posse proponi qua data, quantum rationi & æquitati sufficit, pœnarum æternitas vindicabitur. Sic totam rem ordino. 1. Constat peccato deberi pœnam & quidem proportionatam. 2. Proportio illa desumi potest vel ex intrinseca personæ satisfacientis dignitate, vel ex alia alterius personæ dignitate, quando nempe persona alia extrinseca sua merita suamque satisfactionem quasi personæ satisfacienti communicat & in eam transfert. 3. Nulla valere potest satisfactio quin a persona læsa acceptetur; ac proinde si persona offensa decreverit nec pœnitentiam plenæ satisfactionis loco, nec quamcumque satisfactionem acceptare, jam sola remanet pœna sine fructu subeunda. 4. Deus pro suo jure, pro sua justitia & repetere potest & revera asserit se repetere pro peccato satisfactionem ad strictos juris apices. Id probat Verbi incarnatio & passio a Patre imperata. Id constat ex Christi declaratione jam allata de pœnis æternum duraturis. Præsens enim difficultas intacta relinquit verba allata, nec probat ad rigorem & litteram non esse intelligenda. Quod autem id possit illæsis quibuscumque suis attributis, manifestum est, tum quia Deus ab ipso Protoparentis lapsu omnes in æterna damnatione sine reparatione potuisset relinquere illæsa misericordia, tum quia, ut contra Deistas agam pressius, Deus nullo titulo, nullo ex attributo suam debet hominibus peccatoribus gratiam. His positis sic strictiori forma procedo. Ut pœna in damnatos decreta finem accipiat requiritur 1. ut peccator pœnam peccato proportionatam solvat; 2. ut Deus eam acceptet, aut saltem loco plenæ ac proportionatæ satisfactionis seu pœnæ dolorem & pœnitentiam recipiat: atqui hæc tria non solum incerta sunt, sed etiam ea fieri non posse constat.

Et 1. quidem quantum ad solutionem pœnæ seu exhibitionem satisfactionis proportionatæ, proportio illa desumeretur vel ex homine ipso, vel ex Christo. Non primum; nam cum honor sit in honorante, injuria vero in persona læsa, seu cum honor totum suum valorem ex personæ honorantis dignitate, injuria vero atrocitatem suam ex lædentis conditione & vilitate desumat, manifestum est hominem ex seipso solo nullam posse Deo reddere satisfactionem & pœnam solvere quæ injuriæ perfecte & ad juris rigorem respondeat. Non secundum, merita Christi perdiderunt, nec ullum suppetit argumentum quo constet peccatori post hanc vitam esse applicanda. Nam 2. Nullo argumento pro-

probari poteſt Deum vel plenam ſatiſfactionem, vel ejus loco pœnitentiam tunc acceptaturum. Immo contrarium probant multa a Chriſto in peccatores decreta & comminata. Quod hoc exemplo illuſtrari poteſt. Nec ullam ſatiſfactionem, nec ullam pœnitentiam Deus acceptabit ad tollendam pœnam damni, hoc attributis Dei non repugnare fatentur Deiſtæ. Ita a pari de pœna ſenſus cujus nec ſatisfactionem inſufficientem recipere, nec imperfectæ ſatisfactioni deficientem ſupplere proportionem ex quolibet attributo tenetur.

Inſt. Semper in his cruciat neſcio quis ſcrupulus. Nam ſupponitur ſemper merita Chriſti non eſſe peccatori poſt hanc vitam applicanda; Deum ſuam ipſi denegaturum gratiam ad plenam ſatisfactionem; Deum iſta omnia edixiſſe palam aſſerendo ignem inferni fore æternum. Sed hæc omnia ſunt ipſemet ſtatus quæſtionis. Ac proinde ſemper eadem recurrunt argumenta.

R. Nihil hic ſupponi niſi legitime aut comprobatum, aut ex rite probato conſequens. Jam enim obſervavimus objectiones illas eo non procedere ut probent directe verba a Chriſto prolata ſenſu litterali non eſſe accipienda, ſed tantum indirecte, quia ſcilicet inde læderentur Dei attributa. Quaſi quis verba quæ Dei æternitatem, aut immenſitatem aſtruunt, preſſius urgeri nollet ne vel Dei ſimplicitas, vel aliquod aliud ejus attributum alicui pateret periculo. Cum hic agatur de myſterio, tota quæſtio ex revelatione religata pendet. Si pœnarum æternitatem revelavit, jam ex ea nullum ex Dei attributis læditur. Deinde huc uſque Deiſtæ nec evidenter probarunt pœnarum æternitatem ab intrinſeco repugnare, nec Deum damnatis vel gratiam conceſſurum, vel eorum ſatisfactiones acceptaturum, aut ex Dei natura, quæ hujus acceptationis poſſibilitatem ad majus aſtrueret, aut ex ejus declaratione expreſſa, quæ nulla eſt. Demum obſervandum eſt præſentem difficultatem ex pœnarum æternitatis cum juſtitia incompoſſibilitate ita procedere ut ſupponatur nullam eſſe poſſibilem rationem cur Deus damnatorum tormentis nullum imponat finem. Ergo ut objectioni ſatisfaciamus, ſufficit ſi poſſibilem aliquam depromamus rationem ex qua æternum durent damnatorum ſupplicia. Porro ſtatu quæſtionis non ſuppoſito, independenter a verborum Chriſti ſenſu probamus poſſibilem eſſe illam rationem a nobis expoſtulatam, dicendo nempe fieri poſſe ut Deus decreverit ſatisfactiones imperfectas non acceptare, nec pœnitentiam ſolam, nec gratiam concedere. Hanc poſſibilitatem non evertet quodvis Dei attributum ne vel ejus bonitas quæ poſſet, non vero debet hæc præſtare quin ſe abneget. Chriſtus dixerit, necne pœnas fore æternas, etiamſi illud non declaraſſet, ſemper tamen hæc memorata forent poſſibilia.

Inſt. Ex mox data ſolutione ideo pœnæ æternæ Dei juſtitiæ non repugnant, quia eas fore æternas revelavit Chriſtus; ſed e contra & a pari ſic ſubſumere licet: pœnæ æternæ Dei juſtitiæ repugnant. Ergo non eas fore æternas revelavit Chriſtus.

R. Jam hæc ſoluta manent ex dictis tum modo, tum ubi de bonitate agebatur. Magis nota eſt revelatio quam exaggerata repugnantia; magis conſtat & apertus eſt revelationis ſenſus quam prætenſa pœnarum æternarum cum quolibet Dei attributo incompoſſibilitas. Ergo.

Inſt. Eſto juſtitiæ Dei non repugnet pœnarum æternitas, ſaltem hanc æternitatem non poſtulat eadem juſtitia; ſufficit ipſi pœnæ negativæ æterna duratio. Ergo temere omnino ad juſtitiam Dei recurritur. Neque enim diffiteri licet homines vecordes qui pro cordis & animi ſui ignavia laborem timuere, coronam juſtitiæ a juſto judice expectare non poſſe, nec Deo frui; at ſufficit pœna negativa ad ſalvandam tum Dei juſtitiam, tum ordinis ab eo ſtabiliti majeſtatem. Poſtulat, nec aliud, ille ordo ut qui eum perturbavit ſe ipſum nimis extollendo, deprimatur: deinde ut perpetuo careat quod ipſi nauſeam movit & deſpexit. At Deum poſitivas inſuper pœnas addere non poſtulat juſtitia Dei. Vel enim ſcopo propoſito ſufficit pœna

na negativa, vel non. Si non sufficit, si absolute necessaria est ex legibus justitiæ pœna positiva, jam ab ea non magis dispensare potest Deus quam suæ justitiæ deesse. Potest tamen, omnibus fatentibus, ab ea dispensare illæsa sua justitia. Ergo justitiæ divinæ non est necessaria pœna illa positiva. Ergo negativa sufficit. Ad quid inserviret pœna positiva? Ad comprimendos peccatoris conatus & servandum ordinem? Ad hæc sufficit peccatoris depressio. An ad peccatoris mœrorem? Adest sufficienter ex Dei privatione. An ad æqualitatis proportionem? Tantum deprimitur quantum se extulit; tantum a Deo elongatur, quantum supra eum assurgere tentavit: nec sane ex concessis tenetur Deus ad infligendam pœnam quantum potest. Ergo pœna æterna negativa divinæ justitiæ sufficit. Ergo pœnam æternam positivam non postulat: unde sic argumentor. Justitiæ sufficit pœna negativa æterna. Ergo pœnam positivam æternam non postulat. Ergo nulla ratio proferri potest pœnæ positivæ æternæ.

R. n. ant. Et dico peccato deberi pœnam positivam tum ex verbis Christi, tum ex natura rei. Nam ex dictis, in peccato duo sunt, nempe aversio a Deo & conversio ad creaturam. Aversio a Deo potest quidem sufficienter dici ulta per Dei privationem, non item conversio ad creaturam, id est voluntatis deordinatio & injuria Deo illata qua creaturam Creatori anteposuit peccator. Deinde in pœna peccati requiruntur ex justitia gradus pro delictorum numero & gravitate. Sed in privatione Dei vix excogitari possunt gradus. Nam Deus nequidem partim videndum præbere se potest ei qui suæ visioni intuitivæ impedimentum absolutum præ se fert. Denique eædem mox exaggeratæ contra pœnarum æternitatem difficultates huc redeunt & totam suam vim obtinent. Pœna enim negativa æterna non facilius cum bonitate aut justitia Dei conciliari potest quam pœna æterna positiva. Nec profecto legum suarum securitati & majestati sufficienter providisset Deus, si eo tantum invigilasset ut peccator spreto privaretur bono cujus violationis tempore nulla est apud ipsum æstimatio. Nec enimvero, ut ratiocinatur S. Thom. c. Gent. intentum ex pœnarum timore scopum per pœnam mere negativam attigisset Deus, nempe fugam peccati. Qui enim avertitur a Deo, exclusionem ab eo non timet. Nec enim veretur ne amittat id quod non desiderat. Minus pro suis legibus præstitisset Deus quam sapientissimi Legislatores pro suis decretis.

Inst. Nihil obstare videtur quin peccatores saltem emenso aliquo in suppliciis tempore justitiæ divinæ sufficienti postea annihilentur, alii ocyus, alii serius.

R. Obstare verba Christi quæ talia sunt ut hæc duo simul eodem loquendi modo exprimant, aut annihilationem nempe aut pœnam positivam aliquo tantum tempore duraturam. Dum enim memorant ignem, vermem, fletum & desperationem, eadem phrasi, eadem energia addunt hæc omnia fore æterna: aut ergo annihilationem designant solam, & tunc nulla æternitas, nec pœna positiva, aut æternitatem astruunt & ignis importat pœnam positivam, & tunc nullus unquam annihilationi locus. Eligat ergo peccator Deista. Velitne nullam fore pœnam æternam? Ex verbis Christi tollat ignem *æternum*. Velitne pœnam fore quidem æternam, sed non positivam? Eradat vocem *ignem*. Hæc duo ita exprimuntur, ita conjunguntur ut alterutrum tolli non possit quin alterum simul aboleatur.

Inst. Pœnarum æternitas sapientiæ Dei compati non potest. Enimvero sapientia repugnat pœnis quæ imponerentur sine ullo fructu, sine ulla utilitate tum respectu Dei, tum respectu hominum. Porro pœnæ æternæ sunt inutiles, 1. respectu hominum. Sapientia enim Dei nullum hic aliud hominum bonum intendere potest, nisi eorum correctionem, nec etiam nisi ad eundem finem a justo judice pœnæ decernuntur. Jam vero correctio fit impossibilis. Ubi enim pœnæ sunt æternæ, ubi miseria est immutabilis, nullus est resipiscentiæ locus. Miseris illis peccatoribus non licet exequi meliora proposita, si forte inter patiendum & dolendum enascantur,

lcantur. 2. Sunt inutiles respectu Dei. Vel enim peccatorum correctionem, vel solam vindictæ voluptatem sibi proponit: atqui primum sibi proponere non potest; ex dictis enim impossibilis est illa correctio. Deinde ex eo quod peccatores illi insanabiles supponantur, ruit Dei sapientia quam omnino dedecet naturam humanam & rationalem ita constituisse ut in pravitatem inemendabilem & impietatis ac miseriæ immutabilis statum degenerare possit. Hic status nulli, nisi Manichæorum Numini placere potest. Hinc Plato *de leg. 69. 2. 11.* „ Nemo prudens quia peccatum „ est, sed ne peccetur punit; revocari „ enim præterita non possunt, futura „ prohibentur. „ Melius sapientiæ congrueret abscindere & penitus e medio tollere quod nullo modo corrigi potest. Nec etiam proponere sibi potuit Deus solam puniendi voluptatem. Pœnæ enim non possunt esse a Deo volitæ per se. Crudelis esset hæc voluptas, Dei attributis omnibus repugnaret, consonaret nulli. Sic itaque propositam assertionem stabilio. Illæ pœnæ contradicunt sapientiæ divinæ quæ neque Deo, neque hominibus prodesse possunt: atqui tales sunt pœnæ æternæ: ergo sapientiæ divinæ contradicunt.

R. n. min. quoad utramque partem. Tria pœnæ respiciunt: I. Utilitatem peccatoris qui a peccato avertitur ex dolore & mœstitia pœnarum. II. Utilitatem legislatoris, seu ejus cujus interest peccatum nec extitisse, nec in posterum existere, & talia non pati sive ab eo qui culpam commisit, sive ab aliis; sic ad satisfactionem infliguntur, ut justitiæ læsæ satisfiat, vel injuriæ aut damni illati compensationem. 3. Utilitatem quorumlibet qui pœnæ & vindictæ exemplo a peccatis deterrentur ex timore, triplici via ad duplicem mox assignatam utilitatem ope pœnarum pervenitur. I. Si penitus e medio tollatur qui sic deliquit vel per mortem, vel per carcerem aut exilium perpetuum. II. Si nocendi media & artes omnino ipsi auferantur. III. Si a malo in perpetuum per pœnam desuescat. Deinde inter pœnas, aliæ privato, aliæ publico bono inserviunt ac consulunt, partim alios coercendo, partim alios deterrendo: His præeuntibus dico,

1. Pœnas æternas consulere hominibus, non quidem ad correctionem damnatorum, sed ad emendationem aliorum ut videlicet a malo aut resipiscant, aut præcaveant. Violenta sane mors peccatoris ipsi ad correctionem non prodest, nec prodesse potest; & tamen juste ac sapienter infertur. Ad sapientiam ergo necesse non est ut pœnæ semper in utilitatem puniti cadant. 2. Consulunt Deo cujus justitiam servant, legum majestatem tuentur. 3. Præcipuus pœnarum scopus est legum majestas & publicum bonum. Quidquid sit ergo de privata delinquentis correctione, negligi potest pro servanda vel legis, vel Legislatoris majestate, & tuendo bono publico, licet delinquenti nullum ex pœnis emolumentum succedat. Quod autem Plato dicat neminem prudentem punire, quia peccatum est, sed ne peccetur, id est neminem punire ex solo vindictæ amore, hæc in hominibus punientibus vera sunt, ut observat Grotius de jure belli & pacis, *l. 2. c. 20.* non vero in Deo. Homo enim homini par est & consanguinitate conjunctus, Dei actiones autem summo ejus dominio nituntur.

Inst. Saltem per sapientiam non stat quominus pœnis alterius vitæ finis tandem imponatur. Ex concessis enim pœnæ illæ non delinquentium, sed aliorum utilitati deserviunt. Hinc concludere est Deum pro sua sapientia potuisse æternas minari, dum tamen temporales tantum inflicturus esset. Cum enim sapientis Legislatoris sit legum observationi invigilare, & huic observationi sufficiat pœna gravissima intentata, non vero semper requiratur ejus executio, Deus potuit pœnam minari quam tamen executioni demandare sibi non proponeret. 1. Ex natura legum generalium quarum hæc est sors & conditio ut possint aliquam pati exceptionem. Sic v. gr. a legibus generalibus excipit per miracula, salva sua immutabilitate; nec urgeri potest veri amoris & legitimæ contritionis in inferno impossibilitas. Hæc enim oritur ex decreto non concedendæ gratiæ; sed decre-

tum illud est lex generalis quod aliquam exceptionem, aliquod, ut ajunt, retentum semper in se suscipit. 2. Ex natura minarum quæ semper conditionales sunt in Scripturis. 3. Ex communi hominum agendi ratione, sic Patres multa extra voluntatem filiis minantur. Sic potuit Deus ad continendos in officio homines pœnas decernere quarum duratio soli Deo cognita, hominibus vero ignota perpetuo maneret. Etiamsi enim Deus nihil promittere possit nisi quod revera effectu complere sibi proponit, non ita de minis. Quando enim aliquis aliquid alteri promittit, se ipsum ligat juxta justitiæ ac fidelitatis leges. At quoad minas, stat semper quædam reservatio & libera potestas circa earum executionem. Deus Ninivitas ultima clade minatus est. Suis nec promissis, nec justitiæ, ne fidelitati defuit parcendo. 4. Ex scopo a quocumque Legislatore & Deo ipso intento. Minarum enim scopus, non præcise punitio ipsa, sed potius ejus cautio & fuga. Ex minis vult Legislator caveri & declinari pœnas. Hæc sic resumo. Sapientia Dei postulat ut pœnas æternas quoad nos minitetur; non obstat earum moderationi, earum executionem non imperat. Ergo pœnæ non erunt æternæ.

R. 1. n. ant. Deus pro sua sapientia & veracitate pœnas non potest minari quas infligere sibi non proponit. Quod sic homines agunt præ animi impotentis aut constantiæ defectu, Deo tribui non potest.

R. 2. n. conseq. In sensu difficultatis de qua agitur. Hinc enim nedum probetur Deum illæsa sapientia sua non potuisse & minari & infligere pœnas æternas, immo contrarium evincitur. Deus enim pœnam minari non potest quam sine injustitia non potest infligere. Si contra justitiam & sceleris proportionem minetur, eædem ac supra recurrunt difficultates. Uno verbo Deus non minatur nisi ex jure quod infligendi habet. Minatur juste; ergo infligit juste. Minatur sapienter; ergo infligit sapienter. Minatur ex sapientia legum observationem tuente; infligit ex eadem sapientia eadem legum violatarum dignitatem servante.

Inst. Pœnarum æternitas lædit Dei libertatem. Quidquid sit de minis ejus; constat tamen pœnarum relaxationem ipsi omnino esse liberam. Ex dictis hucusque sequitur Deum in temperanda ira non esse liberum. Ergo pœnarum æternitas cum Dei libertate conciliari non potest.

R. n. sequel. Deus equidem pœnas damnatorum absolute loquendo temperare potest. Non potest autem consequenter ad positum de eorum æternitate decretum. Itaque Deus suam deperdit libertatem non ex necessitate antecedente, sed ex propria ac essentiali immutabilitate.

Inst. Pœnarum æternitas hominis naturæ repugnat. Pœna enim positiva æterna in igne consistere dicitur. Jam vero pœna illa humanæ naturæ repugnat. Ignis enim non aliter torquiet nisi partium & suarum & corporis in quod agit agitatione & separatione. Ex quo sequitur corpus igne attactum cito dissolvendum esse. Alterutrum ex his fiat necesse est. Vel Deus corpus conservat & quasi nutrit medio in igne, vel corpus illud continuo reproducit, vel denique illud non dissolvit ignis, licet continuo torqueat & agitet. Jam vero hæc tria sunt totidem miracula gratis supposita, deinde status sunt ipsiusmet quæstionis. Ignem enim fore æternum & Deum alterum ex his praestiturum, sunt quid unum & idem: Sic igitur argumentor. Ignis actio corporis dissolutionem ex natura corporis importat: corporis dissolutio æternitati opponitur. Ergo pœnarum æternitas pugnat cum natura humana.

R. dist. maj. Ignis per se & independenter a voluntate Dei importat dissolutionem corporis humani ex ejusdem corporis natura: c. etiam Deo extraordinarie nolente: n. nec supponitur quæstio. Sed eo ipso quo constat revelatio divina, eo ipsum certum manere debet penes Deum omnipotentem stare ea seligere media quæ procurando effectui revelato sunt proportionata.

Inst. Pœnarum æternitas repugnat humanæ libertati. Libertas humanæ naturæ est appendix. Homo eam servat mediis in inferni tormentis eodem jure ac memoriam & intellectum. Undenam ergo hominem tunc fore insanabilem

bilem asseritur? Qua ratione propria spoliabitur libertate? Vel eam propria electione & voluntatis determinatione eam abdicabit, vel Deus hominem ea spoliabit. Non primum; homo enim propriam naturam sponte exuere non potest. Libertatem non magis quam rationem ipsam in perpetuum & sponte deponere non potest. Non secundum; tum quia Deus homini propriam eripere naturam non potest; tum quia tunc hominem cogeret ad sui odium; nec sane æquum esse videtur sic & Dei sapientiam ac potentiam, & hominem a Deo fato malo ineluctabili, aut immedicabili morbo opprimi. Ex his sic concludo. In Inferno vel homo sua potietur libertate, vel non. Si primum; poterit a malo resipiscere; & sic evertitur pœnarum æternitas. Secundum repugnat; ergo quocumque sensu pœnarum æternitas cum hominis libertate conciliari non potest.

R. n. min. Quoad utramq. part. & dico. 1. Hominem in inferno nulla potiri libertate. 1. In pœnam scelerum & abusus libertatis, ea spoliari potest a Deo. 2. Falsum est libertatem essentialem esse homini absolute. Necessaria est homini in præsenti vita & ordinatione. Sed absolute & in alio rerum ordine potuisset Deus condere veros quoad omnem essentiam homines, sed tamen perpetuæ necessitati subjectos. In beata vita perpetua & æterna necessitate ligabuntur justi ad bonum, nec tamen homines esse desinent. Aliud voluntas & ratio, & aliud libertas. Vera potest esse voluntas sine libertate, non verus homo sine voluntate aut ratione. Rationalitas enim est gradus hominis constitutivus. 3. Possunt homines in inferno in eodem statu conservari in quo se ipsos posuerunt. Porro non paucis accidit ex inveterato habitu ad eum devenire statum in quo suæ cupiditatis jam non sunt domini, & inde, ut observat S. Tho. non peccant in illis tum actibus, ex defectu nimirum libertatis.

Dico 2. etiam data in damnatis naturali libertate, non inde aut possibilem aut futuram eorum resipiscentiam. Ad eam enim resipiscentiam requiritur gratia de cujus futura concessione nedum constet, immo eam omnino denegandam fore certa adsunt argumenta. Itaque ex pœnarum æternitate sequitur quidem damnatos nullatenus libertate potituros esse. Sed in hoc nihil falsum, nihil absurdum.

CORONA TOTIUS OPERIS.

Nihil antiquius mihi fuit in præsenti lucubratione quam & sinceram veritatem aperire, & præsertim viam ad ejus cognitionem quam fieri posset facillimam planissimamque sternere. Hinc notiones & omnia rerum argumenta, tes omnes uno verbo, quanta licuit perspicuitate ac simplicitate, meliorique, quo licuit, ordine ac methodo digestæ sunt & dispositæ. Operæ pretium facturus mihi visus sum conceptoque consilio morem gesturus si totius hujus operis summam construerem quæ omnia in eo stabilita ita sibi invicem concatenata ac immediate connexa sub oculis poneret ut omnium animis debito ordine & innata cum soliditate insererentur. Sit igitur.

§. I.

Catena propositionum de Religione.

De Religione naturali.

Est aliquid certum, seu de omnibus non est effective dubitandum. Certum est, v. g. me cogitare ac proinde me existere. Saltem certa sunt judicia relativa, seu de rebus relative ad nos. Saltem, in mente Scepticorum, certum est dubitandum esse de omnibus.

Inter ea quæ certa sunt, hæc occurrunt, propria nempe & entium a nobis distinctorum existentia.

Inter entia illa non omnia a se & ab æterno existunt.

Entium ergo illorum datur prima causa, a se.

Prima illa causa eo ipso quo est prima, eo ipso quo est a se, est infinita in omni perfectionum genere & gradu, Deus est.

Inter primam illam causam, seu Deum, & creaturas omnes adest relatio causæ

ad effectum & effectus ad causam rerum, id est, tum primæ causæ, seu Dei, tum hominum essentia fundata.

Relatio causæ ad effectum spectat animas & corpora. Anima simplex, ac proinde immortalis ab intrinseco; ex decreto & voluntate primæ causæ, seu Dei, nunquam destruenda: æternum perstitura.

Prædicta relatio effectus ad causam est dependentiæ ad illam causam & reverentiæ erga eam. Animam & corpus afficit & ipsis est intrinseca.

Ex illa relatione mutua & essentiali oritur religio naturalis, cultus internus & externus, distinctio boni & mali moralis antecedenter ad voluntatem Dei positivam per se obligans.

Omnes Deum inter & creaturas relationes & consequentiæ ex iis dimanantes debent manifestari & esse cognitæ ad vivendum modo prædictæ relationi proportionato seu eo quo decet effectum relative ad causam. Non sufficienter manifestantur lumine naturali. Quærendum ergo aliud manifestationis medium.

His positis, tam certo cognoscitur legis naturalis insufficientia, seu ex lege naturali non doceri omnes Deum inter & creaturam relationes, quam constat quasdam ab ea doceri; constat vero quasdam relationes lege naturali doceri, sicut certum est quædam esse bona, quædam mala, cultum Deo deberi internum simul & externum. Bona illa & mala distingui & quidem essentialiter cultumque prædictum deberi existere, uno verbo religionem naturalem; ita mihi persuasum est ex una parte me habere animam & corpus, ex altera vero inter Deum & illas substantias existere relationem intrinsecam & essentialem. Relatio illa tam indubia est quam existentiæ contingentia, hæc autem constat sicut ipsa existentia.

De Revelatione.

Prima relationum inter Deum & hominem manifestatio non potest esse insufficiens quin altera sit necessaria, hæc non potest esse necessaria quin existat.

Manifestatio illa est quoddam facti genus; duobus argumentis innotescit; miraculis & oraculis, hæc etiam totidem sunt facta.

Factorum via & methodus est testimonium, vel proprium, si nobis præsentibus eveniant, vel alienum, si secus. Testimonium alienum vel proprio oculatorum testium ore nobis redditur, vel historiis transmittitur. Universale hominum testimonium circa facta præterita constans & uniforme & sensuum testimonium circa facta præsentia idem est ac circa existentiam corporum. Itaque constat revelationis necessitas ex ipsa religionis naturalis insufficientia; certa est revelationis existentia ex ejus necessitate, & præterea ex testimonio universali. Tam certa est revelationis existentia quam certum est universum orbem depromere miracula in hujus revelationis probationem edita; tam certum est universale illud testimonium falli nec fallere posse, quam certum est constans & uniforme sensuum testimonium esse ab omni errore immune.

De Revelatione Mosaica.

Revelatio Mosaica, seu Mosi a Deo facta & ejus ministerio promulgata est e numero factorum. Immenso a nobis distat temporum intervallo. Ergo orali vel scripto tum testium oculatorum aut saltem coætaneorum, tum omnium hominum ætatum subsequentium assertione & depositione nobis certa fit. Revelationis factæ narratio & probatio libris Mosaicis continetur. Libri nomine Mosis insigniti ejus sunt, authentici, veraces, & incorrupti ad nos devenerunt; referunt Deum Mosi se manifestasse; multa in hujus manifestationis confirmationem narrant edita tum oracula, tum miracula. Novum legislatorem & divinæ voluntatis interpretem, novamque Dei manifestationem, revelationis sibi commissæ perfectivam, suæ legis demum a se constitutæ abrogationem pronuntiat.

Hæc abrogatio æque certa est ac certum est Mosem eam prænuntiasse; certum est Mosen eam abrogationem prænuntiasse sicut certa est Dei erga Mosen ma-

manifestatio. Hæc manifestatio æque constat ac ejusdem miraculorum & oraculorum veritas; de Mosis miraculorum & oraculorum veritate ita certus sum ac de librorum ejusdem veritate: Mosis librorum veritas vel certa est, vel universale omnium ætatum testimonium certum non est.

De Religione Christiana.

Olim extitit Christus; miracula & oracula edidit quibus Deum sibi locutum esse asseruit & comprobavit; his fidem faciunt libri Evangelistarum & Apostolorum authentici, veraces & illæsi ad nos advecti. Certum est ergo Christo loquutum esse Deum, sicut certum est eum miracula & oracula edidisse; hoc posterius constat sicut historiam Novi Testamenti veracem esse constat. Immo tam certa sunt miracula & oracula Christi quam certa est Christi ipsius existentia; hæc constat sicut constat existere hic & nunc Christianos, quos existeretam certum est quam certum existere solem, homines & mundum.

§. II.

De Religione propositionum analysis & demonstratio Geometrica.

Doctissimum Huetium imitatus Geometrarum more quædam postulo, definitiones propono, lemmata assumo, axiomata pono, theoremata aperio; educo consequentias. Sint

POSTULATA

I.

In discutienda Religione nihil respuatur ea sola ratione, ea præcise de causa quod illud non concipiatur, aut ejus modus, motivum, &c. non percipiantur.

Æquum est. Aliquid enim existere potest a parte rei, licet quomodo sit aut fieri possit non appareat. Immo multa ut certa & inconcussa conceduntur quorum tamen modus, motivum, &c. ignota manent. Sic unio animæ & corporis, alimentorum in stomaco digestio &c. Deinde existat necne revelatio, constat tamen Deum multa plura posse & operari & manifestare nobis quam propria sagacitate possumus nos aut facere aut cognoscere; constat etiam Deum posse res illas nobis manifestare quoad substantiam, modo tamen & motivo nobis non detecto; constat denique nos tunc nihilominus ad assensum teneri; tunc non valent illa: non concipio, non detego quomodo; ergo non admitto.

II.

Valeant pro Religione & in Religionis negotio quæcumque argumenta, axiomata, &c. quæ extra Religionis quæstionem apud mentem nostram obtinent.

Æquum est. Nam nulla afferri potest legitima ratio cur in naturalibus hæc omnia valeant, in supernaturalibus vero neutiquam, valida immo e contra obstat ratio. 1. nulla est ...... Argumenta enim illa vel rerum essentiis, vel dogmatibus apud omnes receptis, vel moribus hominum communibus nituntur. Ut vera forent & legitima in naturalibus, falsa & illegitima in supernaturalibus, deberet esse legitima exceptionis ratio, sive in rerum, sive in argumentorum, sive in mentis humanæ natura: nulla porro talis est aut esse potest ratio. 2. Multa ..... Nam ex una parte ratio a Deo nobis data est ad detegendam veritatem vero bono nostro necessariam, ac proinde præsertim veram Religionem, ex altera parte veræ Religionis existentia sine rationis usu detegi non potest. Ergo quæ, ut vera, docet ratio antecedenter ad Religionem debent talia manere ubi ad investigandam veram Religionem nos accingimus. Hinc in supernaturalibus sicut in naturalibus obtinere debent ista: Deus falli, nec fallere potest; non datur effectus sine causa; omnes universim homines naturam exuere aut, decipi, aut decipere non possunt, &c.

III.

Rebus iisdem manentibus idem destinetur argumentorum genus, idem argumentis maneat robur eodem in genere iisdem legibus ac conditionibus.

Æquum est. Idem enim argumentum, eidem rerum generi eodem modo applicatum eandem vim ac energiam servare debet, quia nempe eandem servat cum ejusdem generis objecto connexionem. Sic criticæ leges obtinent supremo jure ubi agitur de factis; ergo valere debent ubi agitur de librorum sacrorum authenticitate & veritate, sicut pro Cæsaris Commentariorum genuinitate; pro factis naturalibus, sicut pro miraculis; v. g. pro resurrectione mortui. Id unum enim attingunt illæ leges hoc in casu, nempe, 1. talem hominem mortuum esse. 2. Illum eundem postea vivum extitisse quæ duo sunt ejusdem generis ac alia naturalia. Ergo quæstiones facti factorum methodo discutiantur, metaphysica metaphysicis, moralia moralibus astruantur aut impugnentur argumentis; non moralibus aut facti quæstionibus metaphysicæ postulentur probationes.

DEFINITIONES.

I.

Religio hic est collectio principiorum quæ ad Dei cognitionem, amorem & cultum spectant.

Evolvitur. Religionis nomen hic non usurpatur pro virtute, sed pro collectione principiorum ex quibus conflatur. Quando quæritur an vera sit aliqua Religio, eo tota devolvitur quæstio an principia ex quibus resultat, conformia sint cum vera Dei cognitione, &c. quandoque Religionis nomine intelligitur vel societas hominum principia Deum spectantia profitentium, ut quando appellatur Religio Christiana, vel cultus ipse qui juxta illa principia Deo exhibetur, ut cum nominantur cæremoniæ, sacrificia, &c. sed hæc omnia a primo Religionis vocis sensu dimanant & in eo includuntur.

II.

Religio vera est ea quæ verum de Deo sensum & cultum ipsi debitum docet, e contra falsa quæ neutrum præstat.

Evolv. Vel principia ex quibus conflatur Religio sunt vera, vel falsa. Si primum, jam Religio erit vera, erit enim conformis Dei quem colit naturæ: si secundum, a contrario erit falsa, seu docebit quæ naturæ Dei aut ejus cultui repugnant, aut saltem non conveniunt.

III.

Religio sufficiens ea est quæ omnia tradit necessaria ad veram Dei cognitionem debitumque ipsi cultum, seu præter quam nulla alia requiritur ad utrumque cognoscendum & peragendum.

Evolv. Si præter datam aliquam Religionem, sive ad detegenda alia quæ prior non tradebat, sive quia prior Religio utrumque aut alterutrum prædictum obscure tantum tradebat, sive quia ad sui executionem sibi non sufficiebat, Religio, inquam, illa est insufficiens, præter eam alia requiritur quæ hæc omnia præstet.

IV.

Religio naturalis est ea quæ ordinaria Dei manifestatione innotescit, revelata vero, quæ extrordinaria Dei manifestatione lucescit, divina denique quę Deum habet authorem & institutorem.

Evolv. Omnis Religio aliqua Dei manifestatione & rerum essentiis, saltem aliquo sensu, nititur. Certum est enim Religionem tùm Judaicam, tum Christianam conflari ex multis dógmatibus quæ spectant Dei essentiam. Non ideo ergo Religionem pręcise dixeris naturalem quia nititur rerum essentiis, sed quia manifestatione ordinaria, id est, naturali & naturalis ordinis innotescit, e contra Religio supernaturalis nos docet quę naturaliter cognoscere non possumus, seu quę extraordinaria tantum via manifestari possunt, & hinc, ut plurimum, dicitur divina. Dico ut plurimum, non eo scilicet sensu quo Religio

ligio naturalis, sensu modo exposito sumpta, non sit divina, sed quia usus invaluit eam Religionem solam dicere divinam quę supernaturalis est.

V.

Religio Judaica, seu Mosaica est ea quam Deus Judęis ministerio Mosis, Christiana vero quam toti mundo Christi ministerio promulgavit.

Evolv. Aut potius evolutione non indiget. Utraque enim Religio his donatur nominibus, quia Deus eam & Mosis & Christi ministerio docuit.

VI.

Historia est narratio rerum antea gestarum. Historia verax ea est quę res eo modo narrat quo contigerunt; Prophetia est narratio rei antequam fiat; Prophetia vero verax, cujus res predictę eo evenerunt modo quo prędictę sunt.

Evolv. Veritas est conformitas cum objecto. Hinc 1. Historię veritas pendet a conformitate narrationis cum rei ipsius præterita gestione; nam historia generatim est rei antea gestæ narratio, seu est narratio rerum quæ jam contigerant eo tempore quo historia scripta est. Hæc Historiæ, sicut & Prophetiæ notio generalis nulla indiget expositione. 2. E contra cum prophetia sit narratio eorum quæ nondum contigerant eo tempore quo Prophetia edita est, ejus veracitas, seu veritas pendet ab ejus conformitate cum eventu, seu a conformitate eventus cum præterita Prophetia. Non omnis futuri contingentis cognitio & prædictio est Prophetia, sed ea quæ ex naturalibus causis aut judiciis haberi non potuit. Ita unanimis omnium sententia & sensus.

VII.

Liber genuinus seu authenticus is est qui ab authore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore quo exaratus esse fertur; coætaneus vero, seu coævus qui eo circiter tempore scriptus est quo facta in eo relata contigerunt.

Evolv. Non alia ratione libros prophanos, genuinos & coætaneos dicimus: sed ex postulato secundo in Religionis negotio valere debent argumenta quæ in naturalibus obtinent. Ergo.

VIII.

Prophetia proprie dicta est narratio rei nondum gestæ cujus cognitio superat vires totius intellectus creati; Miraculum vero proprie dictum, quod superat vires activas totius naturæ creatæ; Miraculum denique divinum quod Deum habet authorem.

Evolv. Prophetia, ex ipsa vocis indole importat 1. narrationem rei antequam res illa geratur; alias esset Historia. 2. Postulat ut rei hujus cognitio superet nativas intellectus cujuslibet creati vires; alias rei cognitio naturalibus causis & indiciis deberetur, tuncque non esset Prophetia proprie dicta, sed naturalis sagacitatis foetus. 3. Miraculum proprie dictum eodem jure ac Prophetia proprie dicta vires omnes creatas superat. Prophetia enim est species miraculi. Illa intellectum, hoc operationem & actionem spectat. 4. Ratio divinitatis in Miraculum per se patet.

AXIOMATA.

I.

Deus falli, nec fallere potest immediate, sed nec mediate invincibiliter.

Confirmatur. Falli non potest, quia est omniscius; fallere vero, quia est summe verax: non per se; ut patet. Nec etiam mediate, seu permissive, sed invincibiliter, ex summa tum veracitate, tum sanctitate, tum bonitate. Error tunc in solum Deum refundi posset, præsertim cum ipse author est principiorum & propensionum quibus ad assensum impellimur.

II.

Omnis liber est genuinus seu authenticus qui talis est habitus ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus ætatibus; idem dic de coætaneo.

Confirm. Nisi hoc ftet axioma actum eſt de omnium prophanorum authenticitate nihilque certi habebitur in litteris. Quicumque enim in prophanis occurrunt libri, non alio titulo ut genuini habentur. Nemo ullo alio argumento probare poſſet patria aut proavita bona hæreditario jure ſua eſſe. Nec enim tutior eſt tabularum publicarum aut domeſticorum inſtrumentorum authoritas quam hiſtoriæ; immo etiam infirmior. Illorum enim cuſtodes ſunt pauci homines & obſcuri, hujus vero univerſus orbis. Conſule iterum poſtulatum ſecundum.

III.

Omnis Hiſtoria eſt verax quæ res geſtas ita narrat ut narratur in multis libris coætaneis vel ætati qua res geſtæ ſunt, proximis.

Confirm. Nam, ut ait Joſephus *l. 1. c. Apion.* „ Veracis Hiſtoriæ indicium eſt „ ſi de rebus iiſdem omnes eadem di„ cant & ſcribant. „ Tunc hiſtoria mendax eſſe non poteſt quin omnes in fraudem conſpirent. Sic prophanas hiſtorias veraces hoc fundamento aſſerimus. Nec aliter certa eſſe poſſunt facta quæ propriis non conſpeximus oculis.

IV.

Omnis Hiſtoria verax, eſt invictum factorum veritatis argumentum.

Confirm. Aliorum hominum, ſeu ſenſuum teſtimonium univerſale datum eſt a Deo falli & fallere neſcio ut criterium veritatis factorum quorum teſtes oculati non fuimus, ſicut ſenſuum propriorum aſſertio circa facta nobis præſentia. Sed Hiſtoria verax eſt teſtimonium univerſale. Nam ex definitione ſexta hiſtoria verax eſt ea quæ eodem modo res geſtas narrat quo contigerunt, ſed ex axiomate mox præcedenti omnis hiſtoria eſt verax quæ, &c. Ergo.

V.

Omnis Prophetia verax eſt invictum divinitatis, ſeu divinæ locutionis argumentum.

Confirm. ex defin. VI. Prophetia verax eſt ea cujus res prædictæ eo evenerunt modo quo prædictæ ſunt; Prophetia proprie dicta eſt ea quæ res prænuntiat quarum cognitio vires omnes intellectus cujuslibet creati ſuperat. Ergo Prophetia eſt a Deo ſolo falli & fallere neſcio: ergo eſt invictum divinæ locutionis argumentum.

VI.

Omne Miraculum vel proprie dictum, vel agnitum certo ut divinum eſt invictum divinæ revelationis ſeu locutionis argumentum.

Confirm. Ex conceſſis apud omnes omne Miraculum, cognitum certo ut divinum, eſt revelationis ſeu locutionis divinæ teſſera, quia eo ipſo quo eſt divinum, eo ipſo eſt a Deo falli & fallere neſcio; ergo eſt invictum divinæ locutionis argumentum. Sed Miraculum proprie dictum, eo ipſo quo, juxta definitionem octavam, ſuperat vires activas totius naturæ creatæ, eſt etiam a Deo falli & fallere neſcio. Ergo.

LEMMATA.

I.

Licet dogmata Religionis cujuſcumque veræ ita ſint immutabilia ut iis addi quidem poſſit, detrahi vero, neutiquam, tamen ſigna quibus Religio ipſa exprimitur, mutationi & abrogationi ſunt obnoxia.

Vindicatur. 1. Per dogmata intelliguntur propoſitiones qua ſpeculativæ, qua practicæ. 2. Per dogmata Religionis veræ ea intelliguntur quæ Religioni veræ ſunt intima ac immediata, non vero ea quæ privato marte veræ licet Religioni imponuntur. 3. Additur Religioni veræ: nam ſi Religio falſa ſit in primariis ſuis principiis, quæcumque ex iis in Religionis hujus favorem deducuntur, vera eſſe & a fortiori immutabilia eſſe non poſſunt. 4. Sunt immutabilia; veritas enim mutari, id eſt, falſitas fieri non poteſt. 5. Sunt immutabilia eo ſenſu quod iis detrahi non poſſit; ſic enim

enim veritas mendacii nomen contraheret. 6. Non eo sensu sunt immutabilia quod iis addi nihil possit; nam Deus summa gaudet libertate in manifestandis iis quæ ignoramus, ac proinde plura aut pauciora manifestare potest immo semel revelatis plura & plura addendo nova non manifestata revelare. 7. Signa vero quibus exercetur Religio, sicut pendent unice a libera Dei institutione, sic ex libera ejus volitione mutari & abrogari possunt.

I.

Revelatio, oraculum & miraculum intra factorum ordinem continentur.

Vindic. Revelatio est actus Dei loquentis, seu aliquid attestantis, sive aliquid vel jubeat, vel vetet; oraculum est actus divini intellectus aliquod futurum contingens supra vires intellectus cujuscumque creati pronuntiantis; miraculum est actus Dei aliquid operantis, vel quod superat vires activas cujuscumque entis creati, vel est effectus indicans Deum per se tunc actu & speciali consilio agentem: atqui Dei actualis sive loquela, sive prænuntiatio, sive operatio intra factorum cancellos concluditur. Nam nomine facti intelligitur illud quod dum geritur, sub sensibus cadit: sed talia erant omnia prædicta quo tempore edebantur.

THEOREMATA.

I.

Qualibet Religio Dei manifestatione aut ordinaria aut extraordinaria nititur.

Evincitur. Bene habet S.Aug. in omnibus nostris cognitionibus vel propria, vel aliena ducimur authoritate: si primum; ordinaria Dei manifestatione naturali nempe lumine tunc nititur nostra Religio. Si secundum; tunc Dei revelatione seu extraordinaria manifestatione nititur.

II.

Qualibet Religio, sive ordinaria, sive extraordinaria Dei manifestatione nixa vera est & divina.

Evinc. Qualibet talis Religio, 1. est a Deo; ergo divina est. 2. Est a Deo falli & fallere nescio; ergo vera est.

III.

Qualibet Religio imperfecta vel quoad partem directivam, vel quoad partem coactivam, vel quoad medium quo traditur, sive quoad hæc omnia simul est insufficiens.

Evinc. Triplex est insufficientiæ fons in Religione pro triplici respectu quem ad sua principia habet Religio ad suam dignitatem & ad homines. Pars directiva respicit principia; inde Religio est imperfecta quando aut non omnia, aut non clare, ut non certo tradit; Religionis dignitatem spectat sanctio, quia eam munit cogendo ad observationem; hinc nutat Religio quando sanctio non nisi debiliter cogit, ubi nempe major pars Religioni subditorum huic sanctioni impune se subducunt. Denique hominibus relativum est medium quo transmittitur Religio, quæ ideo tunc imperfecta est quod medium illud majori hominum parti sit improportionatum. Obtinet autem præsens Theorema sive Religio sit imperfecta quoad hæc omnia simul sive quoad unum aliquod ex illis; quia hæc omnia simul concurrere debent ut Religio sit perfecta & sufficiat.

IV.

Libri novi & Veteris Testamenti sunt genuini, sive authentici & coætanei.

Evinc. Ex definitione VII. liber genuinus est ille qui ab authore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur; coætaneus vero qui eo circiter tempore exaratus est quo res in eo relatæ contigerunt; ex axiomate secundo omnis liber genuinus & coætaneus dici debet ille qui ut talis habitus est ab omnibus eum proxime sequentibus serie non interrupta ætatibus: sed tales sunt libri Veteris & Novi Testamenti. Ergo.

V.

Omnis liber coætaneus est historiæ verax.

Evinc.

Evinc. ex definitione septima. Liber coætaneus is est qui eo circiter tempore exaratus est quo res in eo descriptæ contigerunt: ex definitione VI. Historia verax ea est quæ res eo, refert modo quo contigerunt: porro liber coætaneus non potest non referre res eo quo evenerunt modo. Ergo. Vide præterea Axioma tertium.

COROLLARIA.

I.

Religio naturalis vera est & divina.
Stabilitur, ex definitione IV. Religio naturalis ea est quæ ordinaria Dei manifestatione innotescit; ex Theor. II. quælibet Religio quacunque Dei manifestatione nixa vera est & divina; ergo Religio naturali vera est & divina.

II.

Religio naturalis est insufficiens.
Stab. ex Theoremate tertio. Religio imperfecta quoad partem vel coactivam vel directivam, vel utranque simul est insufficiens: talis est Religio naturalis. Tunc enim non sibi vindicat Religionis sufficientis characteres ex definit. 3. debitos.

III.

Religio Mosaica vera est & divina.
Stab. ex Theoremate II. Quælibet Religio quacunque Dei manifestatione nixa vera est & divina: atqui Religio Mosaica extraordinaria Dei loquela & manifestatione nititur. Nam ex axiomate V. & VI. prophetia verax & miraculum proprie dictum, aut divinum sunt invicta divinæ locutionis seu manifestationis argumenta: sed pro Religione Mosaica edita sunt tum prophetiæ veraces, tum miracula proprie dicta & divina. Nam talia referuntur in libris Mosis. Ergo vera sunt. Nam juxta definitionem VII. & ex Axiomate II. libri illi sunt genuini & coætanei. Ex Theoremate vero V. omnis liber coætaneus est historia verax, ut patet etiam ex Axiomate III. sed historia verax ex Axiomate quarto est invictum veritatis factorum argumentum. Vide Lemma II. Ergo. Itaque Religio Mosaica vera est; quia revelata est, jam est a Deo falli & fallere nescio; vide Axioma I. sed est revelata ex Axiomate 2. 3. 4. 5. 6.

IV.

Nec vera, nec divina est Religio tum Pagana, tum Mahumetana.
Stab. A contrario juxta Theorema primum & secundum nulla Dei manifestatione nititur utraque hæc Religio. Ergo utraque falsa est.

V.

Religio Mosaica est insufficiens.
Stab. Eodem modo ac Corollarium secundum de Religionis naturalis insufficientia.

VI.

Religio Christiana revelata est.
Ex Axiomate V. & VI. prophetia verax & miraculum proprie dictum, aut saltem divinum sunt invicta divinæ locutionis, seu extraordinariæ manifestationis argumenta: sed utrunque sibi vindicat Religio Christiana. Nam ex Lemmate II. revelatio, miraculum, prophetia sunt totidem facta. Ex Axiomate IV. omnis historia verax est invictum factorum veritatis argumentum. Ex Theoremate V. omnis liber coætaneus est historia verax. Porro oracula & miracula pro Religione Christiana leguntur in libris coætaneis, nempe in libris Novi Testamenti qui ex Theoremate quarto sunt coætanei. Adde Axioma tertium. Ergo.

VII.

Religio Christiana vera est & divina.
Stab. ex Theoremate secundo quælibet Religio quacunque Dei manifestatione nixa vera est & divina: sed Religio Christiana nititur extraordinaria Dei manifestatione. Ex Corollario enim sexto mox præcedente est revelata.

VIII.

VIII.

Religio Christiana sufficiens est & quidem sola.

Stab. sufficiens; ex definitione tertia. Sola; Vel enim sola est quæ sufficiat, vel sufficit Religio aut naturalis, aut Pagana, aut Mahumetana, aut Mosaica v... ex præcedentibus mox Corollariis Religio naturalis & Mosaica insufficientes sunt; Pagana vero & Mahumetana sunt falsæ. Ergo. Principia Religionis Christianæ omnia tradunt quæ nobis necessaria sunt ad Deum cognoscendum & colendum sive ut Auctorem naturæ, sive ut Auctorem gratiæ & finem tum naturalem, tum supernaturalem adipiscendum; se dignam habet sanctionem, quam nullus effugere potest; denique eo utitur medio quod omnium captui est accommodatum, nempe auctoritate Dei loquentis per testimonium universale applicata. Vide Theorema tertium. Ergo.

§. III.

Societas legitima genuinæ revelationis custos inquiritur & determinatur.

Religionem a Christo institutam revelatam esse ac consequenter veram & divinam, seu genuinam Dei revelationem penes Christianos solos existere, transacta plane res est ex dictis & probatis in toto hoc Tractatu. At innumeræ hinc & inde adsunt societates quæ commissam sibi jactitant revelationem Christo a Deo factam. Ut lis illa ex principiis hucusque in præsenti opusculo positis dirimatur, observamus 1. revelationem nullam Christiano nomine insigniri, seu Christo tribui posse nisi quæ a Christo ad præsens usque tempus, serie non interrupta devenire probabitur. Sit aliquis nomine Petrus qui mille ab hinc annis arcanum quoddam sanandæ febri remedium tutum excogitaverit; clament duo homines hisce temporibus penes se existere illud remedium. Omnes fatentur remedium a Petro inventum esse omni exceptione majus; id unum in controversiam venit, quinam ex illis duobus penes se habeat illud remedium a Petro primo propositum. Quomodo lis inter utramque & veritas dijudicabitur? Ille solus legitimus præfati remedii custos censebitur qui ascendendo a Patre, avis, proavis ad Petrum usque, serie continua, evincere poterit se proponere remedium a Petro inventum. Ita hic a pari. Revelatio Christi, omnibus fatentibus, est tuta ad veram Dei cognitionem & ad omnimodam salutem via. Ille solus hanc viam solam ac infallibilem veritatis tesseram sibi arrogare poterit qui ad Christum usque ascendendo evincet viam quam proponit esse illam ipsam quam Christus docuit. Ergo 1. nulla revelatio sub nomine Christi circumferri potest quam quæ ab ipso ad nos serie continua descendisse probabitur.

II. Ex dictis etiam cum revelatio sit e numero factorum, medium quo ad nos pervenit Dei loquela & priorum testium relatio, debet esse ab omni errore, immo ab ipso erroris periculo immune. Hinc societas quæ se revelationis Christo factæ custodem asserit, infallibilitatis prærogativa gaudere debet.

Denique cum Religio omnes spectet & omnium intersit eam quamprimum didicisse, medium quo traditur debet esse omnium captui accommodatum.

His positis, haud operosum est detegere societatem legitimam revelationis divinæ Christo factæ, seu a Christo promulgatæ. Custodem enim statim agnoscit quilibet societatem Catholico-Romanam esse illam præfatæ revelationis Magistram ex assignatis modo characteribus.

1. Sola est quæ ad Christum usque serie non interrupta ascendere possit. Datæ cujuslibet alterius Sectæ origo & initium, facile depromitur.

2. Quæcunque aliæ sectæ infallibilitatis & inerrantiæ prærogativam nedum sibi arrogent, immo illam respuunt & a se repellunt.

Demum omnes aliæ Sectæ confugiunt ad discussionem & privatam auctoritatem ut solam dignoscendæ veritatis viam. Jam vero nemo non videt quam parum majori hominum parti accommodatum sit hoc medium. Ergo nulla Secta præter Catholico-Romanam societatem prædictos characteres sibi vindicat. Sola ergo est legitima genuinæ revelationis custos.

FINIS.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A

B

G

H

Hou-

L

M

Maria

N

 fecti-

Papias

S



F I N I S.

